UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...

... De Excellentiis Dei

Louis François <d'Argentan>

Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1701

VD18 90029526

urn:nbn:de:hbz:466:1-45487

Visual Library

Th. 2583.

IIX
16

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CONSULTATIONES THEOLOGICÆ ET SPIRITUALES

Christiani verè fidelis & verè devoti

DE EXCELLENTIIS DEI.

Gallico Idiomate primum editæ & sæpius jam typo vulgatæ

Colleg. Acc. 91,V paderb: ao 1725

Per

R. P. LUDOVICUM FRANCISCUM Argentanienſem, Capucinum Normandiæ Provincialem.

Jam verò maximo cœterarum Nationum commodo Latinitate donatæ

A. P. F. ISAACO Oxovienſi ejusdem inſtituti Concionatore.

Opus prorſus inſigne, rariſſimâ & gratiſſimâ methodo digeſtum, quale ipſis Gallis atteſtantibus hucuſque Gallia non vidit, facilitate maximâ ſummas Theologiæ difficultates ad cujuscunque etiam illiterati captum ſolidè explanans; quod legi non poſſit, quin legentis intellectum Dei cognitione plurimùm illuminet, ac voluntatem ejusdem amore vehementiſſimè accendat, non tantùm Aſcetis pro fovendâ devotione, ſed etiam Eccleſiaſtis & Concionatoribus, declamando Dei Verbo & prælectioni ad menſam in cœnobijs religioſorum utiliſſimum, duplici tum rerum & verborum, tum materiarum concionibus applicabilium indice locupletatum, antehàc in Germaniæ partibus non viſum.

Cum Facultate Superiorum.

AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ,
Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD.
ANNO M DCCI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

THEOLOGICÆ
CONSULTATIONES

SANCTISSIMÆ TRINITATI.

SAnctissima, Augustissima, Superadoranda Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus Sancte; Ens Entium, extra quem non est nisi nihilum; Summe mundi plasmator, in cujus manu nihilum fit omnia. A te solo possidemus parvam hanc entis creati scintillam, quam tibi placuit donare nobis pro tuâ gloriâ & ingenti honore nostro. Cum ergo omnia acceperimus à Te, omnia tibidebemus; sedquodcunque tibi reddere p ossumus, infinitâ ratione indignum est, quod tuis præsentetur conspectibus. Non Tibi hic offero laborem meum, nec exiguam, quam impendi, operam, ut loquerer de Excellentiis tuis in parvo hoc opere: Scio namque, me nimis quàm indignè de his loqui; Et ex intimo corde fateor, omne, quod meum est, haud esse nisi vilitatem, defectum ac miseriam, quæ magis apta sit tibi displicere, quàm ciere complacentiam. Verùm offero Te ipsum

Tibi ipsi: Tam dignum te hoc donum est, ut majus velle non possis. Tu iisdem te semper oculis intueris, sive in divinâ tuâ essentiâ, ubi Exemplar es omnis infinitæ pulchritudinis, quæ tuam constituit beatitudinem: Sive in rudi delineatione, quam de adorandis tuis perfectionibus facere conantur homines. Tu teipsum semper agnoscis, non per rudia, quæ ipsi designant lineamenta, quæque potius te deforment, quàm tuam exhibeant formam; sed per illa, quæ intellectûs tui divini penicillum ab æterno exprimit in Teipso, vivâ Tui imagine. Non videbis, o Majestas infinita, radiantes divinæ tuæ essentiæ, nec adorandarum perfectionum tuarum splendores, in informi hâc & caliginosâ picturâ, siquidem hæc nihil ex eo, quod es, statuit ob oculos. Impossibile est luminosam solis claritatem, atro effigia re carbone, nec intellectûs nostri tenebris plenum luminis tui splendorem; Nec ita temerarius sim, ut ausim â te petere: Respice te, Domine, hâc in imagine; sed profundissimâ, quâ possum, peto humilitate, ut aspicias illam in teipso. Si dignaberis beare illam parvulo divini aspectûs tui radio, singularem illi conferes decorem

rem & gratiam; Tu namque infinitus decor es, qui decore induis, quidquid intueris. Si dignaberis huc extendere manum tuam, evadet hoc nihilum, quidquid placuerit tibi: Tu namque origo vitæ es, quidquid vivificans, quod tetigeris. Quod si beabitur, ut placeat tibi, beneplacitum tuum illi saporem dabit, quo cunctas alliciat & afficiat animas.

O quàm optarem è cordis visceribus, ut nullum viseretur in opellâ hac tenui verbum, quod non ita divinarum magnitudinum tuarum laudibus sit plenum, ut altissimam earundem æstimationem ac affectum æternum cunctis insereret mentibus! o facere si possem, ut omnes characteres flammæ essent, tantumque haberent ardorem, ut in omnium cordibus ferventiorem accenderent amorem, quàm sit ille Seraphinorum regnantium in cœlo! Tu potes, o Deus optime, tantam illis elargiri virtutem, quantam volueris: ideoque & illos prosterno ad pedos tuos, ut ipsam recipiant, probè sciens & confitens habituros nullam, nisi quam tibi placuerit illis communicare. Da gloriam hanc Tibi ipsi, Domine, ut postquam te feceris agnosci, ab omnibus quoque nobis te facias amari.

Haud ignoro, o Sanctiſſima Trinitas, indignam, quæ de Te loquatur, linguam eſſe mortalem, meliúsque honorari te venerabundo ſilentio, quàm verborum omnium lenocinio. Sed quandoquidem tibi ipſi placuit loqui nobis de Excellentiis tuis, ac miſeris nobis terræ homunculis revelare incomprehenſibile hoc Myſterium, quod in te ipſo agitur, quodque totum tuum per omnem æternitatem erit negotium: patere ut remittamus tibi, o Sol divine, cœleſtis luminis radium, quem donâſti nobis. Et quia verum eſt, quod Echo, quæ non eſt niſi concavitas, vacuitas & ſpecies quædam nihili loquentis, reddere non ceſſet quod accepit, & eaſdem remittere veritates ad ſe à loquente directas, quamvis neſciat, quid dicat: concede, ut è profundâ nihili noſtri abyſſo, faciamus quandam Echo ad Verbum tuum æternum, quod loqui nobiſcum voluit, easdemque veritates, eademque verba, quæ nobis dixiſti, remittamus ad Te, quamvis ita loquendo neſciamus, quid dicamus. Tu ipſe es, qui loqueris, Domine, & tu ipſe es, qui te intelligis: Echo nihil eſt, & nos nihil ſumus. Tibi ſoli gloria, honor & laus infinita in ſæcula.

PRÆ-

PRÆFATIO.

DIfficile est, seriò ponderare parvam, quam hîc in terris de Deo habemus, cognitionem, exiguumque, quo erga ipsum afficimur, amorem, quin dolenter sentiamus cœcitatem ac insensibilitatem nostram. An possibile sit, Deum, cum sit ipse Lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, â majori hominum parte non magis respici, quàm si umbra foret ac noctis caligo? An possibile sit, quod, cum vivamus in medio ipsius, absque intermissione beneficia illius circumferamus in manibus nostris, & absque illo nec oculos aperire possimus, non videamus illum in omnibus operibus ipsius, in quibus seipsum velut in magno volumine voluit describere? Nos tam parum percipimus de ipso, quasi non foret, tamque parum ab ipso movemur, quasi nunquam ejusdem nos pulsaret cogitatio.

Omnipotens mundi Creator, non produxit Universum hoc, nisi ut extra seipsum se cognosci, & à creaturis suis se faceret amari; & probè videtur, hunc solum fructum esse, quem ex opere tam pulchro voluit colligere, dum abs ullâ quietis interpositione ab operando non destitit, quoad creâsset hominis animam, quam ad suam formaverat imaginem; Et in hâc animâ intellectum immortalem ad cognoscendum se capacem, & voluntatem liberam, habilemque ad se amandum. Postquàm autem intellectum hunc cognitione suâ, & voluntatem hanc amore suo divino replevit, requievit tunc, quasi obtinuisset finem sibi propositum, ut se cognosci & amari faceret â facturis suis. Hoc unicum est magnum præceptum, quod nobis dedit in lege suâ; hoc solum est negotium, cui ab æterno nos destinavit; hoc unicum est, in quo tum summa nostra beatitudo, tum gloria ipsius externa consistit, ipsum nempe contemplari & amare. Huc solùm

lùm adnitendum esset hominibus pro tempore & æternitate, cum nullius rei vehementiori teneantur desiderio, nisi suam quærendi beatitudinem.

Nihilominus hæc minima plurimorum est cogitatio; cætera omnia magni ponderant, illis sollicitè invigilant, magno ipsis ardore, velut non parvi momenti rebus, intendunt. Deus solus est, quem negligunt, quemque haud aliter, ac si nihil esset, contemnunt. Sacra attestatur Scriptura, quod respiciat de cœlo excelso super innumerabilem multitudinem hominum, ut videat, si est intelligens aut requirens Deum, & neminem videt, qui se requirat. Omnes se involvunt vanis ac inutilibus negotiis, quærentes non nisi fumum & vanitatem: hinc est, quod tam parum cognoscatur, tamque parum ametur, quin & è memoriâ hominum plerumque abigatur, quamvis vivamus in medio Creaturarum ipsius, de quibus Sanctus Paulus nobis dicit, quod ne una quidem sit, quæ non habeat vocem suam ad declarandum nobis magnitudinem illius ac Excellentiam: *In mundo nihil est sine voce.* 1. Cor. 14.

Si omnes Creaturæ, quæ ipsum cognoscendi & amandi non habent facultatem, non cessant resonare omni voce suâ, ad annuntiandum nobis pro posse laudes & magnitudinem ipsius: an dicetur de nobis, quod tacuerimus, qui sumus solæ inferioris hujus mundi creaturæ, nobilissimo hoc privilegio dotatæ, quod ipsum & cognoscere & amare possimus? Nonne deberemus esse, non nisi nuda & simplex more sancti Joannis Baptistæ Vox? Nonne oporteret omnia, quæ in nobis sunt, nostram animam, nostrum corpus, nostrum os, nostram manum, nostrum intellectum, nostras cogitationes, nostra opera, omnes affectus nostros, esse tot canoras voces, quæ ubique publicarent gloriam ipsius, nec urgere cessarent omnes homines ad cogitandum de illo, ad cognoscendum & amandum ipsum? hâcque ratione dici posset de parvo, quod dicitur de mundo magno: *In mundo nihil est sine voce.* Ubi est zelus omnium Christigenarum, quacunque eruditione insignium, præcipuè eorum, qui speciatim

Numi-

Numinis servitio sunt consecrati, si non omnia, quæ receperunt ab ipso, ad gloriam ipsius dilatandam impendant? Vidimus duodecim Apostolos Spiritu Dei animatos, sufficientes fuisse ad portandum lumen cognitionis ipsius, usque ad densissimas Gentilitatis tenebras, & dissipârunt ipsas. Ardor ipsorum portavit divini amoris ejus flammas, usque ad brumas & glacies sæculi in peccatis suis indurati, & dissolvit illas, infatigabilesque ipsorum labores repleverunt mundum cognitione & amore Dei. Hodie, quæ nobis confusio, quod, dum Ecclesia abundat inenarrabili hominum sapientûm, & quidem se servos Dei profiteri volentium numero, tam pauci tamen inveniantur, qui ædificent super fundamentum Apostolorum, mundoque vel minimam partem zeli sui ostendant. Ah si omnes, prout deberent, voces essent, resonando & prædicando ubique magnitudinem Majestatis divinæ, mundus tandem, volens nolens compelleretur ad cognoscendum & amandum illam? Quantos invenire est, qui forsan aliquando cum Vate illo habebunt ansam dicendi: *Væ mihi, quia tacui*; quia de DEO non sum locutus.

Verùm nonne resonant tot ac tantæ Conciones, nonne frequentantur tot ac tantæ Scholæ Theologicæ, ubi enucleantur altissima de divinitate Mysteria? Nonne totus mundus libris devotis & his eximiis est plenus?

Haud est abs re, quod ubique resonet ingens concionum eximiarum copia; unde & ansam habemus extollendi Numinis bonitatem, quod inspiraverit tum Concionatoribus, tum auditoribus nauseam ac tædium rerum vanarum, curiosarum ac inutilium, quas olim veritatis cathedræ nuntiabant, quodque jam omne conferatur studium in solida, utilia ac ponderosa documenta, quæ tendant ad morum emendationem, quæque animabus inserere valeant cognitionem & amorem Dei. Haud dubio locus est, quin ex hoc emanet ingens fructus in domum Dei; sed hæc verba sunt, quædum in aërem dicuntur, disperguntur.

Si fortiter insculpta manerent mentibus, si incessanter resonarent in auribus, vel audiri à nobis possent, quoties vellemus, ingentis reverà hoc esset commodi: Verbum enim Dei Zelo Concionatoris Apostolici animatum miræ virtutis est ad animos commovendos. Sed hoc malum est, quod, dum horæ spatio ex ore Concionatoris excipimus Verba de Deo, pluribus ex in diebus, vel forsan hebdomadibus, nec verbulum ex eo nobis liceat audire.

Verum est etiam, ingenti numero frequentari Scholas Theologicas, ubi insignes Doctores exponant omne id, quod humano modo de Excellentiis Dei scire possumus; sed non omnes ipsos auditum accedunt. Scientiam suam impressam gerunt codicibus suis ad communicandum illam universo mundo; sed thesaurus hic est majori orbis parti occlusus; habere oportet scientiæ clavem, ut illuc intrare liceat; oportet intelligere idioma ipsorum, quod Vulgo haud convenit; oportet cum labore sufferre tædium, quod secum fert Methodus ipsorum Scholastica: Et post hæc omnia inveniunt lumen, quod parum caloris habet; voluntas communiter parum movetur in studio Theologiæ Scholasticæ: fortassis, quia intellectus nimium exhauritur labore, quem impendere oportet ad enodandas difficultates, vel ad subtilitates intelligendas, quæ in scholis agitantur.

Nihilominus specialis Christianorum professio requirere videretur, ut omnes magni essent Theologi; siquidem Theologia aliud non est, quàm scientia de Deo & rebus supernaturalibus, sicut Philosophia de rebus naturalibus scientia est. Paganorum igitur est esse Philosophos, sed Christianorum est omnes esse Theologos, cum vi professionis suæ obligentur studere cognitioni Dei, ut ipsum ament. Compositus & expositus est ingens librorum de devotione tractantium numerus, ad instruendum omnes Christianos, tantâ cum facilitate, ut quasi nil amplius sciendum, lecturis illos aliquâ cum attentione, relinquant. Tanta jam est multitudo eorum, ut parum absit, quin erum-

patur

patur in querelas, & dicatur, illos esse nimios, tamque vulgares evadere, ut in contemptum abeant. Sed magna foret injuria, sic loqui; Nam totum ex adverso verum est, illorum numerum nimis quam parcum esse. Nunquam nimis sunt libri boni de Deo loquentes; optandum foret, ut totus mundus his abundaret, & nil aliud ubivis locorum inveniretur: Non cessamus ubique erigere Cruces, & nemo dicit has esse nimias; fabrefiunt incessanter imagines, Mysteria Religionis oculis exponentes, & nemo conqueritur, has esse superfluas; Indoctorum hi libri sunt legere ignorantium: Ut quid ergò querendum foret, libros eorum, qui legere nôrunt, nimiùm multiplicari? si querendum est de nimiâ librorum copiâ, malorum hoc sit: Nam verum est, nimios hos esse, & nunquam fore nimiùm paucos. Si rescinderentur omnes mali, nonnisi vana tractantes, compertum foret, nimiùm paucos inventum iri libros in mundo.

Et quomodò conqueri quis jure posset de nimio devotorum librorum numero? Ah! Veritates nostræ Christianæ tantæ sunt latitudinis, ut non duntaxat unicus solus, nec decem, nec centum ad exponendas illas omnes haud sufficerent, sed omnes simul, illarum nec minimam adhuc complecterentur partem. Unus agit de objecto quodam particulari, alius aliud assumit argumentum. Loquuntur aliqui de materiâ orationis; alii de exercitio virtutum, alii de Mysteriis fidei, alii de usu Sacramentorum, & omnes suo modo serviunt promovendæ Dei gloriæ, & saluti animarum. Hic, quem tibi offero, mi Chare Lector, eundem sibi præfigit finem, sed aliud assumit medium. Vellem ex omnibus Christianis sapientissimos facere Theologos, abs eo, quod Theologico studio incumbant in scholis.

Quando luci donavi CHRISTIANUM INTERIOREM ante decem circiter annos, præcipuus mihi scopus fuit, facere è Christianis Theologos more Seraphinorum potius, in amore excellentium, quàm more Cherubinorum, qui juxta divinum

Areopagitam ſpecialiter excellunt in ſublimi cognitione Dei. Vide, quare tam leviter ibi vix quidquam attigerim de excellentiis Trini & Unius Dei, potius per modum affectuum aut aſpirationum, quàm per Theologicum aliquem diſcurſum; ſicut videre eſt in ſolitudine decem dierum, de Myſterio adorandô Trinitatis, libri quarti Capite Sexto; Eoquod brevitas operis, quam intendi, & materia orationis, quam propoſui pro occupatione, tempore ſolitudinis, haud permiſerint me in tantum extendere, quantum opus fuiſſet, ad dandam omnimodam declarationem, quam deſiderâſſet intellectus circa materiam tam ſublimem, tamque profundam.

Cùm viderem, plures in votis habuiſſe majorem aliquantò explanationem, ad conſervandos ardores, quos *Chriſtianus interior* in cordibus legentium excitaverat: reſolvi me majori cum claritate hìc exponere doctrinas Theologicas de Excellentiis Dei *Trini & Unius*, quæ aptæ ſint non tantùm ad ſatisfaciendum intellectui illorum, qui quærunt cognoſcere Deum, ſed etiam ad conſervandos firmiter affectus bonos, quos voluntas eorum conceperat in lectione parvi illius libri, in quo omnes hucusque invenerunt, & invenire adhuc non ceſſant guſtum omninò ſingularem.

Conſidero, quod ſicut Beati Deum clarè videntes in Cœlo, ipſum neceſſariò amant, ita etiam, ſi quis inſerere poſſet animabus ſublimem aliquam cogitationem de Excellentiis Dei, ita ut aliquantulum clarè easdem cognoſcerent, impoſſibile foret, quin infinito propè modo illas pluris æſtimarent in corde ac animo ſuo: Certum namque eſt, affectum voluntatis ſequi cognitionem intellectûs. Et quemadmodum ſol nunquam majorem generat calorem, niſi quando extollitur in apogeo ſuo ſuper capita noſtra, clariorésque jaculatur luminis radios; ſic etiam anima nunquam ſentiet ſibi magis inflammari cor ardore Divini amoris, niſi quando intellectus ipſius illuminatus fuerit majori & clariori cognitione, quâ videat & aſpiciat Excellentias

Dei.

Dei. Quâ ratione præferri possent ipsi Creaturæ vel respectu illius æstimari, si vel parum agnoscamus, infinito modo infinitam summæ hujus Majestatis Eminentiam, supra omne id, quod Deus non est?

Allaboravi explanare hic omnia, quæcumque Sacer Codex, Sancti Patres & Doctores maximè sublimia docent de Essentiâ & perfectionibus Dei; sed modo tam facili, plano ac claro, ut absque aliâ Scientiâ, nisi quæ sanæ mentis est, ab omnibus facilè intelligi possint ac comprehendi; cùm omnia difficultatibus scholarum sint extricata. Non secutus sum methodum scholasticam, non immiscui subtilitates ac argutias, nec diversarum opinionum disceptationes, nec cætera omnia, quæ intellectum fatigare & absterrere valeant. Duntaxat studii clarè exponere Veritatem, & conservando Majestatem materiæ, quam tractavi, illam tam reddere familiarem, ut indiscriminatim ad captum sit omnium.

Quamobrem uti placuit Methodo Consultationum sive Colloquiorum, cùm his nil sit familiarius. Non servatur hic Auctoritas Magistri solùm loquentis, & instruentis discipulos suos; Non texitur hic sermo eâ cum concinnitate, elegantiâ ac sublimitate, quæ servari solet in pulpitis; majori utimur libertate in Consultationibus ac Colloquiis. In quâlibet Consultatione utplurimùm introduco duas vel tres personas loquentes non per modum dialogi; quia nimis importunum est, abs intermissione audire loquentem unum & respondentem alterum; sed colloquuntur, uti moris est, dum sermo miscetur de re nobis acceptâ, quam penitius rimari & scrutari volumus. Non eandem in omnibus tenui Methodum, ne successivè nimium afferret & pareret tædium, sed semper novam excogitavi contingentiam, quæ ansam præbeat & materiam suggerat consultationibus, quæ hâc ratione sufficientem acquirerent diversitatem, ad recreandum â lassitudine intellectum, qui continuatione ejusdem rei facilè defatigatur.

Volebam quidem in omnibus ſtudere brevitati, ut uno quaſi aſpectu videre licuiſſet cujuslibet & initium & finem : Scio namque contingere fermè lectori, quod viatoribus, qui dum planitiem coram aſpiciunt, quam uno oculorum conjectu facilè pervadere non poſſint, perdunt animum, & jam jam quaſi defatigantur, antequam ſe viæ dederint. Sed impoſſibile erat tanti momenti ſcrutari materias, & obiter de illis loqui. Nec eſſe erat majores illas facere, quàm Caput alicujus libri requirat; quas proin longiores invenies, quàm ut uno tractu evolvere poſſis; ſed inevitabili longitudinis hujus defectui appoſui remedium, dum illas diviſi in Articulos, quorum quilibet in principio exhibens argumentum materiæ, quam tractat, congruæ erit magnitudinis, quam brevi ſpatio emetiri licebit.

Benè judicabis, omnes has tam diverſas perſonarum in Conſultationibus loquentium contingentias & occurſus, haud eſſe hiſtorias, quæ reapte & verè acciderint, ſed utplurimum exempla ſunt ratione quâdam non abſimilia parabolis, quibus divinus Magiſter noſter ſacrum implere voluit Evangelium, ut explanaret nobis altiſſimas, quas de cœlo attulit, veritates, per comparationes adeò familiares, ut, ſi ipſemet his non fuiſſet uſus, nos illas velut nimiùm abjectas ab uſu noſtro repuliſſemus. Sed poſtquàm adorandum hoc VERBUM, infinita ſcilicet ſapientia Dei Patris, accommodare ſe voluit imbecillitati noſtræ, tantâ eum bonitate, ut ſeſe demiſerit ad eruendas ſimilitudines ex administratione rei domeſticæ mulieres concernente : erubeſcendum nobis foret de ſuperbiâ noſtra, dum nimium demittere ſe metuit, ad explanandas familiariter veritates divinas, â quibus dependet ſalus animarum, quibusque capiendis forent inhabiles, niſi juxta illarum capacitatem proponerentur.

De

De reliquo, videbis mox ab initio, Chare mi Lector, quod multum satisfactionis spondere tibi poteris ex Lectione parvi hujus operis: Nam in primâ Consultatione incipio demonstrare tibi, quod maxima intellectûs nostri voluptas sit, cognoscere Deum. In secundâ videbis, jucundiores voluntatis delicias esse Deum amare. In Tertiâ, summam memoriæ felicitatem sitam esse, in ejusdem reminiscentiâ. Post animum tuum ita dispositum, auspicor tibi loqui in Quartâ, de Essentiâ Dei; in Quintâ de Unitate ipsius; in Sextâ, de Trinitate divinarum Personarum; in Septimâ de Personâ Patris; in Octavâ de Personâ Filij; in Nonâ, de Personâ Spiritûs Sancti; in Decimâ, de reciprocâ inhabitatione divinarum Personarum, quam Theologi Circumincessionem nuncupant.

Post institutum de Essentiâ Dei ac Divinis Personis sermonem, devolvor ad adorandas ipsius perfectiones, & in undecimâ Consultatione tibi loquor de æternitate ipsius; in duodecimâ, de æternitate Creaturæ, quæ admirabilis est participatio æternitatis Creatoris sui; In decimâ tertiâ loquor de immensitate ipsius & præsentiâ; In decimâ quartâ, de omnipotentiâ illius in Creatione mundi; In decimâ quintâ, de bonitate ipsius in Creatione mundi parvi, qui est homo; In decimâ sextâ de ipsius providentiâ; In decimâ septimâ de Prædestinatione, quæ præcipua pars est providentiæ ipsius; In decimâ octavâ loquor de mirabilibus Scientiæ infinitæ Dei; In decimâ nonâ, de ipsius Justitiâ; In vigesimâ de ipsius misericordiâ; In vigesimâ primâ de patientiâ Dei, quæ exspectat peccatores ad pœnitentiam; In vigesimâ secundâ, de Sapientiâ Dei; In vigesimâ tertiâ, de Sanctitate Dei; In vigesimâ quartâ, de pulchritudine Dei; In vigesimâ quintâ, An Deum amare possimus, sicuti nos amat;

amat; In vigesimâ sextâ, de absoluto Dominio Dei super nos; In vigesimâ septimâ de Zelo Dei erga animas nostras; In vigesimâ octavâ, de Zelo animarum nostrarum erga Deum; In vigesimâ nonâ, de vitâ Dei, quâ nobis vivendum est. Et trigesima erit conclusio totius operis, ubi fructum videbis, quem inde colligere poteris.

Fruere exiguo hoc labore, mi Chare Lector, quem mihi optimè recompensatum crediderim; Non si approbationem & laudes adjeceris tuas; nam horum nihil aucupor; sed si illo benè usus, magnum feceris profectum in cognitione & amore Dei. Si tibi futurus sit commodo, hocque intelligam, quamprimùm alius huic non impar sequetur, in quo tibi explanare adnitar Excellentias CHRISTI JESU, Dei-Hominis; cui sit honor, gloria & benedictio in æviterna sæcula.

Ex

Ex Commissione

Admodum Reverendi Magnifici ac Amplissimi Domini Joannis Ernesti Schubert SS. Theologiæ Doctoris Ecclesiæ Collegiatæ ad S. Jacob. Decani, Eminentissimi Principis Electoris Mogunt. ac Episc. Bamberg. in Spiritualibus Vicarii Generalis Protonotarii Apostolici, ad S. Martinum Pro-Parochi &c.

PErscrutatus sum assiduè & accuratè Consultationes Theologicas & Spirituales Christiani verè devoti, verè fidelis de Exeellentiis Dei per Reverendum Patrem Isaacum Oxovienſem Capucinum Guardianum, olim Diffinitorem ac Concionatorem, ex Gallico Idiomate eleganti & dilucidâ latinitate doctissimè donatas, & scrutando inveni in eis aurifodinam tot venis prædivitem, quot Consultationibus constantem, quæ non alio gravidæ sunt auro, quàm illo Ignito, cujus splendore corda legentium superno lumine illustrantur, & cujus ardore affectus piè meditantium igne divini amoris accenduntur: Cui comparando is solus parcùs erit, cui & libri hucusque nunquam sub hoc schemate evulgati rara & grata Methodus ignota,

& materiæ in illo contentæ gravitas occulta fuerit. Ut igitur Consultationes præfatæ omnium oculis, magis verò animis, pateant, & sibi aliorumque saluti exindè consulere valeant, cùm nihil Catholicæ fidei & sanæ Doctrinæ contrarium contineant, sed Spiritu supernæ intelligentiæ ac incentivo divini amoris refertissimæ sint, prælo dignissimas judico. Bambergæ 5. Februarii Anno salutis 1700.

J. STANISLAUS Herbipolensis
Capuc. Guardianus Indig.

CUm Consultationes Theologicæ ex industria Admodum Reverendi Patris Isaaci ex Gallico Idiomate in Latinum versæ, accuratæ disquisitioni subjectæ, & nihil in iis Orthodoxæ fidei aut bonis Moribus contrarium, sed Animarum saluti omninò proficuæ repertæ fuerint, ideo earundem impressio ad divulgatio permissa fuit. Actum Bambergæ 4. Junij Anno 1701.

JOANNES ERNESTUS SCHUBERT,
SS. Theologiæ Doctor, Protonotarius Apostolicus ad S. Jacobum Decanus, & per Diœcesin Bamberg. Vicarius in Spiritualibus Generalis.

CEN-

CENSURA
ET
APPROBATIO.

EDidit non ita pridem Consultationes Theologicas & Spirituales de Excellentiis Dei Gallico Idiomate R P. Ludovicus Franciscus Argentariensis Capucinus Normandiæ Provincialis, refertas amorosis affectibus, & efficacibus incentivis Divini amoris, & altissimis Theologiæ Mysteriis petitis, conformes Catholicæ veritati, SS. Patrum doctrinæ, & communi Theologorum eruditioni, traditas methodo magis practicâ, quàm speculativâ, ut jure merito dici possent Theologia quædam positiva, non absimilis (nisi quod magis ordinata & elegans) illis priscorum Patrum Collationibus & alloquiis, in quibus desuper illustrati Sancti Dei homines de rebus Divinis tam sublimia loquebantur, ut humana Sapientia attingere non valeret, quæ hi-simplicibus verbis, comparationibus, allegoriis, Dialogis, aliisque dicendi modis altissimè de Deo discurrebant, & interloquebantur: eo plerumque affectu, ut audientium mentes non solùm erudirent, erudiendo illuminarent, & illuminando ad DEUM elevarent, sed etiam voluntates commoverent, & Corda divino quodam igne & spiritu accenderent. Tales namque sunt etiam Consultationes istæ Theologicæ ac Spirituales de Excel-

lentiis DEI, occultâ quâdam vi legentium animos afficiciunt ac virtute; cœlesti quodam radio illuminant, & supernaturali velut æstu succendunt, atque mirabiliter in DEI amorem abducunt, imò rapiunt & trahunt: quod experti sumus, postquam eadem â R. P. Isaac Oxovienſi Capucino Concionatore Guardiano Bambergensi, per Franconiam Custode, atque Diffinitore actuali cum magno labore & elegantiâ, pariqúe spiritu ac studio latinitati donatas, jussu Admodum R. P. Adriani Wildenauensis FF. MM. Capucinorum per Bavariam & Francon. Ministri Provincialis relegendas & examinandas suscepimus. In quibus proindè attestamur, nos nihil reperisse, aut â fide orthodoxâ alienum, aut bonis moribus contrarium, aut piarum aurium offensivum, quin potius invenimus de altissimis Fidei Mysteriis doctrinam solidam & planam: De Deo & ejus Excellentiis Veritates Catholicas sapientibus hujus mundi absconditas, & parvulis revelatas ac revelandas. Theologiam planè cœlestem, sublimissima DEI attributa, & ipsa SS. Trinitatis arcana humiliter & apertè tractantem: Consultationes verè spirituales, quæ spiritum spirant & redolent, ad viam & vitam spiritualem ducunt & inducunt, spiritum excitant & divino amore inflammant: paucis, librum pulcherrimum, jucundum, piè curiosum, doctissimum, devotissimum, ex integro Catholicum & utilissimum, tum verbi divini Præconibus, qui doctis & indoctis debitores, utrisque satisfacient, dum altissimos ex hoc Conceptus & materias tractabunt, verbis tamen tam

planis

planis & apertis loquentur, ut quæ aliàs Fides abscondit, velut remoto peplo, etiam plebei & simplices oculis cernere videantur: Tum Professoribus, Lectoribus & studiorum Magistris, qui his Consultationibus benè sibi consulent, dum inæqualis Minervæ capita nacti, eis summas difficultates tam faciliter explanabunt, ut quod dociliores aliàs discipuli, non nisi longo tempore apprehenderent, rudiores quique breviſſimo spatio addiscant: Tum etiam ascetis & Religiosis omnibus, vel ad formandos spirituales Discursus in conversatione cum Sæcularibus, vel ad semetipsos excitandos & elevandos in Divinarum perfectionum meditatione, lectione, & explanatione, ac quod primum esse debet in divino amore se & alios accendendos.

Has itaque Consultationes Theologicas ac spirituales, ad plurimorum usum & fructum, DEI Gloriam & honorem, proximi salutem & consolationem, Seraphicæ Religionis nostræ decorem & ornamentum evulgandas, ac non uno sed mille prælis digniſſimas judicamus, atque ut ad nos velociter redeant exoptamus denuò legendæ & relegendæ. Dabam Bambergæ sexto idus Augusti 1699.

F. Edelbertus Rottenfelsensis
Capucinus Ind.

F. Philippus Herbipolensis
Capucinus Ind.

Encomium Auctoris.

FEliciter obdormivit in Domino R. P. Ludovicus Franciſcus Argentanienſis Capucinus; Quem multæ Provinciæ audiêrunt prædicantem; plurima Regna legerunt ſcribentem, & omnes viri probi, quibus ubiquè notus erat, planxerunt morientem: In ipſius etenim morte Eccleſia Catholica amiſit celeberrimum Doctorem; ordo Seraphicus decorem ſplendidiſſimum; Provincia Neuſtriæ zelantiſſimum præconem, acutiſſimum Lectorem, vigilantiſſimum Rectorem, ſuum denique amantiſſimum Patrem. Ter ſigillum tenuit, nempe ſemel viſitatoris, ſicut & in Waloniâ & in Flandriâ; & bis Provincialis Normaniæ, quam diutius moderatus fuiſſet, niſi poſt Chriſtum, quem in interiori Chriſtianorum, & dictis, & ſcriptis expreſſerat, Corpore deficiente, mens ejus divinis rebus affecta, ad cœlos evolâſſet, anno Domini 1680. Jul. 8. horâ X. ſerotinâ, ætatis ſuæ 66. & Religionis quinquageſimo elapſo 7. die Maij.

INDEX

INDEX
CONSULTATIONUM.
Quæ in hoc volumine continentur.

CONSULT. I. Veræ deliciæ intellectûs consistunt in Cognitione Dei. 1

II. Summa Voluntatis voluptas est, amare Deum. 28

III. Dulce solatium memoriæ est, recordatio Dei. 50

IV. De Essentiâ Dei. 74

V. De Unitate Dei. 103

VI. De Trinitate divinarum personarum. 126

VII. De Persona Patris. 155

VIII. De Personâ Filij. 185

IX. De Personâ Spiritûs Sancti. 212

X. De reciprocâ inhabitatione divinarum Personarum, quam Theologi circuminsessionem appellant. 240

XI. De æternitate Dei. 265

XII. De æternitate Creaturæ. 290

XIII. De immensitate & præsentiâ Dei. 324

XIV. De omnipotentiâ Dei in creatione mundi magni. 350

CON-

CONSULT. XV. De bonitate infinitâ Dei in creatione mundi parvi, qui est homo. 385
XVI. De providentiâ Dei. 413
XVII. De Prædestinatione, quæ præcipua pars est providentiæ. 441
XVIII. De Scientiâ infinitâ Dei. 461
XIX. De Justitiâ Dei. 484
XX. De Misericordiâ Dei. 509
XXI. De Patientiâ Dei. 539
XXII. De Sapientiâ Dei. 567
XXIII. De Sanctitate Dei. 610
XXIV. De Pulchritudine Dei. 637
XXV. An Deus amari possit, sicuti amat. 668
XXVI. De supremo Dominio Dei super nos. 697
XXVII. De zelo Dei erga animas nostras. 729
XXVIII. De zelo animarum nostrarum erga Deum. 762
XXIX. De vitâ Dei, quâ nobis vivendum est. 790
XXX. Conclusio totius Operis, & fructus, quem inde haurire possumus. 821

CON-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CONSULTATIONES THEOLOGICÆ

ET

Spirituales Christiani verè devoti & verè fidelis de Excellentiis Dei.

CONSULTATIO I.

Veræ deliciæ intellectûs consistunt in Cognitione Dei.

ERamus ad litus maris, ubi sodalium duo, qui nunquam id viderant, statuarum more hærebant immobiles, aspiciendo cum admiratione, quâ extra se rapiebantur, vastam illam Crystalli fluentis planitiem, ubi Cœlum deliciari videbatur, spectando se illic velut in speculo; & videndo, quod juxta proportionem, quâ suos versùs plenum mare evibrabant oculos, id sibi insensibiliter more collis extolli videbatur, dum interim fluctus à ventis crispati, & candidâ induti spumâ, velut magnum bidentium gregem, super planitiem illam pascentem, ipsorum objiciebat oculis; & tandem advertendo, quod horizon & ultima extremitas, quò suum poterant protendere aspectum, suis longè altior & excelsior esset capitibus, attoniti ex eo, quòd aquæ, quæ semper infimum quærentes locum sese super ipsos effundere

cum impetu debebant, sedatè & dimensò velut gradu ad suos venirent pedes, nec ultra dilaberentur.

Aspectus maris primâ vice videntes rapit in admirationem.

Unus illorum è considerationè hujus prodigii velut è profundâ extasi in se reversus, exclamabat: Bone Deus, quàm incomprehensibile prodigium est hoc, primâ id vice aspicienti? quis est Dominus, qui excavare potuit ingens hoc aquarum receptaculum super terram? ubi tantæ molis aqueæ, quæ immensa videtur, invenit scaturiginem? Et unde venit, quòd illas veluti suspensas teneat in aëre? quis prohibet, ne universam obtegant, & cooperiant terram?

Responsum est ipsi: Dominus, qui magnum hoc aquarum receptaculum habere voluit super terram, est Omnipotens Creator Mundi: harum scaturigo in iisdem thesauris est, unde extraxit ignem & aërem, astra, & lucem, cæterásque omnes Creaturas. Fateor tecum, prodigiosum hoc esse; Nam si adeò deprædicatum fuit prodigium, quod Moyses patravit in deserto, dum aquæ pauxillum elicuit è petrâ, quam suâ percusserat virgâ; Ecce majus longè tibi prodigium, tantam undarum molem elicuisse è sinu nihili. Ante dena annorum millia, ingens hîc mundus nihil erat, & unicum Verbum, Dei prolatum ore, sic illum, uti vides, disposuit.

Verùm non vides ex eo vel minimam partem; quod tibi ex mari patet, nihil est respectu ejus, quod te latet: Nam vastum hoc elementum longè excedit magnitudine universam terram. Hoc igitur non inclusum est terræ; sed terra inclusa est ipsi. Nos asservare haud possumus pauxillum aquæ, nisi habeamus vas solidum ad illam constringendam. Sed Creator ex adverso inclusit terram, quæ solida est, magno huic aquæ elemento, quod est liquidum: Et quod stuporem auget, non contentus fuit voluisse hanc ab illo circumcingi, sed pluribus ipsum munivit Brachiis, quibus veluti amplecteretur magnam hanc massam, ejusque partes ita simul conservaret unitas; ut viverent in bonâ concordiâ, & reciproco commercio: Nam opitulantibus hisce aquarum brachiis portari se faciunt homines, quòcunque voluerint.

Mirabilia maris enuntiant excellentias Dei.

Non admiramur res, quæ nobis quotidianæ sunt. Sed qui nunquam vidisset mare, credere posset, siccis pedibus inambulare homines liquido huic elemento: Velociùs eos hîc currere equis veredariis, abs ullâ formatione gressûs; in vastis hisce campis reperiri cursores invisibiles, qui super sonipedes pedibus carentes incredibili celeritate eos por-

portent, quocunque volent. Et ne iter tam longum absque occursu diversoris, ad se refrigerandum, illis nimium foret difficile, dispositi providentia Creatoris plures insulas, alias majores, alias minores, per totam illam vastarum abyssuum latitudinem, quæ eodem tempore servirent illis, tum pro Mercuriis, demonstrantibus ipsis viam, quæ nunquam trita est, nec cognoscibilis, quamvis sæpissimè frequentetur; tum pro hospitiis, ubi divertere possent ad capiendam vel quietem vel refocillationem; Sed nihil est videre tantùm superficiem magni hujus elementi: si quod suis in abyssis inclusum gerit, cerneres, integer hic foret mundus ex infinitis compositus creaturis, in formâ, figurâ, magnitudine differentibus, quæ currant abs pedibus, volent abs alis, se invicem intelligant abs loquelâ, vivant abs halitu, & omnes inveniant, quod manducent, ubi non videntur habere, nisi quod bibant.

Societas tota attentione summâ discursui huic præbebat aures: sed videns nos ex eo devolvendos in abyssum, unde nos evolvere diu non liceret, abrumpebam ipsum, illisque dicebam: Admiror curiositatem vestram, & illam, quam hisce ex rebus capitis, voluptatem.

Intellectus magnam capit voluptatem, considerando mirabilia naturæ.

Fateor, dicebat mihi quidam, sapiens inter illos Philosophus, inter omnes vitæ voluptates, illas intellectûs me allicere plurimùm. Illæ corporum, harum respectu, mihi viles videntur, magisque dignæ, quæ à bestiis quærantur, quàm ab hominibus. Et ex cunctis intellectûs deliciis, nullæ mihi pares videntur illis, quæ hauriuntur ex consideratione mirabilium naturæ: siquidem capere non possû intellectûs imbecillitatem in illis, qui tam avidè inhiant lectioni apologorum.

Quid hîc inveniunt, nisi meras imaginationes, Chimæras & fabulas, quæ tam parùm intellectum pascunt solidâ aliquâ veritate, ut potius vanitate repleant ac mendaciis.

Prudentiores adhuc judico illos, qui in lectione historiarum suas quærunt delicias: hi namque in intellectu reviviscere faciunt sæcula elapsa, ipsique eandem, quasi voluptatem gustandam propinant, quam gustâsset, si eâ mundi ætate vixisset; sed & hæ nos rebus occupant, quæ amplius non sunt.

Nova nostrorum temporum, quæ plerumque negotium facessunt hominibus ignavis, quandoquè quidem illis levem pariunt voluptatem, verùm tam brevem, ut quantocyùs, dum amplius nova non sunt, amplius non sint accepta. Et quia plerumque non afferunt nisi vani-

tates, nisi vento & fumo haud pascunt intellectum.

Sed nonnè ditior sit intellectus, quando easdem in se stringit, & complectitur res, quas ipse supremus Mundi Creator in idæis suis æternis voluit circumferre; Ichnographiam nempe totius universi, & distinctam mirabilium cognitionem, quam dum indoctis abscondit, non nisi sapientibus revelavit? Erant hæc cogitata & sensa *Dei ipsius.* An quid dignius inveniri possit, cui intellectus incumbat? Eduxit illa è penetralibus intellectûs sui per Verbum suum, nobisque illa velut magnam thesin posuit ob oculos, ut desuper disputaretur ab omnibus hominibus: *Mundum tradidit disputationi eorum.* Eccles. 3. An studium sit, quod majorem afferre possit delectationem intellectui, quàm hoc, quo acquiritur cognitio eorum, quæ ipsius delectant intellectum Dei?

Quid est hoc, nisi innumera in capite suo circumferre lumina, quasi posuerit in sole tabernaculum suum, ad contemplandam inde omnem totius universi latitudinem? quid est hoc, nisi nôsse, quidquid agitur in Cœlo; Cœlestium globorum motus tam exactos, dispositionem astrorum, differentiam Constellationum, virtutes siderum secretas, ipsorum Sympathias, antipathias, influxus, per scientiam Astrologiæ? Quid est hoc, nisi in intellectu suo possidere universalem totius terræ Ichnographiam, ejusdemque adumbratam lineis designationem, cognoscere situationem quatuor mundi partium, amplitudinem Regnorum, provinciarum, diversorum climatum, & prærogativas unius Regionis supra aliam, per Geographiam? Quid est hoc, nisi capere longè lateque patentem maris capacitatem, & extensionem amplissimam, ipsius profunditatem, mira ipsius prodigia, quæ suis stringit & fovet abyssis; quâ ratione id se insinuet per imperceptibiles meatus & alveos in sinum terræ; ubi dimittat sal & amarorem suum, ad producendos nobis fontes dulcis aquæ, quam quandoque propellit ad celsissimorum montium fastigia, ut exinde denuò præcipitet ad constituendos nobis magnos rivos ac flumina, quos rectè nuncupes terræ venas ac arterias; uno verbo, quid est hoc, nisi cognoscere omnes virtutes & proprietates aquarum per hydrographiam? Quid tandem hoc est, nisi penetrare pulcherrima naturæ secreta, scire qualitates & virtutes herbarum, metallorum, plantarum, arborum, fructuum, animalium, volucrium, piscium, & discurrere nôsse de profundissimis arcanis, & omnibus causis naturalibus, per Philosophiam?

Divitiæ intellectûs instructi scientiâ verum naturalium.

Nonnè

Studium delectat sapientes.

Nonnè hæc est magia innocens, quæ fascinavit intellectum veterum Philosophorum, ipsosque induxit, ut cætera omnia hominum negotia quamvis viderentur eximia, non aspicerent, nisi vel commiserando, vel contemnendo? Hoc expertus est Imperator ille, qui interrogavit Socratem, an secum concedere vellet ad aulam suam, cum asseveratione, daturum se illi dimidium Regni sui, tantùm ut ejus conversatione frui liceret: nam hic nequidem respondere illi dignatus, ad amicum conversus dicebat: An iste desipit? Etiamsi totum suum mihi obtulisset Regnum, ut à meâ me averteret Philosophiâ, nihili æstimâssem: Sed dum putat, pro mediâ terræ buccellâ, quam possidet, mihi meam deserendam esse Beatitudinem, quam mea mihi parant & pariunt studia, Prô! quàm ignorat, quid valoris habeant voluptates intellectûs, qui totum in se complectitur mundum; quámque nescit in pace & cum libertate potiri eo, quod pulcherrimum & excellentissimum est in omni statu.

ARGUMENTUM.

1. *Quare voluptas intellectûs sit maxima voluptas hominis.*
2. *Quòd cùm Veritas constituat ipsius voluptatem, non possit, nisi valdè exiguam haurire ex cognitione Creaturarum.*
3. *Quòd nunquam possit plenè acquiescere, nisi cognoscat Deum, qui est summa Veritas.*

Articulus I.

Videbam Philosophũ meum haud leviter accensum, & cor ipsius præ gaudio dilatatum, non abs candidâ & sincerâ declaratione voluptatis, quam suis degustabat in studiis. Admirabar & benedicebam bonitatem Dei, qui dedit intellectui hominis tam insatiabilem famem veritatis, quâ velut potenti urgeatur stimulo ad ipsum quærendum, cùm ipse infinita sit veritas, qui solus eidem satiando sit satis. Quærebat hic virem optimam, desiderans cognoscere veritatem, quæ satiare posset animam suam; sed quærebat illam, ubi non est. Volens ergo eum deducere, ubi facilè hanc posset invenire, quæsivi ex ipso: unde oritur hæc voluptas, quam percipit intellectus noster in cognitionibus suis ac notitiis? An ignoras, ajebat mihi, quòd quælibet facultatum nostrarum inveniat voluptatem, quæ suam constituit Beatitudinem, in fruitione proprii sui objecti? Gustus,

Intellectus non potest satiari, nisi cognoscat Deum.

Exempli gratiâ, vuluptatem suam invenit in lautitiâ bonorum saporum; Odoratus in illâ bonorum odorum; oculi in pulchritudine coloris ac luminis; aures in suavitate vocis ac harmoniæ: Et similiter, intellectus, qui oculus est animæ, in cognitione Veritatis. Sed quia intellectus nobilior, amplior, sublimior, vivacior est omnibus aliis facultatibus nostris, hinc est etiam, quòd majorem inveniat voluptatem in fruitione objecti sui, quod aliud non est, nisi Veritas.

Fateberis ergò mihi, dicebam illi, quod juxta proportionem, quantò pulchriorem, sublimiorem, certiorem intellectus invenerit veritatem, tantò majorem ex illâ percepturus sit voluptatem, adeóque tantò magis suam perfecturus Beatitudinem. Absque dubio, repositi mihi quantocyùs. Et ideò tibi dico, quòd imaginaria voluptas, quam quidam imbelles animi quærunt, & invenire se credunt, in figmentis, fabulis, & apologis, nullam firmam, stabilem, ac constantem afferre illis poterit satisfactionem. Intellectus noster non pascitur, nec satiatur vanitate, sed veritate, utque veritatem inveniat, debet cognoscere aliquid positivum & reale. Quod nihil est, non potest esse verum, dicimus namque in scholis, quòd esse, & verum esse, eodem passu ambulent: *Ens & Verum convertuntur.* Quamobrem tantâ cum certitudine assevero, quod cognitio rerum naturalium, sola sit vera voluptas intellectûs humani, cùm in illis verè inveniat Veritatem.

Assentiebar huic regulæ, quòd intellectus habere debeat objectum solidum, ad inveniendam ibi Veritatem, quâ satietur. Sed deduxi exin hanc Consequentiam, quam mihi etiam negare haud poterat: si igitur intellectus noster sese elevaret ad cognitionem objecti Nobilioris & Verioris, quàm sint omnes res naturales, necessariò quoque deberet majorem ibi invenire voluptatem. procul dubio, dicebat mihi. Jam quis dubitare potest, quin Deus sit objectum infinito modo nobilius & verius omnibus his, quorum supra feciſti mentionem? Quis dubitet, quin Creator infinities sit nobilior Creaturis? Quis in dubium vocare poterit, quin ingens hæc luminis scaturigo, primitiva hæc Veritas, hocce Ens Entium, infinitum hoc principium, unde dimanant omnia, quæ Esse habent, & omnia, quæ aliquam Veritatem præseferunt, haud aliter, quàm gutta aquæ, quæ prodiret è sinu maris; quis, inquam, in dubium vocare poterit, quin majorem intellectui conciliet

ciliet delectationem, & pleniorem abs comparatione pariat felicitatem, si cognosceretur?

Quid est, quod constituit Vitâ æternam, & summam Dei Beatitudinem, nisi perfecta cognitio, quam habet, sui ipsius? Intuitus primæ Veritatis intellectum ipsius tam attentâ cogitatione defixum tenet, ut ne momento quidem ab illâ divelli possit; & cor ipsius tanto exin repletur gaudio, ut aliud admittere non possit aliunde. Quid efficit vitam æternam & perfectam beatitudinem Angelorum, Sanctorum & Omnium Electorum in Cœlo? Nonnè quòd intellectus ipsorum totus repleatur Cognitione Dei, quem clarè vident mediante lumine gloriæ? qui etiam durante hâc vitâ tantam animabus contemplativis pacis interioris abundantiam & consolationum copiam elargitur, ut illas quandoque quatuor vel quinque horis in unico simplici sui intuitu teneat defixas, abs eo, quòd tædium illis posset obrepere, gustando dulcorem ex hoc Exercitio in se dimanantem? Nonne hoc est, quòd intellectus ipsorum non solùm totus repleatur Cognitione Dei, sed totus immersus sit in magnum hunc Oceanum luminum Divinorum primæ hujusce Veritatis, à quâ ad sui cognitionem admittuntur? O Amantissime Deus, quid speramus, nisi fore, ut transacturi simus totam æternitatem in contemplatione summæ hujus Veritatis, in cujus aspectu tota Beatitudinis nostræ consistet Essentia? Cur durante hâc vitâ tam parùm hanc animo revolvimus, dum intellectus noster quibusvis aliis cognitionum generibus acquirendis tam avidè inhiat?

Summa voluptas intellectûs Dei Cognitione repleti.

Non habemus extra Deum, nisi parvas luminis scintillas: haud aliter quàm si tempore nocturno accendantur in domibus aliquæ faces, quæ non impediunt, quin totus mundus nil videat in tenebris. Sed quando ingens Mundi facula, nempe sol, ascendit hemisphærium, tantam ex oculis suis effundit luminis copiam, ut coram illo, omnes hæ parvæ faces velut umbræ dispareant; & unà cum luce universalem is omnibus Creaturis afferat lætitiam. Haud aliter omnes nostræ Cognitiones naturales, quibus intellectui nostro Veritatis tam avido aliquam consolationem afferre nitimur, non sunt, nisi parvæ luminis scintillæ, quæ tam parum vuluptatis afferunt animæ, ut propemodùm nihil sit respectu voluptatis summæ, quam recipit ex cognitione Dei. Ah! quàm verùm est, quòd magis cor gaudeat, quando cum Deo conversatur; unicóque die, quem cognitioni

nitioni Numinis acquirendæ impenderit, plus pacis ac solatii recipiat, quàm recipere posset ex omni eo, quod extra Deum cognoscere potest; plurium decursu annorum.

Ah! utinam, dicebat mihi Philosophus, suspirium trahens, me hâc in re trahere posses in tuam sententiam! quantum laboris mihi adimeres, quantis me curis relevares! fateor namque intellectum meum satiandi, insatiabile esse mihi desiderium: agitatur is curiositate irrequietâ, haud impar hydropicis tantò magis sitientibus, quantò magis bibentibus; quantò plus addiscit, tantò plus cupit addiscere; & tandem, dum omnia vult capere, nil capit, quod captum satiet. Sicut non est classis, quam non adeam, sic non est Magister, quem non audiam, nec scientia, cujus aliquam habendi tincturam non tangar cupidine; quamprimùm fit mentio Novi Codicis, jam coquitur mens habendi prurigine, & prius ipsum oculis devoro, quàm manibus detero. Et post hæc omnia, quies nulla, novisque semper intellectus urgetur stimulis, ut novis turgere velit notitiis; tantóque minus expedior, quantò magis progredior: nec aliud è studiis meis, uti censeo, lucrum sentio, nisi quòd sciam me nihil scire.

Scientiæ acquisitæ sitim tantùm accendunt intellectui, non satiant

Ah! si nôssem, quòd incumbens notitiæ Dei, invenirem modum, quo mederer menti, illique afferrem quietem, saturitatem ac voluptatem, quam tamdiu prosecuta, hucusq; nondum est assecuta! Sed experientiâ doceor contrarium: Nam quandoque de Deo cogitare, illumque cognoscere adnisus, inveni nihil, quod votis faceret satis. Cupidas darem aures Doctori, alias scientias binis vel ternis horis explananti; Ecclesiastes accidit gravis parvâ morâ, non nisi horâ de Deo perorans: Volumina philosophica voluptuosè totos evolverem dies; devotionis paginæ pariunt tædium lectæ vix quartâ horæ parte: Hujus probè rationem video, quæ alia non est nisi improportio potentiam inter & objectum: *Deus* est infinitus, & intellectus noster finitus. Illos quis adunandi simulque jungendi modus? Noctuæ oculi apti non sunt ad aspiciendam solis faciem, hoc congruit non nisi Aquilis; Et nos mortales miseri, viventes in umbris Mundi hujus, habiles haud sumus ad intuendos, quibus *Dei* Thronus circumcingitur, splendores. Prærogativa hæc Angelorum est & Beatorum: Videmus etiam, quod crediderit nobis Deus semina, & prima scientiarum humanarum principia, quæ naturaliter cognoscimus,

Quare potius quærantur scientiæ de rebus naturalibus quàm de Deo.

mus, & *Intellectum primorum principiorum* nuncupamus, ad ostendendum nobis: Cui intellectum nostrum debeamus applicare. Sed cùm principia cognitionum divinarum & supernaturalium non possideamus, quomodo intellectus noster metere fructum poterit, cuius semina nequidem habuit?

Porrò comprehendere nequeo, quâ ratione dicere possis, Cognitionem Dei afferre voluptatem animo: Injungitur nobis pro expiatione peccatorum nostrorum, ut per quadrantem horæ cogitemus de Deo, vel mediâ horâ Deum precemur, vel indies legamus caput alicuius libri devoti. Credendum igitur, rem esse laboriosam ac difficilem, pœnámque post se trahere, cùm pro pœnitentiâ imponatur: In pœnitentiis enim intentio non est nos delectandi, sed potius affligendi.

Miserebar ipsius, audiens hunc discursum, ipsúmque tam procul à veritate alienum videns. Mi Deus, quàm facilè humanus, intellectus decipitur, dum alium non sequitur ducem, nisi lumen suum naturale! quid erit tecum, dicebam ipsi, cùm ex ùnâ parte, propriâ tuâ convincaris experientiâ, omnes cognitiones studiis tuis acquisitas, tibi hactenus aliud non contulisse, nisi quòd demonstraverint te nihil scire, hócque nihil unquam intellectui tuo afferre posse pacem, quietem ac voluptatem, quam in Cognitione Veritatis infinitæ, quæ Deus est, cùm illa sola solidam afferre possit animæ tuæ voluptatem, illámque plenè satiare, impossibilem esse obtentu, vel saltem tam molestum post se trahere laborem, ut tibi magnum videatur supplicium ac delicti piaculum? errorem deponito, mediante solidâ & irrefragibili hâc consideratione.

Ludibrio habes animos illos carnales, qui aliis non afficiuntur, nisi sensuum illecebris, in tantum immersi sensibus, ut præter has credant nullas supereesse delicias. Aspiciunt ipsi industriam alicujus Philosophi studiis suis intenti, velut duram & gravem captivitatem, magnum sibi futuram supplicium: Tu interim, qui & ratione, & experientiâ nosti, intellectûs voluptatem illâ carnis longè esse majorem, compateris ipsorum ignorantiæ, & dicis: quomodo possibile est, ipsos non cernere, intellectum corporibus longè esse nobiliorem, & consequenter intellectûs delicias, illis corporum esse longè sublimiores, ampliores, puriores, suaviores? Ah! si experirentur solatium, quo mea me perfundunt studia, quantocyus annuerent, capti-

vitatem non esse nec supplicium, esse cum libris solum! Intellectus meus tam ingentes hic gustat delicias, ut illas sensuum nonnisi contemptim contueatur; Verùm id nunquam capient, quoad sensibus sic immersus fuerit ipsorum animus, ipsique vixerint more brutorum.

Ratio evidens, quod voluptas cognitionis Dei superet omnes voluptates intellectûs.

Utere igitur hic ratione tuâ, ac idem ferto judicium de deliciis superabundantibus, quas gustat anima ad cognitionem Dei aliquando admissa. Nam si dicas, magnam esse cœcitatem, non judicare, quòd intellectûs deliciæ longè antecellant illas corporum, eoquòd anima abs comparatione corporibus sit nobilior; nonnè majoris foret cœcitatis, non judicare, quòd deliciæ, quas intellectus gustare potest in cognitione Dei, incomparabiliter majores sint, omnibus illis, quas ex quibuscunque cognitionibus naturalibus potest haurire, eoquòd Deus, qui elargitur illas, infinito modo nobilior sit omnibus creaturis, quàm anima corporibus.

Si dicas, illos, qui sensuum delicias sectantur, decipi, dũ credunt litterarum studia ciere tibi tædia, cùm ex adverso pariant non nisi gaudia: ipsos autem id nunquam capturos, quandiu ipsorum anima captiva fuerit & tota immersa carni, propriámque requiri experientiam, cui fides adhibeatur; Id ipsum velim judices de statu, quo teneris. Tu credis, studium animarum, quæ se spoliant non tantùm voluptatibus sensuum, sed etiam illis, quas intellectus ipsarum haurire posset è studiis litterarum, ad vacandum unicè Cognitioni Dei in silentio & oculis clausis ad omnes creaturas, transigendo quandoque binas vel ternas horas in contemplatione rerum divinarum; Tu, inquam, credis, esse hoc illis laborem molestissimum; Et ex adverso, non est labor, sed sapor & prægustatio quædam deliciarum cœlestium. Sed tu nunquam id capies, quo ad totus, uti es, absorptus fueris luminibus merè naturalibus, quæ respectu luminum è Cognitione Dei manantium plus habent caliginis quàm infima sensuum lumina respectu sublimium Discursuum Philosophiæ tuæ naturalis. Opus foret, ut hujus caperes experimentum, quod quantocyus errore te expediret.

Sed tuâ eatenus deficiente experientiâ, ex illâ aliorum velim proficias. Videsis, an non omnes, qui acquirere adnituntur cognitionem Dei, post cognitionem Dei, post lectionem alicujus boni libri, vel post finitam orationem, uti horam in fami-

Cognitio Dei satiat animam.

familiari colloquio, cum Deo transegerint, majori deliniantur consolatione, quàm si omnes scientiarum thesauros in capite suo circumferrent collectos. Nonnè hominum sapientissimo id tibi affirmanti fidem adhibeas? dum dicit; *Venit in me Spi-*
Sap. 7. *ritus Sapientiæ, & præposui illam Regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius.* Spiritus hic sapientiæ, non erat scientia studiis ipsius acquisita, sed erat cognitio sublimissima, quam dederat ipsi Deus de se ipso; Pondo auri multò magis locupletat hominem, quàm pondo terræ; & parva scintilla veræ cognitionis Dei, multò magis delectat animam, quàm omnes humanarum scientiarum acervi, si cognitione Dei fuerit destituta. Hæc enim omnia, quid illi conferant, si Deum ignoret? Non est doctior in orbe, quàm sint dæmones in orco, & tamen hoc non prohibet, quin miseri sint, utpote cognitione Dei in æternum privati. Abundat Cœlum Beatis, qui nullâ imbuti erant litterarum humanarum tincturâ; & animus ipsorum est Beatissimus, quia cognoverunt Deum in hâc vitâ, quia dilexerunt ipsum ex toto corde suo, & quia videbunt ipsum clarè in omnem æternitatem. *Nosse enim te, consummata justitia est; & scire justitiam, & Virtutem tuam, radix est immortalitatis.* Nonnè versamur hic omnes in tyrocinio æternitatis? Aliqui omnem movent lapidem, ut intellectum instruant omni scientiarum vanarum genere, exceptâ Cognitione Dei, quam prorsus negligunt. Nonnè hoc est addiscere, ut per omnem æternitatem sint velut dæmones, qui nôrunt omnia, Deo solo excepto?

Alij præcipuè & super omnia insudant Cognitioni Dei, haud ponderando scientias humanas, nisi in quantum pondus adijciunt, & adjuvant ad cognoscendum Deum. Nonnè hoc est addiscere, ut per omnem æternitatem sint veluti Angeli Beati, qui essentialem suam Beatitudinem inveniunt & possident in visione & Cognitione Dei? O mi Deus, cognoscam te, & replebitur anima mea gaudio cœlesti. Aufer à me reliqua, & unicum concede luminis tui divini radium. Ah quantò libentius ignorarem omnia, habitâ duntaxat vel tenui Cognitione Dei, quàm nôsse omnia, quæcunque unquàm norânt homines, abs Dei Cognitione! Ah lachrymantibus palpebris necesse est dicere cum vate: *Non est scientia* Osee 4.
Dei in terrâ. Si cognosceretur, impossibile foret, quin amaretur ab hominibus. Et si à cun-

ctis hominibus cognoſceretur & amaretur, terra evaderet paradiſus Beatis & Sanctis repletus.

ARGUMENTUM.

1. *Quare Deus tam parum cognoſcatur.*
2. *Quòd modus in acquirendâ Dei Cognitione obſervandus, non ſit ille, qui obſervatur in acquiſitione ſcientiarum humanarum.*
3. *Quòd facilius & jucundius ſit cognoſcere Deum, quàm cætera omnia.*

Articulus II.

ADvertebam probè, commoviſſe me animum mei Philoſophi, hinc factus docilior quæſivit ex me: unde ergo naſcitur, quòd non omnes univerſali inclinatione ferantur eò, ut incumbant & vacent obtinendæ Cognitioni Dei? ſiquidem non magis naturale eſt oculis velle videre lumen, quàm naturale eſt intellectui velle cognoſcere veritatem; & ſi veritas ametur & inquiratur ab intellectu, videtur hanc præcipue eſſe debere veritatem ſupremam. Unde ergò venit, tam raros eſſe, qui eum cognoſcere ſtudeant, dum plurimorum curioſitas cætera omnia tam avidè ſectatur?

Unde veniat, quòd Deus tam parum cognoſcatur.

1. Hoc oritur, dicebam ipſi, ex eo, quòd in plerisque hominibus anima fere ſemper trahatur in partem ſenſuum, ubi cùm inveniat aliquam quantumvis levem delectationem, huic immoratur; & licet ſentiat, quòd ſatiari non poſſit tam vili ac tenui voluptate, dolum tamen non advertens, voluptates voluptatibus adjicit, vel perpetuò illas immutat, abs eo, quòd intelligat, ad ſatiandum ſe, quærendas ſibi eſſe Nobiliores. Pauci ſunt, qui animam ſuam à ſenſibus abſtrahant, illámque elevent ad inquirendas voluptates intellectûs conditioni animarum noſtrarum conformiores: & ex his quoque valde rari ſunt, qui non perſiſtant in ſtatu puræ naturæ, hoc eſt in ſatisfactione, quam percipit intellectus è ſtudiis ſcientiarum acquiſitarum. Naturalis hæc voluptas ita ſtringit & capit illos, ut raros reperire ſit, qui animum adjiciant ad hæc omnia deſerenda, ut ſeſe extollant ſupra ſemet ipſos, uſque ad cognitiones divinas, quæ multò ſublimiores ſunt ratione humanâ, quàm ratio ſit ſenſibus. Mirandum igitur haud eſt, Cognitionem Dei inter homines tam raram, minúsque frequentem eſſe.

Anima noſtra eſt animium immerſa ſenſibus.

Hoc

Hoc benè capio, respondit mihi, sed capere non possum, unde oriatur mihi tædium illud erga ea omnia, quæ adjumenta esse possent ad obtinendam Cognitionem Dei. Fortassis rem non accipio, sicut accipienda est, cùm in parandis aliis scientiis nulli sim impar difficultati: vel forsan ex parte meâ sè mala aliqua tenet dispositio, quæ divinæ huic sapientiæ introitum prohibeat in animam meam.

Quis Magister doceat scientiam Dei,

Rem accipis optimè dicebam illi: non tenetur Methodus in studio Cognitionis Dei, qualis in studio Philosophiæ. Observo hîc quatuor notabiles differentias. 1. Eligitur Magister pro arbitrio ad addiscendas scientias humanas, cùm Magnus illorum sit numerus, qui illas docendi sibi munus assumant. Sed ad obtinendam Cognitionem Dei, non est nisi unicus Magister, quem Cœlum promisit nobis per *vatem Joelem*: *Dabo vobis Doctorem justitiæ*; quemque tandem misit in *Incarnationis* Mysterio. *Hic est Christus Jesus*, in quo Sanctus *Paulus* affirmat absconditos esse omnes thesauros sapientiæ & scientiæ Dei. Non est nisi unica schola, in quâ nos docet; & hæc est Ecclesia: Non est nisi unicum Idioma, quo nobiscum omnibus loquitur; & est *Spiritus Sanctus*, quem dedit Apostolis, ceu primis Ecclesiæ Doctoribus, in formâ linguarum ignearum, ad demonstrandum nobis, quòd sui cognitio sese insinuet in animas per lumina & ardores ignis prorsus divini. Qui non agit discipulum Magistri hujus cœlestis, qui non perseverat in ipsius schola, qui non intelligit Idioma Spiritûs sui Sancti, nunquam pertinget ad Cognitionem Dei.

Joel. 2.

2. Ad obtinendas scientias humanas opus est ingenio sublimi, acuto, claro, quódque facilè evincat ac penetret profundas speculationes; adeóque non cuilibet ad has patet aditus. Sed ad adipiscendam Cognitionem Dei, requiritur ex adverso intellectus humilis, demissus, ac omnibus rationibus humanis renuntiare paratus, ad recipiendas in pace puras è Cœlo illustrationes. Oportet benè intelligere aliquam veritatem naturalem, ipsíque infallibilem certitudinem clarè videre, ut illi tanquam doctrinæ exploratæ præbeatur annutus. Sed econtra oportet firmiter annuere veritati supernaturali nobis à fide revelatæ, quantumvis sit obscura, aliàs intelligi non poterit; quæ infallibilis est regula à sancto Evangelio nobis relicta: *Nisi crediderit*, *non intelligetis*: Oportet prius credere, quàm intelligere.

Modus acquirendi Cognitionem Dei est diversus à studio scientiarum humanarum in quatuor rebus.

3. Magnus fit strepitus in Scholis scientiarum humanarum; disputatur, disceptatur, discurritur, oppugnatur, defenditur: videtur hic esse campus prœlii, locus pugnæ, ubi ingenia acriter decertant pro victoriâ, & sæpè mendacium agit triumphum de veritate. Sed in Scholâ divini Magistri docentis scientiam Cœli, requiritur magnum silentium, non hic discurritur, non disceptatur, nil aliud agitur, nisi quòd faciles aures accommodentur voci divinæ; & maximus, qui adhibendus est labor, vertitur in hoc, ut benè captivetur intellectus, eòq; reducatur, ut firmissimè & irrefragabiliter credat & teneat omnes, quas nobis fides revelat, veritates. Mille rationes diversæ afferuntur in aliis Scholis; sed in hâc unico soli est locus argumento: *Deus Hoc dixit:* ergò credendum est, contrariantibus etiam sensibus, & nostrâ ratione, quæ persuadere vellet nobis contrarium; pro cujus Veritatis defensione vitam quoque oportet exponere.

4. In studio scientiarum acquisitarum, obruitur caput, quàmplurimis rebus inutilibus, quæ magno numero multiplicant cogitationes, & absque intermissione exagitant intellectum; sed in studio Cognitionis Dei, oblivione cunctæ res inutiles tumulantur, ac cura impenditur, ut unicum necessarium sciatur, quo simplificentur, & in unum redigantur omnes cogitationes, ad stabiliendam in animâ pacem solidam, quam tantâ deguſtat cum voluptate, ut nemo nisi expertus possit comprehendere. Siquidem dum Deum invenit in totali separatione ab eo, quod non est Deus, jam in centro suo requiescit, ubi securissimè possidet, quidquid ipsam satiare ac oblectare potest.

O *Deus* optime! O Amantissime *Deus*! Si totus te mundus cognosceret, consolatus totus viveret & mundus; nemo foret, qui beatus non esset in mundo. Nam quanta deliniret animam lætitia, quam non lateret *Deus*, quem adoro, est infinitâ ratione magnus; est *Pater* meus, est *Creator* meus, ego manuum ipsius factura sum, ipse hoc me creavit fine, ut ipsum possiderem; scio hoc ipsum velle; ipsum id mihi spopondisse: Certus sum, ejus hunc fuisse scopum, dum opus me fecit suum. Ita est, videbo pulchritudinem illam infinitam, possidebo infinitum illud bonum in omnem æternitatem. Da mihi animam hâc Veritate probè imbutam, quæ exploratam hanc cognitionem in mente suâ circumferat, quæ dulcem hanc fiduciam

eiam in corde suo nutriat; Et vide, an quidquam futurum sit in mundo, quod ipsam affligere possit. Sed quis gaudij foret cumulus, si in Cognitione Dei progressa ulterius, clarè videret amoris plenissimas providentiæ ipsius curas, quas manifestè videre est in animâ Deo devotâ; Optimè sciens, quòd, cùm Deus sit immensus, æquè nobis totus sit præsens, sicut Beatis in Cœlo? Nonnè meritò dicat: An ergò semper sum in sinu *Patris* mei Cœlestis? An nunquam non is suos super me figit oculos? Nunquam Capillus de meo capite peribit? nunquam vel minimum mihi accidet invitâ, quòd ipse non sciat, quòd ipse totum non dirigat ad gloriam suam, & salutem meam? Ipse est omnipotens, ut mala convertat in bona, & invenire me tribuat in umbrâ mortis vitam, quando voluerit. Jam certus sum, ipsum omnia mihi bona velle, quæ mihi magis proficua, cùm infinito modo affectuosius me diligat, quàm diligit Mater filium suum: quæ enim Mater fecit pro filio suo, quod ipse fecit, & adhuc in dies facit pro me?

Gaudium & pax animæ Deum cognoscentis.

Omnia hæc novimus, dices mihi, & tamen haud levibus sæpius obruimur afflictionibus: & ego dico tibi; hæc non novimus, & si novimus, haud ponderamus; vel tandem si ponderamus, fit tam leviter, támque exiguâ fide, ut tam levis, & quasi per transennam facta ponderatio, nil ponderis ad movendum addere possit animo. Sed idipsum cognoscere fac animam sincerè, clarè, minimè ambiguè, convicta, & videbis illam in omnibus consolatam, felicem ac Beatam: quomodo enim vel amarorem, vel mœrorem, vel angorem habere poterit? Ut quid? an noverit ipsa, Deum pari ratione sibi præsentem esse, sicut Beatis, séque creatam esse ad illum absfine possidendum; & anxiaretur? an noverit, ipsum esse Patrem suum, sèque tam tenerè amari ab ipso, sicut amatur à Matre soboles; & solicita foret? an noverit, portari se ab ipso inter brachia providentiæ suæ, súáque omnia ipsi curæ esse, usque ad Capillum capitis sui; & consternari ex eo posset, quidquid in vitâ acciderit ei? Id foret impossibile, sed omnis turbatio nostra ex eo nobis enascitur, quòd Deus à nobis non agnoscitur.

Nostræ tristitiæ oriuntur ex parvâ Cognitione & cogitatione de Deo.

Ah! in quo & per quem stat, ut non agnoscatur? Nunquam habere potest anima tam ardens desiderium ipsum Cognoscendi, quin infinito modo ardentius ipse habeat se nobis manifestandi. Ah! si duntaxat sisteret se ipsi

ipsi in oratione suâ, corde sincero, & ante ipsum effuso, diceret illi cum puero Samuele:
1. Reg. 3. Loquere *Domine, quia audit servus tuus.* Ah! Loquere Domine, instrue me, nam audio te; & si perseveraret in profundo silentio, in affectuosâ attentione coram Majestate suâ; quàm citò reciperet à Magistro hoc divino documenta tam sublimia, qualia sapientissimi quique totius orbis Magistri dare non possunt totâ vitâ suâ! Unde ergo venit, quòd frequenti tyrone aliarum Scholarum limina deterantur, ipsius autem Scholæ & limina, & lumina tam turpiter deserantur.

Deus est facillimi aditûs præ omnibus Magistris.

An ideò, quia non cuilibet, cui libuerit, illuc patet aditus? Verùm ipse invitat omnes, & quamvis infinitâ fulgeat Majestate, præbet tamen accessum tam facilem, ut æqualiter det aures minimo sicut maximo, pauperrimo sicut ditissimo, rudissimo sicut doctissimo. Si aliud non esset, nisi gloria discipulatûs sub Magistro tam Excellenti, nunquid hic honor foret nullo unquam satis pretio æstimandus? Alijs didascalis solvendum est didactrum, si volumus ab ipsis instrui; hic magnificè recompensat sua volentes recipere dogmata. Alij Magistri inquirendi sunt, quandoque è longinquo & magno cum labore, quibus tamen nos docendi non semper est vel libertas, vel voluntas; Hic ipsemet nos quærit, nunquam non adest, ubi adsumus, expectans, sibi loqui an nobis libeat, paratus & aures dare, & verba reddere, abs eo, quòd sit in mundo locus, vel vitæ momentum, quo scholam ipsius frequentare & dogmata ipsius recipere non liceat, quantumvis nec loco moveamur.

Alijs Magistris semper plus ignorantiæ est, quàm doctrinæ; hinc communicare nobis nunquam nisi imperfectas poterunt scientias, perfectè nunquam famem intellectûs satiaturas: Hic sapientia est infinita, communicans nobis, quando nos instruit, eadem æterna lumina, quæ summas constituunt delicias Dei ipsius; hinc est, quòd anima, dum à familiari & arcano, quod cum Deo habuit, colloquio recedit, majori superabundet gaudio, quàm si omnes scientias, quibus Scholæ humanæ imbuunt, imbibisset. Alij tandem Magistri requirunt multum temporis, nec minus laboris, ut parum quid doceant; sed media duntaxat diei hora in quiete, in silentio, in affectuosâ Reminiscentiâ Dei transacta, sufficeret ad imbuendum nos quantocyùs altissimâ ipsius Cognitione: oriretur insensibiliter tam ingens lux in animâ, ut nec aspi-

aſpicere, nec æſtimare quidquam poſſet, quàm Deum: Omnes Creaturæ viderentur ipſi reſpectu illius ipſis atomis minores & contemptibiliores; & quia affectûs cordis ſequuntur cognitionem intellectûs, non poſſet ullo amplius ferri amore, niſi erga Deum: Valdè profectò deplorandum eſt, verum eſſe, quòd à mediâ temporis noſtri horâ dependeat omnis dulcedo vitæ præſentis, & omnis felicitas æternitatis, & hanc ne quidem impendere dignemur? Nonnè nos ſic eſſe oportet juratos ſalutis noſtræ inimicos?

Magno deſiderio exſpectavit Philoſophus meus diſcurſûs mei finem, ut omnia alia, quàm hucusque mihi candido ac ſincero corde diceret: Benè hæc video, fateor hoc verum eſſe, imò optimè intelligo, veram Dei Cognitionem largiri intellectui noſtro, ſaturitatem, pacem, tranquillitatem & dulcorem longè majorem, quàm haurire unquam poſſit ex humanarum ſtudiis ſcientiarum: Nam reſpectu ingentium Cœli luminum, hæc omnia nil ſunt, niſi umbræ terræ; non ſunt niſi vanitates, quæ ſpiritum inflant, non replent: Cùm econtrà Cognitio Dei, Veritas ſit ſolida, quæ ſpiritum replet, non inflat; adeòque anima tali ratione inanis & inflata nunquam planè poterit ſatiari. Id plusquàm ſatis didici tàm meâ, quàm aliorum mei ſimilium experientiâ: æmulor felicitati animarum Deum cognoſcentium: video, ſi Cœlum ſit in terrâ, quærendum hoc eſſe in corde illarum, ſed majori adhuc urgeor deſiderio, ut pari ſorte gaudeam; ſed quâ ratione id efficiam, neſcio: dic ergò mihi, quid factu opus, ut eò pertingam.

ARGUMENTUM.

Diſpoſitiones ad obtinendam Dei Cognitionem ſunt:

1. *Puritas Cordis.*
2. *Profunda humilitas.*
3. *Deſiderium ardens.*
4. *Certi temporis in ſingulos dies determinatio, ac fidelis ejusdem obſervantia ad vacandum huic Exercitio.*

Articulus III.

GAudebam haud parum, non fore deinceps oppugnandum mihi adverſarium, ſed inſtruendum Diſcipulum, quem tanta jam fames illius urgebat, cujus antea tam ingenti tenebatur tædio. Animo ipſi addi-

to, & bonâ ſpe factâ, quod Deus, qui tàm vehemens inſpiraverat deſiderium, certam etiàm illius daturus ſit executionem, dicebam, quatuor neceſſariò obſervanda fore, deſideratum ſcopum attingere volenti.

Ad cognoſcendum Deum requiritur anima pura & tranquilla. Matth. 5.

Primùm, Cœterorum omnium baſin, eſſe magnam Cordis puritatem; Cùm hanc præcipuè à nobis Deus requirat in Evangelio. *Beati Mundo Corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Si non poſſunt oculi corporales videre lumen vel colores, dum pleni ſunt ſordibus: multò minus adhuc poteſt anima recipere purum lumen Cognitionis Dei, dum ſcatet peccatis. Bonum & malum ſunt incompatibilia; lux & tenebræ, mendacium & veritas non benè conveniunt, nec in unâ ſede morantur; & ideò dicit Sapiens: *In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in Corpore ſubdito peccatis.* Quomodo potuerit anima horæ dimidio collecta & expoſita manere coram Deo in oratione ſuâ, dum circumfert peccatum in corde ſuo? quantocyùs Monſtri hujus aſpiceret horrorem, cujus aſpectus magno ſibi foret ſupplicio. Peccatum æquiparatur colubris, qui colunt tenebras, & fugiunt lumen, mediante quo deformitas ipſorum in lucem veniret, ipſique ſubirent pericu-

Sap. 1.

lum, ne lapidum imbre obruerentur ab hominibus; ſectantur econtrà obſcura, ut ſecuros ſe reddant, callidéque amant caliginem, ut incolumitatem ſervent.

Quamdiù anima circumfert peccatum dominans in corde ſuo, ſi exponere ſe præſumeret radioſo lumini Cognitionis Dei, non ſolùm præ confuſione moreretur, infinitam ſuam videns turpitudinem, ſed etiam lapidaretur infinitis ſævis remorſibus conſcientiæ ſuæ. Quid enim videret oculos ſuos attollens ad Dei Majeſtatem, niſi Judicem ſuum iratum, & Omnipotentem Criminum ſuorum ultorem? quid videret, niſi infinitorum bonorum, quibus ſe æternùm ſpoliat, theſaurum, ſi in peccato perſeveret? Quid videret, niſi juratum ſuum hoſtem crudelibus ſe oculis intuentem, velut objectum infinitæ indignationis ſuæ? Ingens damnatorum ſupplicium eſt, ſpoliari viſione Dei: Nam ſi Deum videre liceret, in medijs etiam pœnoſiſſimis ignis ſeſe æternùm devoraturi cruciatibus: felices forent ac Beati. Sed ex adverſo, ingens peccatorum, durante hâc vitâ, tormentum eſt, videre Deum, hoc eſt, cogitare de Deo, recordari Deum eſſe, qui nos videat, animo inſculptam circumferre divinam ipſius præſentiam, po-

ten-

tentiam, & justitiam. Si excutere hanc Cogitationem, ad totos se obcœcandos, animo possent, nec amplius mentem subiret reminiscentia Dei, vel conscientiæ propriæ, Beatos se crederent, quamvis tot tartara, quot scelera in animo suo circumferrent: & imaginaria hæc quies in ipsis oritur ex privatione Cognitionis Dei.

Dicerent libenter cum impijs illis in sacro codice: *Recede à Nobis, viam scientiarum tuarum nolumus*: Abeste procùl vos Cœli lumina, non accendite nobis tot tædas & faculas, nolumus tantum splendoris, jam nimis, quàm clarè cernimus: Opera námque nostra melius aguntur in tenebris, quàm in lumine. Ecce verba expressa Veritatis æternæ in Evangelio. *Qui* Joan. 3. *malè agit, odit Lucem, & non venit ad Lucem, ut non arguantur opera ejus*; Ejusmodi homines toti peccatorum tenebris sepulti, qui potius ignorantiam affectant, quàm scientiam, maximam potius oblivionem, quàm minimam Dei reminiscentiam, longissimè absunt à necessariâ dispositione ad applicandum se studio Cognitionis Dei. Requiritur anima prorsus exempta à sordibus peccati, cumprimis peccati mortalis.

Verùm non sufficit ipsam esse liberam à tyrannide monstri hujus, totalem separationem facientis Deum inter & animam, nisi magno studio adnitatur, se peccato quóque veniali eximere; cum quo licet initium aliquod habere possit Cognitionis Dei, nunquàm tamèn magnos faciet progressus: siquidèm hæ noxæ velut nubes sunt supra oculos animæ, qui ipsam quidem non lumine privant, tantam tamen caliginem post se trahunt, ut vix levitèr videre sinant pulchritudinem Dei infinitæ puritatis, quem cognoscere allaborant. Ah! si quis caperet damnum maximum, quod vel unicum peccatum veniale affert animæ Deum cognoscere & amare volenti! potiùs omnia amitteret, quàm hoc committeret.

Verùm non omnis in hoc vertitur cardo, ut careat anima omni peccati genere, sítque purissima. Sunt certæ reliquiæ, certæ consequentiæ peccati, quæ quasi æquè magno sunt obstaculo Cognitioni Dei, quàm peccatum ipsum. Hæ sunt passiones, sive motus animi naturales, dum non refrænantur. Feroces hæ belluæ tantum in mente sibi frænum non admovente, excitant tumultum, ut vox Dei non nisi valdè confusè valeat percipi.

Altissimo opus est silentio in animâ, ad recipiendum in se adorandum hoc *Verbum*, quod in

terram ad edocendum nos arcana Cœli descendere noluit nisi: *Dum medium silentium tenerent omnia.* Impossibile est, ut effigiet sol decorem vultûs sui in fonte, nisi hic tranquillus sit, minimus venti flatus, quo vel parum agitatur, spoliat ipsum honore maximo, quo fuisset insignitus formosissimam recipiendo imaginem Regis cunctorum siderum. Ah! quàm inæstimabilem jacturam facit anima, dum tumultu & passionum suarum agitatione impeditur, ne recipere possit magni & æterni Solis hujus imaginem, qui delectabilitèr se in illâ deliniret ac depingeret, si quietam & tranquillam inveniret! Creavit ipse eo tantùm nomine animam nostram ad similitudinem suam, ut aspiceret se in opere suo, nobísque, has suas fore delicias, demonstraret. O infinita Bonitas, quis ambigere potest, quin deliciæ forent reciprocæ, quin & anima pura ac tranquilla, recipiendo gratiosè impressam faciem Dei sui, qui se in ipsâ majori cum gaudio, quàm Sol in fonte depingeret, tota foret adimplenda gloriâ, pace, gaudio, ac prægustu paradisi? Sed opus est ipsi, primâ hâc dispositione puritate & tranquillitate, Cœteroquin nunquàm hoc assequetur. Sic videmus quàm plurimos desiderantes cognoscere Deum, mox primo passu & detineri & detereri.

Silentium requiritur in animâ, ut Deum audiat.

2. Primæ huic dispositioni requirenti magnam cordis puritatem oportet adjungere secundam, quæ profunda est humilitas, & maxima intellectûs submissio. Non est animorum plus nimio sibi arrogantium, quibus se revelet Deus; sed potius, *cum simplicibus sermocinatio ejus;* quibus familiaritèr utitur, & confidentèr cum ipsis conversatur. Quantos videre erat homines simplices, nullâ imbutos eruditione aut scientiâ, nisi quam in oratione hauserant ac receperant à Deo, qui nihilominùs suæ sublimitate scientiæ sapientissimos antecellebant Doctores, qui litteras suas non nisi in Scholis hominum didicissent. Consulebant hi illos in difficillimis, & maximè intricatis quæstionibus, quorum responsa non erant nisi oracula, quibus docebantur, quod doctissima non poterant docere volumina.

Proverb. 3.

Ad cognoscendum Deum requiritur magna humilitas.

Magnus Sanctus *Antonius* ingressus est desertum suum absque ullâ humanarum litterarum tincturâ, & absque alio, nisi Cognitionis Dei studio, quam autem alibi non inquirebat, nisi in familiari cum divino hoc præceptore colloquio. Evasit ipse in virum adeò doctum, ut, referente Sancto *Augustino*, perfectè intellexerit universam sa-

cram

cram Scripturam, nullúmque in hâc fuerit tam profundum, támque sublime Mysterium, quod non penetraret, quin & in his omnes suas collocaret delicias. Quâ enim ratione homo ab omni reliquorum hominum Consortio abstractus, omni solatio, quod mundus propinare poterat, destitutus, omnibus persecutionibus ipsum torquere non cessantis averni expositus, & tandem molestissimis quibusque austeritatibus, ad quas se ipsum condemnaverat, obrutus: quâ ratione, inquàm, talis vir perseverare potuisset, ultra sæculum integrum, nunquàm non consolatus, nunquàm non indefessus in exercitijs virtutum, nisi inveniſſet in solo studio Cognitionis Dei tam copiosas pro animâ suâ consolationes, ut facilem ipsi induxerint oblivionem reliquarum omnium, quas vita humana offerre & conferre solet?

Sanctus Bernardus, quasi nunquàm, nisi in sylvis studuit, ubi fugiens rumorem & splendorem illustrissimarum Academiarum, in quibus procul dubio acutum ipsius ingenium actutùm cunctis eminuisset, se se ex humilitate subtraxit Cognitioni hominum: Lectionum suarum pensa aliundè non carpebat, nisi à Divino præceptore suo, qui docet Angelos in Cœlo, ubi abs consultatione cum alijs, nisi cum quercubus & abietibus, tàm felicitèr, támque velocitèr penetravit altissima & abstrusissima arcana scientiæ Dei, ut doctrina ipsius non solùm sublimissima videatur & solidissima, qualis in alio quocúnque Ecclesiæ Doctore videri potest; Sed dicendum sit, illam nescio, quam divinam habere suavitatem, quam alij non habeant. Affirmant aliqui, hujus causam esse, quòd Sanctissima *Virgo*, cui totam animam suam post Deum devoverat, irrigaverit labra ipsius lacte, à Virgineis uberibus suis dimanante. Alij non immeritò causam afferunt, quòd Deus, qui duxit ipsum in solitudinem, locutus sit ad cor ejus, ad implendum illum eruditione & scientiâ, quodque, cùm hæc infusa potiùs fuerit, quàm acquisita, mirum non sit, ipsam totam divinam fuisse, & non humanam. Verùm si hæc consolatione spiritali replet legentes, dubitari non potest, quin animus, qui ipsam & concepit, & à Deo recepit, eâdem totus fuerit repletus. Sed Sanctus *Antonius* & Sanctus *Bernardus Viri* fuerunt, non minus puri & humiles, quàm cupidi cognoscere *Deum*.

Magis humiles sunt magis docti in Scientiâ Dei.

Sanctus Thomas, & Sanctus *Bonaventura* non forent, uti hodiedùm sunt, duo tam insignia Ecclesiæ Lumina, si profun-

da ipsorum humilitas & industria, quâ potiùs in sacratissimis *Jesu Christi* plagis studebant, quàm librorum paginis, non fuisset promerita, ut elevarentur à Deo ad doctrinam tam sublimem, quam nemo possit attingere, quæ diffundat saporem prorsùs divinum in horum doctorum opera, qualem in alijs invenire vix licebit.

Frequens invenitur scientia, quæ pompósè incedat, speciosis exculta verbis, floridâque eloquentiâ, splendorem evibrans in oculos, quæ extollat ad inflandum Spiritum, quoad in cogitationibus suis evanescat. Sed rara est, quæ sapida sit, quæ Dei gustum afferat, quæ repleat cor, illúdque satiet, quæ suave lumen ac vivum excitet, quæ animum illuminet ac humiliet, quæ non inhiet earum Cognitionum splendoribus, qui curiositati duntaxàt lenocinentur, & vanitatem foveant: Sed quæ solidas inquirat veritates, quæ animæ proficiant, illámque sanctificent. Et hoc oritur, quòd rari sint, qui dispositionem afferant profundæ humilitatis, quæ necessariò requiritur: plerique curiositate impelluntur vel desiderio gloriæ.

Nil mirabiliùs est, quàm videre raptum illum animi, cordisque effusi affectum, quo Divinus noster Magister *Christus Jesus* erga Deum patrem suum aliquando ferebatur, dum ipsi in Evangelio *S. Matthæi Cap.* 11. elevatis manibus ac oculis in Cœlum dixit. *Confiteor tibi Pater, Domine Cœli & terræ:* Gratias tibi ago, te laudo, te adoro, *quia abscondisti hæc à Sapientibus*, profunda hæc Mysteriorum arcana, eximios hos Cognitionis tuæ radios *à sapientibus & prudentibus, & revelásti ea parvulis*, id est humilibus. Eccè quid lucremur, dum arroganti sumus animo, nobismet ipsis plus æquo tribuentes, persuasi, nos totos quantos esse sapientiam, omnémque captu nostro scientiam devorâsse. *Deus* ejusmodi arrogantiam confundere sibi complacet. Tu credis, ingenij tui acumine, splendore, vivacitate, te cuncta & ubivis penetraturum, & non referes nisi minimam inanissimæ scientiæ scintillam. Mulier indocta, quæ corde mundo & ardenti desiderio cognoscendi Deum suum, ad amandum illum, se in oratione humiliaverit coram Deo, majorem te de illo acquiret Cognitionem.

Deus superbis se abscondit & revelat humilibus.

Si te extollere, o homo, recogitas; noveris infinito modo Deum te transcendere, téque nunquam ad ipsum conscensurum. Si te demittas, sincerâ fide humilies, ac verè coram ipso annihiles, descendet ad te per miseri-

misericordiam, séque tibi revelabit. Sed oportet hìc captivare ratiocinia intellectûs, naturales inhibere præfervidæ ac præcipitis hujus facultatis impetus, quibus quoquo momento quòvis fertur & perpetuò agitatur, dum quiescendum foret, ad recipiendum dulcem influxum Dei, intellectûs hujus, qui discurrere volet & loqui, dum tacere oporteret, ad audiendum Deum sibi in summo silentio loqui volentem. Verùm nisi humilis, nisi parvus & docilis more infantis fiat, nihil efficiet. Ah! quàm difficile captu est caput hoc arrogantibus, & sapientibus animis, quibus placere nunquàm volet, infantes induere, qui imbuere infantes poterant velut Magistri! Et ideò rarissimè inter magnos hos, ac prudentes Sæculi thrasones videre est, qui grandes in hâc divinæ sapientiæ Scholâ faciant progressus. Non videntur hìc nisi parvi & humiles; ideòque dixi, absque secundâ hâc dispositione, quæ profundam requirit humilitatem, obtineri nunquàm posse Cognitionem Dei.

Requiritur ardens desiderium ad cognoscendum Deum.

3. Verum ac sincerum, pretiosum hunc thesaurum acquirendi & possidendi desiderium, est tertia dispositio prioribus duâbus non minus necessaria. Nam sicut plerumq; laboramus in bono aliquo acquirendo juxtà mensuram æstimationis, quam de illo facimus, ac desiderij, quo tenemur ipsius fruendi, sic videmus solum defectum veracis desiderij Deum cognoscendi, quod in plerisque desideratur, causam esse, cur tam rari sint, imò rarissimi, qui studio huic seriò & ex animo incumbant; adhæc ex parvo hoc numero, alij magis, alij minus se applicant, juxtà quod à desiderio magis vel minùs ardenti impellantur. Credendum quidèm est, omnes, qui vacant orationis studio, desiderio quodam teneri Deum cognoscendi, sed plerúmque tàm debile hoc est, ut contingat illis, quod pueris frequentantibus scholam, quam non nisi coacti accedunt & urgente obedientiæ mandato, non discendi cupiditate: hinc aliud non agunt, nisi quòd avidè exspectent tempus, quo liceat exire, ad fruendum denuò libertate, lusúsque facultate, quo magis quàm litteris oblectantur: Et tales nunquàm evadent in magnos Doctores. Sic plerósque reperias, qui sufficere credant, se captivos fuisse ad transigendam orationis horam, reluctante quantúmlibet tædio ac fastidio, quod perpessi, non attendendo, an Dei Cognitione aucti recedant; sed eodem sempèr contenti sunt modo, in quo perseverant, nec indè proficiunt. Qui ergò acquirent, cujus acqui-

quirendi, tàm frigidâ calent libidine? hinc videas, nec illos unquam fore admodùm spirituales.

Qui progredi vult in studio Cognitionis Dei, nunquam nimiùm afferre potest desiderium. Certum autèm est, quod ardentèr eam desiderans, dimidiâ ex parte jam obtinuerit; prævenit enim quærentes se, & coram, illis se primam ostendit, sicut Sap. 6. affirmat Scriptura: *Præoccupat, qui se concupiscunt*; Cùm certùm sit, Deum longè majori ardere desiderio se nobis revelandi, quàm ardeat anima eundem cognoscendi. Verùm desideria nostra eò non feruntur; sèntimus famem infinita alia sciendi; sciendi Deum nullâ tangimur cupidine, sed potius tenemur fastidio. Unde fit, nos omnium prensare alloquia, ut informemur in rebus plurimis, nobis alitèr haud servituris, nisi ut recedere nos faciant à Deo; & rariùs nos cum Deo congredi ad recipienda salutaria dogmata, quæ facilem ad ipsum sternant accessum.

Quare tam parvi æstimemus Deum & tam magni, quod Deus non est.

Undè nascitur, nos tam parvi Deum æstimare? nisi ex eo, quòd nihil sciamus, nisi quod didicimus à nobis æqualibus, non majoris nobis ipsum æstimantibus? Et quarè econtrà tanti æstimamus mundum & vanitates ejus, nisi quia de illis judicamus juxtà æstimationem æqualium nobis, apud quos sanè maximi sunt ipsæ ponderis? nostras communicamus nobis invicem tenebras, nósque reciprocè docemus nescire Deum. Verùm si frequentaremus Scholam Divini hujus Magistri, vero cum desiderio, vero inquam desiderio, & ardenti siti Cognitionis ipsius; Ah! quàm citò sese demonstraret nobis? Et ipsémet doceret nos, se esse omnia, & præter se cætera omnia esse nihil. Ex hoc conciperemus quantocyùs æstimationem infinitam supremæ hujus Magnitudinis, quam nemo despicere potest, nisi qui ipsam ignoraverit; Et econtrà contemptum maximum Cæterorum omnium, quæ non nisi ex ignorantiâ æstimantur. Et tandèm ex hoc nasci cerneremus in corde nostro amorem ardentissimum, erga divinam ipsius Bonitatem, & neglectum totalem omnium eorum, quæ non sunt ipse.

O Bonitas infinita, pulchritudo æterna, o immensum infinitarum perfectionum pelagus, quod tam dulcitèr, támque potentèr intrà te ipsum absorbes omnem intellectum, cui sors contigerit tuâ locupletari cognitione, ostende te vel parùm nobis! *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Cant. 2. Ah videam vel modicum

faciem

faciem tuam! audiat vel levitèr cor meum vocem tuam! Ah! Tu mundi lux es, & nunquam non oculis noſtris es præſens; hi autèm adhuc tenebris fidei ſunt obvelati: Novimus te, quaſi te non noverimus. Ah! quando velamen hoc tolletur ab oculis noſtris? Ergò nunquam erit, ut totus te mundus agnoſcat, ut tua pulchritudo vel parùm detecta rapiat poſt ſe omnium hominum corda, currátque ad te omnis orbis terrarum?

Undè oritur, quòd, cùm omnes experiamur in nobis ipſis, ardentiſſimum deſideriorum noſtrorum eſſe, ut ſimus Beati; adhæc probè ſciamus, ſummam noſtram, ad quam aſpiramus, eſſe Beatitudinem, Deum videre, ipſúmque amare, ac divinâ ipſius poſſeſſione in æternum frui: unde oritur, quòd hæc ipſa Beatitudo, quam corda noſtra tam ardentèr deſiderant, pro cujus obtentu quidquid tentaremus moleſtum, in nobis non excitet ardens deſiderium Deum Cognoſcendi, ipſum amandi, ac amabili ipſius poſſeſſione adhùc potiundi in hâc vitâ? An ideò, quòd reddere quidem poſſit animam beatam in Cœlo, ſed non in terrâ? An ideò, quòd non idem Deus ſit in terrâ, qui in Cœlo? An ideò, quòd corda noſtra creata ſint hìc in terris, ut felicitatem ſuam inveniant in Creaturis, ſortem autem ſuam mutatura in Cœlis, ut beatificari non poſſint, niſi ſolâ poſſeſſione Dei?

Idem Deus, qui ſatiat Beatos in Cœlo, ſatiat etiam animam, quæ ipſum cognoſcit in terrâ.

Nemo tam rudis eſt in mundo, quem lateat eundem Deum eſſe in Cœlo & in terrâ, Eandem etiam in Cœlo & terrâ eſſe animam; Beati in Cœlo ſunt, qui vident Deum, qui illum amant, quique ipſum poſſident, nèc ſunt hìc alij; Beati in terrâ quoque ſunt, qui Deum vident, ipſúm amant, illúmque poſſident, at necque hìc ſunt alij. Cùm ergò ardentius non habeamus deſiderium, niſi beatos nos efficiendi, cur ardentiori omnes non urgemur deſiderio, Deum Cognoſcendi, ipſum amandi, ipſúmque poſſidendi? ut quid ergò non avidè currimus ad orationem, bonorum librorum lectionem, inſtituta de Deo colloquia, cùm vera ſint hæc media ſatiandi ardentiſſimum votorum noſtrorum, quod eſt, ut ſimus Beati.

Vacare oportet, novi optimè, rebus terrenis, ſed non oportet his ſuum cor affigere, & in his ſuam quærere Beatitudinem, cùm in his non ſit, ſed in Deo ſolo eſſe poſſit. Non omnium eſt, vitam agere ſolitariam & contemplativam, ubi non niſi de Deo cogitatio inſtituitur. Maximam hominum partem invigilare oportet neceſſitatibus

Neceſſaria occupatio rerum terrenarum non debet impedire quin vacemus Deo.

vitæ humanæ, quæ occurrunt abs numero. Sed omnes respicere & possunt & debent Deum velut unicum summum Bonum, quo beatificari possunt; ipsum solum pluris æstimare, quàm omnia mundi bona, ipsum ardentius desiderare, quàm cuncta terræ solatia, anteferre Cœlum terræ cœno, æternitatem vitæ præsenti, salutem suam suæ fortunæ: Sed anteferre ipsum infinito modo, infinito modo, infinito modo, & absque comparatione, respiciendo omnia terrena, uti reapte sunt, velut res nihili, velut umbras, quæ præter-
1. Cor. 7. reunt: *Præterit figura hujus Mundi.* Ah si omnes hanc unicam Veritatem probè perpenderent, omnes Beati forent, cùm omnes perfectam suam Beatitudinem invenirent in solâ possessione Dei, & nihili penderent cœtera! An possibile sit desiderari à nobis Beatitudinem, & ardentèr non desiderari Dei Cognitionem?

Oportet tempus impendere studio Cognitionis Dei.

4. Sed tandèm habitis licet tribus hisce bonis dispositionibus, puritate cordis, humilitate, vehementi desiderio possidendi beatam hanc lucem Cognitionis Dei, nunquàm tamèn hùc pertinges, nisi & tempus huic negotio tribuas. Non est tam vile opificium inter homines, nèc vitæ institutum tàm parvi ponderis, quod non requirat aliquid temporis, ut addiscatur. An dicatur, sublime vitæ Christianæ institutum, & magnum salutis nostræ opus solum esse, quòd non mereatur, cui unicam Diei horam consecremus? Noctes diesque terimus scientiis humanis acquirendis: Nonnè æquissimum sit aliquas saltem dicare horas obtinendæ Cognitioni Dei? Non negamus Corpori tempus, ut nutriamus, suámque illi quietem non subtrahamus; quin & omne dimittimus negotium, ut otium acquiramus pro eo, quod potiùs est & magis necessarium: Nonnè magis necessarium sit otium dare animæ, ut se nutriat veritatibus vitæ æternæ, velùt suis dapibus ac deliciis, & paululùm quiescat in sinu Dei sui, post tantam intèr Creaturas sui defatigationem ac dissipationem perpessam?

Haud invenias tanti momenti negotia, quæ impedimento sint, quin indies duas horas assignes corporis tui nutrimento, intèr quas aliud operis nil admittas. An nimiùm sit tantundèm temporis ac otij tribuere animæ tuæ ad vacandum Deo in sanctâ quâdam meditatione, devotâ lectione, vel oratione? Si minùs cordi tibi sit anima, quæ spiritus est immortalis, quàm corpus tuum, quod est pugillus terræ, eámque deteriùs illo velis

exci-

excipere; saltem nè abnuas illi unicam de die horam, quam suo tribuat & alimento & quieti; Saltèm parùm hoc otij sinas ipsam captare, ad captandum suas cum Deo suo delicias; sivè postea tribuas ipsi horam unam integram, sivè in duas hanc partem dividens, unam tempori matutino, alteram vespertino assignes.

Verùm formato semel firmo hoc proposito, ne dimittas id unquàm, quidquid acciderit. Si quæ oboriantur negotia, dicito intrà temetipsum: Sed nonnè hoc est negotiorum meorum maximum? alia hujus intuitu nihil sunt; hoc si benè succedat, alia omnia succedent optimè. Quòd si interveniat hoc tempore, qui tibi loqui velit, nonnè dicere poteris, negotium tibi esse cum personâ maximæ considerationis maximum? quidquid tandèm obtingere possit, custodi inviolabiliter pretiosum hoc tempus, undè tota tua dependet & temporis & æternitatis felicitas. O quàm exiguo tempore redegeris in opus hoc tanti momenti datum à me monitum, & ipsâ mox disces experientiâ, in hoc unico consistere solam & solidam vitæ præsentis felicitatem! Invenies ibi Manna absconditum, cujus nemo novit pretium, nisi qui gustaverit. Non ampliùs hortatu opus erit, ut horam orationis tuæ fidelitèr custodias; maximum tibi supplicium erit illâ privari; & agnosces omnia, quæ dicta tibi sunt, nihil esse respectu eorum, quæ jam proprio nôsti experimento.

Omnes idonei sunt ad studium Cognitionis Dei.

Venite sapientes, codices vestros occludite, intellectum vestrum submittite, humiliate vos coràm Deo, parvos vos reddite ac dociles velut infantes, ipse vos docebit. Venite vos simplices, animo non cadite, quòd creatis ingenio, sublimi, illimi, acri, acuto; nullo horum opus est, ut apti sitis ad recipiendos altissimos divinæ Cognitionis radios: Hoc unum curate, ut corde sitis puro, effrœnes edometis animi motus, à mundi negotijs vos abstrahatis, occupationes vanas, quantùm possibilè, relinquatis, præcipuè autèm animo sitis tranquillo, humili, ac Deo plurimùm subjecto. Sic ipsi erit volupè, velle vobis se potius, quàm mundi sapientibus revelare.

Schola, in quâ benè addiscitur Cognitio Dei, est oratio. Methodus benè studendi in hâc Scholâ, est benè amare, benè pati, benè humiliari, benè mori sibi ipsi, & emori eo, quod Deus non est, ad nihil desiderandum, nisi Deum solum. Magister, qui profundas has & jucundas docet Veritates, quæ ad

ſtuporem complent animam conſolatione divinâ, quam mundus non novit, eſt *Chriſtus Jeſus*, velùt Cathedram, ſuam conſcendens Crucem. Ad pedes ejus te relinquo, ut audias vocem cordis illius cor tuum allocuturi, quam ubi audiveris, & delicias Cognitionis ejus guſtaveris, fateberis veras intellectûs delicias guſtari in Cognitione Dei.

Consultatio II.

Summa Voluntatis Voluptas eſt Amare Deum.

QUàm benè explanatur natura hominis, dùm verum inconſtantiæ theatrũ nuncupatur! tota vitæ ipſius ratio aliud eſſe non videtur quàm longa comœdiæ repræſentatio, in quâ nunquam non os, faciem ac frontem immutat. Hâc vix ſe induit opinione, mox geſtit induere aliam: modò vult, mox non vult amplius, jam irâ motus, jam mitis totus; nunc monſtrat ſe mœſtum, mox celebrat feſtum, in tot ac tantas transformat ſe figuras, ut quàſi nunquàm ſibi ipſi ſit ſimilis. Nihil ominùs reperire eſt certos quosdam catones tam æqualis conſtantiæ, ut videantur accepiſſe privilegium, quo eximantur à communi lege hominum, ſivè hoc acceperint ex bonitate quâdam indolis, ſivè obtinuerint exercitio & labore virtutis.

Noveram quendam ex his, quem nunquàm non adverteram tam circumſpectum & eodem agendi modo ſibi ſempèr æqualem, ut, qui ſemèl ipſum viderat, ipſum ſempèr videret. Erat is ingenij ſuavis, indolis benignæ, converſationis jucundæ, tam perfecto paſſionum ſuarum uſus dominio, ut movere ſe, niſi ad rationis imperium, non auderent. Stupebant omnes, quòd aliquod poſt tempus non amplius in conſpectum veniret, abs eo, quòd cauſa conſtaret: Non enim ſingularitèr addictus erat ſolitudini, nec magnis implexus negotijs, cùm præcipuum ipſius & quotidianum fuerit negotium jucundè cum familiaribus ſuis traducere tempus; & omnes ſe ab ipſo derelictos dolebant.

Cùm die quâdam adeſſem viris quibusdam magnæ pietatis, parumpèr abſtractis à mundi tumultu, ad agenda quædam negotia Dei honorem concernentia, invenimus ipſum totum ſolum, ſuis intentum cogitationi-

bus

bus in loco, ubi non quæsiſſemus ipſum. Volebat is quidèm occurſum noſtrum declinare, ſed ampliùs non poterat. Quod potuit, erat, prò more componere oris totiúsque corporis habitum, ſibi vim inferens, ut feſtivum præſeferret genium, & conſuetam reaſſumeret frontis ac vultus ſerenitatem. Sed tam coacta res erat, ut cunctis pateret ad oculum. Erat totus macie confectus, mœſtus, cogitabundus dejectis præ triſtitiâ in terram oculis, omnia diſplicebant ipſi, loquebatur parùm & frequens ingemiſcebat. Unico verbo, erat tam ingens mutatio, ut vix, quòd idem fuerit, credi potuerit.

E ſocietate quispiam vir valdè prudens, jucundo oris habitu dicebat ipſi: Ægrotas ſanè, & apprehensâ manu illius, quaſi exploraturus pulſum arteriæ: Medicæ artis paulispèr expertus, fallar, niſi detexero tibi qualitatem & originem infirmitatis tuæ. Malè affectum eſt tibi cor, in quo neceſſe eſt, te plagam accepiſſe. Et deſuper declaravit illi inſignem hanc Philoſophiam Platonicorum, quæ à Marſilio Ficino refertur, quaſi ipſe modò inveniſſet, ad exponendum ipſi omnem indiſpoſitionem ſuam, eâ prorſus ratione, quâ expertus medicus cum infirmo ſuo agens id facere potuiſſet.

Eſt nobis, inquiebat illi, cor fornacis inſtàr accenſum igne caloris naturalis. In hoc perficitur ultima digeſtio ſanguinis, & ſeparatio illius, qui arterialis vocatur, ab eo, qui dimanat in venas & ſervit nutrimento corporis, ſicut alter, qui plenus eſt Spiritibus, ſervit ejusdem commotioni. Sed intrat quandóque in hanc cordis fornacem certus aliquis genius malignus, qui paulisper turbat ipſius œconomiam, & in ſecreto format aliquos ſpiritus è ſanguine magis fervido & puro, quem ſeparat ab illo, qui magis materialis eſt. Hisce in cordis medio fabrefactis, ſenſim illos indè extrahit, & aſcendere facit in caput, ſivè ut temperet aliquantulùm ipſorum calorem nimium frigiditate cerebri, ſivè ſtudio illos deducat ad ſedem rationis, nimirùm caput, ut mutuam ab intellectu accipiat neceſſariam dexteritatem, ad exitum proſperè aſſequendum, cui illos impendere intendit.

Quâ ratione excitetur amor in corde juxta Platonicos.

Hi Spiritus, qui fœtus ſunt cordis & cerebri, recipientes à primo multùm ignis, & ab altero multùm intelligentiæ, pari modo activitatem habent ad aggredienda, & dexteritatem ad conducenda ſua conſilia. Hinc cum credant ſe in capite eſſe non velùt in carcere, ubi captivitate ſtringuntur, ſed velùt in

propugnāculo, ex quo suæ subijciant ditioni, quidquid potuerint, faciunt eruptionem per oculos, & alia oppugnabant loca, quæ per oculos quóque invadunt; probè gnari, sensus alios magis rudes, magisque corpori immersos, non tantum cum intellectu habere Commercium. Primo congressu, quo sese insinuârunt oculis, non nisi lenocinantur, blandiuntur suaviter inclinationi, & occultam conciliant lætitiam, abs eo, quod quidquàm inferant mali.

Sed paulatìm ad cerebrum úsque penetrant, & occupare incipiunt intellectum, quem meditabundum reddunt & cogitationibus defixum; Exin mœstum ac morosum: non diù autem hîc sedem figunt; Nam è capite descendunt in cor, ubi certum accendunt ignem, quo id consumitur, agitatur, mille molestijs & inquietudinibus obruitur. Videmus ingemiscere hominem, languere, dolere, tædio tabescere, & nescit, undè sibi hoc malum accidat, nèc quomodò occultum hoc vulnus acceperit, quo dolet. Ah! absque eo, quòd quidquàm de hoc cogitârit, jàm intravit mors per fenestras! Aspexit aliquam pulchritudinem se aspicientem & ex oculis unius exiêrunt spiritus incantantes, & intraverunt in oculos alterius. Et spiritus hi in uno corde per malignum genium inquietudines causantem fabrefacti, ingressi sunt per oculos in cor alterum, quod haùd alitèr tractant, nisi more victoris munimentum quodpiàm occupantis. Et eccè id, undè doleat.

Nòn fecit hic homo, nisi, quod ingemiscceret sublatis in Cœlum oculis, dùm Medicus noster ipsi tàm candidè detexit infirmitatis suæ originem. Vix exspectare poterat, antequàm discursum finiret, quin confiteretur nobis. Verum est, quod amem; Sed nè vertatis id mihi vitio. Certè si pateret vobis mei causâ tormenti, affirmaretis, nil eo delectabilibus esse in mundo. Est námque ---. Oportebat patientèr dare aures, quoad effunderet paulispèr cor suum & eloquentiæ suæ explicaret vela, circà raras personæ à se amatæ dotes & ornamenta. Non utebatur, de illâ loquens, nisi verbis omninò sacris. Haud enim erant, nisi adorationes, nisi divinitates, nisi vota, nisi altaria, nisi sacrificia, nisi incensa, nisi templa gloriæ, nisi raptus, nisi objecta Beatitudinis.

Hallucinaris, dicebam ipsi, mi Domine, procùl dubio enim credis, nos loqui de devotione: Nam omnia hæc verba tam sublimia, propriè non conveniunt nisi Deo. Verum est, inquit; sed quo-

quomodò sermonem vis fieri de eo, quod amatur, nisi verbis veneratione & affectu pleniſſimis? Amor, quandò proprium ſuum loquitur Idioma, aliâ ſe ratione explicare non poſſet. Fateor, quantocyùs reponebam, ſed in hoc, utì dixi, eſt hallucinatio & error amoris: Nòn eſt creatum cor noſtrum niſi ad amandum Deum; quandò amat quidpiàm aliud, errat in objecto ſuo, licèt nullum in idiomate ſuo committat errorem.

Error amantium.

Quandò dicit, ſe adorare, ſe ſacrificare, ſe devovere, ſe incenſa offerre, ſe altaria erigere, loquitur, proùt debet, quia loco objecti quod amat, quódque tantis dignum haud eſt homagijs, credit ſe loqui Deo, quem amare debet, quique ſolus noſtris dignus eſt ſacrificiis ac votis.

Ah! quàm benè demonſtras, inquiebat mihi, paulispèr indignabundus, quòd neſcias, quid ſit amare, dùm de amore mihi loqueris, qui nònnisì in merâ ſpiritualitate conſiſtit? Amare volenti opus eſt re magis ſenſibili: Oportet enìm uti familiaritate, oportet videre, oportet loqui: Opus eſt reciprocatione in amicitiâ, cujus dare & recipere oportet teſtimonia ſenſu perceptibilia, quæ dantur & reddunturnon niſi verbis, ſervitijs, muneribus, & mutuis intèr amicos obſequijs. Tandèm requiritur, neſcio quæ ſympathia alligans corda vinculis quibusdam inviſibilibus, quæ quidèm ſtringunt, ſed tàm blandè ac ſuavitèr, ut in his collocem omnem amicitiæ dulcedinem & ſummam totius vitæ voluptatem. Ubi hæc omnia invenire ſit, ſi amem objectum, quod fugit oculos, neſcit diſcurſum, horret Commercium, nèc ullam admittit ſympathiam, aut animorum conſenſum, eò quòd infinito modo altioris ſupèr nos ſit ordinis? In quo igitùr erit dulcedo amicitiæ?

Quid neceſſarium ſit ad conſtituendam veram amicitiam.

Hiſcè mihi aperiebat campum ampliſſimũ, ad explanandam ipſi amoris Divini eminentiam ſupra amorem profanum ſicut & demonſtrandum manifeſtè, nullum eſſe verum amorem, qui ſolidam afferre poſſit voluptatem voluntati noſtræ, prætèr amorem Dei: Eò quòd omnis alius amor, non ſit nisì obcœcatus animi motus, apprehendens falſum pro vero bono. Nòn ſit nisì deceptor, qui, cùm animæ promittat voluptatem ac delicias, nil autèm reaptè det, niſi pœnam & amaritudinem. Noveram probè, quòd cùm loquendum mihi eſſet cum homine aliâ jam opinione imbuto, & deſiderij vehementiâ excœcato, ad exuendum ipſum errore, magno foret labore opus, adducendo

do argumenta tùm valida, tùm manifesta, ad persuadendum ipsi, falsum illum amorem, in quo suam collocabat Beatitudinem, non nisi veram esse miseriam, respectu veræ & solidæ felicitatis, quam invenire posset in amore Dei. Hâc igitùr ratione ipsi locutus sum.

ARGUMENTUM.

1. Amor *Dei jucundior est voluntati amore omnium Creaturarum.*
2. *Majus Commercium, majórq; sympathia haberi potest cũ Deo, quàm cum Creaturâ quâcunq;.*
3. *Deus amicis suis majora obsequia, ac evidentiora amoris signa exhibet, quàm omnes Creaturæ simùl.*

ARTICULUS I.

Quidquid creaturam reddit amabilem, eminenter invenitur in Deo.

NOn intendo spoliare te voluptate, quam reperis in amicitâ; Nequaquàm: nèc credas, turbare me velle felicitatem tuam; magis intendo contrarium. Si putas, invenire te posse maximam vitæ voluptatem in amando, ama bonis avibus, & redde te felicem. Sed voles utique, ut modum & medium tibi suggeram, quo felicior reddaris amando meliùs, quàm hucúsq; amaveris. Quamobrèm vèl modicùm ratione velim utaris, tecum ipso ponderando, undè nasci possit hæc tàm vehemens delectatio, quæ cordi tuo blanditur in humanis tuis amicitijs: An quià amas eximiam quandâ pulchritudinem, quæ oculis tuis, omni alteri pulchritudini palmam videatur eripere? Sed hæc quid sit intuitu infinitæ pulchritudinis Dei? An, quià amas bonitatem aliquam prorsùs insignem, tot ac tantis instructam perfectionibus, ut parem esse vix credas? Sed quid hæc bonitas sit respectu infinitæ Bonitatis Dei? An, quià amas quandam magnitudinem, quandam potentiam, quandam liberalitatem, quam nulli stringant limites? Sed hæc an talis sit, quæ magnitudini, potentiæ, liberalitati Dei æquiparari possit? An, denique quà amas cor bonum ac fidele, quod ardentèr te diligat, tibíque tàm evidentia amicitiæ suæ signa exhibeat, ut de hoc dubitare non liceat? Sed, an cor sit, quod tantùm te amet, quantùm cor Dei? An quispiàm alius tàm manifestas exhibere possit amoris sui notas, quales ille, qui non contentus feciſſe te, quòd es, donâsse tibi quòd habes, se totum integrum tibi tradidit, tibíque promittit, si ipsum diligas,

gas, bona infinita in omnem æternitatem.

Nonnè vides, quòd omnia, quæcúnq; invenire posses amabilia, non dico in unicâ solâ Creaturâ, sed in omnibus Creaturis simùl sumptis, aliud non sint, nisi parva fragmenta, vèl tenues atomi, magni illius Omnis infinitarum perfectionum, quarum thesaurus integer est in Deo, quásque hinc indè super Creaturas dispersit, eo ferè modo, quo aurora tempore matutino nobis exhibet parvulos quosdam lucis suæ atomos, supèr roris sui guttas dispertitos? Si parvum hoc tibi tàm amabile videatur, tantámque exìn haurias delectationem, quid ergò foret, si cor tuum in magno hoc bonitatum ac infinitarum pulchritudinum, quæ in Deo sunt, Oceano, haberes immersum? Ah! quàm verum est, omnem illam voluptatem, quam gustat cor tuum, amando id, quod amas, comparatam summæ illi voluptati, quâ perfunditur cor amore Dei superfusum, minorem esse minimâ aquæ guttâ respectu totius maris!

Omnes creaturæ simùl non sunt tàm amabiles sicùt Deus.

Affirmas, opus esse familiaritate ad stabilendam & conservandam veram amicitiam. Fateor, & hæc doctrina est *S. Thomæ*, quam tenent communitèr Doctores & confirmat experientia: Sed, an Creatura in mundo sit, quâcum tibi esse possit familiaritas tàm frequens, tàm conjuncta, tàm cordialis, sicùt cùm Deo? Nonnè tibi sempèr est præsens? Nonnè totum te replet & penetrat úsque ad centrum Cordis tui, & úsque ad intima animæ tuæ? Nonnè potes ipsum sempèr alloqui, & animæ tuæ loquentem audire? Hàud ignoro, ipsum purum esse spiritum, adeóque â te videri non posse oculis corporeis; sed nonnè consideras, te non sempèr oculis corporeis videre id posse, quod amas: & tamen ipso absente non cessas amicitiæ tuæ potiri delicijs, eòquòd amor, qui ingeniosus pictor est, tibi exhibeat imaginem ejus in idæis tuis, ubi totum te solum hoccè cum ectypo, quod nòn nisi phantasma est, deficiente prototypo conversari, tuæ sunt deliciæ. Sic tuo doceris experimento, necessarium nòn esse oculorum corporalium intuitum ad nutriendam familiaritatem cum illo, quod amatur, & deliciosè fruendum amicitiæ intimæ dulcore.

D. Thom. 2. 2. q. 32. a. 1.

Deus intimâ utitur familiaritate cum animâ se amante.

Sèd magnum adverte, quod hauris, commodum amando Deum, summámque voluptatem, quâ frui vales in continuâ cum ipso familiaritate ac commercio. Nòn opus est tibi intuitu corporali, nèc necesse, ut amor tibi interiùs ejus depingat imaginem,

Deus nunquam absens est amicis suis.

ginem, siquidèm illum ipsummèt habes in prototypo, imò ipsummèt in essentiâ & in personâ. Existit ille in te ipso, nunquàm nòn præsens est animæ tuæ, est tibi nunquàm nòn cum ipso conversandi, familiarsque sempèr alloquio potiundi facultas. Si Creaturam amas, nonnè cernis impossibilè esse, ùt tàm continuo, támque intimo cum ipsâ fruaris Commercio? Et si nuda illius, quod amas, imaginatio & phantasma tantam tibi voluptatem in suâ affert conversatione, quid igitùr erit, habere ipsum pulchritudinis & bonitatis infinitæ à te amatæ prototypon? & non tantùm habere exteriùs oculis corporalibus expositum, & non tantùm interiùs in imagine suâ depictum, sed nunquàm nòn coràm habere in personâ, & quidèm in intimo cordis & animæ tuæ conclavi? O *Deus*! Si in familiaritate intimâ & maximè benevolâ cum eo, quod amatur, gustari potest dulcedo amicitiæ, an omnium amicitiarum humanarum simùl junctarum voluptas æquiparari possit cùm voluptate unius duntaxàt te amantis animæ?

Et nihilominùs, inquies: magnum est solatium, id, quod amatur, videre & usurpare oculis; hoc destituor, Deum, qui invisibilis est, amando. Verum est; sed tamèn in imaginibus ipsius, ejusdem tibi conceditur aspectus; quæ permutatio, si probè consideres, magnum tibi parit emolumentum. Pro eo quòd Creaturam amans, præsentiam ipsius habeas exteriùs oculis tuis expositam; interiùs autem imaginem tantùm ipsius tuæ exhibitam imaginationi, quæ in ejus te absentiâ consolatur: hìc econtrà possides interiùs veram ac substantialem Dei à te amati, fundúmque animæ tuæ penetrantis, nèc unquàm te deserentis præsentiam; exteriùs autem possides imagines ipsius ubivis locorum expositas, ad refocillandum oculos tuos, ejusdémque reducendam animo memoriam. Deus nobis ubique depingit imagines suas.

Nonnè parvum quendam gloriæ & Majestatis ipsius splendorem aspicis in lumine solis ac omnibus Creaturis? nonnè quodpiàm advertis vestigium æternitatis ipsius in nunquàm intermissâ revolutione temporum ac perpetuo rivorum ac fluminum decursu? Nonnè quempiàm pulchritudinis ipsius observas radium, in florum variegato decore, colorúmque pennas avium mirè exornantium vivacitate? Nonnè quandam sapientiæ ipsius agnoscis notam, in tot ac tantis diversorum animalium solertijs ac industrijs, omnem nostrum captum superantibus?

Non-

Nonnè aliquam intueris umbrâ infinitæ Bonitatis ipſius in fœcunditate terræ, quæ nunquàm non gignit ac producit, abs eo, quod exhauriatur aut ceſſet noſtris providere indigentijs? Nonnè quampiàm immenſitatis ipſius cernis idæam in vaſtâ Cœlorum extenſione ac amplitudine? Verbo dicam, nèc unicam invenies Creaturam, quam ſignare non voluerit parvo quodam infinitarum perfectionum ſuarum lineamento?

Quòd ſi in medio tot imaginum oculis tuis expoſitarum, ipſum non aſpicias, nònnisi defectui amoris id imputandum eſt. Habeas ante oculos alicujus perſonæ effigiem ad nativi oris ſpeciem expictam, ergà quam tamèn nullo feraris affectu, imò nèc illam noveris; videndo ipſam, non videbis ipſam; præſentem habendo, nec recordaris illius, nec de illâ cogitas. Verùm, ſi quidquàm videas, quòd vèl minimam ejus, cujus amor te rapit, referat ſimilitudinem, licèt reipsâ ipſius effigies nòn ſit, ſupplebit amor defectum, & quod deeſt, perficiet, túque credes, videre te reipsâ, quòd non vides, recordaberis illius, ac perfunderis exìn voluptate ac gaudio. Sic verùm eſt, nihil magis inviſibile eſſe, quàm Deum, non habenti amorem ergà ipſum; vèl maximè autèm viſibilem & cognoſcibilem eſſe in omnibus creaturis, animabus amantibus illum.

Quarè Deum nòn agnoſcamus in ſuis imaginibus.

Si deſideras reciproca inter amicos obſequia, ſi quæris dotes ac munera, manifeſtas veræ amicitiæ teſſeras, ubi has copioſiores, frequentiores ac liberaliores invenies, quàm in perfectâ amicitiâ, quâ cum Deo ſuo ligatur ac conjungitur anima? Divinus hic amans tàm obſequioſus eſt ergà te, ut nòn ſolùm te frequentibus ſuis honoret viſitationibus, ſed ne unico quidèm unquàm momento te deſerat. Nunquàm nòn is ſuos in te oculos defixos gerit, rebúsque tuis tanto ſtudio ac ſolertiâ invigilat, quaſi tu ſolus fores in mundo. An parem quis unquàm viderit obſequioſitatem? Voluit adhæc deditâ operâ è throno gloriæ ſuæ deſcendere, ad demittendum ſeſe úſque ad te; Voluit aſſimilari tibi & fieri, quod es, familiaritèr converſando tecùm, quantumvis ipſe Majeſtas ſit infinita, ante cujus conſpectum præ reverentiâ contremiſcunt creata omnia. Omnem ſuam depoſuit Magnitudinem, ut confidentèr velùt alter tu ipſe ageret tecùm, ſicque te admirandâ hâc lucraretur familiaritate. Dicito, an unquàm amicos intèr par obſequendi ſtudium fuerit perſpectum?

Deus valdè obſequioſus eſt ergà amicos ſuos.

Deus amicis suis se valdè liberalem exhibet.

Verùm si suprà modum obsequiosus est, magis tamen se liberalem ostendit: Nonnè enim abs intermissione manus suas expansas habet, ut suis te mactet beneficijs, quibus exquirendis ne quidèm tu curam geris? Unde habes omnia, quæ possides, Corpus & animam, vitam, sanitatem; bona, quin & omnia, quæ à cunctis Creaturis tibi exhibentur, obsequia? Nonnè ipsius est Aër, quem respiras; Nonnè ipsius est lumen, quod te illustrat? Nonnè ipsius est ignis, qui te calefacit? Nonnè ipsius est terra, quæ te portat, teque nutrit? Et unico verbo, quis est, qui omnibus tuis prospicit necessitatibus, nisi fidelis hic amicus! Credes forsitàn, nòn plùs æquo per hoc te honorari, nec specialis tibi favoris exhiberi notam, cùm tibi nòn det, nisi quod omnibus dat alijs æquè ac tibi? Rem ità capere haùd careret ingratitudinis notâ, cùm econtrà id arguat longè majorem, magísque manifestam amicitiæ Benevolentiam, quòd tibi soli det tantùm, quantùm simùl omnibus; quodque aër, terra, lumen & omnia creata æque inserviant tibi, ac si tu solus incoleres universum. Imò dico, quòd longè melius tibi serviant, quàm si solus fores: quid enim faceres solus accola in terris?

Quòd si hæc omnia te non convincant, opúsque tibi sit beneficijs specialibus, te solum concernentibus, ut in animum inducas, agnoscas, & fatearis, respicere te Deum velùt specialem suum amicum, aperias velim oculos, & horum infinitum perspicies numerum. Perpende benignam & affectuosam providentiæ ipsius ergà te curam, examina diversos status, singulares contingentias, eventus, occasiones, quidque particularitèr occurrerit in universo vitæ tuæ curriculo; à quantis te malis custodierit, à quibus tot alios, quos nôsti, non custodivit; E quantis periculis te eripuerit, in quibus tòt alij miserè perierunt; quòt occasiones benè auspicatas direxerit in bonum tuum; quantis te prævenerit gratijs, favoribus ac miserationibus? Ah! si paulisper nos ipsos inspexerimus, attendendo, quantâ bonitate, omnia vitæ nostræ momenta in nostrum dirigat emolumentum, nobis omnibus cum *S. Augustino* dicendum erit cum cordialissimâ sui ergà nos amoris recognitione: Tanquàm omnium sis oblitus, & de me solo sis solicitus. O infinita Bonitas! Videtur, neminem à te amari in mundo prætèr me, teque cœterorum hominum reliquisse curam, ut hanc mihi soli impenderes!

Cùm

Cùm ergò in amore Dei possideas, quidquid ad dulcorem perfectissimæ amicitiæ conferre potest, intimam & affectuosissimam familiaritatem, aspectum, colloquium, reciproca obsequia, beneficia, manifesta fidelioris amicitiæ indicia, hæcq; possideas modo abs comparatione sublimiori & perfectiori, quàm in omnibus Creaturis: Nonnè persuasum tibi sit, quòd, si voluntas tua tantum voluptatis hauriat ex amicitijs humanis, promittere sibi possit satisfactionem omnem, & gaudij abundantiam infinito modo majorem in amore Dei?

Deus magnam gerit sympathiam cum amicis suis.

His omnibus adjungo illud, quod in dulcore amicitiæ te magis allicit, illam nimirùm occultam sympathiam, & vinculum cordium, quod partem nostri magis sensitivam afficit delectatione, quámque tu maximam vitæ nostræ appellas voluptatem. Verum est, sympathiam, quæ certas inter Creaturas occurrit, admirabilem esse amoris magiam, producentem effectus tàm stupendos, ut, licèt hauriantur oculis, vix animo credi & comprehendi possint. Ferrum & Magnes, quos perfecta afficit sympathia, tàm speciali se amant benevolentia, séque invicem tam amabili quærunt solertiâ, ut credi posset, ipsos non tantùm præditos esse vitâ & sensu, sed etiàm ratione & intellectu.

Certos intèr amicos invenire est sympathiam adeò vehementem, ut velle videantur corda ipsorum è proprio se pectore divellere, ut invicèm conjungantur. Sèd hæc quid sit respectù maximæ sympathiæ, quæ Deum inter & animam intercedit, Deúmque animæ, & animam Deo suo conjungit.

Hæc tanta est ex parte Dei, ut desiderium sese animæ conjungendi ipsum è Cœlo traxerit in terram: tanta quóque est ex parte animæ, ut impossibile ipsi sit felicem ac beatam esse, nisi Deo uniatur. Tanta est ex parte Dei, ut ab animâ offensus & per peccatum derelictus, ipsam requirere non cesset; tanta est ex parte animæ, ut agitetur continuò, vímque non abs tormento patiatur, donèc in amati suî magnetis figatur aspectu, ibíque velùt in centro suo quiescat. Tanta est ex parte Dei, ut, quasi nòn contentus foret beatitudine infinitâ, quâ in se ipso fruitur, nobis declaret, esse delicias suas nobiscùm esse; tanta quóque est ex parte animæ, támque necessaria, ut paradisus ipsius sit possidere Deum suum, & maximum ipsius tormentum illo privari.

Siquidèm, ut verum fatear, quidnàm est infernus & ingens

Infernus est sympathia votis suis violentèr frustrata.

damnatorum supplicium? nisi sympathia hæc in æternum frustrata illo, quòd tàm vehementèr desiderat? Et econtrà quid est paradisus & summa Beatorum felicitas, nisi sympathia in æternum satiata perfectâ ejus, quòd desiderat, possessione? Cùm ergò sympathia, quæ Deum & animam beatam in æternitate conjungit, radix & origo sit ineffabilium voluptatum, suam constituentium Beatitudinem; nonnè dicendum sit, quod, cum illos mediante amicitiâ intimâ conjungere incipiat in terrâ, jam animæ ex parte propinet dulcedines Cœli? adeóque æstimanda non sit voluptas, quam maxima animorum sympathia in amicitijs humanis affert, respectû ineffabilium deliciarum & divinarum Consolationum, quæ in animâ cum omnium dulcedinum fonte pèr sympathiam divini amoris unitâ, superabundant.

ARGUMENTUM.

Plura tædia inseparabilia sunt ab amicitijs humanis.

1. *Æmulatio illas impedit.*
2. *Absentia affligit.*
3. *Certitudo amittendi tandèm, quod amatur, intolerabilem affert amaritudinem.*
4. *Solus Dei Amor hisce incommodis exemptus est.*

Articulus II.

VT tædium parerem huic homini, diù locutus sum, si tamèn tædio affici facilè possunt, qui amant, dùm loquentem audiunt de eo, quod amant. His omnibus nòn habuit, quod reponeret, saltèm nihil ejusmodi attentabat; videbam nihilominùs, nondùm ipsi ex integro satisfactum, cùm non nisi ingemisceret continuò, sícq; totus cogitationibus defixus, ut ex nullo voluptatem caperet. Nesciebam an caperet quod dictum erat; ideòque ipsum urgere, ipsíque exprobrare, ac opponere perrexi.

Tædia amicitiarum humanarum sunt maxima.

Nonnè dixisti, tibi vitio haud vertendum, quod ames, tuíque tormenti causâ nil esse amabilius in mundo? Ergò ipsemèt fateris, te tormentum tolerare, cùm tamèn persuasum velis, te talitèr amando esse beatum, tuæque amicitiæ conjunctam esse maximam vitæ voluptatem? undè ergò nascitur, quod nulla tibi vitæ sit voluptas? Vndè tædium, quo teneris, oritur? undè

dè cuncta eòúsque displicent, ut jucundissimam vivorum societatem, quasi jàm mortuis aggregatus fugias? Amarorem ac mœrorem vultu tuo depictum circumfers; Cùm autèm is sit velùt animæ theatrum, ubi ipsa frequentèr, etiàm se reluctante divulgat, quidquid in sinu arcani tenet, hinc ad oculum omnibus patet, tuam repletam esse amaritudinem. Dissimula, quantùm volueris; Cui servit bono, simulatam præseferre felicitatem? Nemo tuo more tàm amarè ingemiscit, nisi miser sit & infelix.

Tædiorum tuorum non invitus tibi causas aperio, modò tantùm candoris habeas illas confitendo, quantùm ego veritatis tibi dicendo. Fortassè corroderis zelotypiâ? Nàm sæva hæc tyrannis est amoris humani, qui solus amare vult, quod amat, vellétq; libertatem amandi adimere cuivis alio, clam sibi persuadens, sufficere se solum ad amandum idolum suum, quantùm id est amabile; objectum autèm, quod amat, cùm omni Amore suo, sufficiens nòn esse, ut reddat sibi amoris tantùm, quantùm donavit ipsi, quòd si suspicatur, aliquem secùm partiri velle, quod totùm solus prætendit habere, accenditur æmulatione; quæ Mechæra, dùm semèl cor occupat, illud arrodit, illud pungit, illud dilaniat, nèc pacem permittit illi nec gaudium: Væ qui ceciderit in manus ejus! Sacra scriptura nil melius, cui ipsam assimilaret, invenire potuit, quàm infernum ipsum: *Dura sicut infernus Æmulatio.* Cant. 8.

Quid reddat amicitias humanas valdè amaras.

Forsàn absentia illius, quod amas, tuum tibi parit fastidium? at, quoniam impossibile est in vitæ humanæ cursu, nòn sæpissimè spoliari præsentiâ ejus, quod amatur, ejusmodi amicitiæ à pluribus molestijs omninò nequeunt separari. Fortassis etiàm, quod ipsius tædia tua tædia pariant, cùm vera lex amicitiæ requirat, ut bona & mala intèr se dividant ac dispertiantur amici. Cùm autèm incommoda præsentis vitæ sint valdè frequentia, rarissima verò solatia, hinc est, quod qui Creaturarum amore occupatur, frequentibus implicetur incommodis. Ut quid ergò quasi proprijs non abundares miserijs, & illas amicorum tuorum susçipis, ut tuas multiplices? mirúmq; proindè non sit, quod noverint nullas dolores tui ferias, cùm & tuas & aliorum cogaris tolerare miserias?

Sed tandèm, si aliud non foret, nisi certitudo amittendi aliquandò quod amatur, esset abundè satis: Nàm qui promiserit sibi hîc in terrâ æternitatem, hucús-

hucúsque fuit Nemo; cùm videamus vix mortem concedere nobis per parvam incertorum annorum seriem. Amor, qui tendit ad mortem, sempèr languere, sempèr infirmari videtur: quomodò possideat gaudentèr, quod amittendum sibi noverit dolentèr. Ah! sæpiùs nòn exspectat mortem, ut moriatur; infinitus accidentium vitæ cursùm concomitantium Numerus tali ratione alterant, & immutant illum, ut opus nòn sit, nisi quâdam inconstantiâ, quâdam morositate, quâdam diffidentiâ, improvisâ quâdam occasione, undè nasci primùm videmus quendam teporem, pòst hæc indignationem, exìn contemptum, & tandèm non rarò odia prorsùs lethalia. Nescimus, quid moliamur, dum aliquid extrâ Deum amare molimur; promittimus nobis nònnisi dulcorem, & prætèr exspectationem mœroris & amaroris obruimur fluctibus, ubi tractib⁹ longis bibenda nobis sunt innumeris cũ miserijs non pauciora fastidia.

Nunquid liberari voles ab hâc miseriarum inundatione ac diluvio, quibus inevitabilitèr scatent amicitiæ humanæ? Statue igitùr tecùm nil aliud unquàm, quàm Deum amare, in cujus solius amore invenies ingens Bonorum ac consolationum pelagus, contrarium omninò malis ac incommodis, quæ toleras. Siquidem imprimis nòn arrodunt animum Zelotypiæ angores, dum amatur Deus. Novit probè anima, sufficientem sè solam non esse ad amandum objectum infinito modo amabile; hinc habere non metuit corrivales, æmulos ac competitores, sed potiùs illos desiderat, illos quærit, illos procurat; quin & diffluit gaudio, si plures habeat, & illo tantò abundantiori, quantò hi fuerunt numero majori.

Amor Dei non potest affici tædijs amicitiarum humanarum,

Maximum animæ Deum amantis foret solatium, si totus cum ipsâ mundus amaret illum. Ah! quàm Beatam se crederet, si omnes Creaturas in totidèm posset mutare corda ad Amandum Deum suum! Adæc non ignorat anima, Deo plus amoris esse ad dandum, quàm sibi capacitatis ad hunc ab ipso recipiendum. Si amaverit ipse milliès centena millia aliorum tantùm, quantùm ipsam, imò plùs quàm ipsam, nihil ipsa exindè perderet, sed potiùs plurimùm ex eo lucraretur; siquidèm cùm omnes amici Dei etiàm ipsius amici sint, & ipsa cùm illis habeat nònnisi cor unum & animam unam, credit in illis amare se Deum & amari à Deo. Quanta gaudij abundantia pro hâc animâ! Amat ipsa expers angoris, & tantò magis ipsius augetur voluptas, quantò magis viderit

derit Deum amare & amari. Nunquid ergò asserendum sit, eatenùs ex parte gustari pacem & felicitatem Cœli in Amore Dei, ubi econtrà amor profanus sævè torquetur â Zelotypiâ verè ferâ, non piâ?

Si absentia conciliat tristitiam, præsentia autem maximam amantium constituat voluptatem, certùm est, omnem amicum alium, prætèr Deum, sæpius absentem esse; undè & ipsum sæpiùs affligi necesse sit. Quin etiàm, dùm nòn procùl abest, nequit nobis nònnisi valdè imperfectam communicare præsentiam: parùm enìm est, sub eodem commorari tecto, parùm expositum esse oculis, parùm exteriorem tantùm ejus, quod amatur, habere præsentiam. Quis amicorum sic præsens esse potest, ut insinuet se se, ac penetret úsque ad cordis intima realitèr ac substantialitèr, nisi Deus solus? úsque adeò divinâ suâ præsentiâ consolari vult animam, quam amat: úsque adeò suas sibi complacet capere delicias cùm amicis suis; & nunquàm, nisi peccato abigatur, abit indè. Quocúnque te ferent pedes, abi, nunquàm eò ferent, ut ab incomparabili hoc te divellant amico: Circumfers illum continuò in corde tuo, is nunquam non te portat in sinu suo. Quod si ergò præsentia, & intima cum re amatâ conjunctio plena est solatio, quæ par esse possit voluptas illi, quâ perfunditur Deum amans anima!

Metus ac cura, ne amici hujus mala sors, tuam fors perturbent pacem ac bonam sortem, tàm procùl abest, ut quàm longissimè. Dum amicitijs nos humanis obstringimus, obstricti quóque manemus ad dividenda tùm bona tùm mala cum eo, quod amatur. Sed sacrum Divini amoris vinculum divisionem novit nullam nisi bonorum; malorum vèl minima hìc locum non habet: Siquidèm omnis bonorum infinitudo tam essentialis & necessaria est Deo, ut non possit accedere malum, néque flagellum appropinquare tabernaculo illius. Anima Deum amans tanto inundat gaudio ex eo, quod Ipse infinito modo sit magnus, infinito modo beatus, àbs eo, quod unquàm esse talis cessare possit in omnem æternitatem, ut maximum ipsius negotium sit in terrâ, occupare se felicitate Dei, de illâ gaudere, ex illâ delectari. Quidquid sit de cœteris, sivè malè, sivè benè agantur, angitur nec minimùm, cùm noverit, præcipuum suum negotium nunquàm non agi optimè, eò quòd in æternùm fruatur Deus divinâ suâ Essentiâ, perfectionibus suis infinitis; dicens intrà semetipsam:

ipsam: Meâ quid interest, nihil me esse nisi paupertatem & miseriam? Mihi abundè est, Deum esse, quem sciam me amare, quémque amem ex toto corde meo; haùd difficultèr meæ obliviscor miseriæ, ut ipsius me occupem felicitate, magisque gaudeam de ipsâ, quàm si ipsamèt possiderem ipsam; Cùm námque amicorum omnia sint communia, nonnè sàt dives sim, satis Beata, quamvis perdere contingat omnia, modò thesaurum amoris Dei conservem unicum?

Sed ad summum felicitatis apicem, quod evehit animam Deum amantem, est, quod certa & secura sit de nunquàm amittendâ illius possessione, quem amat; nisi seipsam voluntariè & datâ operâ per gravem aliquam noxam hâc velit privare: Siquidèm ex partè suâ Deus, nunquàm sacrum hoc vinculum, quo ipsi conjungitur, disrumpere volet; quod si & ipsa ex parte suâ huic servando fuerit fidelis, æternum erit ac indissolubile. Nunquàm igitur affligetur ipsa mœrore ac amarore illo, quem comitem inevitabilem sibi adsciscunt amicitiæ humanæ, dùm menti occurrit, mortem aliquando obluctantibus frustrà luctibus ac lacrymis suis, sublaturam è medio id, quod amant è cordis meditullio. Ex adversò autèm mors erit, quæ animam hanc perfectâ objecti amati locupletabit possessione; ità ut ultimum hoc vitæ momentum, quod cunctis mortalibus tantùm incutit horrorem, futurum sit ipsi maximo desiderio, maximæ exspectationi, maximo solatio, dum spe plena dicet. *Quandò veniam & apparebo antè faciem Dei?* Quid igitùr affligere ipsam poterit in hâc vitâ, si id, quod alijs maximam afflictionis præbet ansam, tanto ipsam perfundat solatio. Nunquid omnibus hisce positis concludendum est, quod si cor nostrum gustare velit purissimas, copiosissimas, jucundissimas, quarum in terris capax est, delicias, quærere illas oporteat in Amore Dei. Psal. 41.

ARGUMENTUM.

Quid animam stimulare debeat ad Amorem Dei.

1. *Absoluta necessitas præcepti Divini.*
2. *Si præceptum non esset, maxima gloria, quam anima desiderare possit in terrâ.*
3. *Quandò nèc præceptum, nèc gloria hæc esset, nihil ipsi nèc utiliùs nèc delectabiliùs est Amore Dei.*

ARTI-

Articulus III.

RApiebat me in admirationem magnum hujus Hominis silentium, quod hucusque servaverat; Et tantò magis, quod nec indicium viderem, quod abrumpere vellet: Siquidèm totus mente alienatus ac stupore quasi defixus videbatur. Sed tandèm, inquiebam ipsi, an nullum ore tuo verbum valeat extorqueri, quo nobis animi & cordis tui sensa declarentur? Ad hæc quasi ex alto somno evigilans, ejusmodi nos verbis cepit alloqui, è quibus manifestè patebat, cor ipsius à Deo immutatum, ipsique certa aliqua fuisse detecta lumina divina, quibus alliciebatur.

Verum est, stupor me tenes attonitum, tibique in conversatione prosequendâ gravis accido, sed ita stupefactum me reddit, quod dixisti. Veritates hæ cor mihi penetrant, & viam sternunt intellectui, plures alias adhùc cognoscendi, quæ haùd levitèr animum pulsant. Admiror Dei Bonitatem, quâ expressum mihi mandatum dare voluit ad se amandum? tam Magnum quid in amabili hâc lege lego & concipio, ut videatur mihi infinita in suo robore, æterna in suâ duratione, indispensabilis in suâ obligatione. Infinita est in suo robore, cùm innitatur non libertati, sed necessitati, tùm Essentiæ divinæ, tùm essentiæ animæ nostræ. Probè intelligo, quod sicùt impossibilè est, Deum, cum bonitas sit infinita, non esse infinito modo amabilem, sic impossibile quóque sit, animam nostram, cùm acceperit essentiam capacem Deum amandi, ad ipsum amandum obligatam non esse. Hæc obligatio essentialis est ipsi, támque necessaria, ut nèc ipse Deus in hâc dispensare valeat.

Magnitudo præcepti nos obligantis ad Deum amandum.

Poterat is quidèm relinquere ipsam cum infinitis aliis Creatoris in Nihilo, ex quo illas extrahere noluit; potest & nùnc in nihilum, undè extraxit, ipsam relegare. Sed posito, quod dederit ipsi esse intellectivum & capax ad amandum Deum suum, dispensare non potest in hâc obligatione ipsum amandi, cùm hæc ab ipsius essentiâ sit inseparabilis. Nunquàm hùc úsque ponderaveram omnipotentis hujus vinculi, cor nostrum Deo alligantis robur; Sed modò manifestè intueor, & probè intelligo, observantiam magni hujus præcepti esse, quæ constituat felicitatem, pacem ac quietem animæ in hâc vitâ, & constituet aliquandò felicitatem consummatam Sanctorum in æternitate; sicùt econtrà ingens damnatorum esse supplicium, obligationem hanc amandi

Deum, essentiæ & intimis animæ penetralibus, nunquàm non insculptam circumferre, & ipsam in æternùm observare non posse. Sic recordor me olim legisse, quod dæmon ex ore alicujus obsessi Sanctæ Catharinæ Senensi ipsum interroganti: quis esset? Respondens, non meliùs adumbrare & explanare potuerit infeliciſſimum damnationis suæ statum, quàm dicendo: Ego sum infelix ille, privatus in æternùm Amore Dei. Non comprehendimus id, dum vitâ fruimur, hâc perfuncti capiemus in æternitate infinitam vim ac robur magni hujus præcepti ad amandum Deum nos obligantis.

Videbimus tùnc manifestè, amabilem hanc legem non tantùm infinitam esse in suo robore, sed etiam æternam in sui duratione, & indispensabilem in sui obligatione. Nunquid enim verum est, Deum ab æterno, actualitèr amabilem esse, & Creaturas similitèr ab æterno, quas posteâ, dùm placuit, è nihilo extraxit, in ipsius extitisse idæis, amando illum in semetipso & per semetipsum? Eo nimirùm modo, quo tùnc existebant, ipsum quóque amabant. Ex tunc ergò jàm subsistebat hæc lex, séque extendebat ad omnes Creaturas spirituales. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto Corde tuo.* Matth. 22. Hanc ob rem accipies aliquandò esse tam nobile, esse intellectivum & æternum, ut ames Deum tuum.

O Bone Deus, quid mandati invenire potuisses intà totam divinæ sapientiæ tuæ latitudinem, quod suaviùs, quod faciliùs, glorioſiùs mihi fuisset? Quandò per impossibilè imponendum tibi fuisset mandatum uni è tribus Divinis personis, an magis honorificum, ipsâq; magis dignum imponere potuisses, quàm hoc, ut amaret te ex toto corde suo? Quid ergò mi Deus! tanto me honore prosequi videris, quanto prosequeris personam Divinam, dùm omnem à me postulas Cordis mei amorem? Mihi parvo terræ vermiculo, mihi minimo Entis Creati atomo, violentèr è sinu nihili extracto, mihi despectissimo mortis spolio, tantum voluisse exhibere honorem, quasi uni ex tuis intimis, quasi forem tibi æqualis? Quid magis admirer, vèl bonitatis tuæ me eò úsque extollere volentis abundantiam, vèl stupiditatis meæ tantam felicitatem æstimare nescientis exsuperantiam?

Indignitas animæ Deum non amantis.

Si omnes Mundi Monarchæ singillatim mihi legationem decernerent, ad postulandam à me amicitiam meam, suámque mihi reciprocè spondendam mihi fidem faciendo, omnes summo

mo urgeri desiderio, ut suo me prosequantur favore, haùd alitèr corda sua meo subjicientes Dominio, quàm suos ipsi habeant subjectos sibi subditos: quis tantam non admiraretur meam felicitatem? quis huic meæ sorti tam bonæ non inviderer? quod si tantum Negligens honorem, amplecti mallem famuli familiaritatem vilissimi, nonnè dignus forem omnium contemptu, despectu, neglectu? Verùm quid est, omnium hujus mundi Induperatorum amicitia, respectu amicitiæ Dei, nisi arenulæ minutissimæ granum respectu totius universi? Et cùm verum sit, me hucúsque tantâ fuisse cœcitate percussum, ut nequidèm infinitam hanc perspexerim differentiam; Adhæc voluerim prostituere potius cor meum amori Creaturæ, quàm meo id consecrare Creatori: quantis necessè est fuisse me tenebris immersum! Quàm admirandæ sunt miserationes tuæ supèr me! O Deus Bone, aperi mihi oculos, & vel strictim in transcursu videam incomparabilem à te amatæ, téque amantis animæ gloriam! Ipsius aspicio pulchritudinem, & me allicit; Ejus vel levitèr degusto felicitatem, omnibus mundi voluptatibus longè suaviorem, & tam potentèr attrahitur cor meum, ut deincèps alterius esse nolit, nisi tuum.

Sed quarè, mi Deus, nominatim mihi mandas, ut amem te? an mandare necessum erat, ut vellem esse felix? Nonnè sat fuerat hujus dare copiam ac facultatem? Nàm si inhibuisses, fuissem infelix ac miser. Meum erat incessantèr glorioſam hanc efflagitare libertatem, & omnem movere lapidem, ut vi lacrymarum tandèm obtinerem illam. Et quandò dixisses mihi: non obtinebis eam, nisi vivus supèr carbones ardentes fueris adustus cum Sancto Laurentio: vel nisi vivus totus cum Sancto Bartholomæo fueris exutus pelle; vel nisi cum S. Ignatio dilaniatus, & in frusta discerptus fueris à Leonibus; nihil non & faciendum & patiendum mihi fuerat ad favorem hunc obtinendum: Etiam tuoptè dùm nutu hunc mihi offers, abnuerem, nèc acceptare vellem? Non solùm id mihi offers velùt favorem, sed sub gravi mandato jubes ac præcipis; & jussis tuis non parerem? Non solùm autem id mandas ad demonstrandum mihi, te planè & omni modo id velle; sed bonorum infinitorum pollicitatione calcar mihi addis ad te amandum; & mallem potius his privari, quàm te amare? Tandèm, ne-

quid omitteres ad fortiùs me obligandum, timorem mihi incutis, malorum infinitorum, quæ mihi præparata sunt, aspectu, quibus inevitabiliter, & æternùm, nisi te amavero, cruciabor; & mallem potiùs me exponere horrendis æternæ damnationis miseriis, quàm frui beatitudine, & præsenti & futurâ, quâ suavissimè deliniret me Amor tuus, si huic vellem devovere Cor meũ & animam meam?

Dùm omnia hæc mente revolvo, me ipsum interrogo: An igitùr monstro partem me monstro? an sensibus careo? ubi mea est ratio? hoccinè Cor humanum sit, quod meo insidet pectori? Nonnè petrâ magis induruit? Nonne sævum ac ferum magis corde tygridum? tantâ certè indignatione moneor erga ingratum & indignum hoc Cor, ut evellere qvantocyùs id vellem è medio mei, nisi in se redeat, & unicè deincèps se devoveat Amori Dei.

Tanto Spiritûs fervore hæc omnia fuerat effatus, ut omnes nos commoverit, videntes ipsum producentem affectus tam ardentes, quos ex abundantiâ cordis profectos pronum erat judicare. O Amantissime DEUS! O infinita Bonitas! quàm citò rumpis indurati ac obstinati cordis vincula, dùm ostendis illi, quàm sis amabilis, quámque obstrictum sit ipsum ad te amandum! Infelix cor humanum, atomũ boni in creaturâ conspectum adamas, quia bonum est, cui amando es creata: ut quid ergò bonum infinitum non afficit, nèc rapit te, cujus omnem thesaurum cernis in Deo, qui decernit & mandat, ut ipsum ames? Misera voluntas humana agitaris perpetuò, ut bonum quæras, quod amare possis, quódque amando talitèr possideas, ut possessum te satiet, tibi quietem, gaudium ac voluptatem, in quibus tua consistit Beatitudo, abundè afferat: Cur illud inutiliter quæris extrà te, quod intrà ipsam possides? Nonnè Deum tuum possides in corde tuo? Si ipsum amas, ipsum possides; si ipsum possides per amorem, impossibilè est, quin divino, quod tibi Nemo possit tollere, replearis gaudio. An enim ignoras, quid nos doceat Scholarum Angelus, gaudium nimirùm spirituale, non esse virtutem distinctam â Charitate, sed esse actum, effectum vel conditionem Charitatis ipsius? *Gaudium*, inquit, *Non est virtus à Charitate distincta, sed est quidam Charitatis Actus, sive Effectus.* D. Thom. 2. 2. q. 28. a. 4.

Nunquid igitur aliud tibi remedium non superest, ut gaudio ac verâ voluptate, quæ tuam constituant felicitatem, replea- Qui perdit amorem Dei, perdit omnem suam voluptatem.

replearis, nisi amando Deum tuum, cujus amorem, si perdis, necessè est te perdere voluptatem tuam, gaudium tuum, Beatitudinem tuam, & repleri miseriâ àbs feriâ. Quære, ubicúnque volueris, in omnem te partem verte, non invenies nisi fastidium, displicentiam & inquietudinem, quià non eris in centro tuo, quoàd modum in veneris quiescendi in possessione Dei, ubi amor ipsius te vero gaudio, & solidâ perfundet voluptate. Quomodò ergò cohibere nos possemus, ne amemus Deum ex toto corde nostro? quomodò resistere tot ac tantis, támque efficacibus in unum coacervatis obligationibus, quarum unica sufficeret abundè, ùt quâdam necessitatis specie ad partes nostras tuendas nos adigeret, nisi spontè has amplecti vellemus.

Quatuor efficacia motiva nos obligantia ad amandum Deum.

1. Voluntas nostra facta est ad amandum, sicùt oculi nostri formati sunt ad videndum. Inclinatio ipsius naturalis determinata est, ut amare nunquàm possit, nisi bonum. Imò non potest, nisi inferendo sibi violentiam, se continere, quin magis amet, quod majus bonum sibi videtur: Et Doctores affirmant, ipsam amplius non esse liberam, sed necessitate quâdam constrictam ad amandum summum bonum, cùm hoc bonum sit omni ex parte bonum, in quo nullam omninò mali speciem advertat. Ecce ergò animam, juxtà opinionem illorum necessitate quâdam compulsam ad amandum Deum: quâ igitur ratione ab eo se poterit continere? Nonnè videtur, hanc solam obligationem cumulatè sufficere? sed abstrahamus ab hâc & supponamus non esse.

2. Quid dicis ad magnum hoc præceptum legis divinæ: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto Corde tuo.* Matt. 22. Ubi duas æternitates connexas esse adverte: unam bonorum infinitorum, velùt mercedem illorum, qui divino huic mandato obtemperaverint; alteram malorum infinitorum velùt supplicium illorum, qui obsequi præcepto noluerint? Àh! Nonne indies laboriosissima quæque molimur, vèl ex desiderio obtinendi bonum, vel ex metu tolerandi malum? quomodò ergò possibile sit, nèc timorem tolerandi mala æterna, tot ac tanta mala absque fine, nobis omninò inevitabilia, nèc desiderium possidendi bona infinita, quæ certissimè nostra erunt, obstringere nos posse ad rem tam facilem, qualis est amare Deum? hæc obligatio sola grandium duarum æternitatum aspectu nos urgens, nonnè lucrari corda nostra posset? Sed tollamus & hanc, sicùt priorem, & suppo-

ſupponamus, in nobis non eſſe, nèc inclinationem, nèc obligationem amandi Deum.

3. Nonnè abundè fuerit, ſcire, Deum infinito modo amabilem eſſe in ſe ipſo? Extollamus nos ſuprà mundum, elevemus cogitationes noſtras úsque ad amœnum, deliciis plenum cœleſtis Jeroſolymæ habitaculum, ubi Deus adorandam faciei ſuæ pulchritudinem præfulgidam infinitarum ſuarum perfectionum Majeſtatem, Innumerabilium tùm Angelorum, tùm Beatorum oculis exhibet conſpiciendam; Et videbimus; impoſſibilè illis eſſe, nòn amare ipſum ex totis viribus ſuis; impoſſibilè amare tantùm, quantùm eſt amabilis; impoſſibilè vèl unico momento ab amando deſiſtere pêr omnem æternitatem. Videbimus Deum ipſum, ad conſpectum inæſtimabilium ſuarum perfectionum, felici quâdam neceſſitate obſtrictum eſſe, ad ſe ipſum amandum amore infinito; guſtare inſupèr in hoc amore pacem, dulcorem ac voluptatem infinitam. Et cùm verum ſit, nobis permiſſum eſſe, & non duntaxàt permiſſum, ſed etiàm præceptum, ut Comites nos adjungamus omnibus Angelis ac Beatis, quin & ipſi Deo, ad amandum unà cum illis pulchritudinem hanc infinito modo amabilem, adeóque eisdem, quæ inſeparabiles ab ipsâ ſunt, fruendum deliciis: an poſſibilè ſit, idipſum nos non velle! Ah! Volemus id per omnem æternitatem, & hæc dulciſima eſt ſpes noſtra: Cùr igitùr nolemus in hâc vitâ? nonnè unica hæc obligatio, benè à nobis conſiderata, plusquàm ſufficiens foret: Sed tollamus & hanc, & illam, quæ ſequitur, probè ponderemus.

4. Quis amare non nôſſet, dùm amari ſe novit? non amare non poſſumus nos amantem, etiamsi inferior tantùm ſit, aùt nobis æqualis. Quòd ſi amore intimo præveniret nos Magnatum aliquis vel Monarcha, amore hoc non moveri, prætèr morem foret & inauditum: geſtientis hic cordis eſt Jubilus, nullo mœrens nubilo; gaudiorum eſt mare, amaroris nil habens, ſed dulcore abſorbens animum: Sed Deus nonnè omnium Monarcharum eſt maximus? Et is tàm ingenti te prævenit amore, ut jàm ab æterno de te cogitans ultroneè prorsùs & ex ſolo bonitatis ſuæ impulſu conferre tibi decreverit bona inæſtimabilia, quæ conferendi omnem alterius excedebant facultatem. Nihil eras, & nihil merebaris, & ipſe te fecit, quod es, nempè creaturam ipſum poſſidendi æternalitèr capacem. Cecideras in conditionem ipſo nihilo longe mi-

gè miſerabiliorem, ſciliêt in peccatum, quod æternis te malis addicebat, & ſuo dignum reddebat odio; Et amor ipſius ergà te tàm magnus fuit, ut operâ deditâ deſcenderit de Cœlis, ad inviſendum te in carcere tuo, tuas diſrupturus catenas, tuas ſubiturus vices, & toleraturus ſupplicia ac mortem, quibus tu eras obnoxius.

Quod ſi dubites adhuc de amore ipſius tàm eximio támque generoſo, etiàm antequàm de ipſo cogitare poſſes, interroga ſacratiſſimas ipſius plagas, ſciscitare è ſævis paſſionis ipſius tormentis, percontare ex aperto ipſius latere, & lanceâ transfixo corde, & audies vocem incomparabilis amoris ipſius tibi dicentem: *Vulnera hæc loquuntur prò me, quia diligo te.* Omnia mea vulnera quaſi aperta ſunt ora, loquentia tibi de dilectione meâ & atteſtantia, quod amem te plùs quàm propriam vitam meam: ſiquidèm veritas æterna eſt, & dogma fidei, me omnia hæc pro te nominatìm, támque verè tolerâſſe, ac ſi ſolus extitiſſes in mundo.

Annumera his bona, quibus te indies locupletat, quæ continua ſunt innnumerabilia. Supèr omnia ſtatue tibi ob oculos bona, quæ tibi præparat, infinita, quibus æternùm te ſtatuit præmiare; quæ omnia tam palpabilia ſunt atque manifeſta, ut nullam prorsùs dubitationem admittant. Nunquìd hæc ſufficiant ad convincedum te, tibíq; efficaciter perſuadendum, quod maximo te Deus præveniat amore? quod ſi infiniti amoris ſui dare experimentum debuiſſet divino ac cœleſti Patri ſuo, an quid ampliùs facere potuiſſet, quàm quod fecit ex amore ergà te? ſi omnibus his ſtantibus adhuc dubites, an te amet, â quo igitur te credes amari? An unquàm mundus amicum aluit, qui ſimile quid prò intimo ſuo molitus ſit amico?

Si igitùr credideris, Monarcham tam inſignem, oculorum in te aciem intendere, qui nihil es, niſi parvum nihil, ipſúmq; tàm ardenti, támque tenero te prævenire amore, quomodo poteris non amare illum, qui tantùm te amat? quo pacto tàm abjectam habes animam, quæ aſpirare te non ſinat ad eum honoris apicem, ut intimæ amicitiæ vinculo te jungas amico tam nobili, qui ſuo te prævenit amore, téque ſolicitat, ut reciprocè ipſum ames? An cor tibi eſt? An quidquàm amandi gaudes facultate? hæc certè ſola conſideratio accendere deberet omnium hominum corda divini Amoris incendio.

Verùm ſi ita eſt, unam tantummodò è quatuor his obliga-

tionibus cumulatè sufficere ad lucrandum cor mundi prorsus insensibilis, ipsumque obstringendum, ut amet & diligat Deum suum; quid erit, si omnes simùl jungantur? Nè speravenis, voluntatem tuam unquàm alibi inventuram, vèl requiem vèl pacem, vèl voluptatem solidam: Sed gusta & proprio cognosce Experimento, quàm suavis sit Dominus; & fateberis summas voluntatis delicias esse, amare Deum suum.

Consultatio III.

Dulcissima Memoriæ Consolatio est Dei Recordatio.

TEnebam in manibus Confessiones Sancti *Augustini*, ubi legebam prœlia, quibus gratia oppugnat Cor illius, dum conversionem meditabatur, & resistentiam adeò pervicacem, quâ ipse gratiæ refragatur; & admirabar, quod non nemo inveniri potuerit in mundo, qui sibi habuerit persuasum, magnum hunc Doctorem fuisse opinionis, quòd in statu naturæ per peccatum debilitatæ, uti nunc est, nunquàm resisti possit, internis gratiæ motibus: Nàm quo pacto hujus esse potuit opinionis, quæ tàm manifestè proprio suo adversabatur Experimentò. An recipi possent magis interni gratiæ motus, quàm fuerint illi, quibus non solùm tangebatur, sed tàm efficacitèr urgebatur cor ipsius, ut obtemperaret Deo? Et nihil ominùs, quòt & quantas fecit ipse resistentias omnibus hiscè pijs motibus? quantis intendit conatibus, ut tenderet contrà tam amabiles hoscè Dei assultus, donèc voluntatis suæ præberet assensum, & tandèm firma iniret consilia ad se convertendum.

S. Augustinus expertus est, resisti posse gratiæ internæ.

Dùm hiscè defixus hærebam cogitationibus, venit visitatum me Zosimus, quocùm priorem consultationem institueram, explanans felicitatem voluntatis unicè Deo per amorem adhærentis, totus adhùc refertus bonis, quos conceperat, affectibus. Et quoniàm Cœlestium bonorum proprietas est, ut, quantò gustantur amplius, tantò desiderentur ardentiùs, sanctâ quâdam impulsus aviditate addiscendi quidpiàm de Deo, quem haùd leviter degustare incipiebat,

bat, & credens librum, quem terebam manibus, esse posse librum devotionis, illum quantocyùs è manibus mihi ereptum curiositate urgente aperuit, & invenit libri decimi Caput octavum, cui præfixus erat titulus: *Memoriæ Vis.*

Legens hæc prima verba, repetiit illa binis vel trinis vicibus, velùt homo ex aspectu alicujus rei novæ perculsus admiratione, méque interrogavit, quæ vis, quæ virtus esse potest memoriæ, cùm anima nostra nòn habeat nisi duas facultates actuosas, intellectum nempè & voluntatem, duo velùt brachia, quibus agit, & operatur, tùm ad verum cognoscendum, tùm ad bonum adamandum? Et ideò nuncupantur potentiæ, sive facultates animæ: Sed memoria quid agit, nisi quòd conservet ac custodiat rerum species, quas ipsi intellectus ac voluntas consignârunt, quasque sibi velùt Characteres libro retinet impressas?

Memoria est ratione quâdam, magis stupenda facultas animæ.

An igitur ignoras, inquiebam ipsi, intèr omnia opera Dei, in ordine naturæ ab ipso producta, nil majùs, nil admirabiliùs esse memoriâ? Cujus vis ac robur, si cognoscerètur, procùl dubio continuam cieret admirationem, hócque unicum abundè sufficeret ad demonstrandam magis incredulis existentiam Omnipotentis Dei, qui tàm insigne potuit opus fabricari. Fecit is hominem in magno hoc mundo, velùt mundum parvum, magis tamèn admirandum in suâ Epitome, quàm magnus sit mundus in totâ suâ amplitudine. Verùm hominem locupletavit memoriâ, velùt altero mundo magno, quem incluśit, & in hoc parvo mundo abscondit. Qui videret omnia, quæ homo custodit, & in capite suo mediante memoriâ circumfert, videret varietatem tàm ingentem, thesaurum tàm divitem, amplitudinem tàm vastam, profunditatem tàm impenetrabilem, ut videretur abyssus infinitum quiddam in se complectens; Et vix quidpiàm tàm incomprehensibile reperire erit inter omnes Creaturas, quas Omnipotens Dei manus produxit. Intremus paulispèr amplissimos hos memoriæ campos, & videbimus talia, quæ nos demulceant, ansámque suggerant suscipiendi & extollendi Excellentias Dei.

ARGUMENTUM.

1. Omnes Creaturæ incolunt *memoriam, abs eo, quod se invicèm premant aùt confundant.*
2. *Inventa sunt in nonnullis hominibus miranda memoriæ prodigia.*
3. *Memoria hominis plura includit, quàm Deus fecerit.*

ARTICULUS I.

Maxima amplitudo memoriæ.

TAm vasta est ipsius amplitudo, ut indiscriminatim, quidquid sibi offertur, recipere possit, abs eo, quòd unquàm ita repleatur, quin plura sempèr valeat recipere. Reperire hìc est imagines omnium rerum, quæ pèr sensus transire poterant. Sed mirùm est, quod harum cuilibet tam scitè & tanto cum ordine suum noverit assignare locum, quasi tòt diversa haberet conclavia, quòt diversæ naturæ ad se accedunt hospites: Unum pro diversorio ad recipiendum id, quod venit ad se per oculos, veluti sunt colores & lux; alterum ad collocandum ibi, quòd accedit pèr aures, uti sunt sonus, vox & verba; aliud ad abscondendum ibi, quod transit pèr odoratum, qualia sunt suffimenta & omnes odores. Aliud ad complexandum ibi, quod intrat pèr gustum, uti sunt tòt diversi ac varii sapores; & aliud denìq; ad asservandum ibi, quod introducitur pèr tactum, uti sunt calor, frigus, & omnes qualitates corporis palpabiles. Omnia hæc quocúnque tandèm multiplicata numero, inveniunt hìc locum suum singula, ibíque pèropportunè commorantur, absque eo, quòd se invicèm premant, aut hæ cùm illis confundantur.

Magis incompatibilia extant pacificè in memoriâ.

Siquidèm non miscetur hìc album cum nigro, nec confunditur cœruleum cum croceo. Videre hìc est colores abs lumine, lumen cernere in noctis caligine, imò tenebras ipsas cum lumine simul habitantes, àbs eo, quòd se invicem expellant. Omnia hæc, necessè est, meam incolere memoriam, eò quòd ipsorum recorder; incolere autèm absque sui commixtione, cùm illa valdè clarè, & distinctè intuear. Audio hìc, si volo, excellentem musicæ symphoniæ altùm silentis concentum, audio quóque, si libet, eximium facundi Oratoris nìl effantis discursum. Et licèt in memoriâ meâ infinitæ aliæ commorentur voces, alii sonitûs, alii discursûs, tacent tamèn omnes, ut liberè, quod libuerit, audire me sinant. Quod si ultrà audire detrectem, tacebit;

tacebit ; & alius, quem voluero, sermonis talem ordietur. Et hic ipse mihi totum aliquem referet discursum, eadem adducet verba, eodem vocis sono, eodémque accentu, quo aliàs eundem ad meas detulerat aures. Et postquàm is ipse cum toto suo discursu, per hanc sensuum meorum portam, meam intravit memoriam, invenio quòd ibi conservetur àbs intricamento cum quovis alio. Si recitare incipiam *Pater Noster*, omnia verba continuâ se mihi præsentabunt serie, àbs eo quòd se confundant cum illis, quæ *Credo* complectitur. Si ordiar discursum in idiomate latino, quem memoriæ mandatum habuero, omnia alia conticescent idiomata, àbs eo, quod vel unicum verbum Gallicum aut Italicum se misceat cùm illo, quamvis omnia eodem utantur hospitio. Mi DEUS ! quo pacto hæc esse possunt ? Et quis es tu O Magne Architecte, qui tàm admirabiles novisti in memoriâ hominis collocare nervos ac machinas, quarum auxilio infinitus ille specierum numerus tàm distinctè asservatur ibidèm, ut nunquàm non expeditæ sint, vel ad sistendum, vel ad celandum se, juxta quod voluntatis acceperint mandatum.

Gustare hìc licet saporem escarum, piscium, fructuum, ilni, àbs eo, quòd frangatur jejunium. Et si gustare voluero fructum, alii sapores eodem sub habitaculo, haud erunt obstaculo. Bonus rosarum odor non confunditur cùm illo caryophyllorum aùt jasminorum. Denique infinita hæc multitudo specierum ac imaginum rerum illarum, quæ ingressæ sunt per sensum aliquem in animam, ità hìc commoratur, ut illarum quælibèt proprium suum teneat locum, nèc priùs se coràm exhibeat, donèc advocetur. Immensus ac inexhaustus hic memoriæ thesaurus est, cujus divitias minutìm recensendas, nullus adhùc hominum ullo potuit numero adæquare.

Omnia habentur, & omnia fiant per memoriam.

Quandò rimari, perscrutari, & inquirere placet in hoc thesauro, quantocyùs non nunquam occurrit, quod quæro; aliâ vice, unde desumam, nescio, rimor incassum, in omnem partem verto, iterúmque verto, & dicere nescio, in quo secreto occulatur angulo. Novi tamen, in meâ id esse memoriâ, méque aliàs id vidisse ; sed modò evanuit, & in aliud vasti illius chaos concessit penetrale, abs eo, quòd penetrare valeam, ubi sit. Quandóque, & in transcursu quasi videtur, unico se monstrat momento, & abs eo, quod dignosci valeat, quantocyùs iterùm

Non semper facilè invenitur quod in memoriâ habetur.

rùm dísparet. Et accidit nonnunquam oblivionem, velut capitalem memoriæ hoſtem, hanc expilare, ipsíque certa quædam ſuffurari, è quibus ſuperſtes nil in memoriâ maneat, niſi aliqua reminiſcentia, aliquando hæc ibi fuiſſe, illorúmque recordationem ſubiiſſe animum, quam jacturam mememoria accepit, absque eo, quòd perciperet.

Admirabilis memoriæ theſaurus.

Interdum turmatim & effusè ſeſe res exhibent, abs eo, quòd illis ſit opus, támque affatim ſe nobis præſentant, quaſi affari nos vellent: An quæritis nos? Ecce adſumus: Et protinus miſſas facimus: Non, non eſtis vos, quod quærimus, volumus quid aliud. Quæro illud & ab omni alio ſecerno, non ceſſo, donèc cernam & inveniam; ſed quo pacto id fieri poſſit, neſcio: neceſsè enim eſt, me illius reminiſci, cùm ſciam, quòd aliud quid ſit, diſtinctum ab omni eo, quod mihi ſe coram exhibet: Et tamen neceſſe quóque eſt, me illius non reminiſci, cùm memoriæ meæ non occurrat, & in illo indagando labore ſit opus. Quàm mirabilis theſaurus eſt ille memoriæ? tam eſt abundans, ut ipſe poſſeſſor numerando non ſit ſigillatim ipſius divitias: tenet is clavem & intrat, quando libuerit, & quandóque offendit ibi, quod ibi ſe habere non cenſebat. Theſaurum hunc circumfert ubíque, abs eo, quòd ipſo vel minimùm gravetur, vel quid poſſideat, ab ullo advertatur, & abs ullo timore, ne rapiatur à prædone, niſi raptorem hunc agat oblivio. Hæc igitur ſola timore percellit, quam ſi repellere poſſemus, noſtræ nimiùm excellerent divitiæ: Si quidem dum nunquam non acquireremus quid novi, & ex novitèr acquiſitis nihil unquam perderemus, eòúsque memoriæ noſtræ excreſcerent facultates, ut omnem numerandi tranſcenderent facultatem.

Memoria eſt abyſſus prodigiorum, quibus abſorbemur.

Videbam Zoſimum diſcurſui huic tam avidas præbere aures, ac ſi omnia hæc illi nova forent, & nunquam illis intendiſſet animum. Verum eſt, inquiebat mihi, me nunquam tam feriò tanta ponderâſſe prodigia. Admirabilis eſt Deus in cunctis operibus ſuis: ſed fateor, tam prodigioſum, neſcio quid, in ſolâ Capitis humani contineri fabricâ, ut, quantò magis rimari conamur, tantò magis nos involvat & abſorbeat. Quomodò poſſibile eſt, Caput hoc, quod non niſi tenuis eſt globus, tenere & capere in ſe, immenſos omnes cœlorum globos, elementa omnia, & infinitam Creaturarum omnium toto orbe diffuſarum multitudinem? modò ſemel duntaxat viſitationem illi impendant,

pendant, & ad portam sensûs alicujus se exhibeant, habet, ubi omnes opportunè recipiat, illásque abs libertatis exspoliatione teneat captivas.

An memoria ænea sit vel cerea.

Sed in quâ Capitis parte residet hæc memoria? Ex quâ fabrefacta est materiâ? Nonne videtur tibi è Chalybetusa, vel ære fusa, ubi, quod semel fuerit insculptum, tam legibile semper perdurat, ut reperire sit, qui nunquam tradant oblivioni, quod semel memoriæ tradiderunt. Sed diceret fors alius, ipsam totam esse ceream, utpote tam mollem, cui quidvis absque scalpello possit in momento insculpi, consideratâ promptitudine summâ, quâ nonnulli unico & primo statim ductu, quidquid voluerunt, memoriæ insculpserunt. Nil magis obstupescendum eo, quòd annotavit Plinius de portentosâ memoriâ Carmidæ. Evolvebat is legendo volumen magnum, & legebat illud cursim, imò celeriter, abs remissione, & ullâ desuper reflexione factâ; & evolutum recitabat id totum integrum, absque ullius omissione verbi; Et quidem tam distinctè legebat illud è memoriâ, quasi è suo legeret volumine. Quàm prodigiosa memoriæ hujus promptitudo, quâ tot ac tanta, támque citò ex unicâ tantùm cursim factâ lectione, sibi potuit imprimere! sed quàm stupenda memoriæ hujus firmitas, quâ nec minimum sibi verbum dilabi, & excidere patiebatur!

Lib 7. c. 24.

Prodigiosa aliquorum memoriæ.

Nôrunt omnes & admirantur, quòd Historiographi observârunt circa incredibilem ingenij magnitudinem Julii Cæsaris, & admirandam fœcunditatem memoriæ ipsius. Asserunt, ipsum nil unquam nisi acceptas injurias oblivione tumulâsse; sed gloriosa hæc oblivio, tam digna Principis Clementiâ, immortalitati ipsum & æternæ hominum recordationi transcripsit: de cœtero memoriæ fuit adeò tenacis, ut nunquam ex hâc dimiserit, quod semel eidem consignavit. Sæpè numerò visus est eodem prorsus tempore bisgeminis qui sibi à secretis erant, diversas maximi momenti dictare Epistolas, dum is interim exarandâ quintâ fuerit occupatus.

Lib. 3. var. lectionum.

Non minus stuporis ciet, quòd refert Antonius Muretus, vidisse se Paduæ Juvenem natione Corsicum, legum studio vacantem, qui tam felici pollebat memoriâ, ut secundùm ordinem, eâdem serie & absque ullâ transpositione repeteret tria millia Nominum, sibi ab alio dictorum, quamvis omni carerent cohærentiâ, & diversorum quoque idiomatum. Fatebatur quidem, se arte quâdam admirabilem hanc memoriæ suæ dexteritatem

tem

tem facilitante instructum. Verùm quis abnuet, ipsum præter artem memoria viguisse prodigio non absimili?

Seneca de tantâ memoriæ capacitate se se jactabat, ut dicentibus sibi discipulis suis bis millenis, totidèm versus, singulatim unoquóque suum dicente circa diversas materias, eosdem statim memoriâ redderet, non tantùm eâdem serie, quâ dixerant, sed modo prorsus retrogrado & inverso, incipiendo nimirum ab ultimo verbo versûs ultimi, úsque ad primum verbum versûs primi. Quis est qui eos hâc ratione competenter & abs offendiculo legere posset, etiamsi ob oculos, & chartæ inscriptos haberet? Abs numero ejusmodi exempla referunt Auctores tam stupenda, ut prodigia naturæ meritò debeant æstimari. Verùm si hæc memoriæ portenta in unicâ tantùm re tantùm admirationis peperêre, quid foret, si cui videre liceret reliquas immensas, quas includunt, opes, tot scientias, tot artes, tot arcana naturæ, quis præ stupore non extra se raperetur?

Elevatio animi ad Deum, qui tam pulchrum memoriæ opus confecit,

Quis es, O Creator omnipotens, qui tam ingentem thesaurum tam parvo inclusisti capiti, quo lineâ diametrali vix semi constat pede, abs eo, quòd constet, vel constare nobis possit, quâ ratione hæc omnia absque commixtione sui illic possint habitare, & absque eo, quòd illud ita occupent, quin maneat locus superstes, multò plura adhuc abs intermissione recipiendi. O quanta sapientiæ tuæ altitudo? O Adoranda omnium Entium radix & origo? Id quod ex operum tuorum pulchritudine nobis patet, magnum reverà est, sed nihil fermè respectu eorum, quæ nos latent, nostrámque effugiunt scientiam. Nam si sola hominis memoria portentorum, quibus absorbemur, est Abyssus, quid est hæc sola facultas respectu omnium aliarum, quibus ipsum ditâsti, nempè intellectu, voluntate, imaginatione, oculis, qui juxta intuitum non nisi punctum adæquant; Et tamen in parvo speculo hoc naturali omnia totius universi visibilia sese exhibent ac præsentant absque eo, quòd se invicem premant & commisceantur. Et si unicus homo tantum est prodigium, quid est homo, si in comparationem veniat, cum reliquis tuis tam speciosis operibus, è quibus nec unicum est, quòd careat proprietatibus ac virtutibus suis, nobis incomprehensibilibus?

Sed te quis comprehendat, O Majestas infinita! Et quis effari nobis poterit ineffabilia Excellentiarum tuarum, quibus abundas,

das, prodigia, si tenuis tantummodò perfectionum tuarum in Creaturas tuas effusarum umbra tanto nos stupore percellit? O si cognoscere te possemus, an vel unico momento foret possibile te non admirari, non adorare, non adamare? Mi Deus Ah! agnoscam te, ut amem te: indulge intellectui meo parvum solummodò Divini luminis tui radium, qui vel leviter videre te faciat, & rapies cor meum, ut nil aliud deinceps ipsi licitum sit agere, nisi te contemplari, te amare.

Remansit ad hæc verba velut attonitus, & sublimi cogitatione in Deum defixus, quem in hoc ut magis confirmarem, inquiebam ipsi: Omnibus his memoratis, minimam adhuc prodigiorum, quæ memoria complectitur, partem hucúsque memoravimus: siquidem non solùm sinu suo constringit omnia exteriora, quæ per sensus ad ipsam ingrediuntur, seque ab omni eo, quod materiale est, exspoliant, & spiritum quodammodò induunt, in invisibilibus suis speciebus, quæ sunt certæ quædam subtiles & imperceptibiles, quas in seipsis absque colore, penicillo, vel telâ, depingunt imagines, quásque abs omni motu transmittunt ad sensus nostros, ut per hos caput ingressæ imperceptibiliter subeant & intrent memoriam. Verùm etiam intra se recipit infinitas res alias, quæ per sensus non ingrediuntur, ita ut dici vix possit, quâ ratione illuc irrepserint, uti sunt res purè spirituales.

Invenitur in memoriâ, quod nunquam illuc intravit.

Memini enim Angelorum, memini animæ meæ, memini mei intellectûs & discursuum ab ipso factorum, memini meæ voluntatis & affectuum, vel bonorum vel malorum, quos conceperit; invenio memetipsum in memetipso, & video memoriam meam in memoriâ meâ. Per quid & unde intravit ipsa in semetipsam? Necesse est enim illam ibi esse, cùm illius meminerim: recordor etiam tot aliarum rerum, quæ nunquam fuerunt, vel nunquam erunt. Quis dicere poterit, quâ viâ hæc omnia ingressa sint memoriam?

Usitatus est error, memoriam tantùm esse rerum præteritarum: Recordor præsentium, cùm illas sciam, nec illarum obliviscar: Recordor futurarum, cùm memoriâ teneam, mihi aliquando moriendum fore. Recordor quóque illarum, quæ nec præsentes, nec præteritæ, néque etiam futuræ sunt, cùm recorder alterius mundi, alicujus montis aurei, & infinitarum rerum aliarum, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt. Dicendum omninò est, hæc omnia

nia esse in memoriâ, cùm illorum recordemur, & de illis loquamur; si namque in memoriâ non essent, ne quidem de illis cogitare possemus. Sed indicare quis poterit, quâ ratione hæc omnia intraverint memoriam? Et quis illa capiti nostro potuit inserere, cùm nec Deus illa inseruerit numero rerum creatarum? Est nè fortassis in memoriâ nostrâ fundus aliquis inexhaustus, undè ipsamèt extrahit, quod aliunde haurire non posset, imitando ratione quâdam omnipotentiam creatoris, qui solo actu voluntatis suæ trahit è nihilo, quidquid placuerit? Trahit ipsa plura è fundo suo, quàm traxerit Deus è sinu nihili.

Memoria imitatur omnipotentiam Creatoris sui.

Memoria quandóq; nobis producit, quod nunquam scivimus.

Res stupenda, videre, quid occulta hæc & incognita memoriæ potentia quandóque nobis producat, eò úsque, ut in certis quibusdam contingentiis reminiscamur rerum, quas nunquam omninò scivimus, ipsíque admiremur, quomodò incidat illicò, cujus nulla unquam animum incesserat cogitatio. Unde hoc oritur? An memoria è proprio illas propellit fundo, sicut quandóque producit terra novas plantas, novas herbas, novæ & hactenus nunquam & nusquam visæ pulchritudinis flores? An Angeli, an Deus ipse has animo immisit cogitationes ad inserendam nobis sui ipsius memoriam? Ipse námque præcipuum & continuum deberet esse memoriæ nostræ objectum. Si dotavit nos intellectu, ut ipsum agnoscamus; si voluntate, ut ipsum amemus, dotavit quóq; nos memoriâ, ut ipsius recordemur.

ARGUMENTUM.

Deploranda est continua Dei oblivio, in quâ vivimus.

Causæ hujus oblivionis sunt;

1. *Parva fides.*
2. *Exiguus Amor Dei.*
3. *Mala consuetudo ab incunabulis contracta.*

Articulus II.

Deus solus videtur memoriâ nostrâ exulare.

Diù exspectaveram, ajebat mihi vir meus, dicentem me interpellans, quò ad post inventa tot ac tanta memoriæ portenta, tandem & faceres me hic invenire Deum. An tanta rerum, quæ sunt, copia, hìc suum inveniant locum, & solicitè asserventur; Et Deus solus, *Magnum illud omne*, *supremum* entium, *Ens* infinitum inde exulet, inde expellatur? An causa est, quòd ipse sit immensus, ac memo-

memoria noſtra anguſta nimis ad ipſum capiendum? An forſan cauſa ſit, quòd infinitis aliis occupatur & repleatur rebus, ut nullum Deo locum relinquant vacuum? Ah! Enarrando mihi portenta memoriæ, poſuiſti mihi ob oculos memoriæ noſtræ miſerias, quæ dum omnium aliarum rerum recordatione felicitatur, ſolius Dei ſui oblivione fit miſera! Ah! Cui bono ipſi cœtera omnia, quorum reminiſcitur, dum obliviſcitur ſummum bonum; Nonne id ſolum & ſemper oculis mentis deberet obſervari? Et quod damnum enaſci poſſet ipſi, ſi cœterorum omnium oblita, ſolius recordaretur Dei?

Mille cogitationes vanæ nobis tollunt memoriam Dei.

Ingentem capite circumferimus cogitationum acervum, quæ ſeſe conglomerant, urgent, ac ſæpius ſe invicem obruunt, haud abſimiles fluctibus maris, dum ventis agitatur. Haud intermiſſa inquietudo eſt, quam infinitarum rerum ſpecies noſtræ ingenerant memoriæ. Et cui hæc omnia commodo, niſi ut mille modis incommodent, & torqueant animum noſtrum? dum precari decernimus Deum, cogitationum centuriæ jam occupant mentem, ut animæ convellant pacem, illámque â cogitationibus de Deo avellant. Dum nocturnæ nos componimus quieti, fortuitus plurium diverſarum ſpecierum occurſus componit nobis phantasmata, Chimeras, monſtra, nobísque inepta, abſurda, noſtrámque quietem interturbantia conciliat ſomnia. Dum ſtudijs vel alicui rei ſeriæ volumus vacare, infinitæ rerum aliarum ſpecies, quibus occupatur memoria, ſunt obſtaculo, nósque â noſtrâ retrahunt ſententiâ?

Sed peſſimè de nobis noſtra meretur memoria, dum totâ innumerabilium ac diverſarum imaginum ſuppellectile intra ſe conclusâ nos obruit, & eò deducit, ut in continuâ vivamus oblivione Dei, res nobis infinitas ſuppeditans, quæ eò úsq; noſtrum occupent animum, ut de Deo cogitandi nullum relinquant otium. Et funeſta hæc Dei oblivio radix & fons eſt omnium miſeriarum. Certum námq; eſt, nos quaſi nullam commiſſuros noxam, nec millenis obruendos amaroribus & anguſtiis, niſi actualem dimittamus Dei recordationem ac memoriam. Quid hîc Conſilij?

Medium expediendi ſe oblivione Dei.

Qui munire ſe vellet contra moleſtam hanc perſecutionem, imitari deberet zelum tot bonarum animarum, quæ vero ſe Deo devovendi deſiderio impulſæ, & proprio adactæ experimento, magnum átque ingens obſtaculum, quod ſentiebant in tantâ multitudine diverſarum

Cogitationum, quibus obruebantur in commercio cum sæculo, agnoscentes, valedixerunt tum mundo tum præsentiæ Creaturarum, ut sese abderent in vastas solitudines, ad invigilandum ibi universali oblivioni omnium cœterorum, & conservandam solius Dei recordationem ac memoriam. Sed quoniam hoc ævo paucos reperire est, quibus sit vel animus vel facultas illas imitandi, ad amussim observandæ forent fundamentales regulæ, quas vitæ spiritualis Magistri ordinant omnibus in cognitione & amore Dei proficere volentibus: quæ nimirum sunt; ut omnes suos refrænent sensus, claudant oculos, obturent aures, privent gustum, odoratum & omnes sensûs rebus non absolutè necessarijs, ne fortè mors ascendat per fenestras, hoc est, ne plurimæ rerum externarum species & imagines sese insinuent in animum, ibique deleant & morti tradant memoriam Dei. O quàm felix & lucrosa est jactura, quando anima suam exspoliat memoriam rerum tot vanarum ac inutilium recordatione, ut solam, quantum licuerit, ibi conservet reminiscentiam Dei?

Quàm pretiosa sit recordatio Dei.

Quin imò ante ferrem unicam actualem Dei reminiscentiam, quartâ duntaxat durantem horæ parte, recordationi omnium eorum, quæ in mundo sunt, etiam per totum vitæ curriculum protractæ. Quid enim facio, dum me occupo recordatione creaturum? non aliud, nisi quod me occupem meris phantasmatibus ac imaginationibus: Non enim sunt creaturæ secundùm esse suum naturale, quas in nostrâ circumferimus memoriâ, sunt tantummodò ipsarum imagines. Et si Creaturæ nihil sunt respectu Dei, species sive imagines, quibus repræsentantur, adhùc minùs erunt, adeóq; minùs ipso nihilo. Ecce egregiam animæ occupationem, dum distinetur reminiscentia Creaturarum. Sed quando recordatio Dei subit mentem, ipsissimum illum præsentem habeo in animâ meâ, illum ipsum in personâ, secundùm essentiam suam ac propriam personam; implet is ipse animum meum, aspicio ipsum oculis fidei, tango ipsum immediatè, & ipse immediatè meam tangit animam, de Spiritu ad Spiritum, de substantiâ ad substantiam, loquor ipsi, & mihi respondet; degusto suavitatem divinæ ipsius præsentiæ, nec habere possum occupationem magis divinam, magis sublimem, magis consolatoriam, quàm amabilem hanc Dei reminiscentiam. Tu crederes maximam feciſſe jacturam, si Deus te subito exueret memoriâ omnium eorum, quæ unquam sciveras;

veras; Sed jactura, quam facio, dum culpâ meâ me privopretiosâ Dei reminiscentiâ, abs comparatione longè major est, cùm nulla comparatio sit inter actualem Dei fruitionem, & aspectum imaginum Creaturarum omnium totius mundi.

Verumtamen quis est, qui noverit æstimare valorem reminiscentiæ Dei, aut qui ponderet damnum, quod sibi conciliat continua ejusdem oblivio? Nonne tibi videtur, nil minoris esse pretii in communi hominum æstimatione? An pendunt pluris reminisci, quàm oblivisci Deum? Quantumvis nostra hæc Dei oblivio usque adeò ipsum offendat, ipsique displiceat, ut æquissimam hanc querimoniam ex ipsius expresseritore per os cujusdam Vatis sui: *Populus meus oblitus est mei Diebus innumeris.* Populo ingrate, tu nunquam non oblivisceris mei, quamvis ego nunquam tui oblivisear. Unde oritur universalis hæc irreverentia exhibita Deo? quare neglectum hunc, ne dicam despectum Dei, in plerisque videre est hominibus?

Jerem. 2.

Parva fides inducit oblivionem Dei.

Enucleabo tibi clarè rationes hujus, respondebam ipsi, quæ captu haud erunt difficiles. Prima & radix omnium aliarum est, parva fides, quam omnes habemus. Opus est Lumine divino ad cognoscendum Deum, sed lumini huic opus est aperire oculos, illiúsque ductum sequi ad inducendam animo memoriam Dei. Plerique homines & quasi omnes (paucissimis exceptis,) non reguntur nisi notitiis sensuum, vel opinionibus mundi, vel cognitionibus purè naturalibus; quarum ductum ac dictamen dum sequuntur, ita vivunt, quasi Deus non esset. Si fidem nostris damus sensibus, nullus est Deus. Interroga oculos tuos, hi dicent tibi: nos nunquam ipsum vidimus, quia nec est color, nec lux sensu perceptibilis. Interroga aures tuas & respondebunt tibi: Nos nunquam ipsum audivimus, quia nec vox, nec sonus, nec harmonia est. Percontare gustum tuum, hic tibi asseret: Non novi illum, nec sapio, cùm sapor non sit. Sciscitare ex odoratu tuo, & tibi affirmabit: Nunquam percepi illum, quia nec odor, nec suffitus est; Investiga tandem ex manibus tuis, & nuntiabunt tibi: Nos nunquam tetigimus ipsum, quia nec corpus est, nec corpore constat. Sic qui relationi insisteret sensuum, crederet firmiter Deum non esse.

Nostri sensus, mundus, inclinationes nostræ faciunt nos Deum oblivisci.

Nec melius in ejusdem cognitionem deducit communis mundi opinio: Mundus námque nec ipsum æstimat, nec unquam loquitur de ipso, imò nec cogitationem de illo admittit, cùm

tamen centenis se occupet crepundiis ac ineptiis, quibus totus invigilat, quásque plurimi ponderat. Sic juxta vulgarem mundi sensum, vel Deus non est, vel minus est nihilo. Tandem cognitiones purè naturales, quæ in plerísque nascuntur Hominibus, vel juxta informationem suorum sensuum, vel juxta impulsum suorum affectuum & inclinationum, prosternunt ipsos & terræ affigunt, ut extollere se non possint nec ad cognitionem, nec ad reminiscentiam Dei; & si harum cognitionum directioni se permittant, missum faciunt Deum, persuasi ipsum non esse. Jam pleráque hominum pars, dici posset, homines omnes (pauciſſimos excepero) ita absorpti sunt sensibus, ita mundi spiritu & induti & imbuti, ita assueti, se in omnibus gubernare juxta tenues suas cognitiones naturales, ut alium nunquam admittant, vel sequantur ducem. An ergò mirum, quòd in tantâ vivant oblivione Dei, ut quasi nunquam mentem ad ipsum attollant, aut cogitationem de ipso suscipiant? Et unde hæc nasceretur ipsis.

Non nobis est plus veræ cognitionis Dei in terrâ, nisi juxta proportionem fidei nostræ. Hæc divina lux est, procedens de Throno Dei, doctura nos in terris arcana Cœli: Hæc animabus nostris incomprehensibilia explanat prodigia de primo illo entium omnium principio, quò nec rudes sensuum nostrorum notitiæ, nec imbelles intellectûs nostri naturalis cognitiones possunt pertingere. Hæc revelat nobis veritates tam sublimes, tam admirandas, támque stupendas, ut, si profundè animis nostris | forent insculptæ, eundémque replerent, convincerent, penetrarent, nunquam illarum vel oblivisci, vel quidvis aliud posset æstimare. Immensa harum veritatum magnitudo & splendida Majestas cœtera omnia effugaret & ejiceret è memoriâ.

Accideret in parvo hoc mundo, quod accidit in mundo magno. Quando Sol omne suum in meridie diffundit jubar, non solùm diffugere jubet tenebras, sed caliginem offundit parvis omnibus mundi luminibus. Quando accendisses facularum decies centena millia, quæ in absentiâ ipsius ingentem evibrarent & afferrent splendorem ac lucem, lux tamen & splendor quantocyùs omnis evanesceret in præsentiâ decumanæ hujus mundi faculæ, quam cœlum nobis accendit, & ex quâ copiosos luminis torrentes super universum diffundit hemisphærium. Quando fides animam ingressa, semel vivaciter ibidem accensa est, effundet hæc tam ingens divinorum Luminum jubar in intellectum, ut quævis aliæ, quas habere

Viva Dei cognitio dissipat omnem aliam cogitationem.

habere se credebat, cognitiones, ex eo sint effugandæ ac umbrarum more quàm primùm dispergendæ. Quando Exempli gratia fides docet, Deum esse Ens in omni perfectionum genere infinitum, esse Ens necessarum à seipso, omnésque creaturas respectu ejus non esse, nisi umbras, imò ferè nihil; Si fortiter hanc veritatem sibi anima imprimit, firmiúsque illam credit, quàm quod oculis corporeis intuetur, aut manibus suis palpat, nonne Deum majoris cæteris omnibus æstimabit, illi omnia postponet, & quidquid est extra ipsum, summo habebit despectui? Et consequenter cæteris omnibus oblivione sepultis, soliusDei occupabitur & delectabitur reminiscentiâ.

Viva fides induceret nobis continuam Dei memoriam,

Quando fides ostendit, Deum esse æternum, omnipotentem, Immensum & ubique præsentem, nunquam nos egredi è sinu ipsius, ipsum nos implere, nos penetrare, magis intimum nobis esse, quàm nos simus nobis met ipsis, ipsum videre omnia, ac impossibile nobis esse, ipsius oculos vel unico momento effugere: Si omnes hæ magnæ Veritates à fide revelatæ benè penetrarent animam, illámque convincerent, ipsas non tantùm certas esse, sed infinito modo certiores, quàm quidquid vel oculis hauritur, vel aliis sensibus percipitur, vel quidquid intellectu naturali potest cognosci, quâ ratione posset, aut obliviscì Deum, quem novit esse præsentem, aut minimam coram oculis ipsius cuncta intuentibus committere indecentiam, eo ferè modo, quo aliquis in secretiore conclavi cum Principe commorans, nec posset ejus præsentiæ obliviscì, nec quidquam vel minimum moliri, quod reverentiæ ac veneratìoni Principi debitæ contrariaretur.

Pone fidem in animâ, & fac, ut tantundem solumodò moveatur hæc ab illâ, quantum moventur sensus ab experientiâ; impossibile omninò illi erit vivere in oblivioneDei, cùm intuitura sit ipsum semper sibi ita præsentem, sicut oculi Lucem solis præsentem sibi vident totâ die. Dum peto, ut tantundem nos moveat fides, quantum experientia nostros sensus, injuriâ ipsam afficio: Nonne enim Magnus Dei foret contemptus? Si ipsi dicerem: Non credo tibi magis, tibi, qui es veritas infinita, quàm credam experientiæ sensuum meorum; probè novi, me ab illis posse decipi, sed tantundem illis credo, quàm tibi: Nonnè hæc maxima foret blasphemia? Et tamen videtur, nos deterius & multò pejus quid committere, dum sic omnem fidem nostram attribuimus experimento sensuum nostrorum, ut nullo alio, nisi quod nobis proposuerint,

Credimus plus sensibus nostris quàm Deo.

posuerint, nos occupemus negotio, omnémque nostram huc conferamus industriam, omnibus hìc perpetim cogitationibus defixi nostris.

Nil movemur præsentiâ Dei ex defectu fidei.

Jam fides nos certificat, Deum semper præsentem esse, & nos ubique intueri ad intima animæ nostræ penetralia. Et nos frigidè dicimus: *Equidem id credo.* Sed reverà videtur, nos neutiquam id credere, cùm videamus, quod Magna hæc veritas, quæ tremore nos concuteret, & forsan præ horrore, si oculis corporeis ipsam liceret cernere, morti nos consignaret, tam leviter nos moveat, tamque parvi sit apud nos momenti, quamvis per fidem sit revelata nobis, ut, postquàm ipsam audivimus, contestando nos illam credituros, non plus tamen, nec minus exinde faciamus, sed illicò obliviscamur ejusdem, nec pluris ipsam censeamus, quàm si merum extitisset figmentum, mera fabula. Nonne hoc est inexpugnabile, palpabile ac manifestum contra nos argumentum, quo convincimur, nos vel fidem non habere, vel si habemus, hanc non esse, nisi fidem mortuam, cœcam, dormientem, mutam ac inutilem, quæ non plus operatur in nobis, quàm si ipsâ prorsus destitueremur. An igitur mirandum sit, maximam hominum partem vivere in continuâ Dei oblivione? Cujus primaria est causa, universalis defectus fidei, cùm hæc animo inducat, tum cognitionem Dei, tum memoriam ejusdem. Necesse est ergò exulare ab animâ, & notitiam, & Reminiscentiam Dei, quæ fidem non habet.

Rarò Dei recordamur, quia parùm ipsum amamus.

Primariæ huic causæ oblivionis Dei nectitur secunda, non minus deploranda: Et est exiguus Dei amor, dominans in corde plerorúmque hominum super terram. Experientia cunctis manifestum facit, cogitare nos de eo frequentius, quod amamus ardentius: hinc est, quod Antiqui dicebant, pictorem esse amorem, qui abs intermissione in imaginatione, rei amatæ simulacrum effingat, illúdque continuò oculis mentis objiciat; facilè autem obliviscimur abs ullo labore, erga quod nullo ferimur nec afficimur amore. Non inquiramus amplius â longè, nunquam intermissæ hujus oblivionis Dei causam, in quâ totos terimus & conficimus dies; Est enim in nobis, dum nullo ergà ipsam prorsus amore afficimur. Millena alia, quæ suo adamamus damno, omnes nostras occupant cogitationes.

Deus nunquam obliviscitur nostri, & nos obliviscimur ipsius incessanter.

Sed an possibile sit, anima mea, te non amare Deum tam bonum, qui te solam plus amat, quàm universam simul naturam corporalem, cùm pro te fecerit, quod

quod non feciſſet pro toto univerſo? An poſſis non amare Deum immortalem, qui te plus propriâ ſuâ adamavit vitâ, cùm hanc dederit & poſuerit pro te? An poſſibile ſit, indeſinenter obliviſci te Dei, qui nunquam obliviſcitur tui; ſed nunquam non oculos in te defixos tenet, inceſſanter intentus, te novis locupletare Beneficiis? Ecce certitudinem, quam tibi dat amoris ſui, & plenas dulcoris querimonias, quas ob tui defectum amoris exonerat per os alicujus Vatis ſui. *Nunquid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filij uteri ſui?* Iſa. 49. quaſi diceret hoc eſt impoſſibile; amat námque ipſum tam tenerè, ut potius obliviſceretur ſui: Et ſi illa oblita fuerit, dicit nobis Benigniſſimus hic & infinitæ Bonitatis Deus, Ego tamèn non obliviſcar tui; ſiquidem perfectius & absque comparatione tenerius te amo, quàm omnium Matrum amantiſſima ſuum amet unigenitum. Et tu, o Anima, quam nunquam non porto in ſinu meo, in viſceribus meis, oblivisceris mei? Et tu, ſuper quam indeſinenter meos habeo defixos oculos, vix unquam ſuper me defigis tuos! An poſſes hanc tolerare exprobrationem, quin tollaris è vitâ præ pudore ac dolore? tu, quam amo ex toto corde meo, nèc minimum me amas. Hæc continua mei oblivio, in quâ dies tuos conficis, hujus evidens conficit argumentum.

Homo fieri poteſt e Seraphinus terreſtris per amorem Dei.

Certiſſimum eſt, amorem conciliare frequentem rei amatæ recordationem plurimùm adaugere amorem, Anima, quæ frequentem Dei ſui memoriam aluerit in corde, quantocyùs tota ipſius inflammabitur amore, & juxta augmentum amoris, augebitur quoque continua ejusdem reminiſcentia, quam nulla amplius delere poterit oblivio. Et hoc duorum Seraphinorum eſt myſterium, quos vates Iſaias vidiſſe ſe ait juxta Thronum Dei. Videtur ipſum centies millies centenis millibus Cœleſtium horum ſpirituum debuiſſe circumdari; ſed conſultò nonniſi duo ex his ſe videndos præbuerunt, ad ſignificandum nobis juxta mentem alicujus Patris, *Angelum & Hominem*, quibus ſolis facultas eſt & aptitudo cognoſcendi ac amandi Deum, qui proin adhærent meritò divinitatis ipſius Throno, velut centro felicitatis ſuæ. Ambo Seraphinos agere poſſunt, hoc eſt ardere & flagrare divino amore, diverſâ tamen ratione.

Aliquatenus dici poteſt, omnes Beatos Angelos Seraphinos eſſe, ex eo, quòd toti ardeant & flagrent amore Dei; & ingens hic

amor excitatus est in ipsis ab intimâ Dei præsentiâ, quem visione beatificâ clarè intuentur: quomodò enim non vehementissimè ac ardentissimè amarent pulchritudinem, & pulchritudinem infinitam, quam intuitivè contemplantur? Verùm, quod maximo nobis est solatio, omnes homines in terrâ, cum primis omnes Christigenæ agere quóque possunt seraphinos ardentes ac flagrantes Amore Dei, haud aliter, ac Angeli in Cœlo: Et ardens hic amor excitabitur in ipsis similiter per intimam Dei præsentiam, cùm toti repleantur ipso, & tam verè ipsum possideant, sicut Angeli Beati, quando sunt in gratiâ ipsius, quâ mediante, veluti vinculo intimo eidem copulantur. Haud refert, quòd ipsum clarè non videant per lumen gloriæ, sicut Angeli Beati; abundè est, quòd videant ipsum per obscurum Lumen fidei, quæ æquè vera & æquè certa est de objecto suo, quàm visio Beatifica. Quando recordantur ipsius, & attentè huic recordationi invigilant, poterit suavissima hæc Dei in intimo cordis sui præsentis memoria, ipsos haud aliter ac seraphinos divino inflammare amore. Ecce mentem & verba Magni Cardinalis S. Petri Damiani: *Dico Seraphim Angelum & Hominem Considera, qui ardentes & incendentes dicuntur, cùm ille ardeat præsentiâ, hic memoriâ.* Vide quantæ virtutis sit recordatio Dei, ut videatur pari passu ambulare cum visione beatificâ, ad accendendum nos Amore Dei.

Damian. Serm. 13.

O Deus! quanta est igitur dulcedo, quanta voluptas memoriæ amabili hâc Dei reminiscentiâ occupatæ! Nonne tibi jam frui videtur prærogativis paradisi? Quando magnus Apostolus nos monet, conversationem nostram esse debere in Cœlis, haud opus est avellere animam suam è corpore, illámque ad Beatam illam transferre Regionem, ubi Dei faciem intueatur. Sanctus Ephrem breviori viâ nos docet, Cœlos intrare, ibique conversari, ac unà delicijs frui Beatæ possessionis Dei, & hoc toties, quoties id volumus. Haud alio opus est, nisi ut intremus nosmet ipsos, nos ipsos includamus animâ nostrâ; inveniemus ibi Deum, aspiciemus ipsum oculis fidei, fruemur dulcissimâ ipsius, velut summi nostri boni præsentiâ. Possidemus jam ipsum per fidem, per spem, & præcipuè per Sanctum Amorem, certò possessuri eundem æternalitèr per visionem Beatificam, si intimam hanc per Charitatis vinculum cum ipso factam conservemus unionem. Hâc ratione circumferimus paradisum in nobis ipsis,

Anima memor Dei fruitur paradiso.

ipsis, ejusdémque potimur, dum actualiter DEI reminiscimur:

S. Ephrem. *Semper Memineris Dei, & Cælum mens tua evadet.* Et ecce felicitatem summam, qua nos exspoliat oblivio Dei, in quâ miserabiliter tabescimus ex defectu vivæ fidei, & magis adhuc ex defectu amoris Dei.

Sed tertia causa oblivionis Dei, quæ universalior & sensibilior est duâbus aliis, est mala nostra consuetudo. Sic námque ab incunabulis nostris assuevimus cogitare non nisi crepundias, résque frivolas, quæ primæ omniû possessiouem adeunt memoriæ nostræ, quasi nunquam amplius ex illâ abituræ. Ita oppletam gerimus mentem primis illis affectibus ac inclinationibus erga mundum & creaturas nobis vehementer impressis, ut quasi aliud nesciamus, de alio nec sermonem misceamus, nec cogitationem admittamus. Dum crescimus annis, mala hæc consuetudo crescit nobiscum & quotidiè invalescit fitque fortior. Impares sumus cogitationibus nostris dimetiendo multitudinem curarum, quibus nos oneramus, & verbis enarrando, negotiorum, quæ nos obruunt, molem ac cumulum, ita ut Deus in toto mundo sit ille, de quo minimùm cogitemus, de quo rarissimè loquamur.

Assueti sumus à pueris obliviſci Deum.

Et infelicitatis nostræ fastigium est, quòd mala hæc consuetudo ab unguiculis à nobis contracta, confirmetur & invalescat per universale Exemplum nostri similium: Nam ita vivitur ab omnibus. Decies centena negotiorum temporalium millia indesinenter replent mentes ac animos hominum. O quàm alia longè illis agitanda incumbunt, quàm ut immorentur & immoriantur cogitationi de Deo? Sic è Verbis centies millenis ex ore ipsorum depromptis vix unicum fuerit, quod Deum concernat, nisi blasphemando Sanctum ipsius Nomen, ipsúmque offendendo. Sic torrente hoc, in cujus medio vivimus, rapimur ad vivendum more aliorum, & infelicem vitam nostram in perpetuâ Dei oblivione conterendam. Quod si anima paulisper in se ab errore cognito reversa, meliora moliatur consilia, omnémque moveat lapidem ad dimovendas à se cogitationes cunctas inutiles, & alias de Deo memoriæ inferendas, tantis támque inusitatis obruitur difficultatibus, ut illas superare diffisa, mutet consilia. Hinc multi post longos conatus destitêre à cœptis, magnitudine laboris fracti animo, probè advertentes, quod ad conservandam actualem memoriam Dei, quasi opus foret oblivisci omnium, quæ noverant, ad addiscendum illa, quæ ignorabant

ARGUMENTUM.

Nihil affligere potest animam Dei memorem.

1. *Peccatum non habet accessum ad ipsam.*
2. *Adversitates vitæ præsentis non contristant ipsam.*
3. *Ipsa vivit in magnâ pace, & ingenti gaudio spirituali.*

ARTICULUS III.

Anima infelix est per oblivionem Dei.

INterea impossibile est animæ potiri unquam ingenti illâ pace, quâ satiari & impleri possit, nisi inveniat illam in memoriâ Dei. Is solus centrum est felicitatis ipsius pro tempore & æternitate, fallitur ipsa, si speret aliquam creaturam capacem fore ad satiendum se, cùm omnes simul, imò omnes illæ, quæ centum adhuc implerent mundos, si forent, id efficere non possent. Ratio est, quòd ipsæ non sint summum Bonum, pro quo à Deo creata est. Nonnè hinc est, quod nemo quasi ex omnibus, quos continet mundus, vivat contentus; Non est videre, nisi amaritudines, angustias, mœrores, quæ continuis replent ora questibus, aures & auram gemitibus, quibus relevandis modò hoc, modò illud tentatur, sed nunquam ad metam perveniturr.

Omnium nostrarum molestiarum, ut verum fatear, alia origo non est, nisi oblivio Dei; quod ipsum Deus nobis exprobrat in sacro codice: *Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Dei creatoris tui.* Deut. 32. Unde tibi nascuntur, o infelix anima, tot calamitates ac miseriæ, nisi quia oblita es Dei tui, Patris tui, Creatoris tui? Et hæc oblivio in plures te præcipitem noxas agit; hæc oblivio te deserit in afflictionibus absque solatio, quibus vita tua abundat; hæc oblivio privat te pace internâ, & accumulat tibi millenas angustias. Si Dei memineris, quantocyùs ab his miseriis immunis eris.

Peccatum non audet approximare animæ, quæ Dei recordatur.

Nil amaritudine magis lætiferâ cor nostrum replet, quàm peccatum: sicut enim Deus dulcedinum est oceanus, ubi anima, invenit omnem consolationum, quibus satietur, abundantiam; sic econtra peccatum amaritudinum est mare, ubi invenit non nisi mœrores & angores, quibus torqueatur: Sed peccatum naturam induit serpentium, qui fugiunt lucem, & non nisi in tenebris videri amant: Et sicut videmus, quòd, dum umbræ noctis obducunt æthram, feroces belluæ & serpentes,

tes è suis prodeant cavernis, séque audacter in patulos diffundant campos; sed quantocyùs, apparente sole, in sua remeent antra: ita quóque, dum oblivio Dei obscurâ animam obducit caligine, peccatum se facilè illic diffundit, dæmones apertam inveniunt viam ad tentandum, passiones abs frœno liberè tumultuantur, occasiones peccandi sunt retia ubique expansa, quæ dum non advertit, haud difficulter in illa præceps agitur: qui enim ambulat in tenebris, nescit, quò vadat.

Sed quamprimùm actualis recordatio Dei lucem diffundit suam in hâc animâ, est protinus quasi irradians Sol, cujus sola præsentia exterret dœmones, tumultuantium passionum sedat tempestatem, demonstrat pericula, providet & præservat animam, ne in peccatum dilabatur. Quomodò enim peccatum auderet committere contra Deum coram oculis Dei? Si recordatur, expositam se esse oculis magni illius Judicis, cui pronutianda sit super se sententia æterna & irrevocabilis, in fine sæculorum, sicut & in momento mortis suæ; Nonne dicet, quod olim casta Susanna, dum instanter solicitata fuit ad peccandum à duobus illis senibus malè sanis: *Melius est mihi absque Opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini?* Mallem millies mortem pati, quàm patrare, vel unicum peccatum ante oculos Dei. Et quis diffitebitur, quod, dum peccatum committere non est veritus, Deum dimiserit è memoriâ, nec ejus fuerit recordatus?

Dan. 13.

Si igitur memoria Dei præservat animam à peccato, nonne asserendum, quòd illam custodiat à solâ summâ miseriâ, in quam dilabi possit in hâc vitâ, dúmque conservat ipsi pretiosam divinæ gratiæ possessionem, nonne verum est, quòd illam beatam reddat, cùm vera beatitudo in possessione Dei consistat? hinc est, quòd Sanctus *Augustinus* memoriam Dei nuncupet hypostasin seu subsistentiam vitæ animæ nostræ, quæ consistit in fruitione Dei. Occupatur ipsa æternaliter in Cœlo visione Dei, sed in terrâ occupatur continuâ Dei memoriâ; & quamprimùm hanc anima perdit; lugubre incurrit mortis genus, tristémque Dei privationem: *Si ejus non meminit, eúmque non intelligit, nec diligit, cum illo non est.* Si aliud nisi hoc emolumentum non afferret reminiscentia Dei, nonne ad illam studiosè amplectendam & assiduè exercendam id unicum abundè satis nos stimularet?

Lib. 14. de Trinit. c. 12.

Sed plus adhuc utilitatis affert: siquidem mirum in modum

Tria solatia valdè solida, quæ

tribuit animæ memoria Dei,

mitigat ac lenit amaritudines præsentis vitæ. Commoramur hic omnes velut in exilio, ambulantes per mediam lacrymarum vallem, nunquam non millenis circumfusi adversitatibus, quæ quidem affligere aliquando possunt animas etiam innocentissimas, sed non nisi tamdiu, quoad perstiterint & vixerint in oblivione Dei : Nam ejusdem memores facti experientur, amabilem hanc memoriam velut cœleste esse balsamum addulcorans omnem amorem ac mœrorem : unde dicendi habebunt ansam cum Vate Regio : *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum;* quasi diceret : tota dejecta tædio, dolore tacta & fracta erat anima mea ; quàmprimùm autem Dei memoria illius subiit penetralia, tota jam alia, novam resumpsit vitam, tota cœlesti affluens & diffluens gaudio : unde intrame metipsum dixi : quid deest tibi anima mea ? Nonne versaris semper in sinu Dei tui, qui infinito modo plus te amat, quàm ames te ipsam. Ipse novit, quid patiaris, ipse potest te eruere, si voluerit ; si nolit, nec facit, illud est ideò, ut suas capiat delicias te aspiciens patientem, sicut delectabiliter aspexit unigenitum suum Cruci affixum & horrendis circumfusum tormentis amarissimæ passionis suæ ex amore erga te. Quòd si hâc ratione ipsi placeas, nonne magno tibi sit solatio, dum nôsti, placere te Deo ? Ipsius placitum debet & esse tuum ; & si verè amaveris ipsum, majori non abundabis gaudio, nisi cùm satisfeceris ipsius beneplacito.

Psal. 76.

Si anima mea renuat & hanc consolationem, séque adhuc obrutam sentiat amaritudine in pœnis suis, dico ipsi ; loquere Deo tuo, & querimoniam ipsi expone tuam de eo, quod pateris : & audies ipsum tibi respondentem : quænam es tu, O Anima mea, quæ conquestum accedis me ? Nonne Christiana es ? Nonne Christianæ vitæ Institutum amplexa publicè spopondisti, Christo JESU te adhæsuram, ipsum te imitaturam, ipsius te pressuram vestigia, téque totam ad ipsius formaturam imaginem ? An voles esse sine Cruce, cùm suam ipse bajulet ? An voles coronari rosis, dum caput ipsius perforatum est spinis ? An voles gustare dulcedinem mellis, dum ipse potatus est felle & aceto ? An voles natare in deliciis, dum ipse amarissimo dolorum sepultus est pelago ? De quo conquereris ? contra quid expostulas ? contra illatas forsan tibi injurias, contemptum, calumnias, bonorum jacturam, derelictionem amicorum ? Adesdum, supponamus, me paris tecum esse

esse conditionis, comparemus, quod pro te sustinui, cum eo, quod tu sustines pro me: Comparemus injuriam cum injuriâ, contemptum cum contemptu, calumniam cum calumnia, paupertatem cum paupertate, derelictionem amicorum cum derelictione: an omnia, quæ sustes, comparanda sint cum eo, quod pro te sustinui, pro te toleravi? quomodo animæ non omnes pœnæ fiant tolerabiles, dum illas sui intuetur Redemtoris, hásque comparet cum illis?

Sed tandem, si anima mea & hoc repudiet solatium, cùm nondum possideat amorem Dei satis defœcatum â propria utilitate, consolor ipsam in amaroribus suis, dum Dei recordor eodem propriæ suæ utilitatis intuitu. Memineris, anima mea, scriptum esse; quòd qui seminant in lacrymis, in exultatione metent; quod momentaneum & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis; quòd nos oporteat intrare per multas tribulationes in Regnum Dei, quòd si cum Christo passi fuerimus, etiam cum ipso glorificabimur. Hæc omnia sunt Verba Dei, quæ tantæ sunt certitudinis, ut potius Cœlum & terra forent annihilanda, quàm unicum ex his non esset adimplendum. Nonne millies Beatior est sors tua, si quid patiendum pro DEO tibi occurrat, quàm si omnes mundi voluptates possideres? Siquidem, quando in DEI Judicio produceres omnes voluptates, omnes prosperitates, & omnia humana solatia, quibus potiti sunt omnes simul homines à mundi creatione, omnia hæc nec unicum promererentur momentum visionis Dei; Si autem monstrare poteris, quòd aliquid pro ipso sustinueris, tum unica solummodò Crux ad suam honorandam, cum amore portata & tolerata promerebitur tibi possessionem ipsius in omnem æternitatem. Nonne ex hoc unico addulcorari poterunt maximæ quævis mundi amaritudines? dum nimirùm recordatur anima, Deum esse præsentem, se videri ab illo, omnes suas Cruces usque ad minimam ab ipso numerari, totque sibi ab illo præparari coronas? Ecce dulcorem ac solatium, quo anima ditatur, dum Dei sui recordatur.

Anima stimulatur in exercitio virtutis per memoriam Dei.

Quid ergò affligere poterit animam, dum conservat in corde jucundam hanc Dei memoriam? sentire quidem poterit aliquod tædium, aliquam molestiam in Exercitiis virtutum, quæ reverà quandóque haud levem pariunt naturæ amaritudinem; sed quis difficebitur hanc quantocyùs & facillimè dissipandam, dum

dum mentem subierit Dei reminiscentia. Magnus Apostolus, qui inhibuit, ne Christiani servirent oculis mundi: *Non ad oculum servientes*, alibi præceptum dedit, ut servirent oculis Dei, dum dixit illis: Memineritis, quod facti estis spectaculum Deo & Angelis. Benè noverat, nihil ita animare militem, quàm nôsse, suum se spectare Principem; quamvis aliàs maximè vecors fuerit & socors, ex eo tamen sumit animos, currit, & audacter in maxima se conjicit mortis pericula: quantò magis oculi Dei addent vim, cor ac robur invincibile, dum anima recordatur, Deum præsentem esse, se conspici ab ipso, studiosè ab illo notari, quid ex amore sui vel agat vel patiatur?

Ephes. 6.

Mi Deus, quàm suave est amanti animæ, meminisse eum, quem diligit, sibi præsentem esse, séque tolerare id, quod tolerat, intuitu & amore dilecti sui? Sancta *Agatha*, quæ *Christum Jesum* millies plus amabat, quàm semetipsam, experiebatur animam suam totam lætitiâ circumfusam, in medio crudelissimorum suppliciorum, quib' afficiebatur, dum dixit ad illum: *Vidisti Domine agonem meum*, quomodò pugnavi in stadio: Sed quia nolui obedire mandatis Principum, jussa sum in mamillâ torqueri, hâncque passa mihi amputari. O quàm libenter, quàm promptè illam dedi? Jam dicere mihi licet & libet cum sacri Epithalamii Sponsâ: Dilectus meus inter ubera mea commorabitur; aperuit is mihi cor suum in cruce, ut me reciperet in Divino hoc amoris sui sanctuario, & ego aperui ipsi mamillas meas, totas sanguine cruentatas, ut ipsum recipiam in sinu meo.

Si Antiquitas tot vidit & aluit gladiatores, qui exposuerunt corpora sua ad pugnandum adversus leones & tygrides, ex solo desiderio egregium generositatis suæ exhibendi spectaculum totius Amphitheatri oculis: an mirum sit, tot ac tantos Martyres invictos sese exhibuisse in pugnâ contra tyrannos ac satellites, memoriâ recolentes eximium se præbere spectaculum oculis Dei magnâ cum sui voluptate in se defixis, quin & toti sibi applaudenti Cœlo, cum interim universa fremeret natura præ horrore, & ipsa dæmonum caterva tremeret præ timore.

Quis antiquis Eremi accolis tantos addidit animos in pugnis adversùs dæmonum catervas suo elapsas ergastulo, adversus effrœnes animi motus, indomitas naturæ repugnantias, quæ licet reciſæ omni momento renascebantur? Existebant soli, abs ullo visibili actionum suarum teste; & nihilominus in obeundis piarum

rum exercitationum muneribus obſervantiores erant, quàm ſi illas totius mundi oculis exhibuiſſent obſervandas. Quis illis largitus eſt tam perſeverantem fidelitatem & fidelem perſeverantiam, in tantâ libertate, quâ fruebantur, faciendi, quidquid voluerant, niſi continua Dei ſe videntis reminiſcentia? Et amabilis hæc reminiſcentia fons erat & origo abundans plurimarum conſolationum, diſſipans univerſa, quibus credimus, ipſos potuiſſe obrui per quinquagenos, ſexagenos, & plures adhuc annos, ſolitudinis tam profundæ, tædia, ut plures eorum toto hoc tempore, ne faciem quidem unius hominis fuerint intuiti.

Nonne tenendum eſt infelices nos eſſe, dum tanta nos Dei tenet oblivio? Morimur tædio, & ſæpius millenis obruimur mœroribus in medio omnium, quas mundus porrigere nobis poteſt, conſolationum, quia conſolatione non fruimur, quâ perfundit animam ſuavis hæc Dei memoria: dum interim illi omni vitæ humanæ ſolatio deſtituti, & tot laboribus ac vitæ rigoribus, quorum ſola enarratio animo audientis incuteret horrorem, onerati, felices omninò & conſolati, quin & cœleſti gaudio, è ſolâ Dei reminiſcentiâ profectò irrorati, jucundiſſimè vivebant.

O mi Deus obliviſcar omnium cœterorum, ut tui ſolius reminiſcar! ſaltem ne patere, ut ſemper deinceps vivam in malè auſpicatâ hâc præſentiæ tuæ oblivione, in quâ hucúsque tot pretioſos vitæ meæ præteritæ dies tam inutiliter detrivi: Excita me â ſopore meo; admone me frequenter partium mearum, cogitandi de te, ut dicere poſſim cum Sancto Auguſtino, qui, dum tui recordabatur, totus abſorptus gaudio, & cœleſtibus immerſus delicijs, exultans ajebat: *Cum reminiſcor tui, & delector de te, hæ ſunt Sanctæ deliciæ meæ, quas donaſti mihi, Miſericordia mea*: Cætera omnia ſunt mihi faſtidio, O mi Deus, tantam invenio conſolationem, dum divinæ præſentiæ tuæ deguſto dulcedinem: Et tu ipſe has mihi paras delicias, has ipſe mihi porrigis guſtandas, o mi Deus! Miſericordia mea! O quàm facilè fatebuntur animæ, hâc ſemel guſtatâ dulcedine, quòd *dulciſſima memoriæ noſtræ conſolatio, Dei ſit recordatio.* Confeſſ. lib. 10. c. 24.

Consultatio IV.

De Essentia DEI.

VOcare in Dubium, an Deus sit, propositio foret tam stupenda, ut & bases mundi concutere, & quid in illo est, tremore posset percellere. Seraphicus Pater meus Franciscus, cùm quibusdam è Religiosis suis permisisset vacare studio Theologiæ, volebat aliquando capere experimentum, quem è studiis suis retulissent fructum, & cum intrans eorum Scholam agitari audiret hanc quæstionem, *utrum sit Deus*; his solis Verbis ita artonitus, támque vivaciter commotus fuit, ut zelo divinæ gloriæ totus accensus altùm exclamaret: Eheu! Fratres mei, quò deveniſtis? Crediderat studiorum vestrorum scopum fore, eruere & invenire motiva efficacia, quibus vos animetis ad amandum Deum; & vos quæritis, an Deus sit! sed satisfecerunt ipsi, dicendo: quòd solummodò de hoc proposuissent quæstionem, nullatenus autem de illius dubitarent veritate: quòd disceptarent duntaxat, ad confirmandum se in hâc fide, neutiquam verò ad oppugnandum illam. Et hic ipse hujus Consultationis sit scopus.

Iveram aliquando invisum devotum aliquem ac pium Dei servum, quem in veniebam in horto suo, ubi consultò sibi elegerat ambulacrum aliquod satis angustum, in quo solus obambulabat suis defixus cogitationibus, juxta pulchrum aliquod stagnum, quod ex utrâque parte muniri ac cingi fecerat geminâ Cypressorum serie, quas dum cura ac industria valdè expèrti hortulani excolebat, velut totidem referebant pyramides benè ordinatas, & hæ in fundo aquæ denuò formabant ac reddebant alias.

Videbam benè ibi alias & iterùm alias esse: unæ námq; occupabant aquam, aliæ occupabant terram. Unæ habebant radicem inferius & verticem superius; aliæ superius radicem, & inferius verticem. Unæ requirebant operam & industriam hortulani, nam certis temporibus indigebant tonsurâ; aliæ abs eo, quòd manum artificis requirerent, se ipsas in eo servabant ornatu ac statu, quem postulabat ab illis. Unæ non movebantur, nisi fuissent impulsæ à vento; aliæ movebantur continuò, abs eo, quòd afflatæ fuissent vento vel minimo. Super unas cer-

nebam

nebam insidentes aves, intra alias videbam natare pisces.

Hærebam mox ad ripam aquæ, hoc raptus prodigio, quod attentè considerabam, quodque sublimis meditationis mihi suggerebat materiam : interim, quem visitatum acceſſeram, mihi occurrit, & illicò me interrogat : quid volvis hîc animo? Magno videris occupari negotio, quod totam tuam defixam teneat mentem. Dicebam ipsi, quod res erat. Ecce tibi, ajebat mihi subridens, arduam sanè occupationem. Occuparis nempè aspectu visibilis nihili ; an ignoras hanc esse illarum Cypressuum umbram, quæ spectatur in aquis? Videtur tibi quoddam hîc adesse corpus, sed reverà non est nisi corporis umbra, quæ nec materiam, nec formam, nec aliquid solidi habeat.

Umbra est aliquid plus quàm nihil.

Verùm tamen oportet hîc, inquiebam ipsi, aliquid amplius esse, quàm purum nihil: Id enim videtur, discernitur, observatur ipsius figura, durat ac permanet, habet causam realem, à quâ producatur, & ab illâ suam recipiat imaginem: Est hic effectus ità dependens à causâ suâ, ut si Cypressum aliquam succideris pulcher hic effectus ab ipsâ in aquis productus, quantocyùs cum causâ suâ sit destruendus, nec tu amplius visurus sis, quod jam vides. Tandem igitur est aliquid, cum purum nihil non sit visibile, non habeat figuram, nec formam, nec causam se producentem.

Volebat ipse nihilominus per plures pulchras rationes è Philosophiâ desumptas mihi demonstrare, quòd esset id merum nihil, sed distinctione quâdam, quam etiâ approbavit, ipsius discursum abrupi, dicendo: quod si comparetur hæc umbra cum puro nihilo, fateri is mihi debeat ipsam aliquid amplius esse, quàm nihil: Verùm si comparetur cum corpore, cujus umbra esset, & ego lubens fatear, eam nihil esse. Hâc ergo ratione inter nos conventum est, cum materia tam macra non mereretur, cui immoraremur diutius: Nihilominùs ex his umbris desumpsimus ansam nos elevandi ad sublime Lumen Cognitionis Essentiæ Dei, sicut videbis.

ARGUMENTUM.

1. *Creaturæ sunt umbra quædam Essentiæ Dei, in cujus cognitionem deducunt.*
2. *Deus amat, & præsequitur hanc umbram Essentiæ suæ.*
3. *Quamdiu Creatura prosequitur umbram Dei, ipsius veram Essentiam dimittit.*

Articulus I.

Existentia Creaturam est umbra existentiæ Dei.

NOnne ejusdem ferè rationis est, quod dicere solemus; omnes Creaturas aliud non esse, nisi parvas umbras Existentiæ Dei? Videmus illas, tangimus illas, habent durationem suâ, magnitudinem suam, formam & figuram suam, & nemo dubitat, quin sint aliquid. Verùm videmus etiam, quòd esse habeant nonnisi valdè tenue, quòd non existant à semetipsis, sed quòd dependeant ab aliquo alio, ut sint, quod sunt: Siquidem cur ipsæ quandóque sunt, abs eo, quòd esse voluerint, & exinde non sint amplius, quando esse vellent, nisi quòd dependeant â voluntate alterius, ut sint vel non sint? Cur ipsæ sunt talis naturæ, talis formæ, aut figuræ, quam in aliam mutandi facultatem non habent, nisi quòd alterius subdantur voluntati, qui illas facit esse, quod vult? Hoc aliud non est, nisi umbra, quæ sequitur corpus, cujus est umbra, qúæque tam absolutè ab eo dependet, ut habere non possit nec magnitudinem nec figuram, nisi quam dederit illud.

Interea, quemadmodum ex umbræ aspectu mox infallibiliter concludimus: Ergo debet adesse corpus, quod producat hanc umbram; ita etiam ex aspectu Creaturarum, quæ habent esse tam tenue, tam dependens, támque omnibus modis limitatum, necessariò concludere oportet: Ergo datur aliquod esse súpremum, independens & necessarium, quod Creaturæ levem hanc entis participationem tribuat. Sed quemadmodum videmus, quòd umbra ferè nihil sit respectu corporis, quodque licet in propriâ suâ naturâ sit parum quid, & paulò plusquàm nihil; nihilominus comparata cum corpore, cujus est umbra, magis accedat ad nihilum, quàm ad Corporis naturam: ita verum quóque est, quòd, licet Creaturæ habeant aliquod essendi genus, quo extrahantur è nihilo, & eleventur súper illud; nihilominus si in comparationem veniant cum magnitudine Essentiæ Dei, cujus sunt umbræ, magis nihilo, quàm Essentiæ Dei appropinquent.

Creatura magis distat à Deo, quàm nihilum à Creaturâ.

Ratio est, quod non inveniatur juxta certiorem Philosophorum opinionem, distantia absolutè infinita inter nihilum & Creaturam. Econtra verò hæc tota involuta sit nihilo, id est, defectibus & imperfectionibus innumeris. Et licet accipiatur totum esse cum omnibus Creaturarum simul unitarum perfectionibus, tantum tamen abest, ut procul absint â nihilo, ut magis illi adhuc immergantur, siquidem infinito modo semper pluribus carebunt perfectionibus, quàm

quàm illarum possideant. Sed necessariò reperire est distantiam absolutè infinitam, & si ita dici posset, plusquàm infinitam Deum inter & Creaturam; quia cùm Deus sit Ens infinitum, includens, in se omnem infinitatem perfectionum infinitarum, nihil habet in se, néque ex nihilo, néque ex Creaturâ: sic ipsa, quæ tam propè accedit ad nihilum, infinito modo distat & elongatur ab Essentiâ Dei: Et hinc est, inani nos labore frangendos, si eò temeritatis progressi, quandam formare vellemus magnitudinis Essentiæ Dei idæam. Quando de ipso loquimur, hoc semper fit modo tam abjecto, támque infirmo, ut more infantium hæsitemus linguâ, titubemus, balbutiamus. Hinc Sanctus *Gregorius* æquissimo jure dixit, quod, ubi primum de Deo loquî volumus, experiamur, nos non esse, nisi nihilum, loqui volens de Ente infinito, eo, quod quamprimùm ab immensâ magnitudine & majestate ipsius deglutiamur ac devoremur. *Cùm Homo de DEO loqui cæperit, illicò quàm sit nihil, ostenditur, quia Magnitudinis ejus immensitate devoratur.*

Lib. 20. moral. c. 26.

Sed nunquîd maximo nobis honori sit, solummodò nos umbram esse Essentiæ Dei? umbra inseparabilis est à Corpore, ipsúmque ubivis locorum sequitur; Et Creatura inseparabilis est à Creatore suo, nec ulli nisi ipsi debet obsequi. Si Regis umbra prædita foret intellectu, nonne se maximè obstrictum intelligeret tanto Monarchæ, quòd in ipsâ se depingere & effigiare fuerit dignatus? Et nonnè maximè reverenti ferretur erga ipsum amore? O quanto jure dicendum sit, Excellentias infinito modo amabiles complecti essentiam Dei, cùm sola ipsius umbra, quæ respectu ipsius nihil est, tam sit amabilis, ut ipsemet Deus ipsam Magni faciat, ipsam amet, ipsam quærat, ipsi blandiatur, & summo teneatur ipsam possidendi desiderio.

Narcissus currebat post umbram suam.

Finxerunt antiqui, Narcissum tam insano erga umbram suam exarsisse amore, ut amor is cœcus hanc ipsi depinxerit velut incomparabilem quandam pulchritudinem, ut is proinde non nisi pro ipsâ habere oculos videretur. Non intermittebat suspiria coram illâ emittere; sed hæc quasi suspiria suspecta habens, monstrabat se illi insensibilem, loquebatur ipsi, sed ipsa loquenti non respondebat; ora laxabat in preces, sed ipsa se exhibebat inexorabilem: Avebat impotenter ipsam amplecti, & currebat post ipsam, sed ipsa terga vertebat impudenti proco, quem elisit ac eluſit fugâ, ne se posset assequi. Tandem

inutilis hujus prosecutionis affectus tædio, exhaustis tanto labore viribus, seque ab imaginariâ hâc pulchritudine contemptum videns, & ipse iratus illi terga vertit, in aliam diffugiens partem. Et umbra quasi facti pœnitens insequebatur & currebat post ipsam, sed vano labore, cùm nec ipsa ipsum assequi potuerit.

Deus currit post Creaturam suam.

Ah! quàm timendum est, ne hæc fabula fiat pro nobis vera parabola, hoc figmentum pro nobis funesta veritas! Nos non nisi umbra sumus, & quidem tenuis valdè, Essentiæ Dei; Et nihilominùs ipse amat hanc umbram, velut suo obcœcatus amore. Sit venia verbo, O Magne DEUS! dum audeo sic loqui. Putat is videre in nobis pulchritudines suis dignas oculis, quin & ipse bonis ac donis nos cumulat, quæ merentur affectum cordis sui; ipse quærit, lenocinatur, conatur lucrari hanc umbram; & ingrata non agnoscit tantam, quâ ipsam prævenit, benignitatem; Ipse accelerato accurrit gradu, sed ipsa se fugâ proripit: tam inflammato ipsam possidendi, seque intimè cum ipsâ uniendi ardet desiderio, ut eòusque se dimiserit, quatenus & ipse, sicut ipsa umbram indueret, umbra totus cum ipsa evaderet: hinc & divinâ suâ immensitate deposità & consultò absconditis Majestatis suæ splendoribus, propriis ipsius vestimentis se voluit amicire, ut amicus non tantùm ipsi, sed in naturâ fieret æqualis, & æqualitate, quæ amicos parit, tantò patentiùs ac potentiùs ipsam lucraretur; ast ingrata post tot ac tantas prensationes, aucupationes, captationes, semper mansit dura, dira, ferrea, fera, abs sensu, abs affectu, abs effectu: Et licet ipse infinitis suavissimarum gratiarum suarum solicitationibus ipsam prosequi non desisteret, sed decumanis & gigantæis adhuc post ipsam gressibus curreret; ingrata tamen non respondit, sed magis magisque semper proterva, suósque prosecuta errores, vocantem sequi neglexit, despexit. Nonne meritò timendum sit, ne & ipse tandem inutilis hujus prensationis pertæsus, ac æquissimo jure irritatus, à volatili hâc umbrâ despectum se videns, eidem terga vertat, ipsámque deserat; Et exin ipsa, tardò nimis suum agnoscens errorem, labore irrito & ipsum requirat? Haud quaquam enim ipsum poterit invenire, quemcunque etiam ex se addiderit conatum, nisi prior ipse misericorditer requirere ipsam fuerit dignatus.

Conversio peccatoris

Jam undecunque desumantur argumenta ad persuadendam

demonstrat existentiam Dei.

dam veritatem Existentiæ Dei, vix aliquod invenias, quo magis manifestum, magis palpabile, magisque luculentum sit, quàm hæc requisitio, quâ Deus nostram quærit animam, & hæc fuga, quâ sæpius anima nostra fugit à Deo. Loquatur hic cor nostrum, & dicat Veritatem. Nonne verum est, quòd sæpius illud sentiat occultos, sed fortissimos ac validissimos motus & impulsus, quibus urgeatur ad faciendum, quod nolebat, vel ad non faciendum, quod volebat, si naturales suas sequeretur inclinationes? Unde veniunt ipsi motus hi? certum est, quòd non à se ipso, cùm ipsi non sint naturales; quòd autem naturales ipsi, non sint, patet ad oculum cùm naturales ipsius inclinationes oppugnent, illis adversentur, hisque se illud libenter vellet expedire, si posset. Resistit quandóque longo tempore, sed tandem cedit potestati, quæ superior sit voluntate suâ, per quam deducitur Fortitèr, quamvis suavissimè ad faciendum id, quod primitus nolebat, & hoc absque illâ humannâ persuasione, sed potius contra omnes persuasiones humanas, & omnes naturæ impetus, quibus poterat resistere.

Quæ potest hæc esse potestas voluntate hominis superior, quæ sic illi dominatur, eòque illam deducit, ut faciat, quidquid hæc voluerit, nisi potestas summi ac primi entis, cùm inter omnia entia nil homine sit superius, nisi solus Deus. Optarem unicum duntaxat hominem, qui experimento didicisset absolutam hanc potestatem superioris alicujus entis, supra voluntatem suam, ad asserendam & contestandam veritatem existentis DEI; sed horum habemus centies centena millia, & adhuc plura. Nam interroga tot homines, qui longo tempore putruerunt in sordibus maximorum scelerum, post hæc autem emerserunt ex illis, ac Virtutum deinceps exercitio se totos mancipârunt, unde hæc illis profecta & orta mutatio; affirmabunt tibi, fuisse se extractos & quasi avulsos è miserabili statu, in quo vixerant, à potestate quâdam superiore, cui rebellis ipsorum voluntas, post factam longo tempore resistentiam, tandem debuerit cedere, & hæc fuerit mutatio dexteræ Excelsi. Quod si deinceps diceretur illis non esse Deum, responderent cum S. *Augustino*, qui similitèr expertus est Virtutem superioris hujus potestatis in conversione suâ: *Facilius dubitarem me vivere.* Non, dubitarem potius, me esse me ipsum, quàm dubitarem de veritate hâc; Esse Deum, id Novi, id sensi, expertus sum potestatem ejus

ejus super me, ipse Deus est Bonitatis infinitæ; morerer millies pro defensione magnæ hujus Veritatis.

Verùm si hæc tam manifesta est animabus bonis, magis adhuc luculenta est animabus scelestis: Nam unde venit, quod quantocyùs patrato crimine, licet hoc omnium oculos præter suos effugiat, puniantur? Quis est Judex, qui illas condemnet, qui internis illas afficiat suppliciis, contra quæ impossibile illis sit, se munire, illa à se propulsare, nisi quod reperire sit justitiam quandam infinitam, quæ tribunal suum erexerit in omnibus animabus hominum? Hæc summo jure imperat, suprema potestate dominatur tam magnis, quàm parvis, tam Monarchis, quàm ipsorum subditis, abs eo, quòd vel unicus sit hominum in terrâ, qui ejus judicio subtrahere se possit, habet illa testes suos, qui contra sceleratos deponant, habet judicem suum, qui sententiam in illos dicat, habet satellites suos, qui illos torqueant.

Tormenta interiora malæ conscientiæ ostendunt esse Deum.

Ut quid, O Terræ Magnates, Magistratus supremi, supra quos nulla sit hominum viventium potestas, ut quid permittitis, vos judicari, vos condemnari, vos castigari, etiam super solia vestra, in palatiis vestris, etiam in medio prætoriani vestri præsidii? defendite vos ab inimico hoc domestico, qui velut Criminosos vos habet; Vos, quorum est gratias conferre aliis, illósque è satellitum manibus eripere, vobis ipsis conferte gratiam, & ab illis, quæ toleratis, exsolvite vos tormentis. Non potestis hoc, vos dicitis, eò quod à superiore quâdam potestate hæc in vos detorqueantur flagella, contra quam ad defensionem vestram nulla vobis sint arma. Ah! quis potentior est vobis, nisi solus Deus! In vanum ergo induetis Atheos, ut dicatis, Deum non esse, cùm etiam invitis vobis potentem ipsius sentiatis manum, quæ vobis, quis sit, abundè declarat.

Obduratio multorum non invalidat hoc argumentum.

Quid interest, ingentem reperiri animarum obduratarum copiam, quæ tam pacificè tam consolatè in medio maximorum scelerum vivunt, ut nunquam peccato commisso interiora hæc experiantur tormina, sed potius in patrandâ malitiâ maximam inveniant malaciam & voluptatem? Hæ mortuæ sunt animæ, carentes omni sensu, quasq; tradidit Deus omnibus desideriis cordis sui, quod maximum funestæ derelictionis est supplicium. Quid interest, non habere has luculentam hanc veritatis experientiam, quòd Deus sit? Cumulatè satis est, quam plurimas reperiri alias, quibus hæc tam manifesta sit, ut, licet vellent,

lent, diffiteri non valeant, eo quod sortem suam deplorare & tormentis suis solatium quærere cogantur. Id unicum toti demonstrat mundo, Deum esse, supremum aliquod dari Ens, quod dominetur omnibus hominibus in terrâ, quod criminosos supplicio afficiat in præsenti adhuc vitâ? Hâc ratione requisitiones illæ, quibus Deus omnes tam innocuas, quàm criminosas quærit animas, luculenter convincunt & persuadent veritatem Existentis Dei.

Ipsa peccata, quæ avertunt â Deo, ostendunt esse Deum.

Verùm ipsamet fuga, quâ animæ sceleratæ fugiunt â primo & summo hoc Ente, manifestè idipsum quoque demonstrat. Dicendum omninò est, omnia plena esse Deo, quia impossibile est animæ Deum fugere, non currere ad Deum. Locupletissimo hoc lumine instruxit Deus intellectum Sancti Augustini dicentis, quòd animæ nostræ nec unicum faciant gressum, nisi ad quærendum Deum, quódque in maximis suis deviationibus, quin & in ipsis peccatorum suorum inordinationibus, ubi magis ab eo fugere videntur, ipsum quærant, quamvis modo inordinatissimo per peccatum causato, dum pro Deo suo acceptant, quod ipsorum Deus non est.

Siquidem quid anima in omnibus actis suis & factis quærit, nisi felicitatem suam? Nunquam ad prosecutionem alicujus rei instigabitur, nisi in illâ aliquod conspiciat bonum, quo se beari ac felicitari posse confidat. Jam quid est quærere felicitatem suam, nisi quærere Deum? Siquidem impossibile est animam evadere felicem ac beatam, nisi possessione ultimi finis sui, qui Deus est. Verum est, illam sæpius hallucinari ac errare, & cùm in seipsâ sentiat insatiabilem famem erga bonum, videátque hujus parvas aliquas scintillas in Creaturis dispersas, magnâ illuc fertur aviditate, putans id esse, quod cor suum desiderat, cujus possessione se credit felicitandam, sed quantocyùs advertit se deceptam, & quod invenit, non esse, quod quærebat. Illud ergò quæsitum aliò concedit, & ab unâ Creaturâ migrat ad aliam, sperans se inventuram, quod desiderat; Verùm adhuc experitur, non amplexam se, nisi umbram, cui nulla felicitandi se sit facultas, nec illud esse, quod perquirebat: unde denuò progressa ulterius nullibi figit gradum, itque, reditq;, in omnem se vertit partem, suámque ibi inquirens felicitatem, & cùm nil inveniat, quo plenè satiari possit ex omni eo, quod sensibus hauritur, cùm tota creaturarum multitudo non sit nisi aquæ stilla, respectu immensi voluptatum Oceani, cui epotando

sitis ipsius par foret, ex eo, quod habeat capacitatem & appetitum tam vastum, ut non nisi possessione boni infiniti satiari ac repleri possit: hinc tandem sublatis in Cœlum oculis ac effusis gemitibus cogitur fateri: Ah! necesse est igitur inveniri aliud summum, quod non agnosco, supremum ac infinitum bonum, quod meam constituere possit Beatitudinem ac felicitatem. Hâc ratione propriæ ipsius deviationes deducunt ipsam ad rectum iter, iterúmque faciunt, ut, postquam fugiendo Deum se plurimùm fatigavit, fugiat tandem & confugiat ad sinum Dei, quem dum vel leviter gustat, experitur tam sublimem, támque solidam voluptatem, respectu illius, quam invenerat in Creaturis, ut proprio edocta experimento agnoscat & fateatur, quòd sit Deus.

Deus facit omnia, ut se nobis manifestet.

O Deus Bone, quid non facis, ut te nobis manifestes! Tu nostris te oculis exponis in omnibus Creaturis tuis, velut in magno quodam aperto volumine, quæ nobis anuntiant divinas perfectiones tuas, infinitâ vocum varietate. Væ cœcitati nostræ, nisi te videamus! Tu interius nobis loqueris vocibus tam lucu-lentis; Tu nos perquiris tam illecebrosis ac suavibus blandimentis, ut voluntates vel maximè rebelles tuæ lucreris voluntati. Tu nos deviantes à te, nósque præcipites in plurium errorum abyssum actos sævis conscientiæ morsibus flagellas, ut redeamus ad te. Et denique ingentem nobis præstas misericordiam, dum non permittis, ut solidam extra te inveniamus pacem ac voluptatem veracem. O bonitas! infinita Bonitas? quomodo non cognoscemus te post tot, támque apertas, quas de veritate Existentiæ tuæ habemus, experientias? Sed quomodo te non amabimus, post tam teneras, támque continuas tui erga nos amoris exhibitiones?

Videbam probè, illum, quocum conversabar, quia valdè perspicax erat, non tantùm inscientiis litterarum studio acquisitis, sed multò magis in cognitione rerum divinarum è Cœlo orationibus suis hausta, non omnimodam habuisse satisfactionem, cùm me tam humiliter de Deo loquentem audiret. Incepit ergo ipse ad me loqui de Excellentiis adorandi hujus entis modo tam sublimi, ut audientem raperet in stuporem.

ARGU-

ARGUMENTUM.

1. *Essentia Dei probatur ex seipsâ.*
2. *Infinitæ ipsius perfectiones non tantùm sunt inseparabiles ab illius Essentiâ, sed sunt ipsa illius Essentia.*
3. *Felix anima, quæ possidebit Deum adeò magnum in omnem æternitatem.*

ARTICULUS II.

INcepit â verbis admirandis Sancti Dionysii Areopagitæ in libro de Divinis Nominibus: Cap. 5. *Deus neque erat, neque erit, magis autem neque est.* Divinus omninò hic vir, in arcanis divinis cognoscendis post Beatissimam Virginem & Sanctos Apostolos, vix non omnium expertissimus, in sublimi quodam sensu astruit nobis, quòd Deus nunquam fuerit, & quòd nunquam esse potuerit, quòd nunquam futurus sit & nunquam esse poterit. Supra omnia autem verum sit dicere, quòd non sit. Deus nunquam fuit, quia hic loquendi modus significat tempus præteritum, & in Essentiâ Dei præteritum nihil est. Ipse nunquam erit, quia hoc innuit tempus futurum, & respectu Dei nihil futurum dici potest. Ipse non potuit nec poterit esse, quia potentia non dicit actum, & Deus est actus purissimus. Et denique non est, eâ nempè ratione, quâ sunt omnia entia nobis cognita, quæ non habent, nisi esse actuale parvæ durationis, quæ mensuratur tempore.

Deus non fuit & nunquam erit.

Sed Deus est ens infinitum, æternum, incomprehensibile, totus actus, & tota perfectio. Oportet ipsum necessariò tale esse habere: Nam si per impossibile tale non haberet, haberet privationem hujus esse, quod esset nihilum quoddam infinitum; & si nihilum infinitum esset, deglutiret & annihilaret omnia entia: nos non essemus & mundus non esset; non esset neque Creator, neque Creatura, cùm per nihilum infinitum omnia entia excludantur, sed ad oculum videmus, quòd hoc non sit.

Necessariò oportet Deum esse æternum: nam si per impossibile fuisset aliquod instans, præcessisset hoc ens infinitum, debuisset aliquod non Ens infinitum ubique regnâsse. Et si fuisset quoddam non Ens universale, omnimodum & absolutum, quod excluisset omne Ens, quis potuisset hoc non Ens vincere, ad producendum Ens illud reale? Cùm enim nihil fuisset, nisi universale illud non Ens, necessarium fuisset, vel ut hoc non ens produxisset è sinu suo aliquod

Excellentia essentiæ Dei ostenditur ex opposito.

Ens, vel ut nunquam aliquid fuisset, nisi illud nihilum & non ens. Jam dicere quod nihilum sive non ens producat è sinu suo aliquod ens, est impossibile, cùm potius illud destruat nihilum, sive non ens & ens sunt hostes irreconciliabiles, nec possunt simul stare, sed invicem necessariò demoliuntur.

Quare Deus necessariò sit Ens infinitum.

Ulterius dicere oportet, quòd Deus sit ens necessarium, purus actus, quòdque habeat esse suum à se ipso: Nam si diceretur, quòd accepisset illud ab alio, quæreretur: Hoc aliud, à quo illud accepit? Si iterùm ab alio, hæc quæstio semper rediret & procederetur in infinitum. Oportet ergò necessariò venire ad primum aliquod ens, quod est à seipso, & à quo sunt omnia alia entia. Nam si non inciperetur à primo, non veniretur ad secundum, nec ad tertium, nec ad ultimum, & tandem non esset aliquod ens, quia necesse est, ut omnia sequantur ex primo. Sed cùm à se ipso sit ens necessarium, non potest esse limitatum, sed oportet infinitum id esse in omnibus; quis enim ipsi posuisset limites? Omne Ens, quod dependet à causâ, limitatum est ad certam aliquam naturam particularem, & ad certum perfectionis gradum, quia habere non potest, nisi id, quod à causâ suâ accipit. Sed supremum & primum entium, quod causam non habet, habere nec potest quidquam, quod sibi & essentiæ suæ terminum aut limitem figat. Hoc est, quod Divinus Areopagita nobis explanat verbis hisce sublimibus: *Deus est simpliciter & incircumscriptivè, universo illo esse, quod est.* Non habet portionem alicujus esse, sed habet totum ac integrum esse. De Divin. Nom. cap. 5.

Et Sanctus *Augustinus* præcipuus ex Ecclesiæ Doctoribus, loquens nobiscum de Essentiâ Dei, libro tertio de sanctissima *Trinitate*, mediationi nostræ magna hæc verba excutienda reliquit: *Deus est ipsum Bonum, non ab alio bono bonum, sed Bonum omnis Boni.* Affirmat, Deum esse Bonitatem per essentiam, nec recipere hanc Bonitatem ab alio, sed quòd ipse originem illius habeat in semetipso, quòdque illam dispertiatur aliis, prout sibi placuerit. Quando dicimus, Creaturas esse bonas, aurum esse bonum, solem esse bonum, fructus terræ esse bonos, non dicimus, illas esse Bonitatem ipsam, sed habere duntaxat levem aliquam bonitatis participationem, limitatam, & quasi angusto hospitio apud ipsas receptam, juxta diversam naturæ suæ conditionem. Non est, nisi solus Deus, qui in seipso includat omnem abs ullâ limitatione Bonitatem; sed hoc ipsum adhuc est demisse nimis- S. August.

philo-

philosophari de Majestate Dei. Si formare tibi volueris sublimem aliquem conceptum de infinito hoc ente, non tantùm faciliter, sed etiam delectabiliter, rem ita institue.

Quomodò formari possit conceptus eximius de Essentiâ Dei.

Propone tibi plures res pulchras: pulchri sunt flores, pulchra est lux, pulchra sunt arva & nemora, pulchri sunt lapides pretiosi; quælibet harum rerum habet particularē suam pulchritudinem, & omnes simul multò majorem adhuc pulchritudinem habent. Verùm si consideres pulchritudinem in se ipsâ, separatam ab omnibus his rebus particularibus, videbis, quod abs comparatione in majorem adhuc se extendat latitudinem, ita ut nec quælibet harum rerum, nec omnes simul, non solùm ipsam non exhauriant, sed nihil quasi ex eâ participent respectu ejus, quod participandum adhuc ex illâ restat: Nam Deus producere posset infinitas alias Creaturas, quæ pulchræ essent eâdem pulchritudine, quam tamen non exhaurirent, sicque conceptus hic pulchritudinis in seipsâ consideratæ, & ab omni subjectorum genere abstractæ in infinitum excurret, séque abs ullo termino extendet.

Fac idem cum albedine; Lilia sunt alba, nix est alba, lac est album. Accipe omnia hæc alba; Verum est, quòd participent aliquid ex albedine. Sed concipe in intellectu tuo albedinem ab omni subjectorum genere abstractam, videbis illam tam sublimem, támque amplam esse super omne id, quod album est, ut, si Deus crearet plurima millies millena millia aliarum rerum albarum, non tamen exhaurirent inexhauribilem hanc albedinis scaturiginem.

Idem facere poteris cum omnibus aliis perfectionibus, quas in Creaturis conspicies; cum fortitudine, cum bonitate, cum justitiâ, cum Sapientiâ. Videbis quidem aliquas omnium harum perfectionum scintillas diversis subjectis ac rebus communicatas, quas vocabis fortes & bonas, sapientes & justas; sed nulla ex his in particulari, nec omnes simul exhaurire poterunt omnem fortitudinem, omnem Bonitatem, omnem sapientiam, omnem justitiam, quin semper remaneat, unde multò plura aliis adhuc subjectis communicari poterunt. Quod si hâc ratione in intellectu tuo conceperis idæam fortitudinis, bonitatis, sapientiæ, justitiæ ab omni subjectorum genere separatam, & talem, qualis in seipsâ est, videbis ipsam esse aliquid universale, immensum, infinitum, quod nunquam exhauriri possit.

Nilominus cujuscúnque magnitudinis illæ tibi videantur, tam parum tamen accedent ad

infinitudinem essentiæ Dei, ut quasi ac propemodũ nihil. Num quælibet harum rerum ad summum habet esse suum particulare, abs eo, quòd aliquod esse habeat infinitarum aliarum rerum: Albedo v. g. habet totum esse & totam essentiam albedinis, quæ infinita est in ordine suo, sed non habet nisi illam solam: quia ipsa non est fortitudo, non est justitia, non est Bonitas, non est sapientia, néque est aliquid aliud rei. Unico verbo dices, quid sit, quid autem non sit, toto die non poteris dicere. Sic loquere de fortitudine, de justitiâ, & omnibus aliis rebus, de quibus formare potes aliquam Idæam abstractam ab omnibus subjectis particularibus, quarum quælibet non habet, nisi esse suum, jam quid est hoc ens particulare, respectu originis omnium rerum; nec hæc particularis res, nec omnes aliæ, quæ sunt vel esse possunt, unquam exhaurire poterunt scaturiginem rerum omnium, quia hæc absolutè infinita & inexhauribilis est.

Vis ergò concipere idæam aliquam summæ Magnitudinis essentiæ Dei? Accipe omnes has res abstractas, pulchritudinem, albedinem, fortitudinem, bonitatem, justitiam, & omnes alias; & considerans quamlibet illarum sigillatim non habere nisi levem aliquam participationem entis, sed limitatam & intra conditionem naturæ suæ particularis inclusam, tolle naturam hanc particularem, hâncque limitationem, & faciens altiorem & majorem adhuc abstractionem ab omnibus hisce rebus universalibus, ita, ut consideres duntaxat Ens in seipso, cujus illæ sunt tam levis participatio, & inveneris magnum hunc Oceanum, & vastam hanc immensitatem entis, quod nec est limitatum, nec determinatum, nec dispertitum, nec compositum in semetipso: Et hoc est ens infinitum, est ens supremum, est Deus nobis incomprehensibilis, nobis prorsus ineffabilis.

Cap. 5.

Deus est omnia & nihil est ex omnibus, quæ sunt.

Hinc est, quod Sanctus Dionysius Areopagita in libro de divinis Nominibus nobis scriptum reliquerit: *Deus est omnia, quæ sunt, & nihil eorum, quæ sunt; Cui Nomen nullum convenit, & omnia*: dicit, quòd *Deus sit omnia, & quòd nihil sit ex omnibus, quæ sunt*; quódque omnia Nominum genera illi conveniant, & tamen unum solum nomen ipsi sit proprium. Verum est, Deum omnia esse, quia cùm sit ens infinitum & absque ullâ limitatione, omnia sunt in eo, & omnia sunt ex ipso; aliàs si ex ipso nil haberent, non haberent esse & nihil essent; Sed reverà ipse nihil est ex omnibus, quæ sunt extra ipsum, cùm ipse non habeat esse limitatum, sicut habere

bere videmus omnes Creaturas. Si dico Deum esse bonum, justum, misericordem, dico quidem veritatem, quia ipse est hæc omnia; sed quia hoc est loqui de ipso, sicut loqueremur de mille aliis objectis particularibus, quæ participant bonitatem, justitiam, misericordiam, hinc melius dicam, quòd Deus sit Bonitas, Justitia, misericordia. Hoc elogium, includere omnem perfectionum infinitudinem in se ipso, absque ullâ limitatione, non congruit nisi ipsi soli: Verumtamen hoc est nimis abjectè adhuc loqui de Deo, si dicam, quòd sit hoc vel illud, quasi esse ipsius determinare vellem ad Bonitatem, ad justitiam, vel ad quamlibet aliam perfectionem particularem. Esse ipsius infinito modo extollitur super omne id, quod dici potest in singulari; Et sicut dicit Divinus Areopagita. *Magnitudine suâ omnem transcendit infinitatem*; Melius de Deo loqui non licet, nisi simpliciter dicendo: *Deus est.*

De Divin. Nom. Cap. 9.

Nullum Nomen & omne Nomen convenit Deo

Sic verum est, quòd nullum Nomen ipsi conveniat, eo quod nihil is sit ex omnibus, quæ nominare possumus, nec ulla Creatura pronuntiare possit aliquod Nomen, quòd ipsius exprimat essentiam. Ipse solus, qui se perfectissimè cognoscit exprimere se potuit per Verbum suum; & nihilominus imponere ipsi possumus omnia nominum genera, quia quidquid boni exprimere possumus per Nomen, quâ rem aliquam insignimus, perfectius est in Deo quàm in re ipsâ. Si exempli gratiâ vellet quis exponere excellentiam Solis illi, qui hunc nunquam conspexit, diceret ipsi: Ipse est ingens globus aureus, stupendum evibrans splendorem; est facula in Cœlo accensa, totum illuminans mundum; est Clibanus ignis cœlestis, calefaciens & animans omnia hæc inferiora; Est Carbunculus scintillans, innumeros circulans radios, quibus cuncta illustrat & accendit sidera: Verum is quidem diceret, omnibus hisce nominibus exornans solem, cùm reverà is possideat pretiositatem auri, lumen faculæ, ardorem ignis, fulgidos Carbunculi radios; Omnes quidem hasce perfectiones nobilissimum hoc sidus in se complectitur; si tamen proprio loquendi modo uti volumus, Sol nihil est ex his omnibus, sed est aliquid abs Comparatione nobilius.

Pari modo, quando exprimere volumus, quid sit Deus, locupletamus ipsum pluribus augustis Nominibus. Dicimus ipsum esse ingens infinitarum perfectionum pelagus, supremum mundi Monarcham, splendidum æternitatis Solem, omnipotentem,

tem, inexhaustum Bonitatis Thesaurum; Verum dicimus, dum attribuimus ipsi splendida hæc elogia, quia revera complectitur in se omnes excellentias hisce elogiis significatas: sic omnia genera nominum perfectionem aliquam significantia ipsi congruunt; sed, sanè nihil est ex omnibus, quæ nos vel putamus, vel dicere possumus. Ipse est ens ita omnes cogitationes hominum transcendens, ut nihil sit nominis, quod ipsius possit exprimere essentiam. Quomodò compellem te O mi Deus? quomodo loqui potero de te? Interrogatus quis sis, quid respondebo? Et si invocare te voluero, quomodò vocabo te in auxilium meum, O Deus meus, misericordia mea! nisi instruas cor meum in idiomate amoris, loquentis tibi, quin te nominet, invocantis te, quin utatur verbis, effundentis se coram te, quin aliud petat, nisi ut exhibeas illi misericordiam, quatenus totum possit esse tuum, totum absorptum in te, nec unquam amplius separetur.

Gaudium animæ, quæ novit possessuram se Deum in æternum.

O ineffabile gaudium piæ animæ, cui tam magnus Deus semetipsum sepromisit daturum in omnem æternitatem! O millies beatam animam fidelem, quæ potest & debet habere fiduciam possidendi illum, si vixerit in timore & amore ejus, eo quod promiserit hoc ille, qui fidelis est in promissis suis, nec quemquam fallere potest! Et tu O Anima abjecta, quæ non contendis dies noctesque ad assecutionem tanti honoris, nec eundem infinities pluris æstimas omnibus mundi rebus, quibus es affixa; si in tuâ foret potestate, in tuo arbitrio, formandi tibi summam aliquam felicitatem votis ac desideriis tuis conformem, thesaurum aliquem consolationum, bonorum, voluptatum, quem in æternum possideas, & quidem talem, qualem optare & expetere posses, quâ ratione formares illum in imaginatione tuâ? Expande peramplam latitudinem, omnium desideriorum tuorum; Explica, distende, quantum potueris immensam votorum tuorum amplitudinem, ad collocandum & recipiendum ibi bona quæcunque imaginabilia: Efforma tibi thesaurum locupletissimum, qualem & quantumcunque volueris ex dignitatibus, facultatibus, voluptatibus, jucunditatibus, & exin adjunge centies, & post hæc millies centies tantundem, & agglomera, accumula, coacerva ex his montem â terris pertingentem usque ad Cœlos. Et postquam omne tuum contuleris studium, ad effingendam tibi felicitatem, quam poteris maximam, videbis tandem hæc

omnia

omnia nihil esse nisi tenuem pulvisculum & parvam entis scintillam, respectu infiniti illius entis, & immensi ac inæstimabilis illius thesauri, nempe Dei, qui de se donando sponsionem tibi facit, ut pretiosa sit tibi possessio in omnem æternitatem.

Si quis tibi diceret: necesse est igitur pro requirendâ tam ingenti felicitate tot ac tantos subire labores, quantos quotidie omnes mundi asseclæ subeunt pro comparandis bonis terrestribus; nonne affirmares, æquissimum hoc esse, eò quod summum hoc bonum absque omni comparatione longè sit majus ac excellentius. Et ecce quàm facilem tibi reddat is sui tum acquisitionem, tum possessionem, cùm aliud à te nil petat, quàm ut ipsum non offendas, ipsum timeas, de ipso cogites, ipsum desideres, ipsúmque diligas. O Deus! An imaginari tibi unquam potuisses medium suavius, faciliùs, gratiùs; An ergo satis sit, cogitare de hoc bono infinito, illud cognoscere, illud desiderare, illud amare ex toto corde, & amando ac desiderando jam sit acquisitum, ubi est minimum terræ bonum, quod tam vili venditur? O anima mea, ad magnam hanc veritatem quid inquis? quæ tibi mens? Ecce totus boni infiniti thesaurus se tibi per omnem æternitatem possidendum promittens, pro pretio, aliud à te non requirit, nisi ut ipsum desideres, ipsum ames? O Deus! quantus tibi in æternum dolor, si te infiniti hujus boni privaveris possessione, ex reatu, quòd non amaveris ipsum! pondera hoc benè, pondera hoc benè, pondera hoc benè, & mori malueris, quàm ipsum non amare.

ARGUMENTUM.

1. *Non tantùm omnes Creaturæ, sed Nihilum ipsum suo modo attestatur & asserit Existentiam Dei.*

Articulus III.

Hucúsq; deveneramus, dum pius aliquis Ecclesiasticus junxit se nobis, & ioquentes nos intelligens de argumento, quo ipsemet fuerat haud levitèr occupatus, & de quo à diebus aliquot suas instituerat meditationes, fassus est nobis, quòd quantò sublimius suum intellectum nitebatur attollere ad cognoscendum aliquid de Essentia Dei, tantò minùs illuc accedere &

2. *Qui negat esse Deum, est in deteriore statu, quàm sit ipsum Nihilum.*

approximare potuerit; sed postquam se valdè humiliâsset, & in suum descendisset nihilum, tantum acceperit lumen circa entis infiniti magnitudinem, mediante infiniti nihili ex adverso eidem oppositi consideratione, ut nunquam quid invenerit, ex quo majorem de ipso haurire potuerit cognitionem.

Siquidem considero, dicebat nobis, quod, cùm Deus & nihilum sint duo extrema non tantùm in nullo convenientia, sed sibi invicem opposita, discurrere oporteat de utróque modo prorsus oppositò; quòdque quantos defectus cognoverim in puro nihilo, tantas perfectiones inventurus sim in essentiâ Dei. Ecce ergò discursum ipsius.

Eximia probatio Essentiæ Dei, per nihilum sibi oppositum.

1. Purum nihilum nihil habet entis, ne quidem atomum, nec unicam entis umbram; aliàs non esset purum nihilum: nunquam fuit, & nunquam erit; est impossibile, ut aliquid sit, vel minimam habeat perfectionem; hæc námque est puri nihili natura. Oportet ergo totum contrarium affirmare de Essentiâ Dei, quòd nihil habeat de non ente, nec minimam quidem particulam, aliàs non esset purum ens; quòd fuerit ab æterno, quòd sit necessariò, & quòd in æternum erit.

2. Infinitum nihilum est nullibi, nec potest aliquem locum occupare; nam si esset alicubi, esset aliquid: Nihil ergò potest facere & nihil potest dare; nam ut facere, quid possit, debet esse, & ut dare quid possit, debet id habere. Debet igitur totum oppositum dici de Essentiâ DEI; quòd nimirùm sit ubique, & omnia impleat; nam si aliquis foret locus, ubi non esset, esse ipsius mixtum foret, cum aliquo non esse. Est igitur omnipotens & potest facere, quidquid voluerit; potest etiam dare bona infinita, quia hæc possidet in semetipso.

3. Purum nihilum non est privatio alicujus rei particularis, sicut verbi gratiâ sunt tenebræ, quæ sunt privatio luminis in aëre; nec cumulus aliquis plurium privationum, sicuti essent surditas in auribus, cœcitas in oculis, ignorantia in intellectu, vel mors in animali, sed est privatio absoluta, universalis, omnimoda, quæ universaliter excludat omne essendi genus, qualecunque tandem esse posset. Omninò ergò contrarium asserendum est de essentiâ Dei; quòd nimirùm ipse non sit ens aliquod particulare, sicut verbi gratiâ lumen; nec cumulus plurium entium, sicut foret ens spirituale, vel ens corporale, esse hominis, vel esse Angeli. Sed est ens infinitum, transcendens omne ens particulare, & includens in se om-

se omnem latitudinem entis, ac universaliter excludens omne genus non entis, qualecúnque esse possit.

4. Nihilum infinitum est tam miserabile, ut nihil adjicere possis ejus miseriæ, nec ex hâc vel minimam particulam iminuere, quin absolutè illud destrueres. Non possis aliquid adjicere, ad reddendum id miserabilius; siquidem, quam negationem novam illi attribueres, cùm jam omnes in sei pso includat? Non possis etiam quidquam ipsi demere, quin destrueres, quia ut ipsi aliquid demas ex puro suo nihilo, oporteret ipsi dare aliquam particulam entis, & si haberet vel minimum atomum entis, non foret amplius purum nihilum. Discurrendum ergo est prorsus ex oppsito de essentiâ Dei, & dicendum, ipsum esse tam plenum, támque divitem bonis & perfectionibus infinitis, ut impossibile sit, vel ipsi aliquid adjicere, vel ipsi quidquam adimere, quin destruatur. Non possis ipsi aliquid adjicere, nam quid novi ipsi adjiceres; cùm jam includat omnem infinitudinem entium in semetipso: vel quam entis particulam possis ipsi adimere, quin ibi relinqueres vacuum, quod esset aliquod non ens? Sic amplius non esset purum ens, nec ens infinitum, adeòque non amplius esset Deus.

Qui credit in Deum, felicissimus est, qui non credit, miserrimus.

Volebat prosequi hasce antitheses & oppositiones inter nihilum infinitum, & esse infinitum Dei; sed interrogando interpellavimus ipsum: An credis doctrinam hanc, quæ reverà pulchra est, &, si benè capiatur, intellectui formare potest pulcherrimam idæam essentiæ Dei? An credis ipsam sat validam esse ad convincendum aliquem Atheum, vel persuadendum alicui Religionis contemptori, ut adhæreat veritati, quòd Deus existat? Inveni quempiam ex his, ajebat nobis, cui cùm eundem ferè discursum proposuissem, hanc super addidi propositionem, quæ mox ipsum continuit. Tu asseveras non esse Deum, & ego assevero esse Deum, quis nostrùm beatior est? Cujus melior est conditio? Ego bonum habeo infinitum, dum habeo Deum; & tu malum habes infinitum, dum es privatus Deo. Ego bonum habeo immensum, quod ubivis invenero, bonum omnipotens, quod ubique me poterit conservare, me defendere, me protegere, & omnibus meis prospicere necessitatibus, bonum omninò purum, quod cum non sit nisi bonitas, non cessat benefacere, me afficere gaudio, ac replere solatio: Et tu habebis nihilum

infinitum, quod nullibi est imbecillitatem infinitam, quæ nihil potest, abyssum miseriarum, quæ nec gaudium, nec solatium tibi potest afferre. Habeo ego refugium ad ens infinitum, ad Bonitatem infinitam, quando in meis afflictionibus refugio mihi fuerit opus, quod ipso opere mihi præstabit, & potenti aderit auxilio; Suppetat & sit tibi refugium ad tuum nihilum, & videbis, quas ferre tibi poterit suppetias. Unico verbo, dum ego credo in Deum & tu non credis, ejusmodi nostra sors est & partitio, quòd ego habeam omnia, & tu nihil. Ecce magnum quod refers emolumentum, dum agis Atheum, negando veritatem existentis Dei.

Respondit mihi audacter: Ego magnæ imputo stoliditati, quòd imagineris tibi Deum, qui sit Omnipotens, qui ubique te videat, quamvis tu non videas ipsum, qui re offendatur minimâ, quique te puniat, dum quidquam feceris, quod ipsi displiceat? Hoc est superimponere capiti tuo jugum insupportabile, durâ te ipsum constringere servitute, quæ velut mancipium te torqueat, tuâque te exuat libertate, quâ exutus exuaris quóque facultate vivendi feliciter ac beatè, tuisque pro arbitrio tuo satisfaciendi propensionibus ac votis. Tu, qui credis in Deum, nunquam non vivis in imaginatione, in metu ipsi displicendi, & in timore supplíciorum ipsius; Ego, qui non credo, vivo absque timore, absque vi, absque coactione, nihilque me impedit, quin mihi satisfaciam in cunctis, vivámque beatus Putabat, se mira dixisse, & rationem allegâsse irrefragabilem.

Qui negat Deum, fatetur hominem esse pessimum,

Verùm nonnè cernis, inquiebam ipsi, quòd tuo te gladio jugales ac temetipsum condemnes? Nonne vides hoc fieri ex timore habendi testem, judicem ac censorem actionum tuarum, quod credere nolis, esse Deum? Non nisi sceleratorum est, metuere oculos judicis: qui benè agit, non habet, quòd timeat censuram potestatis alicujus superioris. Non fuit, nisi maxima morum depravatio, quæ inducere potuit animo errorem tam abominabilem; Non fuit nisi intolerabile tormentum conscientiæ exprobratione scelerum suorum immanitèr cruciatæ, quo desperatæ animæ quædam eò impietatis fuerunt reductæ, ut potius vellent privari Deo, quàm sua dimittere peccata, cùm hæc conservare non possent in animabus suis cum firmâ fide in Deum infinito modo justum, quia supplicium continuum, & vivum veluti infernum circumferrent in animo suo. Nam quandiu illis in animâ adhuc

huc remanet aliqua divinitatis memoria ac cogitatio, quomodò vel unico momento, quiete ac gaudio fruantur, scientes: Ego sum in manibus omnipotentis Dei, cujus justitia est inexorabilis, quique pro mulctâ scelerum meorum præparatos servat ignes æternos, hoc non fit, nisi ut expediant se moleſtâ hâc persecutione, quâ tamen longè crudeliorem inferunt Deo, contendentes, quamvis in vanum, sibi persuadere, ipsum non esse.

Nemo negat existentiam Dei, ut evadat melior,

Quis enim est, qui sibi unquam formârit cogitationem tam impiam, ut evaderet melior, virtuosior, æquitatis studiosior? Nonne potius è contrario ad assequendum plus libertatis impunè peccandi, dum persuadere sibi possunt, non habere se testem, nec Judicem, nec vindicem actionum suarum, dum interim illi, qui virtuti ac pietati student, maximum in eo inveniunt solatium, quòd firmiter credant, Deum esse, qui vitæ ac morum suorum testem agat, qui innocentiam suam agnoscat, quique bonis operibus suis æternas præparet, ac disponat coronas? Anticipatus hic Paradisus est, gaudere jam testimonio conscientiæ suæ, & sublimi pace, quâ Deus illoe perfundit ac consolatur. O quàm jucundum est bonæ animæ, nôsse: habeo Patrem Cœlestem, quæ adornet mihi hæreditatem suam in regione beatâ, ubi ardentissima cordis mei desideria implebuntur abundè, & hæc hæreditas est Deus ipse. Jamjam voluptuosè se nutrit hâc spe, quæ falli non potest, nec vana esse, cum innitatur promissis infallibilibus veritatis infinitæ. Jam jam cor suum & cuncta desideria sua dirigit eò, ubi est thesaurus suus, dum interim terram ac terrena omnia pedibus suis substrata conculcat ac contemnit.

O Civitas Sancta, patria mihi Charissima! O Palatium augustum, ubi gloria Patris mei Cœlestis, tantâ cum Majestate suavissimis plena illecebris refulget! O mansio manans gaudio, quo reples omnes beatos! Ah! quando tuas mihi portas aperies ad aggregandum me numero habitantium in te? Quàm dilecta ac delicijs plena sunt tabernacula tua, Domine DEUS Virtutum! Concupiscit ardenter, & deficit anima mea, detentam se videns ad portam, & beatam Dei sui possessionem dilatam sibi ac prolongatam. Verum est, quod amodò quiescam in sinu ipsius, ipsum jam intuear oculis fidei, ipsum jam amplectar Sanctæ Charitatis brachiis. Ipse amat me, & ego amo ipsum, ipsum dat se mihi ex bo-

nitate ; & ego ipsius sum ex justitiâ : Sed cor meum non satiabitur, quoad ipsum viderit in gloriâ suâ : *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Psal. 16.

ARGUMENTUM.

1. *An veri Athei inveniantur in mundo.*
2. *Unde veniat, quòd plures dicant, se Atheos non esse, nihilominus more Atheorum vivant.*
3. *Quicunque firmitèr credit, quòd Deus sit, demonstrat id per opera sua.*

Articulus IV.

MAximâ cum consolatione audiebamus doctrinam, & ardentem intuebamur Zelum Religiosi hujus Ecclesiastici ; & Credens thesaurum hunc nobis missum esse â Deo, ad hauriendum ex eo pretiosas opes, indagavi ex ipso, an meritò credamus, veros aliquos Atheos inveniri in mundo, cùm veritas de existentiâ Dei tam manifesta, támque luculenta sit, ut videatur ignorari non posse ab ullo homine in terris; nihilominus tamen conspiciamus, quàm plures ita vivere, quasi nescirent omninò, Deum esse.

Impossibile est, esse unicum verum Atheum.

Respondebat mihi : si verum Atheum nuncupes illum, qui firmiter persuasus sit, non esse Deum, & hoc tantâ cum certitudine, ut nullum desuper dubio relinquat locum, certum est, non solùm talem non reperiri, sed nec reperiri posse in mundo. Ratio est, quòd nunquam intellectus certus esse possit in cognitione suâ, nisi illustretur veritate, cujus sibi demonstratio facta sit per causas vel effectus suos, tam evidens, támque luculenta, quæ oculis suis plenam afferens lucem expellat inde omne dubium, eâ prorsus ratione, quâ Sol expellit tenebras: siquidem scientia describitur, quòd sit *Cognitio certa & evidens rei per principia & Causas.* Jam dicere, quòd non sit Deus, non est rem cognoscere, sed est illam non cognoscere ; de hoc autem non potest fieri demonstratio per causas suas, quia quod non est, causas non habet ; sed nec potest fieri per effectus suos, quia similiter, quod non est, effectus non habet. Impossibile ergò est, hanc propositionem quæ audita solummodò horrore percellit, *Non est Deus*, constituere cognitionem certam & evidentem in intellectu ; Cùm nemo hominum de illâ facere

cere possit demonstrationem certam per principia & causas sua.

Qui dicit, verum esse, quod non sit verum, affirmat aliquam veritatem.

Vel si quis pertinacitèr affirmare vellet, veritatem certam & evidentem etiam haberi posse de eo, quod non est, sicut de eo, quod est: Nam Exempli gratiâ, æquè certus sum, non esse mare ex auro potabili, sicuti certus sum esse aliquod ex aquâ Elementari; huic responderem cum sancto Thoma, quòd veritas tam fortis sit, ut, qui putat se eam oppugnare, ipsam defendat, quiq; illam negat ipsam confirmet, & qui ipsam demoliri & funditus evertere nititur, necessariò illam stabiliat: Nam si dicas, verum esse, quòd veritas non sit, confirmas aliquam veritatem, quia pro veritate tenes, quòd veritas non sit. Si igitur loquendo de primo ente, quod Deus est, acritèr defendas, verum esse, quòd ipse non sit, dum destruere vis primam veritatem, necessariò primam veritatem confirmas. Et quia veritas est aliquod Ens, primum Ens negare volens, primum Ens confiteris.

Si dicas: sed hoc primum Ens, & hæc prima veritas, quam defendo, non est Deus; nam ex adverso fateor, verum esse, quòd, Deus non sit: Nonne vides admirabile m triumphum primæ veritatis super imbecillitatem intellectûs nostri? dum ipsam te fugere credis, incidis in manus ejus: Tu ipsam oppugnare contendis, & necessariò ipsam confirmas: Nam si loquendo de primo Ente & de primâ veritate, ponas velut certam & constantem veritatem, ipsam non esse, nonne vides veritatem, quæ respiciat primum Ens? Tu putas hoc esse, ad illud negandum, illudq; destruendum, & prorsus è contrario illud consolidas, illud confirmas: siquidem si ponas mihi primamaliquam veritatem, ponis mihi primum aliquod Ens, quia omnis veritas est ens, & quicûnq; cognoscit primam veritatem & primum Ens, cognoscit Deum. Sicque iniquitas jugulat semetipsam, juxta effatum Vatis: *Mentita est iniquitas sibi.* Psal. 26.

Homo doctus non potest esse Atheus.

Sed ad ostendendum tibi demonstratione magis palpabili, magisque sensibibile esse, quòd vel unicus & verus Atheus sit in mundo; Quæro ex te, unde illum accipies? ubi illum invenies? hoc esse non poterit, nisi vel inter doctos vel inter indoctos. Dicere hominem doctũ esse posse Atheum, est impossibile; siquidem scientia aliud non est, quàm cognitio certa & evidens effectuum per causas suas.

Quod si cognoscere studeat causas omnium effectuum, interrogandum tandem erit, quænam sit prima causâ omnium rerum conditarum, quænam sit potens hæc manus, â quâ fabrefieri

brefieri & ædificari potuerit ingens hæc moles universi; quinam sit intellectus tam perspicax, qui redigere ipsum potuerit in ordinem tam concinnum; quænam sit hæc sapientia, quæ regat ipsum tantâ cum æquabilitate ac moderatione, ut tota ipsius Oeconomia post tot sæculorum, quibus durat, decursum, nunquam aliquam incurrerit exorbitantiam ac inordinationem; Et tandem inveniet primam aliquam causam, primum aliquod Ens, id est, inveniet Deum. Et hoc supremum Cognitionis est fastigium, quo Philosophi gentiles pertingere potuerunt, solâ discursuum naturalium virtute.

Jam quod fastigium est & culmen scientiæ naturalis, est velut Basis & fundamentum fidei divinæ, siquidem prima veritas, quæ nobis credenda proponitur; est, quòd Deus sit. Per primum hunc articulum scientia & fides uniuntur, & eâdem veritate quasi sibi invicem concatenantur; Id quod est finis scientiæ, est initium fidei. Quâ ratione igitur homo doctus esse possit Atheus, eo quod, ubi desinit esse doctus, incipiat esse fidelis: quod scientia ipsius illi demonstrat de veritate primi Entis, hoc fides illum docet modo longè sublimiori; ab unâ cognitione progreditur ad aliam, quæ tam perfectè uniuntur ad afferendam magnamLucem intellectui ipsius circa veritatem Existentiæ Dei, ut cessare non posset esse fidelis, quin pariter cesset esse doctus, nec negare veritatem Existentis Dei, quin ostendat se doctum & sapientem non esse, cum hoc esset ignorare rerum omnium causam primam: & consequenter impossibile est vel unicum verum Atheum reperire inter doctos.

Homo indoctus minus adhuc esse potest Atheus.

Indocti & ignari, qui reguntur magis instinctu naturæ, velut bruta animantia, quàm discursibus intellectùs; velut Philosophi, minorem adhuc capacitatem habent, quâ Athei esse possint: siquidem cum se motibus ac affectibus naturæ permittant, in certis occurrentiis manifestè produnt, probè se scire, quòd Deus sit, quamvis hoc à nemine didicerint. Quare enim extollunt oculos ac manus in Cœlum, quando magnâ & inopinatâ aliquâ obruuntur adversitate? Nonnè videmus, quòd, antequam deliberent, quid sibi faciendum; ex instinctu naturæ deliberationem animi præveniente ex improviso & subitò exclament: *Mi Deus! O Deus vive! Ah! Magne Deus!* post hanc tam promptam, támque liberam ipsius naturæ agnitionem, quâ fertur hic homo ad invocandum Deum suum in necessitate

sitate suâ, nonne sibi ipsi contrariaretur, si quem invocat, negare audeat?

Apoc. cap. 26. Hinc est, quod Tertullianus, admirans fidelitatem, quâ Dei opus suum cognoscit Authorem, attonitus exclamet: *O Testimonium Animæ naturalis Christianæ.* O ingenuam confessionem! O Testimonium irrefragabile naturæ, quæ asserit ex instinctu, quod offerunt Christiani per fidem! Opus est fraude malitiosâ, vel studiosâ, ut aliquis vel esse, vel Atheum simulare possit; & quia indocti ejusmodi malitiæ minus sunt capaces, tantò magis & longiùs absunt ab eo, ut Atheorum numero possint aggregari. Ex hoc concludere & deducere mihi pronum est, maximâ cum difficultate verum Atheum in mundo inveniri posse, ubicúnq; quæsiveris ipsum, sive inter doctos, sive inter indoctos.

Non credere firmiter existentiam Dei, est ex parte Atheismus. Sed unde oritur, inquiebam ipsi, tantos reperiri in mundo, qui vivant velut Athei, ita ut omni, tum cognitione, tum timore Dei videantur exuti? Ad hoc respondebat mihi: Si Atheos reputes non solùm illos, qui tueri ac propugnare audent, non dari Deum, sed & illos, quibus non adeò firmiter persuasa est veritas de Existentiâ Dei, quique illam non satis vivacitèr in animum inducunt, fateor, quòd talium plena sint omnia: siquidem innumeros videre est, qui non nisi tam tenuem támque confusam de Deo cognitionem habent, ut tantundem propemodùm sit, quasi illo prorsus carerent. Ut verum fatear, pro certo non tenent, existere Deum, sed fluctuant, nutant, in dubium vocant: Nam præterquàm experiantur aliquem occultum intra semetipsos instinctum, videántque hâc omnes viâ ambulare, sequuntur in hoc inclinationem suam naturalem & aliorum premunt vestigia, abs eo, quod de ulteriori se angant informatione, cùm non sit res, quo ipsis cordi sit & curæ, utpote quæ tanti non sit ponderis in eâ, quam tenent, vivendi ratione, ubi abundè suam inveniunt satisfactionem, abs ullâ de Deo cogitatione.

Tertullianus dicebat, Cognitionem Dei datam esse animæ, velut usuariam donationem, aut dotem usufructuariam à Nativitate ipsius, vi cujus Deus nunquam sit absconditus, nunquam datus oblivioni, semper cognitus, semper manifestus, nunquam non in notitiâ & scientiâ hominum. Si nihil magis visibile nostris est oculis, quàm omnium luminum origo, nempe sol; sic magis visibile nihil est intellectui nostro, quàm prima veritas, nimirùm Deus. Interim quasi peccatum omnes ho- Adversus Marcion. lib. 1. c. 10.

minum animos funestis obduxisset tenebris, nil minùs cognoscitur, nil minùs videtur, quàm Deus. Ratio hujus, quæ dari possit, est, quòd nonnisi duæ ipsum cognoscendi sunt viæ; vel scientia valdè sublimis, quâ cognoscatur naturaliter, vel viva fides, quâ cognoscatur supernaturaliter; Jam quis ignorat, quanta utriúsque sit raritas & infrequentia inter homines.

Quare Deus parum cognoscatur per scientiam naturalem.

Nam si quæstio sit de sublimi hâc & abstrusâ scientiâ, quæ mentem extollit úsque ad inquisitionem primi Entis, ad cognoscendum illud naturaliter, ubi invenias, qui seriò huc animum intendant, mentémque appellent? Homines plerique suas gerunt animas totas immersas sensibus, totásque rebus, quas vident, quas tangunt, occupatas. Si quandóque utantur ratione, non appellatur hæc nisi ad res vitæ præsentis, nonnisi ad expedienda negotia, ad addiscendam aliquam artem, sive mechanicam, sive liberalem, vel ad studia litterarum humanarum, vel ad aliam quandam vanitatis plenam curiositatem: Et omnes his insudant, his immorantur, ut quasi vix unus se attollat ad cognoscendum Deum virtute ratiocinii & rationis, quamvis hoc factu non sit difficile. Et hâc ratione dici potest, Deum nullatenus cognosci ab hominibus virtute scientiæ naturalis. Et quando etiam cognosceretur hâc viâ, id cognoscendi genus, quod solummodò naturale est, cui bono serviret, nisi ad satisfaciendum curiositati, & producendam exterius vanam quandam verborum ostentationem, abs eo, quod animo veram insculperet supremæ ipsius Excellentiæ æstimationem, & verum voluntati infinitæ ipsius Bonitatis amorem?

Quare Deus parum cognoscatur per fidem.

Quod concernit fidem, quæ infusa lux est, nequaquam ab humanâ ratione producibilis, sed quam nobis Deus de Cœlo mittit ideò, ut attollat nos super rationem nostram humanam, nósque deducat ad sui cognitionem, sicut stella deduxit Magos ad inveniendum illum in præsepi suo. Verum quidem est, omnes Christianos hanc recipere in Baptismate suo; sed hoc est, quasi quis committeret pretiosum semen visceribus terræ, abs eo, quòd hoc adverteret. Quid utilitatis ex hoc dimanat in illos, toto infantiæ tempore, dum nondum fruuntur rationis usu, fidem habent, ac si non haberent; nam hæc non obstat, quin vivant parvorum animantium more. Quando ratio incipit paulatim sese explicare sensibus, & propriis suis operam navare exercitiis, instituitur novus hic Christianus in addiscendis quibusdam

busdam verbis, id quod fides docet, significantibus, ad deducendum ipsum in Cognitionem Dei, quæ dum memoritèr recitat, dicitur optimè instructus in articulis fidei, hósque ad amussim callere; sed non nisi verba callet, quid autem significent, nullatenus capit, habet is quidem fidem, loquitur etiam idiomate fidei, sed pro ipso idioma est barbarum, ubi nihil intellexit.

Sufficit ipsi, quod dicat, Christianum sè esse per gratiam Dei, eò quod ita loqui fuerit edoctus: sufficit ipsi, quòd nôrit effari quædam, quæ innuant præcipua Religionis suæ Mysteria: De reliquo ad illos se refert, quorum fert conditio & institutum illa nôsse, quæ hisce Mysteriis innuuntur, ipse autem in intellectu suo non habet plus luminis ad cognoscendum Deum, quàm si fide prorsus careret. Ut quid miraris, si perseverans in magnâ istâ Dei ignorantiâ, vitam ducat Atheorum more? Ut quid velles ipsum tanti æstimare supremam hanc Majestatem, ut illam omnibus anteferret? Mens illius nullo ipsam loco habet, cùm ipsam non cognoscat, quomodo ergo magni penderet vel venerationi haberet? Ut quid velles ipsum amare Deum super omnia, cùm amare non possimus, cujus nullam notitiam habemus? Novit quidem res innumeras sensibus subditas, quibus consecrat amorem suum; sed cùm minorem Dei, quàm cæterorum omnium habeat cognitionem, consequenter etiam minore erga ipsum fertur amore ac æstimationis affectu. Et tu velles navare ipsum operam, ut illi placeret, semetipsum abnegaret, naturalibus suis propensionibus vim inferret, ad exequendum in omnibus voluntatem Dei? quâ ratione tam generosum caperet consilium, cùm non capiat, nec sciat, quòd sit Deus?

Quare plerique homines vivunt more Atheorum.

Vivet, qui est ejusmodi, ut plurimùm juxta inclinationem naturæ, quâ si feratur ad malum, enormia patrabit facinora, & acriter in ipsum invehetur, dicetúrque ipsum vivere velut Atheum. Quod si fors obtigerit illi, obtinuisse bonam indolem, vivet moraliter benè, extolletur laudibus, & dicetur, ipsum valdè bonum agere Christianum; reaptè tamen, ut verus vivet Atheus, cùm nec leviſſimam habeat Dei cognitionem, nec minimam in omnibus, quæ agit, reflexionem ad ipsum; Non nisi sequitur bonæ indolis propensionem, quam possidere etiam posset homo prorsus nullâ Dei notitiâ imbutus: Et ejusmodi Atheis scatet & abundat mundus, qui sanè procacitèr negare nollent existentiam Dei,

sed cùm ipsius nullam cognitionem habeant, non pluris ipsum pendunt, nec magis de ipso cogitant, ac si firmiter crederent, ipsum non esse.

Quòd si ergò per Atheos id genus hominum intelligatur, fateri oportet, quasi infinitum & abs numero fore ipsorum numerum, paucósque, qui ejusmodi non sint: si namque ad notam Athei effugiendam oporteat cognoscere Deum per lumen fidei supernaturalis vivæ, quæ reverà moveat, & exstimulet animum; Ecce tibi quid requiratur in eo, qui nulla ratione sit Atheus.

Fides facit Deum præferre omnibus.

1. Fides demonstrat, Deum esse ens infinito modo perfectum, & consequenter infinito modo æstimabile; Esse ens infinito modo bonum, adeóque infinito modo amabile. Si verè intellectum hoc lumine imbuat, ipsíque hanc fidei veritatem efficaciter persuadeat, haud esse potest, quin Deum proferat omnibus, tum majoris ipsum æstimando, tum ardentius ipsum diligendo; sed præferat ita, ut Deum velut unicum & omne bonum suum, Creaturas autem omnes illius intuitu velut res nihili aspiciat, adeóque omnem suam æstimationem, omnem sùum amorem illi consecret; Cœtera autem omnia despicatui habeat maximo, summè contemnat & aversetur. Non clarè videre, Deum esse omnia, & creaturas esse nihil, haud sanè est cognoscere Deum; veritas namq; est Deum esse omnia per seipsum, & creaturas esse res nihili, cùm ex nihilo veniant, paratæ semper in nihilum reverti, si Deus vel unico momento ab ipsarum conservatione desisteret. Videbis, quid in animâ operetur primus fidei radius, cùm nobis communicet veram Dei cognitionem, omnem nostram æstimationem, omnem nostrum amorem in ipsum rapiat, cœteris omnibus, quæ Deus non sunt, neglectis ac contemptis. Nonne verum est, pauciſſimos in mundo hanc vitæ rationem injre, ac ejusmodi amplecti institutum? fateri ergò oportet, rariſſimos esse, qui Deum cognoscant.

Fides facit exercere virtutes.

2. Fides non solùm tribuit animæ cognitionem speculativam circa veritatem essentiæ Dei, vel magnitudinem Mysteriorum, quæ operatus est in bonum nostrum; uti est, Creatio mundi, Redemptio generis humani, æternitas pœnarum, retributio bonorum; sed communicat ipsi etiam cognitionem & persuasionem practicam ac efficacem omnium veritatum, quas docuit, affectuum, quos elicere, operum, quæ perficere debemus, ad conservandum in om-

in omnibus, sicut decet servos Dei, volentes ipsum cognoscere, eidem obsequi ac famulari. Exempli gratiâ, si firmiter persuadet, ut credamus, filium Dei incarnatum esse in sinu Beatissimæ Virginis, velut veritatem, pro quâ parati simus effundere sanguinem, eâdem ratione persuadet, nósque inducit ad credendum id, quod dixit olim in sancto Evangelio: Beati pauperes; Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam; Et væ divitibus, qui habent hìc consolationem suam. Et de his ita persuasi & certi sumus, si veram possideamus fidem, ut pro hujus veritatis defensione æquè promptè daremus vitam ac sanguinem, sicut ad propugnandam veritatem de Existentiâ Dei.

Quando dicit nobis Evangelium: quod nisi conversi fuerimus & efficiamur sicut parvuli, non intrabimus in Regnum Cœlorum: quod nisi fecerimus pœnitentiam, omnes similitèr peribimus; quod nos oporteat diligere inimicos nostros, & benè facere his, qui nobis malè faciunt; quod qui amat Patrem suum & Matrem suam, plùs quàm illum, non possit esse ipsius Discipulus; & millena alia documenta sùblimia, quibus refertum est Evangelium: Hæ veritates ex ore Dei nobis annuntiatæ sunt tam certæ, quàm certa est veritas de Existentiâ Dei, & quia plerique homines de his non judicant, nisi per cognitiones suas naturales & affectus suos humanos, hinc illis non moventur, audiunt illas duntaxat pertranscursum & elabi permittunt, absque eo, quòd animum advertant. Sed si verum est, quod lumen fidei stabiliat in animâ cognitionem Dei existentis, & homo ex illâ ita convincatur, ut paratus foret mori pro defensione hujus veritatis, sic in illâ, eâdem prorsus virtute stabilire debet omnes alias veritates tam speculativas, quàm practicas, quas edocuit, ut paratus quoque sit potius tolerare mortem, quàm dubium aliquod admittere circa unicam duntaxat ex hisce veritatibus: aliàs, si fide deficiat in unâ, deficiet quóque illâ in omnibus, & non habebit fidem. Etsi fidem non habet, verum erit dicere, quòd non cognoscat Deum, sicut Christiani hominis foret, illum cognoscere.

Jam quæro, an multos reperire sit in mundo, qui tam firmitèr credant, agendam esse pœnitentiam, studendum esse humilitati, diligendos esse inimicos, contemnendas esse divitias, & reliquas veritates practicas, quæ docentur in Evangelio, sicut credunt, existere Deum, ipsum

Parum nobis cordi sunt practica veritates fidei.

esse incarnatum, mortuum pro se in cruce. Nonnè manifestè videmus, tam parùm persuasas nos animo habere veritates practicas, quas fides nos docet, ut quasi omnes contrarium & oppositum agant in vitâ suâ. Ubi est igitur fides? ubi est, Domine, quod dixisti; quod si fidem habuerimus sicut granum sinapis, translaturi simus montes, id est, superaturi maximas Christianæ vitæ difficultates, quæ nobis faciles & leves erunt ad portandum? Ubi est, quod promisisti, quòd illi, qui crediturí sunt in te, ejecturi sint dæmonia, id est vitia & omnia peccata è cordibus suis? ubi est, quod spopondisti, quòd locuturi sint linguis novis, id est, locuturi alio prorsus modo, quàm loquantur homines mundi, cùm habituri sint sensa animi prorsus alia, contemnentes, quod ipse æstimat, & æstimantes, quod ipse contemnit? fatendum omninò est, haud rarius quidquam esse hominibus, qui præditi sint vivâ hâc & inviolabili fide, quâ universalitèr credant omnia, quæ ipsa nos edocet de Deo. Si pauci sunt, qui verè fidem habent, etiam pauci sunt, qui cognoscunt Deum; & si pauci sunt, qui Deum cognoscunt, pauciſſimi quóque sunt, qui aliquâ ratione non sint Athei.

3. Tandem fides menti illapsa ad demonstrandum Deum, ipsam docet, illum ubique præsentem esse, eò quod sit immensus. Quod si aliquo cognitionis radio circa sublimem hanc veritatem perstringitur, cùm probè noverit Deum esse bonitatem infinitam, & magnum illum æternarum voluptatum Oecanum, immensum illud ac profundum bonorum infinitorum pelagus, suos gaudio replens possessores; hinc cùm se totam videat circumfusam, totam penetratam, totámque absorptam immensitate hujus Dei, quem cognoscit, quémque oculis fidei præsentem videt, tantâ profunditur pace, voluptate ac amabili saturitate, ut deinceps non ampliùs agitetur desideriis illis solicitudine plenis, quæ turbare solent hominum pacem.

Non est vas tam magnum, quòd mari immersum non ita repleatur, ut nec unicam quidem alterius liquoris guttam amplius sit recipiendo; Et non est cor tam vastis extensum desideriis, quin omnimodè satietur ac repleatur, si Deum cognoscat, ejúsque cognitione perfundatur. Si bona desiderat, Deus inexhaustus est bonorum infinitorum Thesaurus; si desiderat voluptates, ipse harum origo est, omnia replens suâ, quâ turget abundantia; si desiderat honores, gloria ac divitiæ sunt in do-

in domo ejus. Ipse est thesaurus absconditus, quem qui semel invenerit, vadit & dispertitur omnia sua ad ipsum possidendum, abundè se credit divitem, cumulatè locupletem.

Ah! Cur neminem quasi continet mundus, qui vivat contentus, nisi quod nemo quasi sit, qui, Deum cognoscat, de ipso cogitet, ipsum quærat, vel ipsi placere studeat? O mi Deus, si quis te vel parum cognosceret! Si vel parum obscurum aliquem locum sol subintrat, ac vel minimum luminis sui radium illùc effundat, propediem affert diem, qui solatio perfundat. Et quàm parum etiam divini luminis tui concedas animæ, O magne Sol æternitatis, tam divino ipsam demulces & accumulas gaudio, quo cuncta creata simul ipsam non possent locupletare. Siquidem si bonum est, quod aucupamur; si pulchrum est, quo delectamur; si illo efficimur, hoc allicimur, quibus o Bonitas omnium Bonitatum, o pulchritudo omnium pulchritudinum, abundas deliciis, illecebris, allectamentis, ad trahenda ad te corda nostra, si te cognoscerent! *Noverim me, Noverim te!* O mi Deus, cognoscam te, ut amem te in æternùm ex toto Corde meo!

CONSULTATIO V.

De Unitate DEI.

Nemo publicè profiteri auderet Atheismum.

SI dicere clam vellet impius in Cordis sui meditullio: Non est Deus, quamprimùm perculsa terrore ipsius anima tam abominandam condemnaret Cogitationem, & omnia illius ossa dicerent præ horrore: Domine quis similis tibi? Si Cogitationem suam protrudere foras & suo excludere sinu auderet, Creata omnia justo animata Zelo in blasphemiam illius, ad convincendum & confundendum ipsum exclamarent: Quis ergò, quod sumus, & sicuti sumus, fecit nos? Siquidem non sumus à nobismetipsis, nec potuimus nobis ipsis dare, quod sumus; aliàs habuissemus esse in nobis ipsis, antequam illud accepissemus à nobismetipsis

Si deniq; impietatem suam aliquâ munire ac fulcire vellet ratione, ratio ipsa, à quâ sperabat subsidium, adversùs ipsam capesseret arma: Siquidem Divinus hic radius à supremâ Dei ratione procedens, eo fore modo,

do,

do, quo lumen procedit à Sole, deduceret infallibiliter intellectum ipsius ad conspiciendam clarè Veritatem Dei Existentis, sicut radius, Solis nostros deducit oculos ad intuendum hunc omnium luminum visibilium fontem ac scaturiginem.

Qui Atheos agunt, sunt similes spectris, quæ contineri nequeunt.

Sic videbis nec unicam ab impio allegari rationem, quæ habeat, non dicam, aliquid Soliditatis, sed nec vel minimæ veri similitudinis. Assimilari videntur larvis illis ac lemuribus, quibus facultas non est magnum inferendi damnum, nisi quod simplicibus terrorem incutiant, aliquantisper perturbent quietem, ac nugis tricisq; mundum ludificent. Et hi aliud non agunt, nisi ut ludos faciant & omnia in risum convertant, de adorandis Religionis Mysteriis nonnisi jocando ac explodendo loquantur; Et si quidquam ineptiarum ac deliriorum protulerint in medium, sibi applaudunt, & in tantum habent acceptum, ac si rationem attulissent luculentam & prorsus irrefragabilem. Si convincere ipsos volueris Auctoritate Divinæ illius fidei, quæ confodit & confudit sapientiam Philosophorum, quæ dissipavit gentilitatis tenebras per mundum universum, quæ tot ac tantos litteris, doctrinâ ac sapientiâ viros illustres devicit, sibique subjugavit, nihil omninò cum illis evinces, cùm nullam profiteantur fidem, nisi illam, quam propriis suis attribuunt phantasiis ac imaginationibus.

Quod ne-cessariò aliquid credendum sit.

Quod si ipsos oppugnare volueris ratione, hâc ipsos carere comperies. Nonne enim ratione destitutum dicas, qui dicit: Nolo quidquam credere: Nunquid enim te credere oportet, talem esse tuum Patrem, talem esse tuam Matrem, teque habuisse & avos & majores, hánc-que vel illam rem elapsis contigisse sæculis? Nunquid etiam credas oportet, alias esse in mundo Regiones, alios populos, alias Civitates præter illas, quæ propriis haurias vel hauseris oculis? quid notæ inureretur tibi, si ex his omnibus nolles quidquam credere? Et quomodo hæc credes, nisi fidem attribuendo illi, quod tibi dicunt homines? Oportet ergo aliquid credere, quod non vides, quod non capis, quod scire non potes, nisi ex fide humanâ. Si igitur credere necesse sit infinitas res humanas ex solâ hominum relatione, ísque referendus foret inter captos mente, qui hic suam nollet captivare rationem: quantò æquiori jure credendum sit veritatibus divinis ex testimonio Dei ipsius, sicut & renuntiantibus tot ac tantis viris eximiis, excellentibus Sanctis, Doctoribus magnis, nec non ex fide publicâ

tot

tot centenorum millium hominum pluris te existimandorum? Et hìc, qui rationem suam captivare nolit, nònne manifestum det signum se ratione captum esse?

Nihilominus invenire est homines, qui dum plenis buccis sapientiam crepant, velut crepundias, stupendas Religionis Veritates, quas totus reveretur & veneratur mundus, explodunt ac sibilis excipiunt; & hi manifestè ostendunt, qui sic Religionem habent ostentui, nec se fidem, nec rationem habere. Et quid hominibus, qui & fide & ratione carent, reliquum est, nisi quod in omnibus sese sensuum dictamini, velut bruta animantia, permittant. Unde ergo sit illis spes salutis? Sed qui nunquam antiquarum miserationùm suarum obliviscitur, Deus; ditior in bonitate, quàm ipsi in malitiâ, qui maximorum etiam peccatorum vult salutem, arripit quandóque illos per ipsos sensus, quibus toti immersi sunt, ut deducat ad rationem, & à ratione attollat úsque ad fidem, & postquàm illos reverti fecit in se ipsos, tandem & recipit in sinum suum.

Aderam die quâdam Societati insignium duorum, uti vocant, libertinorum, talium nempè, qui omnem contemnunt & nesciunt Religionem, cui quóque interfuerat Catholicus quidam Doctor valde spiritualis & magni fervoris. Non mediocri is tædio afficiebatur, dum illos explodere & sarcasmis perstringere, audiebat unum vel alterum fidei nostræ Articulum, absque eo, quod constringere & ab impietate suâ revocare illos posset, vel precibus vel adductis rationibus. Quantò oppugnabat illos acrius, tantò illi petulantius diras contra Deum evomebant, abominationes ac blasphemias, quæ & auribus horrori erant. Nihilominùs, dum jam abitum parabat, absque spe flectendi ipsos ad meliora, permisit Deus, ut unum eorum re quâdam sub sensum cadente, à suâ deflecteret sententiâ, ipsíque firmissimè persuaderet Veritatem circa existentiam unius Dei, in quem non multùm credere videbatur. Et hic alterum quóque in suam adduxit sententiam, sed aliù viâ, quod ita accidit.

ARGUMENTUM.

1. *Manifesta probatio veritatis circa Existentiam Unius Dei, quâ convinci possit omnù ratione præditus.*
2. *Probatio subtilior ad convincendos Doctiores.*

Articulus I.

Aspectus cujus dam horologii convertit Atheum.

MEmoratus Doctor, speciosō captato titulo se retrahere volens à Societate, cui parvo quidem tempore, magno tamen cum fastidio interfuerat obperversos, sibique intolerabiles, quos percipiebat, discursus, ajebat se condixisse, tali horâ se concessurum ad certum quendam locum; & hoc fine educebat è perulâ suâ manuale quoddam horologium valde speciosum, ut videret, an hora esset, quam condixerat. Impiorum unus curiositate ductus illud videndi, arreptum manu aliquanto tempore considerans, id suis arridere monstrabat oculis, ac esse ex sensu suo. Verum est, inquiebat ipsi doctor, stupendum hoc opus esse. Quis est illius Auctor, quis artifex, quærebat alter? Attonitus hærebis, repositi Doctor; si tibi dixero, nullum hujus auctorem esse, sed tale, quale est, esse à seipso; quâ ratione autem id factum, effari ac declarare tibi nescio; an forsan sit factum ex fortuito occursu atomorum in aëre, vel ex improvisâ guttarum de Cœlo labentium conjunctione, vel ex arcano animæ totius mundi artificio. Ut verum fatear, difficultèr explanare tibi possem, quâ ratione tot rotæ, tot machinæ, tot nervi, tot namque exacti ad normam motus, in opere tam parvo inveniantur, abs eo, quòd invenire liceat ipsius Auctorem; quódque tandem hæc omnia â se ipsis sic facta conspiciantur, ut hominum nemo unquam admoverit manum: Et hoc est, quod stupendum maximè, hoc in opere intueor.

Societas tota in risum effundi cœpit, inaudiens sensa ab omni bono sensu tam aliena. An possibile sit virum doctrinâ insignem, imaginari sibi quid posse rectæ rationi adeò adversum? quis non cernit, ejusmodi opus fieri non potuisse nisi â manu artificis apprimè gnari, exculti, imò arte suâ præstantis? Verum est, reposuit Doctor, non abs re vos rapit admiratio, me rapi potuisse in sententiam omni sanæ menti tam contrariam. Sed major me stupor percellit, compellans illum, qui horologium gerebat manu, ajebat; animo fingere te posse, quod ingens hæc mundi machina, cujus Organa, nervi ac motus sunt tam acurati, cujus dispositio ac Oeconomia, absque comparatione, magis est stupenda, quàm illa parvæ ac tenuis hujus opellæ, cùm hæc respectu totius mundi sit nihil; fingere inquam te posse, quod artis tam exquisitæ opus careat auctore infinito modo poten-

potente, infinito modo sapiente. Quâ ratione subeat animum hæc opinio? an omnia hæc, tam bono ordine, uti vides, à seipsis sint dispositа, tam ordinatè digesta?

Aspectus mundi magni annuntiat & acclamat Deum esse.

Quænam manus molem Cœlorum tornârunt in orbes! Quis Solem posuit in radioso hoc, quo residet, tabernaculo! quis ipsi suum præstituit & designavit iter, quis illum tam celeri cursu rotat & agit circum terram, abs eo, quòd motus tam velox illum unquam de fatiget vel turbet, vel in minimo convellat? Quis unicam sanæ mentis scintillam habens, non videat, quod sicut impossibile est, parvum aliquod horologium eo collocare loco, ut exactum & accuratum per viginti quatuor horas solummodò perficiat motum, nisi fuerit ab insigni elaboratum artifice; sic multò adhuc magis impossibile sit, quod ingentes hæ sphærarum cœlestium rotæ, nostris ita superimminentes capitibus, ut eas manibus nostris tangere non possemus, quásque cum admiratione videmus nostros ordinare dies, nostros annos, nostra sæcula, eo sint loco, ut perficiant motum adeò continuum, adeò celerem, adeò ad normam compositum & exactum, ita ut minimus unquam defectus non advertatur, nisi admirabilis hæc machina disposita & fabrefacta fuisset à mente & intelligentiâ quâdam supremâ; nisi Omnipotens manus adhuc ipsam conservaret, & sapientia moderaretur infinita? O Omnipotens tam speciosi operis Auctor, quantâ cæcitate percussum oportet esse, qui Magnitudinis tuæ Characteres frontibus astrorum non videat insculptos? quantâ surditate obrutum, qui non percipiat Harmoniam Cœlorum tam clarè tuæ sublimitatem gloriæ mortalibus enuntiantem? *Cœli Enarrant Gloriam Dei.* Ah! nisi aures haberemus mundi rumoribus ita contusas, si tranquillas ac edomitas haberemus passiones nostras, si solertèr ac studiosè indagandæ incumberemus Veritati, nec unica in mundo Creatura foret, quæ non haberet vocem suam ad evulgandam nobis Excellentiam ac magnitudinem Existentis Dei. Siquidem quæ verisimilitudo, hæc omnia sic facta esse à semetipsis? Psal. 18.

Veritas hæc tam luculenta, támque irrefragabilis ipsi visa est, ut nil habuerit, quod opponeret. Sed ad socium suum conversus: Omnibus circumspectis, accuratéque perpensis, ajebat illi, insanimus, mente capimur, dum protervé adeò negamus rem, quam decies centena vocum millia tam clarè enuntiant, quam universus credit orbis, quæque tantâ abundat verisimi-

litudine? Quid commodi inde trahimus? Invenio namque quod credentes in Deum & cuncta Religionis dogmata, periculo nihil committimus, credentes autem contrarium, quòd Deus non sit, in discrimen adducimus cuncta. Quandiu effingere nobis conamur, Deum non esse, abs timore nos tradimus effrœnatæ quidvis audendi licentiæ; nonnisi studemus satisfacere sensuum libidini, haud aliter, ac si ejusdem naturæ cum brutis nobis esset anima; abs intermissione committimus tam fœda, támque indigna facinora, ut nosmetipsos pudore suffundant. Cui malo nosmetipsos exponimus?

Qui credit in Deum periclitatur de nullo; qui non credit, periclitatur de omnibus.

Siquidem si Deus sit, incidemus tandem in manus ejus; Et si nostra immortalis est anima, æternum & abs metâ infelix erit ac miserâ. An sat firma nobis sit certitudo, Deum non esse, omnésque decipi mortales, nec aliud Religionem esse nisi somnium, animámque nostram carere immortalitate, ut tanto nos exponamus discrimini? Sed si credimus in Deum, etiamsi Deus non esset, nullum exin nobis imminet periculum; siquidem ex hoc quid mali nobis posset accidere? Summum quod faceremus impendium, emendatio foret morum, id est, relinqueremus vitia, amplecteremur virtutes, evaderemus meliores, nostrum vivendi institutum magis foret conforme & rationi & æquitati. Ecce totum absurdum, quod exinde posset oriri, quod tamen malum non est, sed bonum, uti vides, adeóque tum securius, tum meliùs nobis est, hasce partes amplecti? Assentior, inquit alter, tua me movet ratio, & fateor, stultorum albo non immeritò aggregandos, qui Atheos agere ac æternitatem suam in tantum discrimen adducere volent pro paucis annis vitæ brutalis, quæ indigna sit animâ vel parùm præditâ ratione; Et Ambo exorârunt Doctorem, ut sui curam in instructione susciperet, séque in viam salutis dirigere vellet.

Sed inquit illis. Amici mei, longè adhuc abestis ambo à Regno Dei, nisi Religioni vestræ aliam substruatis basin, quàm in validum hunc discursum, quem auribus hausi; Credamus in Deum, cùm nullum adducat periculum, in illum credere, etsiamsi non esset; Discrimen tamen maximum, in ipsum non credere, si esset. Ah! quàm longè aliter credendum? Nullum hic admittitur si, nullus hic est locus conditioni, nullus ulli dubio. Quomodò? An ergo duntaxat collocare in tuto quæritis commodum vestrum incertâ hâc & conditionatâ fide? Nullius hoc valoris est: Sed tam firmitèr

mitèr prima hæc veritas figenda & ſtabilienda eſt primo, tàm inconcuſsè oportet illi adhærere, tam abſolutè ſe illi ſubdere, tam ſolidâ tàmque conſtanti determinatione eidem aſſentiri, ut pro illius defenſione mortem ſubeundi, nulla mentem ſubeat dubitatio : aliàs hoc non eſt verè credere in Deum, ſed eſt de ipſo dubitare ; hoc non eſt habere Religionem, ſed eſt illam ſimulare, & quandam ejusdem ſpeciem præſeferre.

Quàm ſitmiter credendum ſit exiſtere Deum.

Longè alitèr ſe habet veritas circa Exiſtentiam Dei, quàm omnes aliæ veritates, quibus intellectus noſter aſſentiri poteſt. Omnes aliæ, licet nobis certæ & plurimùm evidentes videantur, cùm hâc tamen comparatæ, incertæ ſunt ac obſcuræ. Sola veritas Dei Exiſtentis tam certa, tàmque neceſſaria eſt, ut impoſſibile ſit, ipſam non eſſe, eò quòd Deus ſolus ſit Ens à ſe ipſo æternum, neceſſarium, independens. Hujus rei tam claram, támque manifeſtam tibi faciam demonſtrationem, ut eandem in dubium vocare amplius non liceat.

Omne, quod Deus non eſt, vel eſt poſſibile vel impoſſibile.

De omnibus rebus, quæ Deus non ſunt, verum eſt dicere: hoc eſt poſſibile, vel impoſſibile, ſed non eſt abſolutè neceſſarium. Dantur res impoſſibiles, uti ſunt illæ, quæ manifeſtam includunt contradictionem. Exempli gratiâ, eſſe hominem & non eſſe hominem, eſſe aliquid & eſſe nihil, hoc eſt impoſſibile, quia eſt contradictio manifeſta.

Dantur aliæ res, quæ ſunt poſſibiles, uti ſunt omnes Creaturæ, quæ acceperunt eſſe à Deo, quásque omnipotens ipſius manus nunquam non in eodem conſervat ſtatu, quales ſunt Cœlum & Terra, & omnes præcipuæ partes Univerſum hoc conſtituentes ; quales etiam ſunt, quæ nondum acceperunt eſſe, accipient autem ſucceſſu temporis, uti plantæ, fructus, animalia, quæ quotidie naſcuntur & moriuntur, cùm non habeant eſſe, niſi pro certo tempore ; quales denique etiam ſunt infinitæ aliæ Creaturæ Deo poſſibiles, quæ nunquam recipient eſſe, recipere tamen poſſent. Verùm de nullâ ex omnibus hisce creaturis dici poteſt, quòd ſit abſolutè neceſſaria ; & conſequenter verum eſt, omne, quod Deus non eſt, eſſe poſſibile vel impoſſibile ; non autem eſsè abſolutè neceſſarium, eò quod eſſe vel non eſſe poſſit.

Deus nec eſt poſſibilis, nec impoſſibilis, ſed neceſſarius.

Solus eſt Deus, de quo fieri poſſit diſcurſus hic irrefragabilis : Eſſe Dei nec eſt poſſibile, nec eſt impoſſibile ; Ergò oportet eſſe actuale & neceſſarium. Imprimis non eſt impoſſibile, quæ enim eſt contradictio, dicere quod Deus ſit? Si diceretur, Deus eſt,

& non est, foret contradictio, & hoc foret impossibile; sed dicere simpliciter, Deus est, nulla est contradictio: Cùm ergò nihil hìc adsit impossibilitatis, consequenter verum est, Esse Dei non esse impossibile. Deinde dici etiam non potest, quòd Esse Dei sit possibile: Nam quid hoc esset, nisi Deus solummodò possibilis? Hoc idem esset ac dicere, quòd nondum esset Deus, sed posset Esse. Tertullianus non immeritò illusit stoliditati idololatrarum in singulas horas formantium sibi Deos juxta placitum suum, & dicebat illis: Nolo facto s ejusmodi Deos, qui potuerunt esse Dii, antequam essent: Oportet námque ipsos factos esse Deos ab aliquo se superiore & potentiore, â quo dependent in suo esse vel non esse, qui poterat ipsis æquè negare ac dare divitatem: Et ideò non censendi sunt pro diis, sed ille, qui fecit ipsos Deos, & qui est â seipso, ipse verus est DEUS. Dicere, quod aliqua res sit possibilis, est dicere, quòd dependeat à potestate alterius, quòdque possit habere, & non habere esse; adeòque imaginari sibi Deum possibilem, est dicere, non esse Deum. Si igitur dici non potest, quòd esse Dei sit vel impossibile vel possibile, quid restat dicere & exin deducere, nisi quòd actuale sit necessarium, quòd sit à seipso, quò æternum sit ac independens, quòd impossibile sit, quòd non sit: Cùm manifesta sit contradictio inter non esse & necessariò esse. Ex quo irrefragabilem hunc formo discursum: vel est impossibile, quòd Deus sit, vel est necessarium. quòd sit; atqui impossibile non est, quòd sit, ergo necessarium est, quòd sit.

O Ens entium, infinita bonorum omnium scaturigo! O Principium adorandum omnium, quæ sunt intra te, & illorum omnium, quæ sunt extra te! Quo modò essemus nos, nisi tu esses? Et quid habemus, nisi quod accepimus à te? Verùm quid est parva hæc entis portio, quam nobis dedisti, respectu illius immensi Essentiarum & quidditatum Oceani, Cujus æterna es scaturigo? An prætenderemus nos quid esse, & te esse nihil? Agnoscere nostrum esse, quod nihil est, & ignorare tuum esse, quod omnia est? Ah! si verum est, parvum hunc Entis & Veritatis atomum, qui se nobis prodit in Creaturis, nostrum lucrari animum; Síque tam certâ tenemus scientiâ, existere illas, ut nullus de hoc sit dubitandi locus; si denique intellectus noster parvæ hujus Entis & veritatis omnium Entium creatorum scintillæ, tantâ adhæret firmitate, ut nullâ persuaderi posset ratione, illa non esse; quàm firmitèr, quámque indu-

Stultitia est credere, quòd nos simus, & non credere, quòd Deus sit.

indubitantèr intellectus noſter adhærere debet Veritati infinitæ circa Exiſtentiam Entis infiniti, nempè Dei? Nam ſi veritas lucratur, & ſuaviter allicit intellectum noſtrum, uti experientiâ docemur; quò luculentior erit Veritas, tantò fortius eundem allicere, tantóque hic firmius eidem debet adhærere: infinita igitur veritas Dei Exiſtentis non ſolùm lucrari, ſed etiam deglutire, & intra ſemetipſam abſorbere debebit intellectus noſtros, â quâ hi ita penetrentur, perſuadeantur, convincantur, ut omnia, quæ vera eſſe poſſunt extra Deum, omnes ſcientiarum demonſtrationes luculentiſſimæ, & quidquid per nos ipſos & experientiam ſenſuum noſtrorum cognoſcimus, & univerſalitèr omnia, quæ in creaturis veriora eſſe poſſunt, reſpectu ejus non videantur niſi levis umbra, tenuis phantaſia, & quaſi mendacium.

Nonne nos ignorantiæ & cœcitatis caligine totos involutos eſſe oporteat, quòd omni aliâ veritate magis quàm illâ Dei Exiſtentis alliciamur, afficiamur, occupemur. O æternum Entium omnium principium, ſi hominum animæ adhærerent tibi in terris, more illarum in Cœlis tibi adhærentium, tunc terra Cœlum evaderet: Quid enim tam firmitèr intellectum Angelorum & omnium Beatorum in Cœlis Deo conjungit, ut ne momento quidem ſe ab eo divellere, ob ſuaviſſimas, quas guſtant, delicias, nec nova concipere vota poſſint, ob ſummam, quâ fruuntur, ſatisfactionem, niſi quia perfectè te cognoſcunt veritatem æternam? Ipſæ clarè te cernunt, O Ens entium, te guſtant, & totæ replentur ſuavitatibus tuis O Bonitas infinita! Si igitur anima tali ratione tota repleretur Veritate Exiſtentis Dei, tàmque firmitèr ipſi adhæreret, nonnè Beata jam foret in præſenti vitâ?

Magnâ perfundebantur voluptate hi duo Neoconverſi ex ſermone Doctoris, quem reſpicere incipiebant magnâ cum Reverentiâ ſuum velut Apoſtolum. Non aſpiciebant adhuc, niſi primam veritatis auroram; ingenti tamen omnimodam videndi diem ac lucem tenebantur deſiderio; Inſtantiſſimè igitùr ipſum rogabant pro inſtitutione magis ſolidâ & perfectâ: qui ipſorum votis ſatisfacere ac communicare ipſis volens ex abundantiâ Cognitionum & piorum affectuum erga Deum, quibus ipſe affluebat, incepit à Symbolo, cujus prima verba præbuerunt anſam novis difficultatibus, unde majores quóque naſcebantur Cognitiones & notitiæ, ſicuti videbis?

ARGU-

ARGUMENTUM.

est impietatis credere plures Deos, quàm credere nullum.

2. *Probatio Unitatis DEI ex Tertulliano.*

3. *Ex Sancto Dionysio Areopagita, ratione, ac Testimonio Dei ipsius.*

Articulus II.

SYmbolum, quod compendium est ac Epitome præcipuarum & fundamentalium veritatum â fide nobis propositarum, deducit nos in Cognitionem Dei *Trini & Unius*, Trium Diviniarum personarum, quæ nonnisi unam & eandem habent Essentiam, unam & eandem potentiam, unam & eandem auctoritatem. Primus Articulus hæc verba complectitur: Credo in Deum Patrem Omnipotentem factorem Cœli & terræ. An solus ergo Pater omnipotens est & Mundi Creator, interrogavit ipsum unus ex hisce duobus Discipulis? Cur illi soli attribuitur Nomen Patris & Creatoris, cùm tamen omnes tres nonnisi unicam habeant potentiam, unicam Auctoritatem. Verùm Nomen Patris omnipotentis dicit ipsi Doctor, non sumitur hìc pro solâ primâ personâ Sanctissimæ *Trinitatis*, sed pro omnibus tribus simul. Pater est omnipotens & Creator mundi; *Filius* etiam est Omnipotens & Creator mundi; *Spiritus Sanctus* similiter est omnipotens & Creator mundi; sed cùm omnes tres non habeant nisi eandem Divinitatem, & eandem potentiam, non sunt nisi unus & idem mundi Creator. Non nisi unicum mundum creare voluit, ut declararet nobis Unitatem Essentiæ suæ ex unitate sui operis juxta mentem sancti Augustini: *ut ex uno opere unus Artifex crederetur.* Orat. Contra idola.

Sed quare non potius tres creavit mundos, reposuit alter, ut divinarum personarum nobis manifestaret *Trinitatem*! Certum námque est, hanc nobis minus unitate divinæ Essentiæ esse cognitam: hanc enim solo lumine naturæ cognoscere nobis licet: Et si tres habuissemus mundos, mundum *Patris*, mundum *Filij*, mundum *Spiritûs* Sancti, ipsa experientia nos docuisset, Tres esse Personas in uno solo Deo. Poterat abs dubio, reposuit Doctor, educere tres mundos è nihilo, sicut eduxit unum, tèrque decies centena millia tam facilè, quàm tres; Cum sit Omnipotens, & ipsius manus non sit abbreviata, sed quid contigisset?

Si idololatræ introduxerunt tam

Quare Deus nonnisi unicum creaverit mundum.

tam ingentem Deorum Numerum ex aspectu unius duntaxat mundi ; etsi ex eo solùm, quòd sic compositus sit è diversis partibus, & magnâ diversarum creaturarum copiâ, desumpserunt ansam fingendi tot Deos, quot conspexerunt in Cœlis astra, & in terris elementa, Deum ignis, Deum maris, Deum Solis, Deum sylvarum, & infinitas alias imaginarias ac fictitias divinitates, ita ut sibi etiam è serpentibus & morbis fabricati fuerint Deos ; nonne si plures fuissent mundi, jure meritissimo credere potuissent, tot saltem Deos esse, quot mundos, & unumquodq; ex his tam speciosis operibus suum habuisse auctorem? Opus erat mundo visibili, ad demonstrandum visibiliter hominibus, esse Deum, sed nonnisi unico opus erat, ne forsan crederent, plures esse Deos.

Magis inclinamur ad credendum plures Deos esse, quàm ad credendum, esse Nullum.

Sensus divinitatis tam naturalis est, támque firmiter impressus animis hominum, ut majori ferantur facilitate ad credendum, plures esse Deos, quàm difficultate teneantur ad persuadendum sibi, nullum esse Deum: hinc videmus, multò majorem idololatrarum, quàm Atheorum numerum esse ac reperiri in mundo. Nihil ominùs duo hæc extrema æqualis sunt impietatis, sive credere non esse Deum, more Atheorum, sivè plures Deos ritu idololatrarum; Et geminæ hæ fundamentales Religionis veritates, utrámque hanc impietatem detestantes, sunt pari ratione infallibiles: prima, Deum esse; Secunda, non esse nisi unum verum Deum. Veritas & unitas Dei existentis sunt omninò inseparabiles.

Multitudo falsorum Deorum probat, non esse nisi unum solum.

An auditu quid gratius discursu Tertulliani, quem format hâc super re, unitate nimirùm Existentis Dei ? Cùm videret idilolatras falsis suis circumfusos Dijs, ex horum multitudine probat, ac ipsosmet ad Confitendum inducit, esse non posse, nisi unicum verum Deum. Ita, inquit ipsis, admitto omnes vestros Deos; Sed hi priùs erant homines: non habentes divinitatem, cujus virtute constituerentur & evaderent Dii ? Necessum fuerat, hanc ipsos accepisse ab alio, qui illam habuerat à semetipso; vel si negatis, quenquam esse, qui hanc tribuat, quomodo dicere potestis, plures esse, qui ipsam recipiant?

Forsan creditis, quòd dederint hanc sibimetipsis; sed si facultatem habuerunt semetipsos pro arbitrio suo constituendi Deos, cur id non fecerunt mox à principio ? Cur adacti sunt, agere prius homines miseros ac mortales, priusquàm immortales agerent Deos? Nemo se privat felicitate, quamprimùm

hâc frui fuerit conceſſum. Sed quod ſibi ipſis dare non potuerunt, cùm illud non habuerint, neceſſum erat illud accepiſſe à quodam alio, qui id habuerat à ſemetipſo, nec alteri referebat acceptum. Et hic primus eſt, qui ſolus divinitatem poſſidet, & ſinu ſuo tanquam proprium ſuum Theſaurum conſtringit, quem nos credimus & profitemur, ſolum & unicum eſſe verum Deum.

Sancti non ſunt Dii.

Non dicimus more veſtro, quòd ipſe faciat Deos: fatemur quidem ipſum remunerari virtutes hominum, illósque, qui meritis fuerint præſtantes, extollere in Cœlum, ad communicandam illis gloriam ſuam, ſed quòd Deos ex illis faciat, non aſſerimus: agnoſcimus illos velut Sanctos & fideles Dei Servos, non autem tanquam Deos, qui ſuam cum ipſo dividant Divinitatem. Cœteri omnes, qui vitam duxerint inſuetis inſamem vitiis, æquiſsimâ juſtitiæ ipſius ſententiâ, ſuppliciis deputantur æternis, velut inceſtuoſus veſter Jupiter, Sanguinarius veſter Mars, inſignis Prædo veſter Mercurius: Vos adoratis illos velut Deos, nos autem deſpectui ipſos habemus, & cum horrore aſpicimus veluti damnatos.

lib. 1. c. 3. Et alibi diſputans contra Marcionem volentẽ admittere duos Deos, memorabilem hanc exaravit ſententiam: *Deus, ſi non unus eſt, non eſt.* Dicit, quod ſi Deus non ſit unicus, non ſit Deus. Et Ecce, quàm eximiè diſcurrat ad ſtabiliendam ſuam propoſitionem. Nemo eſt, qui loquens de Deo, juxta dictamẽ propriæ Conſcientiæ ſuæ non dicat, Deum eſſe *ſupremum omnium Entium.* Jam Conditio entis ſupremi eſt, ut nec ſuperiorem habeat, nec æqualem: Nam ſi habuerit ſuperiorem, non eſt ſupremum, cùm aliquid habeat ſupra ſe; Et ſi habuerit æqualem, non eſt ſuper omnia entia, cùm aliquid habeat ſibi æquale, quódque ſibi in nullo cedat. Videre quidem erat quandóque duos Imperatores, idem omninò Regnum adminiſtrantes, hîque ambo duo æquales fuerant, verùm ipſi non erant ſupremum Ens, eò quod ambo dependerent à Deo. Glorioſum hoc & ſupereminens Elogium ſupremi entis, non poteſt niſi uni Soli convenire.

Non poteſt eſſe niſi unicum Ens ſupremum.

Vel ſi Marcion obſtinatè defendere velit dualitatem Deorum ſuorum, interrogo ipſum: Suntne omninò æquales, aut omninò ſimiliter inter ſe, vel an habent aliquam inter ſe differentiam? Si in omnibus ſint ſimiles, ita ut nihil ſit in uno, quod non ſit in altero, jam non ſunt duo, ſed eſt idem & unus Deus, cùm nihil ſit, quod ipſos diſtinguat.

guat. Si sint dissimiles, ita ut quivis illorum habeat aliquid, quod non habet alter, neuter illorum erit Deus, eò quod ambo sint imperfecti; vel denique, si uni tantùm illorum, aliqua desit perfectio, hic non erit Deus, & alter, qui omnes habet, solus remanebit Deus. Omninò igitur verum est, plures quàm unum solum Deum verum esse non posse; Verissimúmque esse effatum Tertulliani: *Deus, si non unus est, non est.*

Divinus Areopagita hanc in rem, libro de Divinis Nominibus aliud quid exaratum reliquit tam sublime, támque profundum, ut qui illud benè intelligeret, ad oculum videret necessariam esse Unitatem Dei Existentis: *Deus totum in se uniformiter præaccipit.* Affirmat, quòd Deus sibi assumat totum esse, quòdque illud possideat in perfectâ uniformitate, sicut & totum esse anticipet in plenâ hâc possessione. Hæ sunt tres admirandæ veritates, nonnisi tribus verbis inclusæ. Inprimis dicit, quòd Deus accipiat in se totum esse: Jam totum non potest esse nisi unicum & solum; & si totum esse habeat inseipso, nihil jam relinquit pro alio. Secundò dicit, quòd possessio totius esse sit uniformis in Ipso: Non enim hic res agitur, sicut in Creaturis, quæ compositæ sunt ex pluribus partibus inter se valdè diversis, quæque nunquam omnes perfectiones suas habent æquales: Sed omnia sunt tam uniformia in Deo, ut esse ipsius infinito modo simplex non habeat partes se componentes, nec aliqua ipsius perfectio sit inæqualis aliis, nec ab aliis diversa, imò nec aliud quid sit, quàm aliæ. Omnes sunt infinitæ eâdem infinitudine, omnes eandem habent bonitatem sibi communem, & omnes demum non sunt nisi simplicissimum quid cum Essentiâ Divinâ: id quod facit, ut omnia in Deo se reducant ad unam simplicissimam unitatem. Tertiò adjungit, quòd præveniat & anticipet totum esse ac omne Ens in plenâ possessione entis in se accepti, hoc est, quod ipse sit supremum totum ac summum omne à seipso ab æternitate, abs eo, quòd aliquid potuerit vel præcedere ipsum, ad limitandum ipsius esse, vel concomitari, ad hoc cum ipso dividendum. Ex quo concluditur, absolutè necessarium esse, ut esse Dei sit unicum, qui est totum, quia est totalitèr, & quia est semper.

Quàm Creaturæ sint Nihil.

Doctrina hæc non leviter extollebat audientium animos, ipsisque sublimem insculpebat idæam essentiæ Dei; Sed dare manus adhuc cunctabantur, eò

quod, quod audiêrant, experientiam sensuum nostrorum oppugnare videretur. Si verum est, Deum includere in se solo omnem latitudinem Entis, sequitur ex hoc, omne: quod ipse non est, haud esse, adeòque præter ipsum haud esse, nisi purum Nihilum. Quid igitur tot res sunt, quas videre est in universo mundo? Nihil, respondit Doctor; Omne, quod Deus non est, nihil est. Proprium Deo est esse omnia, & proprium Creaturæ est esse nihil. Deus possidet omne esse à seipso ab æterno, & Creaturæ portio erat purum Nihilum ab æterno: A se ipsâ ergò nihil est, & extracta est è Nihilo ab omnipotentiâ DEI, & nunquam non tantâ erga nihilum fertur proclivitate, ut si fortissima illa manus, quæ ipsam inde quasi vi factâ avulsit, unico momento ab illius conservatione desisteret, mox in illum nihilum relaberetur. Ecce quare dixerim, ipsam propriè loquendo esse non habere, cùm hujus possessionem non habeat ex propriâ suâ naturâ, sed solummodò quasi commodatò acceptam; ipsius autem propria & naturalis possessio est purum nihilum.

Comparatio existentiæ Creaturarum cum existentiâ Dei.

Verum quidem est, Deum, dum extraxit Creaturas è nihilo, communicâsse ipsis parvum aliquod esse; sed hoc non est infinitum illud & necessarium esse, quod Deus solus possidet, sed est tandummodò parva quædam illius umbra: haud aliter, sicut parva illa puncta lucis, quæ apparent in guttis roris, quæ pendulæ conspiciuntur ab Extremitatibus plantarum oriente Sole, recipiunt quidem parvum aliquem splendorem Solis, sed non ipsum esse Solis: Sic omnes Creaturæ habent quidem aliquid à Deo, non tamen habent esse ipsius Dei, videmus in ipsis pulchritudinem, magnitudinem, durationem, Bonitatem, Sapientiam, fortitudinem, & omnia plena parvis hisce imitationibus perfectionum primi hujus entis: Sed si omnia hæc comparentur cum infinitâ pulchritudine Dei, cum ipsius immensitate, æternitate, infinitâ Bonitate, omnipotentiâ & omnibus infinitis perfectionibus essentiæ ipsius, videbis & fatebris non nisi minimum nihilum hæc omnia esse respectu Magni illius *Omnis*, hujúsque summi ac supremi *Totius*; Nam denique nihil habent ex omni illo esse, quod est in Deo. Sed Deus possidet in se totum ac omne esse, quod ipsæ habent, modo tam sublimi ac excellenti, ut nobis sit prorsus incomprehensibilis. Verum igitur est, quòd Deus sit omnia à seipso, & quod Deus non est, nihil sit à seipso.

Ah!

Aspectus Dei Existentis humiliat Creaturam.

Ah! quàm profundâ veneratione anima, quæ vel parùm hanc agnoscit Veritatem, fertur & afficitur erga infinitam magnitudinem Dei! Adorat ipsum, admiratur ipsum, ac tota in abyssis magni hujus totius absorbetur. Ah! quàm annihilatam se comperit coram oculis ipsius, quàmque procul se aberrâsse agnoscit, magni semetipsam faciens, dum intuetur abyssum sui Nihili, respectu infinitæ sublimitatis Essentiæ Dei! Sed quanto superabundat gaudio, dum considerat opus se esse tam magni Dei, tanto se insigniri honore, ut pertineat ad ipsum, pro ipso solo creatam se esse ab ipso, & non tantùm, ut suâ utatur operâ, sed etiam ut suas secum capiat delicias, ut se sibi revelet, secum agat velut cum amicâ & intimè conjunctâ, se tantis repleat favoribus, ut tandem elevare velit úsq; ad Thronum gloriæ & magnitudinis suæ! Quomodò, O infinita Magnitudo, te eò úsque inclinas ac descendis, ut æstimare digneris parvum hunc, quem ex nihilo extraxisti, atomum? Rapitur extra se infelix hæc anima, & hâc veritate semel benè gustatâ, ita à Magnitudine Dei & puro illius, quod Deus non est, nihilo penetratur ac absorbetur, ut nil nisi Deum ubique sibi occurrentem aspiciat, nihilq; impostèrùm amplius æstimare, amare, desiderare possit, quàm Deum. Cœtera omnia Cordi ipsius mortua, & oculis ipsius sunt annihilata.

Infelices essemus si plures essent Dij.

Sed summus gaudii ipsius est apex, quod noverit, nonnisi unicum esse Deum, cujus ipsa sit Creatura, qui solus suæ sortis sit arbiter, â quo omnis sua dependeat felicitas, & in quo solo inveniat, quo satiare se possit. Ah! quàm infelix ipsa foret, si per impossibile plures esset numerare Deos! siquidem quivis ipsorum exigere ab illâ posset summam ipsius adorationem, omnia ipsius servitia, totum ipsius amorem. Non est ipsa solvendo uni Deo, quod ipsi debet, quomodò suâ se obligatione ex solvere ac liberare posset erga alios? Si mandarent ipsi contraria, quo more omnibus gereret morem? Si sua obsequia, si amorem suum consecraret uni, omnes alii, quibus hæc abnueret, exin offensi, tot ipsam obruerent Calamitatibus, quot Deos sibi haberet infensos. Sed quàm felix est, & quàm solidâ fruitur consolatione, dum novit, quòd non nisi unicum Deum habeat, quem amare, non nisi unicum Dominum, cui servire, non nisi unicum Summum Bonum, quod desiderare & requirere debeat; quódque in ipso inveniat omnia, idque unicum possidendo,

bonorum infinitorum possideat Thesaurum.

Una anima Sola, unum Solum habet Deum.

Hinc cum aliquando quæreret Religiosus quispiam ex Magno illo rerum Cœlestium contemplatore Fratre Ægidio, uno ex primis sociis Seraphici Patris Francisci, quid sibi faciendum, ut illam, quam anhelabat, quantocyùs assequeretur felicitatem, quæ alia non erat, nisi quâ viâ perfectè posset placere Deo, is cum magno Spiritûs fervore respondit ipsi: Canta mi Frater, sed canta ex toto corde tuo, *Unus Uni, Una Uni*; id est, unus Deus, uni animæ, una anima uni Deo. Memineris animam tuam non nisi pro Deo solo esse Creatam, ipsam esse unicam ex omnibus inferioris mundi Creaturis, Cui dederit capacitatem & facultatem se agnoscendi, seque amandi; Hæc sola est fœderis sui arca, quam sibi ipsi præparavit velut sanctuarium tam sacrum, ut nulli liceat introitus, nisi sibi soli; abs eo, quòd vel unica è Creaturis, sive corporalibus, sive spiritualibus, sive Dæmonibus, sive Angelis etiam Beatis facultatem habeat propius accedendi ad intimum hoc animæ tuæ penetrale, quod verum est Tabernaculum Dei cum hominibus, ubi ita sibi complacet habitare, ut post Divinam suam essentiam nil magis in deliciis habeat, quàm pacificâ quiete frui in sinu animæ tuæ.

Quare Deus nostram fecerit animam ad suam similitudinem.

Omnes homines magni hujus mundi inquilini & accolæ, sunt totidem parvi mundi; sed horum quilibet non habet nisi animam unam, quia non est, nisi unus Deus, qui ipsam consultò & debitâ quasi operâ creavit pro se; quam etiam creando honoravit charactere & notâ similitudinis suæ, sicut collocari soleant insignia & inscriptiones super frontispicia palatiorum Principum & Magnatum; ad innuendum, quod, licet omnes Creaturæ Dominii jure ab ipso possideantur, nostra tamen anima signata sit velut augustum ipsius palatium, ubi habitare & suas capere velit delicias. Magnitudo, quâ ipsam insignivit ad se recipiendum, tam vasta est & ampla, ut in se complecti ac constringere possit omnem Dei immensitatem; Quin & Solus Deus est, qui ipsam implere, ipsam possit satiare. Sic est, O Anima mea, in profundâ hâc Cordis solitudine, cui nunquam non immorandum tibi, invenies Deum, qui suas tecum capit delicias, & cupit, ut tu tuas quóque capias cum ipso; Contentus enim non est, nisi deliciæ sint reciprocæ. Hic te Solam cum solo oportet conversari & quotidie occinere

cinere Cordi! *Unus* | *Uni*, *Una Uni.*

Deut 32. Deus nostram invitat animam, ut nihil præter se aspiciat.

Ipse te propriâ docebit experientiâ, quod aliàs suo dicebat populo: *Videte, quòd ego sim Solus, & Non sit alius Deus præter me.* Quasi dicere vellet: Nolite servire alteri, nec vestrum dividite amorem, nec tot vanis solicitudinibus vestrum dissipate animum; totum Cor vestrum mihi debetis; Nam ego sum Solus Dominus Deus vester: Nolite anxiè parare bona, quæ pereunt; Ego bonorum infinitorum thesaurus sum, qui vos locupletabo; Nam ego Solus sum Dominus Deus vester: Nolite inhiare delectationibus humanis nec sensuum voluptatibus, quæ minores sunt votis vestris, ut hæc valeant implere; Ego deliciarum æternarum fons sum & origo, quibus te satiare, & satiando Beatum reddere & valeo & volo; Nam ego solus sum Dominus Deus vester. Ah! si verum est, o Anima, quòd, cùm fruerer ab æterno omni honorum abundantiâ, honoribus ac deliciis infinitis in proprio sinu meo, egressus sim extra memetipsum, ut quærerem delicias meas non cum astris, non cum plantis, non cum floribus, non cum auro, non cum lapidibus pretiosis, nec cum aliâ quâcunque Creaturâ, sed tecum unâ & solâ: Nonne & tu, quæ inta temetipsam non invenies nisi peccata, nisi dolores ac miserias, extra temetipsam deberes egredi, ad fruendum mecum in intimo cordis sacrario, veris ac solidis, quæ beatam te reddere possint, voluptatibus ac deliciis?

Ita est, tam felix & Beata est anima mea, quàm unquam & usquam esse possit in terrâ, quando semel invenit & Deum gustavit in intimo cordis sui. Novit ipsa propriis edocta experientiis, non esse nisi unum Deum, & hunc Deum infinitam esse Bonitatem. Apage, apage vobiscum, O Mundi Crepundiæ, exclamat accenso cum cordis jubilo; infinitus jam mihi thesaurus est, quo mea plenè satiantur vota, exhilaratur vita; nihil deinceps vobiscum mihi Negotii. Valete omnes Creaturæ, relinquite me Solam cum Deo solo; Solæ deliciæ meæ deinceps erunt, absmetâ modulari dulce melos & Carmen meum: *Unus Uni, Una Uni.*

ARGU-

ARGUMENTUM.

1. *Maxima infelicitas animæ, quæ plures sibi Deos fabricatur è vitis ac passionibus suis, nec non vanitatibus mundi.*

2. *Qua ratione propriis suis erroribus revocari possit ad meliora.*

Articulus III.

OMnes tantam hauriebant voluptatem è Verbis devoti ac Sapientis hujus doctoris, magis è corde, quàm ore ipsius profectis, ut optarent, ne unquam finem faceret dicendi. Sed institutum interpellavit sermonem illustris cujusdam fœminæ adventus, quæ accesserat eò aliquid apud ipsum quæsitura solatii, Cujus tantam abundantiam effuderat in illos. Erat hæc splendido loco fœmina, quæ tota sui oblita ac perturbata videbatur; adeò usque penetraverat & animum ipsius occupaverat dolor, ut omnem aliam ipsi adimeret Cogitationem; citatis advolabat passibus, Societati se adjungens, abs eo, quod adverteret, num species, quam præferebat, externa, benè vel malè esset composita: eo ferè modo, quo olim Magdalena intravit domum Pharisæi, in mediam irrumpens Concionem hominum, non considerans horam Convivii, tota quanta abrepta affectibus, adeò stimulantibus cor suum, ut non attenderet nec curaret scommata ac dicteria, quorum sese exponebat aculeis, modò cœlestem animæ suæ inveniret medicum, quem quærebat, modò se posset ad pedes illius prosternere, illósque suis irrigare lacrymis: *quæsivit Piâ impudentiâ Sanitatem.*

Hæc pari ratione ferè videbatur affecta, nisi quod imparia & contraria fuerint animæ ipsius sensa; dolori namque suo mixtam ostendebat ferocitatem quandam ac iracundiam. Si quandóque respiceret Cœlum, videbatur id facere oculis indignatione plenis; erumpebat etiam in verba quædam submissâ omninò voce prolata ac mediâ tantùm ex parte intellecta, quæ horrore tamen aures percellebant, tantam spirabant desperationem & impietatem. An igitur aliquis Deus est? Ubi est hic Deus? An obsurduit? an cœcutit? Illustris Domina, dicebat illi, quem visitatum venerat, video dolore te obrui; quid est, quod adeò te affligit? Domine; reposuit ipsa, vides miserrimam ac fidelissimam coram te Creaturam, quæ vivere possit super terram:

terram: Job nonnisi ruditer delineata miseriæ erat imago; Ego consummatæ infelicitatis perfectissimum refero simulacrum; meis námque miseriis nil est, quod adjici possit.

Hâc super re cœpit ipsi enarrare Calamitatem ad desolationem statûs sui; quâ ratione vixerit olim omni conspicua honore, splendore familiæ; bonorum copiâ, nullâ non prosperitate, quæ suæ Conditionis personam reddere posset fortunatam; quod, postquàm longo tempore vixerat orba viro, nullis pepercerit impensis, ut unicum, quem habebat, filium benè educaret, isque eo jam loco esset, ut amplissimis fortunæ muneribus mox decorandus, iisdem universæ familiæ majorem tùm decorem, tùm splendorem, quàm unquàm habuerit additurus haud inaniter crederetur: modò autem videret omnem suam succisam spem, omnia sua consilia, inopinatâ illius, qui hæc sustentare debuerat, morte, in nihilum redacta; sicque unà se illicò exutam bonis, amicis, honore, ac omni vitæ voluptate; adhæc omni ex parte, unde olim fulciebatur subsidio, jam supprimi, concuti & quassari non nisi persecutionibus ac injuriis; adeóque videri, universum adversùs se conspirâsse mundum, ad faciendum se fœminarum omnium infelissimam. Audiveram semper, aliquem esse Deum, qui miseriis compateretur humanis, & confugientium ad se in suis necessitatibus exaudiret preces. Sed ubi est ille Deus, qui toties à me invocatus non audivit, sed dereliquit me?

Domina, ajebat ipsi, optimus hic Dei Servus, præ compassione ingemiscens miserabili ipsius statui: Ecce tibi omnem infelicitatis tuæ Origienem. Tu nescis, ubi sit Deus ille verus, qui vivos ac veros humanæ felicitatis fontes suo complectitur sinu; nunquam hucúsque ipsum agnovisti; ingentem adorâsti falsorum Deorum numerum, in quibus dum tuam collocabas fiduciam, ingemiscere jam debes, te ab illis in necessitate tuâ derelictam. Honor mundi erat idolum, cui sacrificâsti bona tua, curas tuas, affectus tuos, totum cor & totam animam tuam. Divitiæ idola erant, quibus adorationis cultum & cuncta tua impendisti obsequia, illis velut unico rei ac spei tuæ innixa fulcimento. Voluptates, prosperitates, amici, fortunæ commoda, ac omnia mundi phantasmata, falsa erant simulacra, quæ omnem tuam rapuerunt æstimationem, omnem affectum. Dum ipsis te totam devovisti, audisti quidem, aliquem esse Deum, sed in ipsum non credidisti, vel saltem

Infelix, qui confidit in alio, quàm Deo.

tem nullo ipsum habuisti loco, nihili feciſti.

Ubi sunt modò omnes Dii tui, in quibus confidebas? Dic illis, ut surgant & opitulentur tibi in magnis hisce, ad quas redacta es, anguſtiis ac calamitatibus: Quandoquidem fideli semper ipsis adhæsisti famulatu, dic, ut sibi præstita agnoscant obsequia, & fortunæ favores modò tuis obsequi faciant votis, uti spoponderunt Nonne deceptam te cernis, dum servitio unius & solius Dei spreto ac derelicto, in quo solidam invenire potuisses voluptatem, tot falsos amplecti voluisti Deos, quos vesana mundi vanitas sibi stolidè fabricatur? Vide, quàm inani te spe lactatam, nonnisi luctu tandem repletam dimittant ac deserant. Revertere ergò tandem in temetipsam & proprio edocta experimento agnosce, non esse nisi unicum verum Deum, in quo qui confiderit, sicut mons Sion, non commovebitur, nec unquam confundetur.

Deus audit afflictos, sed vult, ut perseveremus in oratione,

Ne mireris, si videatur paulisper abscondere faciem suam, téque ad se recurrentem despicere, cùm tanto tu tempore despexeris ipsum velut alienigenam & incognitum; & licet modò ipsum inquiras, hæc non fatis nisi compulsa & quasi necessitate; ex solo tui amore, & nullatenus ex amore erga ipsum? Ne obstupescas, si videatur obturare tibi aures suas, surdóque te canere fabulam; dum precibus tuis inexorabilem se demonstrat, cùm & tu quasi aurium usu capta, voci gratiæ ipsius, interius tibi loquentis te surdam tamdiu præbueris. Sed interim ne pigeat ferire abs feriâ & intermissione ostium divinæ miserationis ejus; nam omnia se daturum promisit perseverantibus in oratione: petite & accipietis, pulsate, & aperietur vobis: Ne credas, te derelictam ab ipso, Cruce, quam toleras, te videns onustam, cùm potius paternæ ipsius providentiæ hæc favor sit, cujus si valorem cognoveris, condignas ei haud poteris exsolvere grates. Aperi oculos tuos, & vide, quanto miseriarum onere te alleviet, quantam bonorum copiam harum loco tibi offerat & conferat, quantúmque felicitatis cumulum hâc viâ tibi adjiciat, aggreget, cöacervet.

Tyrannis mundi est sæva & crudelis.

Imprimis mancipium eras vanitatis, avaritiæ, voluptatis, passionum ac omnium mundanarum levitatum sub legibus mundi, non anhelans nisi ad bona fortunæ pro te ac sobole tuâ. Nonne sub illarum jugo ingemiscebas jugiter? quantæ solicitudines! quanti timores, quanta tædia, quantæ æmulationes lancinabant animum? Quid non tenta-

tentabas pro obtinendâ quiete, dum ex unâ parte te stimulabat vanitas ad faciendas magnas impensas, ut te ostentares, & ex alterâ parte tibi illas inhibebat avaritia, ne forsan aliquam incurreres jacturam, patereris incommodum? quantùm cruciabaris, dum aliquam felicitatem aucupabaris temporalem & alius tibi obluctans hanc tuo occupabat damno, reportabat præjudicio? quanta erat tua servitus, quantus famulatus, dum pseudoamicorum prensatura benevolentiam, tua cogebaris ipsis deferre obsequia, ut referres, quò tua collimabant consilia, quæ suâ tamen delusa spe non desinebant nisi indolos, fucos, perfidias? Fatere, vernarum vitam non magis infelicem esse conditione eorum, qui vivere volent juxta mundi normam ac formam. Nonne ingens hæc Dei miseratio est, quod repente hâc te servitute eripere, & in eam te libertatem voluerit asserere, ut nihil amplius cum mundo esse tibi posset negotii! Verum quidem est, quod, dum factâ vi te inde avulsit, non absdolore id fuerit factum, sed eo ferè modo, quo vitiosus alicui evellitur dens; Evulsionis sanè non vulgaris est dolor; sed diu non durat, sed momento quasi liberat à pœnâ & longâ magnorum dolorum serie.

Si misericordia ipsius erga te hìc suos collcâsset limites, abundè satis te obligaret, ad perpetuas ipsi pro tanto favore reddendas grates: Sed plura fecit adhuc: nam dum falsis te exuit bonis, quæ nonnlsi vera extabant, multúmque te vexabant mala, aperuit tibi thesaurum bonorum tam veracium, meracium ac solidorum, ut si ex illo haurire volueris, negotio facillimo omnium felicissimum te reddere possis in mundo: Et hic thesaurus alius non est, quàm ille ipsissimus, magnus ille bonorum infinitorum oceanus, ex quo quicúnq; hauserit, abundantes invenerit, suum quo cor satiari possit.

Unus Deus solus est solatium omnium miseriarum humanarum.

Innumerorum experientiæ famulorum ac famularum Dei id ad oculum demonstrant. An quispiam in mundo majori, quàm illi, perfunditur voluptate? Illi námque possident omnia, quibus cordis humani vota possent occupari. Inprimis abundant honore; siquidem majori sibi vertunt honori, dum fideliter sua Deo exhibent servitia, quàm si ad clavum sederent imperii, totíque mundo jussa darent, animo firmiter persuasi, quòd Deo servire, regnare sit: Deinde bonis affluunt, cùm enim habeant Deum tanquam pretiosissimum sibi thesaurum, bonum possident infinitum; nec omni ex

Indiis auro arcis suis occluso, ita sese beatos æstimarent, ficut dum vero sanctæ Charitatis auro animas suas vident locupletatas. Denique satiantur voluptatibus magis copiosis, deliciosis, illecebrosis, quàm totus date vel propinare posset mundus, cùm illas hauriant ex ipso fonte deliciarum æternarum, quæ ipsam lætificant Civitatem Dei, quibus ita omnem supra modum perfunduntur, ut in ipsâ etiam cruce, in laboribus servitutem Dei concomitantibus miram inveniant & deguſtent suavitatem.

Qui possidet Deum, est contemnus.

Dicendum omninò est, ipsos solidâ & prorsus insolitâ perfundi voluptate, quam mundus non novit, cùm nec minimo ferri possent desiderio erga illa omnia, quibus mundi asseclæ omnes suos dicant ac consecrant affectus. Non enim ambiunt, nec abeunt post mundi gloriam, sed hanc velut scoriam contemnunt, & fugiunt tanquam fumum: Non inhiant anxiè comparandis facultatibus perituris, sed flocci has faciunt velut paleas ac fœnum. Sensuum voluptates velut cœnum æstimant & aspiciunt cum horrore. Interroga, quò colliment ipsorum vota: Non alium his scopum præfigunt, nisi quem jam possident, Deum, in quo inveniunt totum, quo delectari, quo satiari valeant. Gaudium & pax, quibus cor ipsorum affluit, usque in ipsam diffluunt faciem, ita ut quisquis ipsos viderit, debeat fateri nusquam plus gaudii, nullibi plus esse solatii.

Domina hæc, quæ nunquam guſtaverat Deum, probè perspiciens, se hactenus ignorâsse illum, â quo solo in tantum poterat felicitari, quantum fuerat hucúsque infelix, avidas his omnibus præbebat aures: Dixisses ipsam non absimilem Nicodemo, quando audiens Christum sibi loquentem de Regno Dei, admirabundus eidem respondit: *Quomodo possunt hæc fieri?* Ecce summam quidem felicitatem sed quâ viâ huc pertingam, jam utcúnque consolata interrogat: quâ ratione post tantam à Deo alienationem, propius ad ipsum accedere potero? Et quomodò omnia in ipso potero invenire, quæ hactenus nunquam ipsum quæsivi?

Deus facilè invenitur & possidetur.

Profecutus igitur discursum ajebat illi, maximam hanc esse animæ felicitatem, quod, dum semel firmiter persuasa est non nisi unicum & solum esse Deum verum, animosè secum statuat, nulli deinceps, nisi illi soli adhærere, qui tam facilè inveniatur, ut præveniat quærentes se; tam promptè possideatur, ut omnibus se amantibus liberaliter tribuat ac donet seipsum.

Ah!

Ah! si aliud non esset, nisi intolerabilis labor, quem sustinere oportet in acquirendis mundi bonis fallacibus, salacibúsque ejusdem solatiis nonne abundè hoc esset ad ingenerandum animo eorundem fastidium? Et si aliud non foret, nisi maxima promptitudo in inveniendo, & possidendo Deo, nonne hoc omnes deberet allicere, omnes ad ipsum trahere? Ama ipsum & possides. Bona animæ desideria ipsum quærunt, perseverantia invenit, amor possidet. Ecce totum, quo tibi constabit, laborem. Si Deum amare nôsti ex toto corde tuo, in instanti possessionem adis boni infiniti.

O Bonitas Unius Veri DEI, quem adoro, infinita ac immensa, quàm prompta est ergò te acquirendi facultas, quàmq; pretio levi te nostris tribuis ac donas animabus! ut tuo fruamur, alterius non est opus favore; non enim est ulla ad favorem magis prona bonitas, quàm tua: Sed nec opus est mediatore, qui accessum ad te paret, quemcunq; accedere volentem amplecteris, neminémque à te repellis; non abjiciendus est animus, si quis non polleat arte vel ingenio, nec aliis vel naturæ vel fortunæ dotibus, nihil horum requiris, sed acquireris, dum cordialiter à quocunque amaris: Et tamen videtur, vix quenquam esse, qui hoc te pretio habere velit. An ergò sit nimius hic labor? Sed quis unquam laborem invenit in illo amando, quod infinito est modo amabile? Vel an res illo non digna sit labore? Sed nemo conqueritur de laboribus subeundis pro mundi crepundiis, qui intolerabiles tamen sunt; Et sit, qui credat, Deum dignum non esse, minimo adhuc essemus felices, si omnibus obruti laboribus, quos à protoparente nostro gemebundi exantlârunt & exantlabunt omnes mortales úsque ad ultimum, qui nascetur, adire possemus possessionem boni infiniti; Cùm certi simus, omnes hosce labores fore momentaneos & mox transituros, pretiosam autem illam possessionem fore æternam.

Addere plura haud opus erat. Hæc fœmina, quæ accesserat totâ desperatione affecta, retulit gradum plena solati, Benedicens Deum in corde suo eandem ob causam, quâ prius ad blasphemandum fuerat inducta: siquidem clarè intuebatur dispositionem providentiæ ipsius super se plenam miseratione, quam exhibuit, dum idola sua contrivit, & ad beatam deduxit necessitatem, deinceps omnia quærendi in ipso solo, utpote exspoliata omnibus, è quibus extra ipsum haurire poterat solatium.

tium. Auser omnia, mi Deus, dicebat, ex eo in semetipsam reversa, perfice opus tuum, exue me omnibus præter te; sat dives sum, consolata abundè, si solus mihi maneas superstes. Misericordias tuas in æternum cantabo, quæ reperire me fecerunt Deum in jacturâ creaturarum, quas perire fecerunt. O Felix jactura, quæ tam ingentem consignavit mihi thesaurum! Ah! si in facultate meâ esset modò omnes possidendi facultates ac prosperitates, quibus olim in mundo affluxi, vel quibus adhuc affluere anhelavi, quàm longè minoris illas omnes penderem, quàm unicum cordis desiderium, quâ unicè tua tota esse volo in tempore & æternitate.

Consultatio VI.

De Trinitate Divinarum Personarum.

Mysterium Trinitatis deprimit doctos & elevat indoctos.

Qui dicunt, adorandum Sanctissimæ *Trinitatis Mysterium* non intelligi, nisi à doctis & magnâ ingenii laude præstantibus, nec agendum de argumento tam sublimi cum simplicibus, rem in contrarium omninò detorquent sensum. Verum quidem est, hoc esse ex omnibus nostris Mysteriis præcipuum, quod intellectu minus comprehendi, verbus minus possit explicari: Sed idipsum quóque est, quod altius extollit intellectum simplicium, magis deprimit, confundit ac humiliat mentem sapientûm & doctorum. Non ipsorum est, de his loqui, cùm omnia, quæ lumine scientiarum acquisitarum circa hæc intelligere possunt, nihil sint respectu eorum, quæ fides de his docet fideles vel plurimùm ignaros. Divina hæc fidei lumina, quæ descendunt de Cœlo, ad illustrandas Christigenarum mentes ingenii acie minus instructas, confundunt omne robur, vim & congenitum acumen virorum sapientissimorum. Tacendum igitur sapientissimis quibusque in hoc argumento, ad addiscenda ex ignorantibus divina oracula, quæ Deus abscondit à prudentibus & sapientibus, & revelavit ea parvulis, id est, humilibus. Et tandem ad demonstrandum tibi hoc experimento magis uculento, congregemus hic viros totius mundi sapientissimos; Eligamus ex illis ingenia magis eximia, magis subtilia, magis illuminata, magis acuta, magis arguta; Accipiamus illos, qui

qui in omni scientiarum acquisitarum genere sint magis versati, latius diffusi, altius rimantes, profundius scrutantes; sintque hi centeni vel quingenteni ex cœteris omnibus præelecti, tanquam illorum peritissimi, expertissimi, spectatissimi; abs eo tamen, quod unquam fuerint aliquâ fidei divinæ tinctură imbuti. Statuamus, collocemus in celebris hujus concionis medio unicum Christianum non aliâ instructum litteraturâ, nisi illâ, quâ fuerit ornatus à fide, vi cujus saltem discurrere possit de fidei ac Religionis suæ Mysteriis: insuper autem spiritu humilitatis munitum, uti olim fuerat *Christus JESUS*, duodecim infans annorum, inventus in templo, in medio doctorum, illos audiens & interrogans: Et videamus, an aliquis ipsorum, vel omnes simul, intelligere aut capere poterint unicam solam earum, quas his proponet illis, stupendarum veritatum, quin potius in stuporem harum auditione sint rapiendi: videamus, an futurum non sit, ut sibi incomprehensibilia addiscant ab illo oracula, quibus intellectus ipsorum adeò extollatur in altum super omnes Cognitiones humanas, ut si centum annis Scholarum suarum frequentâssent limina, tanta scientiarum lumina acquirere nunquam potuissent.

Omnes mundi doctores absque fide, sunt discipuli alicujus Christiani.

Hoc Experimentum, quod plurimùm nobis inserviet ad explananda satis clarè pulcherrima Mysterii Sanctissimæ *Trinitatis* arcana, non minus acceptum, quàm utile nobis erit ad demonstrandum nobis obligationes innumeras, quibus obstringimur Deo, quòd dederit nobis fidem, quâ privati cœcutiremus circa splendidissimas æternitatis veritates, & quâ imbuti legimus ac evolvimus intima, quæ in corde Dei inclusa sunt, secreta & arcana.

ARGUMENTUM.

1. *Deus Pater est à seipso, Filius est à Patre, Spiritus Sanctus est à Patre & Filio.*

2. *Tres Personæ non sunt, nisi unus Deus.*

Articulus I.

INitium dicendi fecit Christianus, proponendo adunatis hisce sapientibus viris, stupenda illa Sancti *Augustini* verba, ex meditationibus ipsius deprompta: *Deus est Ens à se, Ens ab Altero, Ens ab utroque.* Deus, quem adoro, est ens simplicissimum, æternum & invariabile; Sed est ens à seipso, est ens ab alio,

Cap. 37.

alio, & est ens ab utroque? Intelligitis me benè? Nesciunt, quid dicere velit, sese invicem aspiciunt, apud seipsos rimantur & ruminantur, ut captu quid assequantur, sed quantò magis cogitando laborant, tantò minùs capiendo, magis ignorant. Videbatur ipsis hæc propositio inepta, insulsa, impossibilis. Quæ contradictio est tota? Si est ens à seipso, quomodò est ab alio? Et si Ens ab alio, quomodò est ab utroque? quis non videat contradictionem manifestam, adeóque absolutè hoc esse impossibile?

Quomodo Deus sit Ens à seipso, Ens ab alio, & Ens ab utroque.

An igitur hoc captum vestrum transcendunt, virorum sapientissimi; nec comprehendere hæc potestis omni vestrâ scientiarum humanarum litteraturâ? Audite me, inquiebat ad ipsos Christianus & docebo vos, quod à Cœlo edoctus sum, quodque me fides velut magnus ab immenso illo luminum æternorum fonte dimanans radius, hâc super re edocuit. Deus est Ens absolutum, æternum, & independens; est purus actus & est Ens necessarium, quod non accepit esse ab alio, vel se seniore vel potentiore, cùm æternus sit ac independens. Est igitur Ens à seipso. Verùm hic Deus fœcundus est, qui similem sibi producit è propriâ suâ substantiâ: quoniam producit, est Pater; Et quoniam is, quem producit, est ex propriâ ipsius substantiâ est hic ipsius *Filius*. Pater & Filius sunt duæ personæ realiter distinctæ, cùm impossibile sit, producentem & productum, eandem esse Personam. Sed quamvis duæ sint personæ, non tamen esse possunt nisi solus & unicus Deus, cùm duos esse Deos sit impossibile. Verum igitur est, Deum, quantum est Pater, esse Ens à seipso, quia esse suum accepit ab alio; Eundémque, in quantum est Filius, Ens esse ab alio, cùm esse suum acceperit à Patre.

Ambo tandem, Pater & Filius (duæ personæ, quæ non sunt nisi unus Deus) producunt aliquam tertiam sibi æqualem, & eundem secum Deum; siquidem, cùm ambo se videant infinito modo perfectos, & infinito modo amabiles, impossibile est, quin infinito modo se invicem ament, producunt ergò amorem infinitum, in omnibus Bonitati, quam amant, æqualem, quem amorem necesse est esse Deum, cum sit ens infinito modo perfectum; sed alius non potest esse Deus, nisi ille, qui est Pater & Filius, à quibus producitur, cùm impossibile sit plures uno esse Deos. Nihilominus procedit ab utroq; velut ab uno solo Principio, cùm ambo non habeant, nisi unicam voluntatem,

tem, quæ amet, & unicam tantùm Bonitatem, quam ament; Et ideò verum est, Deum esse Ens ab utroque. An benè capitis hæc Mysteria?

Objectio Philosophorum contra Trinitatem.

Non ajunt Philosophi: non ita in nostris philosophamur Scholis, & cuncta, quæ asseveras, conformiter nostris principiis, videntur nobis impossibilia. Dicere, quòd Deus producat, vel generet sibi similem; dedecere videtur summam Dei puritatem; generatio & corruptio imperfectiones sunt creaturarum, quæ in Deo inveniri non possunt, cùm ipse sit ens infinito modo perfectum; & iterum, si verum est, quod producat alium sibi similem, multiplicat se; & tamen tu dicis non esse nisi solum & unicum Deum, quod manifestè sibi contradicit. Adhæc dicere, aliquod Ens, quod non est à se ipso, sed quod esse suum accipit ab alio, existere Deum, est impossibile: nam quidquid est ab alio, necessariam dependentiam habet à causâ se producente; & quidquid dependentiam habet, non potest esse Deus, cùm Deus debeat esse primum & supremum omnium Entium. Hæc effata, pronuntiata ac placita inter sapientes nullum prorsus inveniunt ambigendi locum.

Generatio Filii Dei est spiritualis.

Oportet ergò, reposuit Christianus, ut magis me explicem, cœliqúe vera lumina à fide nobis communicata, obnubilent, ac tenebris obvolvant terræ lumina, quæ non nisi ex scientiis haurimus naturalibus. Vestræ cogitationes nimis abjectæ, nimisque viles sunt de æternâ Filii Dei generatione, dum dicitis, illam dedecere puritatem. Deus non est corpus, & divina ipsius generatio non est corporea; aliàs esset ens materiale & imperfectissimum. Ipse est purus Spiritus, & generatio ipsius est tota spiritualis, abs eo, quòd habeat materiale quid, vel impurum. Quando Spiritus cognoscit, eâ ferè ratione, quâ vos Philosophos quotidiana in studiis vestris docet experientia: quando concipitis aliquam veritatem in intellectu vestro, formatis aliquam ejusdem idæam, sive imaginem intellectualem vobis illam repræsentantem, quam vocatis *Verbum mentis*. Hæc conceptio vel generatio spiritualis, tota pura est & Virginea, nec indigna nobilitate alicujus Spiritûs, quemadmodum vos ipsi non abnuetis.

Dicebam vobis, rem ferè sic habere; sed ratione infinito modo sublimiori Deus concipit & generat verbum suum Filium nempe suum Unigenitum in seipso: nam ipse purus est Spiritus. Et quoniam ens est infinitum, est Spiritus infinitus, adeóque est infinito modo intellecti-

vus, id est, extendit cognitionem suam in infinitum, ad omne, quod est cognoscibile: Cognoscit námque perfectè semetipsum, Essentiam suam divinam, æternitatem suam, immensitatem suam, omnipotentiam suam; Adhæc clarè intuetur omnem infinitudinem operum, quæ extra seipsum potest producere. Hæc omnia cùm cognoscat simplici intuitu intellectûs sui divini, format exinde imaginem perfectissimè sibi repræsentantem omne id, quod cognoscit, quam necesse est ipsi æqualem esse in omnibus, nec in aliquo differre ab ipso; sed perfectissimè exprimere debet divinam ipsius Essentiam, ipsius æternitatem, ipsius immensitatem, ipsius Omnipotentiam, & deniq; omnia, quæ cognoscit. Necesse est igitur, ut perfecta hæc imago sit substantia sicut ipse, sitque Deus sicut ipse, cùm nihil sit in uno, quod non sit in altero. An fingere quis? possit aliquam indecentiam, vel quandam impuritatem in admirabili hâc generatione? Nonne tota sit virginea? Tota resplendens gloriâ & Majestate? Sic ipsemet loquens ad filium suum in raptu quodam æternæ complacentiæ, quam pariebat speciosæ hujus imaginis aspectus, dicebat ipsi. *In splendoribus Sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te.* Psal. 109.

Sed unde persuasus, O Christiane, reponit Philosophus, nobis dicere prætendis, imaginem hanc à Cognitione intellectûs Dei productam esse Filium Dei, Deúmque esse, sicut est Pater ipsius? Nam quantum sapio, quantum capio, non est nisi cogitatio intellectûs DEI. Quis unquam dicere est ausus, Cogitationem intellectûs hominis, esse hominem, vel ipsum generâsse hominem in capite suo, quando in eo aliquam formavit cogitationem? Homo est substantia solida & permanens; Cogitatio ipsius non est, nisi vagum, mobile, ac mutabile accidens. Adhæc foret quid insolitum, quid peregrinum, si aliquis intellectus non haberet nisi unicam solam cogitationem: quantum illi tormentum, quantus cruciatus, si cogeretur continuò eâdem de re cogitare? Experientiâ docemur, intellectum, quantò major & acrior est, tantò magis se extendere, tantò magis vigere; adeóq; magis fœcundum esse ad producendas infinitas Cogitationes diversas & absnumero multiplicatas. Ex hoc ergò necessariò deducitur, Deum, qui in robore ac amplitudine suâ infinitus est intellectus, innumeras ac infinitas absullâ metâ aut limite producere cogitationes.

Aliæ objectiones Philosophorum contra Trinitatem.

Ah! quàm humilis, abjecta, humique repens tua est Philosophia,

sophia, respondit Christianus! Nunquid aliter judicandum de intellectu Dei, aliter de intellectu hominum? Quis hominum æqualis sit Deo? Quid homo sit respectu Dei? longè minor est, quàm atomus respectu totius universi. Verum quidem est, intellectum humanum, qui nunquam non magnæ est imbecillitatis, non producere posse, nisi cogitationes mobiles, inconstantes, imperfectas, quæ non sint nisi accidentia exiguæ durationis, sicut is ipse, quem produxit, non est nisi accidens. Sed intellectus Dei, qui est propria ipsius substantia, cùm infiniti sit roboris, concipit & producit substantiam, qualis est ipse. Et quia producit sibi similem in substantiâ, hinc ille, qui producit, est verè ipsius Filius. Hæc est prærogativa intellectûs Dei, cui nullatenus competunt imbecillitates intellectûs humani; & inde est, quod dicit: *Non enim Cogitationes meæ, Cogitationes vestræ, neque viæ vestræ, viæ meæ.*

Cogitatio Dei est substantia.

Isa. 55.

Verum quóq; est, intellectum hominis valdè multiplicare cogitationes suas; sed id est, quod valde limitatus sit & magnoperè ignarus à seipso. Parvitas ipsius prohibet, ne unico solo ac simplici intuitu concipere possit, quidquid est cognoscibile, cùm hoc in infinitum procedat. Necessariò ergo multiplicandæ sunt ipsi summoperè cogitationes suæ, sicque adnitendum ipsi, ut paulatim & successivè in rerum notitiam deveniat, cognoscendo unam post alteram. Et ignorantia ipsius obstaculo est, ne statim ab initio aliquam rem perfectè cognoscere possit, ideò sæpius applicare se debet & adniti, ut cognitionem assequatur; & omni adhibitâ contentione non eò pertinget, ut quidquid est cognoscibile, cognoscat in illâ. Sed intellectus Dei infinitæ est latitudinis & infinitæ Claritatis: Ex eo, quòd infinitæ sit latitudinis, cognoscit illicò omnem infinitudinem rerum cognoscibilium intra se & extra se; non opus est illi, nisi unico simplicissimo intuitu intellectûs, qui, cùm infinitus sit, multiplicari non potest, cùm unum solum infinitum omnia comprehendat. Una igitur duntaxat est, redundátque in gloriam intellectûs Dei, quod non nisi unicam habeat cogitationem. Et quia adorandus hic intellectus infinitæ est claritatis, cognoscit mox & illicò profundissimas Veritates, in eo, quod cognoscit, inclusas; unde est, quod non sæpius adnitatur & contendat in rerum cognitione facere progressum; sed unicâ mox se exhaurit cogitatione, quæ magnitudine suâ ipsum ad-

Deus non habet nisi unicam cogitationem.

æquat intellectum. Ingens hæc cogitatio repræsentat ipsi omnia, quæ cognoscit; in hâc videt seipsum, velut in perfectâ sui imagine; Et imago hæc, quam producit ex propriâ suâ substantiâ, est Filius ipsius Unigenitus.

Intellectus Dei est fœcundus & sterilis.

O adorande intellectus DEI mei, quàm es incomprehensibilis! An dicam, fœcundum te esse? An verò dicam, te esse sterilem? videris mihi esse utrúmque. Non potes habere, nisi unicam solam cogitationem; non potes formare, nisi unicam solam conceptionem in temetipso, nec generare nisi unicâ tantùm vice: An esse quid possit sterilius? Sed hæc Cogitatio est infinita, hæc Conceptio est immensa, hæc generatio est æterna, & semper actualis; nunquam incepit & nunquam desinit: An excogitari quid possit fœcundius? Hæc ita te penitùs exhaurit, ut impossibile tibi sit aliam producere secundam; & nihilominus ita manes inexhaustus, ut impossibile tibi sit vel unico momento ab illius productione cessare in æternum. O sterilitas admirabilis, quæ eò te redigit, ut habere non possis nisi unicam & simplicissimam Cogitanem, hæcque sola exhauriat omnem infinitam virtutem Omnipotentis DEI! Sed stupenda fœcunditas, quod unica hæc cogitatio æternus & Omnipotens sit Deus!

Etiam intellectus noster fœcundus est ac sterilis, sed modo prorsus oppositio.

Ah! Intellectus humane, quid es respectu intellectûs Dei? Verum est, fœcundum te esse ac sterilem, sed modo plané oppositio, quo Deus est: fœcundus ad producendas infinitas cogitationes frivolas ac inutiles; fœcundus ad implicandum te plurimis vanis ac insanis imaginationibus; fœcundus ad agglomerandas & coacervandas abs numero molestas curas ac solicitudines, quæ nec pacem tibi relinquunt nec requiem: sed sterilis respectu Dei, de quo formare vix potes unicam duntaxat bonam cogitationem, hanc si semel conceperis, ipsam conservandi deficit facultas; si autem conservare quandóque contendas, tormentum tibi ipsi adscisis & quasi te constringis ergastulo. Ut quid, O mi Deus, tanta me inter & te contrarietas? Ah! quousq; relinques me in miserâ captivitate intellectûs mei, qui tantâ perfunditur voluptate effundendi se in omnes alias cogitationes, quàm de te, & nullo nisi de te cogitandi afficitur tædio? Ah! quantum discrimen inter statû Beatorum in cœlo, & nostrum infelicium mortalium adhuc reptantium super terram! Ipsi non habent, nisi simplicem quandam Cogitationem de Deo, quam ineffabili cum voluptate in omnem

nem conservant æternitatem, & in quâ immortalem ac æternam suam inveniunt vitam; in quo etiam ipsorum consistit beatitudo: Et nos econtrà in continuâ quasi vivimus oblivione Dei, nunquam non intellectum occupatum habentes innumeris vanis Cogitationibus? Et hoc est, quod miseros nos reddat ac infelices.

Hæc vos non capitis, Philosophi, nec ij omnes, qui nonnisi naturalibus scientiis fuerint instructi, capient unquam. Anima divino fidei lumine illustrata, & verè à Spiritu DEI occupata, non se occupat, nisi occupationibus ipsius Dei. Contemplatur ipsâ pulchritudinem magni illius ac æterni splendoris, è quo nasci videt lumen infinitum de lumine infinito, dum producentem videt, Patrem, Filium suum Unigenitum in splendoribus Sanctorum. Intuitus hic ipsam allicit ac voluptate afficit, dum aspicit, hanc solam esse Cogitationem, quæ occupare deberet intellectum eo solùm nomine creatum, ut absque contempletur Deum, omnes alias Cogitationes in tuenda velut crepundia ac nugas pueriles. Ubi econtrà illi, qui nonnisi Spiritûs humani sequuntur lumina, nihil ex his omnibus capiunt; sed potius credunt, jacturam esse temporis, & inutilem sui ipsius torturam, distineri cogitatione de Deo. O infelix intellectus humane! quàm spissæ, dum tibi ipsi relinqueris, obvolvunt te tenebræ! Fatemini O Philosophi, magnas hasce veritates transcendere omnem captum vestrum, & omnem scientiarum vestrarum effugere notitiam.

ARGUMENTUM.

1. *Tres Personæ divinæ non sunt distinctæ ab Essentiâ Dei, quod facit, ut unum & tria non sint, nisi unum.*

2. *Plura alia prodigia, quæ fides nos docet circa ineffabile hoc Mysterium.*

Articulus II.

Prodigia incomprehensibilia Trinitatis.

VIdeamus, an melius intelligatis aliud hoc prodigium, prosequitur Christianus. Deus, quem adoro, est unicus, & tamen non est solus: Est totus collectus inseipso, in altissimâ solitudine; sed optimo stipatus comitatu. Adoro tres Personas, quarum quælibet est Deus, sed non agnosco, nisi unum solum Deum, ita ut tria & unum non faciant nisi unum; Et unum ad-

junctum tribus non faciat quatuor, sed maneat unum. An probè intelligitis hæc Mysteria? Millenis studete annis, rimamini omnia scientiarum vestrarum arcana, ad assequendam horum ænigmatum intelligentiam, eò tamen non pertingetis.

Objectiones Philosophorum.

Expertissimus quidam prodiit Mathematicus, qui magnoperè confisus regulis suæ Arithmetices, gloriosius jactabat hâc super re demonstrationes tam luculentus ac manifestas se facturum, quibus nullus contraire, nemo refragari posset. Dicebat is quasi aliquantisper impatiens: quâ ratione propugnabis & defendes rem omnibus scientiæ principiis ita contrariam, quin & sanæ menti omninò adversam? quis ignorat, Unitatem non facere numerum, & numerum absolutè destruere & annullare unitatem? Esse unum & tria, est esse unum, & non est esse unum: Intercedit hîc ergò contradictio planè manifesta. Adjungere unum tribus & non facere quatuor, est contra essentiam numeri & contra experientiam sensuum nostrorum. Dicere, quod numerus singularis fiat pluralis, abs eo, quod major sit numerus, vel quod numerus pluralis fiat singularis, abs eo, quòd numerus sit minor, est dicere, diem non esse in plenâ meridie: Sicut dicere, quòd aliquis sit unicus & non sit solus, quòd aliquis sit solus, sitque simul cum sodalibus; hæ omnes contradictiones sunt absolutè impossibiles. An opus sit exhibere tibi demonstrationem magis palpabilem; Inscribo tres notas Arithmeticas papyro, eásque tibi porrigo, ut ipsemet numeres: An dices, has non esse tres? adjungo illis adhuc aliam, an dices, has non esse quatuor?

An sistit in hoc tota tua scientia, reponit Christianus? Ah! quàm longè sublimiora me fides edocet? Nam hæc me docet, in adorando *Trinitatis* Mysterio, non esse nisi unam solam Essentiam, vel unam solam naturam Divinam, sicut non est, nisi unus solus Deus; Sed hanc solam adorandam Essentiam, esse totam integram, absque divisione, absque ullâ separatione, & absque ullâ multiplicatione in quâlibet divinarum trium personarum, *Patre, Filio, & Spiritu Sancto.* Sic omnes tres sunt Deus, quia omnes habent divinam naturam, & quælibet ex tribus est Deus, quia æquè habet divinitatem, sicut duæ, aliæ; Sed omnes tres non sunt nisi unus Deus, quia omnes tres non habent nisi unam divinitatem. Verum igitur est, quod tria sint unum, id est, quod tres Divinæ Personæ sint unus Deus; Verum quóque est, quod unum sit tria, id est unus Deus, tres divinæ Personæ. Similiter non aberrat à vero, quod unum

Quomodo unitas Dei stare possit cum Trinitate divinarum Personarum.

adjectum

adjectum tribus non faciat quatuor, sed solummodò unum, id est, quod Essentia Dei cum tribus divinis personis non constituat res quatuor, sed rem unam simplicissimam, quæ est unus solus Deus. Verum ergò denique est, ipsum esse unicum, eò quod non sit nisi unicus solus Deus; sed cum solus sit, non esse solitarium, Eòquod in seipso fruatur dulcissimâ & æternâ societate trium divinarum Personarum adorandæ *Trinitatis.*

Numerus absque numero.

Fateor oracula hæc esse divina, adeò omnem hominum captum excedentia, ut omnis vis ac virtus, omnia intellectûs humani tum lumina tum acumina, eò nunquam extolli aut conscendere potuissent. Necesse erat descendere illa à Patre *luminum*, & à Cœlis terræ manifestari, quæ hodiedum adhuc in admirationem rapiunt sapientissimos quóque, abs eo, quòd vel rimando capere, vel altius scrutando comprehendere possint. Sanctus *Bernardus* illuminatissimorum & sapientissimorum Ecclesiæ Doctorum numero meritò aggregandus, totus extra se consideratione prodigiorum istorum raptus; in sequens effatum suum solvit os & Calamum: *Quid sibi vult iste (ut ita loquar) absque numero numerus? Si Tria, quomodò non Numerus? Si unum, ubi Numerus? Quis Numerm neget? Nam verè Tres sunt. Quis numeret tamen? Nam verè unum sunt.*

De Consid. lib. 5.

O Deus summæ Majestatis, quàm admirabilis es in magno hoc Mysterio! Quàmq; procul abest intellectûs humani infirmitas ac vilitas à comprehendendis cunctis mirabilibus tuis! sed exulto O mi Deus, & gaudio diffluere sentio totum cor meum, ex eo, quod tam magnus, támque admirabilis sis Deus, quódque infinitas sinu tuo constringas perfectiones, quæ nulli, nisi tibi sunt comprehensibiles. Ah! si non esses, nisi quod imbecillitas intellectûs nostri humani capere posset, non esses Deus, cùm infinitus non esses. Non desidero vos intelligere nec comprehendere clarè, O divina oracula, sed firmiter vos credere desidero. Imò cœco modo vobis assentior, vos amplector obfirmans oculos, ut credam vos, abs eo, quod vos videam, vel quidquam infinitæ vestræ magnitudinis mente complectar. Sed veniet dies, olim vos mihi revelaturus, ut clarè videam, palàm intuear, æternùm admirer cuncta illa prodigia, quæ raptu nunquam intermisso intellectum ipsius Dei tenent suspensum. Ah! quando auspicatum illud illucescet momentum, quò mea nunquam non anhelant, vota ac collimant suspiria! *Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini.* Psal. 41.

Chri-

Alia prodigia incomprehensibilia sanctissimæ Trinitatis.

Christianus videns, omnes illos sapientes viros, qui sibi loquenti præbebant aures, alto detentos silentio, haud obscuro admirationis suæ indice, nec non turbatarum cogitationum involutos labyrintho, quo suam detegere & fateri videbantur ignorantiam respectu tot tantorumque arcanorum cœlestium, quæ sola nobis revelat fides, pergebat ex illis sciscitari, illisque explanare majora adhuc prodigia. Omnes vestræ scientiæ, ajebat illis, an unquam vobis fecêre, mentionem de aliquâ omnipotentiâ, quæ nihil omninò potest, ubi est, potest autè & facit omnia quæ vult, ubi non est; & de aliâ omnipotentiâ adhuc sublimiori omnipotentiâ illâ, quæ producit res infinitas, abs eo, quod producere quidquam possit, ubi producit omnia, & quæ cum sit suprema, non habeat aliquam jurisdictionem? An audîstis unquam de absolutâ quâdam Auctoritate, quæ tamen omni superioritate careat? An intelligitis, quibus legibus filius, qui esse suum & omnia, quæ possidet, habet à Patre suo, ipsi nihil ex omnibus debeat; aliquis filius, qui nihil esset absque patre suo, ipsius tamen non indigeat, aliquis filius, qui infinito modo amet Patrem suum & omnes ipsius faciat voluntates, ipsi tamen nunquam obediat; aliquis Filius; qui respiciendo Patrem velut illum, qui super se Auctoritatem habeat, nullam tamen vel minimam ipsi exhibeat reverentiam: an omnia hæc approbahitis velut æquitati & rectæ rationi consentanea?

Objectiones aliæ Philosophorum contra Trinitatem.

Et quomodò, dicebat desuper peritissimus Juris-Consultus, discursum ipsius interpellando: Est hic, quem adoras, Deus, uti omnia plena sunt confusione ac perturbatione? Quid rei omnipotentia sine potentiâ; Auctoritas & summa potestas, neminem habens sibi subjectum; filius omnia habens à Patre, qui se tamen illi in nullo obligatum agnoscat, nihil illi debeat, tantæ est ingratitudinis; filius absque veneratione, absque submissione, absque obedientiâ? Si omnia hæc sunt legibus consentanea, taceat legum omnium vox publica, quæ mandant honorari illos, qui legitimum habent jus ac potestatem in alios; insuper illos, qui ipsis debitam subjectionem & obedientiam subtraxerint, fraudis capitalis & gravis in dominum noxæ reos declarant. Sed quis magis obligatus est Patri, quàm proprius ipsius filius? Nonne natura ipsa nasci hunc fecit subditum illius naturalem, nolens ullâ ratione dispensare in debitâ erga ipsû veneratione ac obedientiâ, abs violatione juris naturalis, quo sanctiùs & sacratiùs toto non

viget

viget mundo. Quâ ratione igitur ea, quæ dicis, detorquere poteris in sensum rationi congruum?

Verum est, Respondet Christianus, loqueris hâc super re velut vir prudens, verùm prudentiâ tantummodò humanâ, propugnas quidem justitiam, sed justitia hæc est solummodò naturalis. Si fides reserâsset tibi, sicuti nobis, scientiæ & infinitæ sapientiæ DEI thesauros, túque perspectas haberes leges justitiæ admirabilis, quæ observatur intus in Deo, fatereris dubio procul, scientiam tuam induxisse te ad loquendum more hominis; Christianum autem divino lumine illustratum loqui velut Deum. Vis nôsse, quâ ratione Principia fidei nobis mirabiliter detegant & explicent abstrusas hasce veritates, quæ tam implicatæ nobis videntur? Audire placeat quatuor altissimæ doctrinæ puncta, quæ fides nobis consignat.

Mirabilia omnipotentiæ producentis creaturas.

1. Ipsa nos docet, esse aliquam omnipotentiam in Deo, clarè à nobis cognitam in effectibus suis, omnibus nempè creaturis. Sed hæc potentia nihil producere potest, ubi est, scilicet intus in Deo: hæc námque non est, quæ producit Filium aut Spiritum Sanctum: Ipsa non operatur, nisi circa nihilum, & nil producit aliud, nisi creaturas. Sed virtus ipsius tam est admirabilis, quando sese extendit super vastas illas nihili abyssos, ut educat & extrahat inde, quidquid sibi placuerit. Sanctus Job admirabatur opera pulcherrima ab Architecto ingentis hujus universi fabrefacta, dum dicit: *Qui facit Magna & Mirabilia, & inscrutabilia absque Numero.* Job. cap. 5. Sed omnipotentia, quæ hic operatur, hæc omnia facit & perficit supra nihilum, ubi ipsa non est: siquidem in propriâ Dei Essentiâ, ubi est, nihil producere potest, cùm nihil ibi producatur, nisi *Filius & Spiritus Sanctus*, qui non sunt opera hujus Omnipotentiæ, trahentis entia creata è sinu nihili, aliàs ipsi Creaturæ essent, & non Deus; sed sunt opera exquisitissima alterius Omnipotentiæ longè sublimioris, de quâ mox sermo erit. Ecce cur dixerim, omnipotentiam esse, quæ nihil facere possit, ubi est, Nempè intus in Deo, sed quæ facere possit omnia, ubi non est, nimirùm in nihilo.

Prodigia omnipotentiæ producentis Personas divinas.

2. Ulterius nos fides docet, nobisque detegit in Deo aliam Omnipotentiam longè majorem ac sublimiorem Omnipotentiâ, quæ creavit Universum. Theologi hanc nominant *Potentiam Notionalem*; Cui soli convenit producere intus in Deo duas Divinas Personas, *Filium &*

Spiritum Sanctum : Et hoc totum est, quod facere potest, cùm infinita ipsius virtus exhaustam se inveniat, & totam abs ullâ exceptione occupatam solis hisce duabus productionibus divinis, abs eo, quod facere quid possit aliud, sive intra, sive extra Deum. Et quod prorsus admirabile est, non potuit illas producere, antequam actualiter illas produceret, cùm ipsæ nunquam fuerint in solâ potentiâ, sed semper in actu ab æternitate, nullúmque fuit instans, quo dici potuerit: potentia nationalis, quæ est in Deo, producere potest duas divinas Personas, sed nondum illas producit. Et ideò dixi (quod tibi adeò contradictorium videtur) admirabilem hanc potentiam infinito modo agere & operari intus in Deo, nihil tamen operari posse, ubi operatur omnia.

Comparatio duarum harum potentiarum.

Jam conferre placeat duas hasce stupendas inter se potentias. Potentiam, quæ creavit universum, cum potentiâ Notionali; ambæ sunt incomprehensibiles: Sed una operatur omnia extra Deum, & hæc est omnipotentia; altera operatur omnia intra Deum, & hæc est potentia Notionalis. Hæc terminatur duabus solis productionibus *Filii & Spiritûs Sancti*, quibus omnis ipsius infinita virtus ita prorsus invenitur exhausta, ut impossibile sit ipsi, quidquam aliud producere unquam. Alterâ terminatur multitudine creaturarum, quarum numerus non est limitatus; hæc nunquam exhauritur, quia nunquam tot producit creaturas, quin semper plures & plures possit producere. Et tamen verum est, quod omnia, quæ producere potest, quamvis omnibus momentis per totius alicujus sæculi decursum, novos produceret mundos, nihil sint, nisi tenuissimus vapor, vel umbra levissima, si comparentur cum duobus hisce adorandis operibus potentiæ nationalis; *Filio* nimirum & *Spiritui Sancto*. O Amantissime Deus, quantæ igitur sint excellentiæ duo hæc exquisitissima æternitatis opera, cùm illorum intuitu tot millena & iterû iterúmq; millena centena millia pulcherrimarum creaturarum minoris minimo sint atomo? Nonne rapiatur & totus absorbeatur animus in admirandâ magnitudine tam potentis Dei? Si conspecta & mente revoluta pulchritudo mundi visibilis mirè attollit animum considerantem ejusdem divitias, amplitudinem ac Majestatem; & si aspectus hic quóq; excitet in corde intuentis affectus reverentiæ & amoris erga auctorem, támque speciosi operis artificem, quid ergo erit, quando videbimus nudè ac apertè alia

tè alia opera infinito modo magis stupenda potentiæ notionalis, quæ omnia dum contineantur in Deo, contentant Deum ipsum, & totam ipsius felicitatem constituunt in omnem æternitatem.

Desiderium animæ videndi sanctissimam Trinitatem.

Ah! quàm cœtera omnia in comparatione despicabilia sunt ac vilia! Nihil est, quod contentare possit animam extra Deum, recepto semel vel minimo radio luminis cœlestis, quo detegantur ipsi vel modicùm pulchritudines in Deo absconditæ ac inclusæ. Nil magis allicit ipsius studia; nil magis acuit ipsius nota, quàm spes videndi aliquando prorsus detectas venustates ineffabiles, quas complectitur in sinu Deus, languet præ tædio super terram, omnia ipsi displicent, omnia fastidium pariunt ipsi in hoc exilio. Ah! quoadusque absondes nobis faciem tuam, o Pulchritudo infinita? An longo adhuc tempore negabitur facultas aspiciendi eum, quem amo, cujusq; cor meum tam ardenti exæstuat charitate? Sed an putas hâc forte te aliquando felicitandam, O anima mea, quâ videre tibi liceat splendores fulgidissimos immensæ hujus lucis divinæ? Imò, sperandum id tibi est & exspectandum; ipse tibi promisit, & nil aliud exigit à te, nisi ut ipsum ames ex toto corde tuo, nec non fideliter ipsius custodias legem.

3. Ecce nunc tertium prodigium, quod fides cognoscendum nobis exhibet in Deo. Summa est Auctoritas ac potestas primæ personæ super duas alias, & secundæ super tertiam, quæ tamen nullam illis tribuit superioritatem. Siquidem verum est, quod Pater æternus habeat Auctoritatem originis & Auctoritatem quidem summam super unigenitum *Filium* suum, Eo quod ipsi tribuat totum, quod possidet, Esse divinum, omnèmque potestatem habeat mittendi ipsum nobis in terram pro salute nostrâ. Verum quóque est, Patrem & Filium habere Auctoritatem Originis & Auctoritatem quidem summam super Spiritum Sanctum, Eòquod producant ipsum ex suâ substantiâ, habeántque plenum jus ipsum nobis Donandi. Sed mirabile est, hanc summam Auctoritatem, nullam prorsus ipsis dare superioritatem: nam omnis superioritas necessariò post se trahit inæqualitatem; Oportet, qui superior est, esse majorem, & qui inferior est, esse minorem. Et quomodò admitti posset aliqua superioritas vel minima in æqualitas inter has divinas Personas, cùm omnes non habeant nisi unam essentiam, unam potentiam, unam æternitatem, & omnes demum non sint, nisi

Auctoritas summa nullam habens superioritatem.

una eademque res ? Sanctus Hilarius paucis verbis multa egregiè dicit: *Donantis Auctoritate Pater Major est ; Sed minor non est Filius, cui unum Esse donatur.* Pater quidem major est Filio, Auctoritate Originis , sed Filius non est minor Patre suæ dignitate Essentiæ ; Cum ambo nonnisi unicam habeant essentiam ; unam eandémque Divinitatem. Hinc est, quod Pater non sit superior Filio , & Filius non sit inferior Patre; hinc verum quóq; est, quòd non debeat nec reverentiam nec obedientiam Divino Patri suo; & licet omnes ipsius faciat voluntates, cùm ambo non nisi unam eandémque voluntatem habeant, nihilominus tamen ipsi nunquam obediat.

lib. 9. de Trinit.

4. Ultimum denique prodigiorum, quæ fides nos docet circa ineffabile hoc Mysterium, est, quod filius ita omne esse suum recipiat à Patre, ut nihil omninò habeat, quod non acceperit ab ipso ; & tamen nihil prorsus illi debeat. Si per impossibile Pater non esset Principium Filii, & is non semper actualiter produceret ipsum , Filius non esset, & tamen dici non potest, quod ipsius indigeat ; nam qui dicit indigentiam, dicit defectum ; Et si defectus esset in Deo , Deus non esset. Et qui dicit obligationem ac debitum, dicit quoddam genus dependentiæ; & nos jam diximus, tres divinas Personas minimam dependentiam à se invicem non habere. Ah! quàm longè aliæ sunt leges justitiæ æternæ , quæ observatur intus in Deo , inter tres divinas Personas, & justitiæ temporalis, quæ colitur extra Deum inter homines!

Filius accipit omnia à suo Patre, & nihil illi debet.

Æquum est penes unam , ut filius dependeat à Patre suo, velut à suo superiore naturali : penes alteram æquum est, ut Filius in omnibus æqualis sit Patri suo, cùm ambo non sint nisi unus Deus : penes unam debet filius reverentiam & obedientiam Patri suo, & hanc si abnuat , reus est criminis; penes alteram Filius non debet nec venerationem nec submissionem , nec obedientiam divino Patri suo ; Et si per impossibile hanc illi exhibere posset in Deitate, Deus amplius non esset. Penes unam oportet Filium recipere directionem , correctionem & instructionem à Patre suo , quia junior est ipso : penes alteram Filius est æquè sapiens , æquè Sanctus , æquè gnarus ac Pater ipsius, quia æquè æternus est ac ipse, cùm ambo non habeant nisi unam eandémque sapientiam infinitam , unam eandémque æternitatem.

Justitia, quæ observatur in Deo, differt ab illâ hominum.

Fateamini igitur virorum sapientissimi , omnes vestras humanas scientias,

Fides infinito modo sublimior

manas scientias simul conjunctas & unitas, omnésque pertinaces studiorum vestrorum labores, etiam per decies millenos annos, noctes diésque productos, inducere vos nunquam potuisse in Cognitionem horum prodigiorum intellectui humano prorsus incomprehensibilium, imò nec unicum è profundis hisce æternitatis arcanis vobis unquam detegere potuisse. Nihilominus fides imbuit & instruit his Christianum, absque alio labore, nisi ut simpliciter stupendas illas veritates audiat, his humiliter sè subjiciat, illásque firmiter credat, velut oracula, quæ prodiêrunt ex ore Dei. O Millies fortunatam Conditionem Christiani, qui discipulus est Academiæ cœlestis, dum haurire ipsi concessum est ex thesauro veritatis æternæ, & absque labore extrahere cognitiones tam sublimes, támque admirabiles, ut omnem sapientissimorum virorum confundant sapientiam. O summæ Majestatis Deus, tu magnum lumen es, quisquis appropingnaverit tibi, illuminabitur totus : alio mihi haud opus est Magistro, libros claudo, deinceps nonnisi ad pedes tuos studebo; studium meum erit oratio, Philosophia mea erit meditatio mirabilium, quæ edoceor à fide; nullus vitæ meæ elabetur dies, quo non adnitar majorem in hâc scientiâ nunquam non facere progressum.

ARGUMENTUM.

1. *Tres divinæ Personæ donant omnia sibi invicem & tamen retinent omnia, quæ donant.*
2. *Deus solus est, optimo tamen Comitatu stipatus.*
3. *Habent Colloquium supra modum dulce, & tamen non loquuntur, nisi unicum verbum.*

Articulus III.

Objectiones Philosophorum contra SS. Trinitatem.

Quando amittitur terra inprofundo aquæ, ubi submergendi sit periculum, apprehenditur, quidquid ubivis potest. Omnes hi viri sapientes, qui submergendos si videbant profunditate Mysteriorum fidei Christianæ, non habebant, quod opponerent. Ut tamen ad sui confusionem, ignorantiæ suæ confessionem evitarent, & absq; ullo responso pon manerent, unus illorum fecit instantiam circa id, quod dictum fuerat; nempè quod Pater tribuat omne suum esse *Filio* suo, absque ullâ exceptione. Si diceres, quòd participem ipsum faceret Divinitatis suæ, unam ipsi donando

portionem, alteram reservando sibi; sicut aliquis Pater tradere potest filio suo aliquam bonorum suorum Partem, & aliam sibi reservare, hoc non adeò rationi obluctaretur Sed dum dicis, quòd omina donet i si absque ullâ exceptione, nonne sequitur, ipsum nihil amplius habere, cùm nihil pro se exceperit aut reservaverit; quod alteri donavi, clarum est, id amplius meum non esse Vel si diceres, quòd reproduxerit & esse suum multiplicaverit, dum id communicavit Filio suo, eo ferè modo, quo facula accendit aliam multiplicando lumen suum, sic facile comprehendi posset. Sed dicere, quòd tres sint, quorum quivis in seipso totam habeat divinitatem & Deus sit, nihilominus non nisi unicus existat Deus, & unica Divinitas, quomodò hæc conciliari poterunt?

Essentia divina est tota communicata tribus Personis, absque sui multiplicatione.

Fides me docet, respondet Christianus, divinas Personas omnia, quæ habent, sibi invicem donare, & quamlibet tamen illarum retinere sibi omnia, quæ alteri donat, id est, totam suam Essentiam, omnes suas perfectiones absque ullâ divisione, absque ullâ diminutione, & etiam absque ullâ multiplicatione divinitatis suæ; ita ut omnes tres simul non habeant plus, quàm una sola in particulari, & una sola non habeat minus, quàm omnes tres. Quot hominum viderunt manifestam hujus Prodigii Imaginem in parvis illis tribus globulis, qui reperti fuerunt in corde Sanctæ *Claræ de Monte Falcone*. Contemplabatur ipsa ut plurimùm Excellentias & maxima arcana sanctissimæ *Trinitatis*, & voluit Deus ad comprobandam hanc Devotionem, visibilem hujus relinquere imaginem in corde ipsius, in tribus hisce globulis. Potest aliquâ ratione de ipsis affirmari, quòd ipsorum sint tres, & non sint nisi unus: siquidem si hodiedum adhuc ad trutinam examinentur ac pendantur, inveniuntur ponderis esse tam æqualis, ita ut duo non pendant plus, quàm unus solus, & omnes tres nec plus nec minus reddant ponderis, quàm unus ipsorum in particulari: Si prodigium hoc, quod nostri intuentur oculi, nostrum excedat captum, an mirum sit, quòd intellectus humanus Sanctissimæ *Trinitatis* Mysterium capere non possit?

Tres Personæ divinæ sunt oppositæ, & tamen sunt eadem res.

Sed aliud adhuc majus prodigium complectitur profunda hæc Divinitatis abyssus; & est, quod omnes tres divinæ Personæ tam realiter inter se & à se invicem sint distinctæ, ut impossibile sit, unam esse aliam: Et nihil ominus sunt tali ratione eadem omninò res, ut impossibile

bile sit, unam esse quid aliud, quàm sit altera. Sunt ipsæ sibi invicem oppositæ oppositione relativâ, & nihilominus manent omnes invicem in se, & una in alterâ, absque ullâ divisione aut separatione. Una Persona est unus solus Deus, duæ Personæ sunt unus solus Deus; & omnes tres personæ sunt unus solus Deus; Et nihilominus Deus hic unicus non est solus, sed nunquam non fruitur maximâ & nobilissimâ Societate: siquidem tres divinæ Personæ conservant admirandam inter se Societatem, in omnem æternitatem.

Si nôsse desideras, quænam sit ipsarum occupatio, quodve inter ipsas colloquium, dicetur tibi, tam altum servari in ineffabilibus ipsarum congressibus silentium, ut nunquam nisi unicum solummodò verbum proferatur, & non bis repetatur id ipsum: & nihilominus nunquam sunt absque verbis & colloquio tam amicabili, ut totum Dei intellectum defixum & attentum teneat, ad gustandam dulcedinem infinitam, quâ unicum hoc Verbum enuntians perfunditur, abs eo, quod vel unico momento ab illo divertere se possit. Dicetur tibi, unicam tantùm esse, quæ loquatur, & loquatur tam occultè, tàmque secretò, ut non nisi audiatur & intelligatur à tribus; Et nihilominus alias duas personas nunquam esse sine verbo, quamvis non loquantur: An probè intelligis omnia hæc prodigia? Adhæc dicetur tibi, divinas tres personas sic reciprocâ cum complacentiâ colloquendo ac conversando, amare se invicem amore perfectissimo: ita tamen, cùm omnes tres non habeant nisi cor unum & unicam voluntatem, ut duo sint tantùm ex illis, qui ament, & tertia, quamvis hæc tota sit amor, amare omninò non possit: Id est, quod non nisi Pater & Filius sint, qui reciprocè se amando producant Spiritum Sanctum; sed Spiritus Sanctus, quem exhalant è corde suo velut amorem infinitum, nihil amando possit producere. Quantum prodigium, quod amor infinitus producere non possit terminum sibi similem! Sed verissimum est, cùm producere non possit alium Spiritum Sanctum. Duæ igitur tantùm primæ Personæ sunt, quæ amant, & tamen omnes tres Personæ amantur. An virorum peritissimi, benè comprehenditis ac penetratis adorandam Mysteriorum horum profunditatem?

Mirabile colloquium internum Dei.

Millenis studete annis, centies millenis studete annis in omnibus scientiarum humanarum Scholis; habeatis vos soli omnem naturalis intellectûs tam Angelorum, quàm hominum

Homagium præstatur Sanctissimæ Trinitati per fidem, non per scientiam.

num concluſam in capite veſtro perſpicaciam, nunquam pertingetis eò, ut vel unicam comprehendere vobis liceat, ſublimium illarum veritatum, quas in ſe complectitur ſuperadorandum & incomprehenſibile Sanctiſſimæ *Trinitatis* Myſterium. Tacete vos linguæ mortales; ſubmittite vos ingenia humana; annihila te anima mea, in præſentiâ infinitæ hujus Majeſtatis: Nonniſi homagio firmæ fidei, profundæ humilitatis, & venerabundi ſilentii vult honorari; Non autem vanis conatibus, quos volueris impendere ad comprehendendum quidquam ſuarum magnitudinum. Nonne etiam videbis, Deum in lege ſuâ nobis præcipere, ut patenter ipſum cognoſcamus, ſed ut ardentèr ipſum amemus? Sufficiat vobis clauſis oculis humilitèr ambulare in fidei tenebris; dilatate autem corda veſtra, ut ipſum deſideretis, poſt ipſum ſuſpiretis, & ex totis veſtris viribus ametis ipſum. Conceſſum vobis non eſt, ipſum cognoſcere in terris, qualis eſt; prærogativa hæc eſt Beatorum in Cœlis: ipſorum cognitio clara & evidens tota differt à veſtrâ, quæ non niſi nox eſt & calige: Verumtamen hoc ſaltem fruimini ſolatio, quod amare ipſum poſſitis, qualis eſt, & eodem amore, quo amatur à Beatis. Veſtram voluntatem conjungite cum voluntate ipſorum, ut ſacratus ipſos adurens ignis & vos cum ipſis conſumat. Ah! Si ſoli haberetis omnem tum hominum tum Angelorum, ac altiſſimorum Seraphinorum in Cœlis amorem, nondum adhuc ſufficeret.

ARGUMENTUM.

1. *Adorandum Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterium excogitari non potuit ab intellectu humano.*

2. *Fides mirum in modum triumphat de intellectu humano, in hoc Myſterio.*

Articulus IV.

ESapientiſſimo Virorum illorum Collegio, quidam cœteris magis exultus, qui hucusque altum coluerat ſilentium, cujusque animo magnus ille memoratarum veritatum ſplendor offudiſſe caliginem videbatur, Chriſtianum, quem tot ac tantis divinis luminibus divitem cernebat, alloquitur. Obſtupeſco, quâ ratione inveniri potuerit in mundo tantæ ſagacitatis intellectus, ut omnia, quæ dicis, vel excogitare vel imaginari

nari sibi potuerit: Sed magis adhuc admiror, inveniri potuisse homines tantæ credulitatis, ut permiserint sibi persuaderi, quòd mente non possent complecti; cùm intellectus non cedat, nec se dedat nisi ad evidentiam veritatis, quæ hic deficit.

Mysterium Trinitatis non potuit esse inventio hominum.

Verum quidem inquis, respondet Christianus, non potuisse intellectum humanum excogitare & invenire veritates incomprehensibiles, quas fides nos docet, cumprimis quæ concernunt altissima arcana in adorando *Trinitatis* Mysterio abscondita; neque enim scientia horum est in intellectu hominum concepta. Æternitatis est Mysterium, quod & initio caruit, & fine nunquam carebit: inscrutabilis abyssus arcanorum Dei est, quæ in seipso abscondita gerebat ante mundi creationem, quæque semper obvelata mansissent hominibus, nisi illa revelâsset. Hoc unum Dei necessarium est, in quo omnis ipsius magnitudo, ipsius vita, ipsius Beatitudo consistit. Tolle cœtera omnia, & hoc unicum maneat Mysterium, sufficit Deo ut sit, quod est; & si per impossibile hoc tolleretur cœteris omnibus manentibus per aliud impossibile, Deus amplius non esset. Unico verbo, hæc est tota Dei occupatio in seipso; & si quæras, quid per totam fecerit æternitatem, nil aliud, nisi quod compleverit immensum *Trinitatis* Mysterium. Sed ita se totum huic impendit negotio, ut infinita intellectûs sui virtus, infinitæ voluntatis suæ vires per hoc exhauriantur: nulli parcit operæ, & si minorem quàm infinitam in se ipso haberet virtutem, illud complere non posset. Jam tibi considerandum relinquo, an intellectus hominis, qui non nisi maximæ debilitatis est, habilis & aptus foret conficiendo operi tam exquisito, quod Omnipotentiam DEI infinitam exquirit.

Magnum prodigium, quod cognoscamus hoc Mysterium.

Non admiror, homines invenire haud potuisse Mysterium maximum, quod factu possibile non est, nisi Deo soli; sed admiror voluisse Deum eò usque honorare animam rationalem, ut ipsi communicare ac revelare voluerit stupendum maximè arcanum, quod in se ipso per omnem æternitatem reconditum gerebat: quod ingens hoc Mysterium transierit, ut ita loquar, ex intellectu Dei in intellectum hominis; isque nobis eo nomine, ut illud doceremur, mittere voluerit de Cœlo unam è tribus divinis Personis, quæ esset velut depositaria omnium arcanorum divinorum: quod largitus nobis fuerit fidem, velut luminum suorum æternorum radium, quo velut cuspide di-

vitis penicilli, in animâ noſtrâ ex favore depingeret rariſſima ineffabilis hujus Myſterii prodigia, quæ ipſe in ſemetipſo operatur ex naturâ.

Quare Deus incipi voluerit prædicationem Evangelii à Myſterio SS. Trinitatis.

Inſuper admiror, quod, poſtquam Filius Dei nos inſtruere dignatus eſt, hîc in terris proprio ore ſuo benedicto, mandatum dederit Apoſtolis eundi in mundum univerſum ad diffundendos eosdem luminum theſauros, magnis hiſce verbis alloquendo ipſos: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Ite, inſtruite, docete, illuminate omnes mundi nationes & populos, baptizantes eos in Nomine *Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Quàm altum divinæ ipſius ſapientiæ conſilium, dum voluit, ut inſtruere mundum inciperent, docendo homines Myſterium adorandæ *Trinitatis*, dicet hoc ex omnibus Myſteriis ſit magis incomprehenſibile, magísq; aptum ad abſterrendum & prorſus avertendum omnem intellectum, nondum aliquâ fidei tinctură imbutum? Quamobrem non mandavit, ut inciperent ab aliquâ re magis ſubjectâ ſenſibus, adeòque captu magis facili, ut paulatim ipſorum animos deduceret, ad ſubmittendum ſe fidei hujusce Myſterii?

Joan. 20.

Inde eſt, quod differentia ſit inter ſcientiam, quæ de Cœlo venit, & illam, quæ de terrâ naſcitur. Quando erudimur in ſcientiis humanis, incipitur à principiis nobis magé cognitis, quibúsque totus mundus annutum præbet; & exinde gradatim declarantur & explanantur nobis veritates magis abſtruſæ & reconditæ, quas aſſequi non potuiſſemus, ſi mox ab exordio fuiſſent propoſitæ. Methodus hæc neceſſaria eſt, dum agitur de ſcientiis acquiſitis, quia oportet intellectum ſcientiam ſuam trahere ex ſe ipſo, & diſcurrendo ſuper principia naturaliter à ſe cognita evolvere ac eruere conſequentias; quas prius non videbat. Sed ſcientia, quæ nobis de Cœlo venit, contrariò prorſus paſſu ambulat, cùm intellectus humanus illius Principia non habeat in ſeipſo, ſed incluſa hæc ſint in intellectu Dei, qui infinitus horum theſaurus eſt: non generatur ipſa in nobis virtute diſcurſuum ut ratiocinationum; non niſi opus eſt ſimpliciter audire, quid Deus nobis dicat, illúdque firma fide credere; Non deſcendit ipſa ab intellectu Dei in noſtrum intellectum, ut dependeat à noſtra cognitione naturali; ſed venit; ut hanc caligine obducat & omninò extinguat; venit, ut imperet, & abſolutè dominetur; Non ſiſtit ſe tribunali hominis, ut ab ipſo examinetur velut à ſuo judice; ſed venit, ut inſtruat

ipſum

ipsum suum velut tyronem ac discipulum; ideòque cum Majestate ingreditur in animam, ipsique statim ab initio exhibet, offert, & affert omnium nostrorum Mysteriorum fulgidissimum, magisque incomprehensibile, ut tantò magis captivet illam, majorémque ipsi imprimat venerationem ac Reverentiam.

Fides docet cum potestate.

Sic Apostoli, qui primi Doctores erant, imbuentes nos divinâ hâc Cœli sapientiâ, mandatum acceperunt à divino suo Magistro, ut loquerentur nobis velut oracula cum Auctoritate ac potestate: *Euntes docete omnes Gentes.* Ite, instruite omnes homines, qui sunt in mundo. Non dicit ipsis: præparate vos, disputate contra illos, studete firmis rationibus in vestram ipsos trahere sententiam. Hoc bonum esset, si quæstio foret de aliquâ scientiâ humanâ; sed divina non disputat, non disceptat, ipsa docet cum Auctoritate. Non dicit ipsis: Ite, exhortamini illos, persuadete ipsis facundâ suadâ & suaviloquâ facundiâ, ut vestra recipiant dogmata. Hoc non foret incongruum, si ageretur de inserendis quibusdam affectibus naturalibus, vel concitandis ac commovendis passionibus humanis; sed fides loquitur simpliciter, & vult ut credatur fidelitèr, quidquid credendum proposuerit.

Matth. 28.

Porrò ipsis non dicit: Insinuate vos blandè omninò in ipsorum animos, & primitus ob oculos collocate illis plausibilia; demulcete illos à primo limine lenocinis, sicut & magnarum utilitatum pollicitis, ut paulatim alliciatis illos, & ad partes meas amplectendas flectatis, quibuscúnque poteritis illiciis ac artificiis. Nihil ex his omnibus; sed loquitur velut supremus Magister & Dominus: Ite, instruite illos, Estote Magistri omnium in mundo; vestræ disciplinæ illos omnes subjicite: Docete omnes gentes. Docete illas à principio, quod credere oporteat unum Deum in tribus Personis, *Patre, Filio, & Spiritu Sancto.*

Verùm Domine, dixisses ipsi, an omnes mundi nationes sat erunt dociles ad submittendum se repentò & spontè tuis Apostolis, qui rudes sunt & ignari, ut doceantur ab illis? Verùm tot sapientes politici, totque prudentes Philosophi, paganismi fulcimenta & baculi, an esse volent simplicium piscatorum discipuli, dum inaudita, & intellectui humano incomprehensibilia proponent ipsis dogmata? Sed demùm tot divites, tot nobiles, tot potentes, tot animo elati ac inflati, qui mundi se credunt tenere gubernacula, qui audiri à populis haud aliter volunt quàm oracula, quasi nescio

quos in terris agerent Deos; an hi omnes quantocyus humili hâc prosequuntur reverentiâ homines abjectos ac inopes, ignotos, nullâ conspicuos Auctoritate, ut illos audiant, illis credant, & quidquid dixerint, velut infallibiles recipiant veritates, abs eo, quòd illas capiant, aut intellectu assequantur? An quidquam hìc verisimilitudinis?

Quantum prodigium, quod fides induxerit ad credendum res incomprehensibiles.

Videbis, respondebit tibi, videbis invincibilem vim ac virtutem fidei divinæ. Quod nunquam collecta in unum sapientissimorum virorum scientia, potuisset ulli explanare; quod nunquam omnis maximorum oratorum facundia ulli hominum potuisset persuadere; & deniq; quod absoluta summorum Magnatum potentia non potuisset ab intellectu humano obtinere, ut sese captivaret, ac semetipsum induceret ad credendum cœco modo id, quod non capiebat, non intelligebat, hoc fides divina obtinebit suaviter, ubi primum ingressa fuerit mundum, tota æternis magnæ hujus veritatis circumfusa luminibus: Est unicus Deus solus in tribus Personis, *Pater & Filius & Spiritus Sanctus*. Hem! Nonne videmus tot millies centena millia Virorum Excellentissimorum, Sapientissimorum, Nobilissimorum toti mundo diffusorum, magnâ cum humilitate, sed & firmissimâ cum fide subjecisse se ad credendum veritates tam abstrusas & obscuras, ut nec minimum quidem in iis vel viderent, vel intelligerent, solùm ex eo, quòd fides illas docere ac credendas proponeret: Cùm tamen nominatissimi quique phi osophi apud Antiquos omni cum potentiâ, ac discursuum suorum evidentiâ, proponendo etiam res plausibiles & inclinationibus humanis lenocinantes, obtinere ab hominibus non potuerint, ut suas amplecterentur partes, suis insisterent & adhærerent axiomatibus, paradigmatibus, dogmatibus.

Fides est omnipotens, dum portat in fronte Mysterium adorandæ Trinitatis.

Hem! Unde oritur, fidem divinam, plures suâ caligine lucrari animas, quàm scientia humana suâ lucretur evidentiâ? nisi quod illa in fronte portet & aspiciendũ exhibeat adorandum Sanctissimæ *Trinitatis* Mysterium? Et sicut hoc Mysterium est omnipotens, ut omnia operetur intus in Deo, quod tantæ virtutis est, ut intellectum Dei parere faciat *Filium Unigenitum* in sinu Patris, ut voluntatem Dei compellat & urgeat ad producendum *Spiritum* Sanctum in sinu *Patris & Filii*; ita omnipotens quóque est, ut omnia operetur extra Deum in animabus. Illud est, quod progignit filios adoptivos Dei in sinu Baptismi; nec unicum horum producit gratia, cujus Nativitati illud non

præs-

præsideat: Baptizantes eos in *Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*; quasi tres divinæ Personæ, quæ in primâ hominis formatione conspirârunt & sua contulerunt consilia, dum dixerunt: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; iterùm conspirarent ad eundem hic reproducendum, reformando ipsum modo nobiliori ad suum similitudinem, dum de novo nascitur vitæ divinæ, velut viva Imago Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Ipse portat imaginem Patris, quia habet esse quoddam æternum, quod est gratia ipsum sanctificans: Ipse portat imaginem Filii, quia adoptatus est in Filium Dei: Ipse portat imaginem Spiritûs Sancti, quia ipse, productus est per amorem. Hinc est, quod in Baptismo Nascens Deo, locupletatum se inveniat tribus virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate? velut triplicato diademate, quo coronatur à tribus Personis divinis; hinc est, quod honoretur incomparabilibus tribus prærogativis; gratiâ adoptante ipsum in Filium Dei, Charactere Christiani, discernente ipsum ab iis, qui non sunt membra Ecclesiæ, & legitimo jure ad æternam hæreditatem Patris sui cœlestis.

Hoc Mysterium nascitur

Hoc igitur admirandum est Mysterium, quod præsidet Nativitati omnium fidelium. Ipsum est Pater æternus progignens Ecclesiam, velut dilectam suam filiam; Ipsum est Filius unigenitus illuminans & gubernans ipsam divino suo lumine; Ipsum est Spiritus Sanctus, sacris ipsam vivificans flammis, támque firmiter unitam conservans cum divino suo Patre, ut ab illo nunquam separari possit: Ipsum est facula fidelium ad dirigendos ipsos in viam salutis. Prima instructio, quæ illis datur, est, quod sit unus Deus in tribus Personis, Patre, Filio & Spiritu Sancto, quasi ad indigitandum ipsis unicum scopum, ad quem tendere, unicum objectum, quò spem suam dirigere debent. Lumen gloriæ nil mirabilius ostendet ipsis in æternitate, quàm ingens hoc Mysterium; similiter lumen fidei nil majus habet in terris quod doceat, quàm Mysterium adorandæ Trinitatis.

facit & conservat Ecclesiam.

Ipsum est robur ac munimen Christiani: quando hic nascitur Deo in sacro Baptismate, adhibentur ipsi sacratæ unctiones, uti observat Sanctus Augustinus, eò quod fiat filius Ecclesiæ militantis, & quia periculosæ adscribitur militiæ, præparare se debeat ad pugnam. Ipsius arma sunt Crux & oratio; docetur formare signum Crucis, & quotiescunque hanc format,

dicit: In Nomine Patris, & Filii & Spiritûs Sancti. Et arma hæc, quæ Sanctissimæ Trinitatis insignit splendore & gloriâ, tantæ sunt fortitudinis, ut victorem ipsum reddant de mundo, de vitiis, de passionibus, de ipso inferno. Quantos enim Christianos videre fuit, qui signo sanctæ Crucis & invocatione Sanctissimæ *Trinitatis* stupenda patrârunt prodigia? Dum canimus laudes Dei, concludimus semper psalmodiam, resonando Sanctissimæ *Trinitati* gloriam: Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto. Unico verbo, nil Religioso operis exercemus in totâ Christianâ Religione, quin adorandum hoc Mysterium ubîque collocetur & statuatur in fronte, tanquam illud, quod occupare debeat omnes cogitationes, omnes affectus nostros, quod honorari par sit cunctis nostris obsequiis ac homagiis. Sed quod magis seriam meretur considerationem, est, quod nobis proponatur velut verum Exemplar actionum nostrarum, uti mox videbis.

ARGUMENTUM.

1. *Homo factus est ad imaginem Dei, ut sit imitator Dei.*
2. *Duo sunt actionum genera in Deo, interiorum & exteriorum, juxta quas & nostras ordinare debemus.*

ARTICULUS V.

Quatuor privilegia nostræ animæ.

Dicendum omninò est, Deum magna moliri consilia circa animam nostram, dum ipsam locupletavit quatuor tam admirandis prærogativis, quibus extollatur super omnes alias inferioris hujus mundi Creaturas. Nam 1. ipsa sola accepit esse spirituale ac immortale, sicut Angeli, licet implicata ac irretita sit Corpore mortali, sicut animæ Brutorum. 2. Ipsam solam reliquit Deus in manu consilii sui, volens, ut tam integrâ frueretur libertate, ut non solùm cogi non possit ab ullâ creaturâ; sed ipse quóque renuntiâsse videatur absolutæ suæ Auctoritati, quam exercet super reliquas omnes creaturas, quibuscum penes suum disponit arbitrium, ad conservandum ipsi jura libertatis suæ, permittendo ipsam facere, quidquid voluerit. 3. Ipsa sola capax est, ut cognoscere & amare possit Deum suum, immediato cum ipso frui commercio, familiariter & cordialiter ipsi colloqui, admitti ad intima cordis sui secreta, stupendi sanè favores, qui

qui ad invidiam stimulare & æmulatione accendere cæteras possent creaturas. 4. Et horum omnium est maximum, quod ipsam solam eâ tantùm causâ creaverit, ut in præsenti vitâ possideret ipsum per gratiam, & in Cœlo per gloriam, in omnem æternitatem.

Nostra anima est similis Deo.

Hinc est, quod, cum pedum suorum vestigia tantùm in aliis reliquerit creaturis, juxta effatum cujusdam Ecclesiæ Patris, se ipsum in ipsâ depingere voluerit, ipsam ad suam formando similitudinem. Deus est purus Spiritus; Et anima est etiam Spiritus, Deus habet intellectum, quo se cognoscit; & voluntatem, quâ se amat; Et anima habet intellectum, ac voluntatem ad cognoscendum & amandũ Deum: Deus est æternus anima est æterna; Deus non potest repleri, nec contentari nisi se ipso; & anima contentari ac repleri non potest, nisi solo Deo. Agnosce o Anima, exclamat desuper Sanctus Leo Magnus Papa, totus in profundam raptus admirationem; Agnosce dignitatem Nativitatis tuæ & Magnum Dei consilium super te; & vide, quòd ideò te reddere voluerit similem sibi, ut obligaret te ad sui imitationem: *Ut imitator sui esset Auctoris.*

Serm. 1. de jejun. decimi mensis.

Duo genera actionum in Deo.

Theologi distinguunt duo actionum genera in Deo. Aliæ sunt interiores & prorsus absconditæ intus in Deo, quas appellant *Actiones ad intra.* Aliæ sunt exteriores, quæ nostris patent & exhibentur Oculis: Hæ nuncupantur *Actiones ad Extra.* Omnes suam habent Excellentiam; sed inter utrasq; discrimen quóque observant. Nam 1. dici potest, quod interiores sint opus Dei in Deo ipso, ubi non solùm ipse producit, verùm etiam ipsemet producitur, cùm sit Principium & Terminus actionis suæ. Exteriores sunt etiam opus Dei, sed extra Deum; hujus ipse est Auctor, sed non est opus ipsum; agit ipse velut creator, & quod producit, sunt creaturæ.

Ipsorum differentia in quinque rebus,

2. Adhæc interiores sunt æternæ & necessariæ; siquidem hæ nunquam inceperunt & nunquam finientur; neque est in potestate Dei illas vel unico momento interrumpendi. Exteriores sunt temporales: siquidem is mundum non creavit ab æterno, sed in principio temporum; quando voluit, incepit, & non nisi sex dies decumano huic operi conficiendo impendit: poterat ipsum producere in momento; & liberum est ipsi cessare ab ipsius productione, vel eundem omninò annihilare.

3. Ulterius, interiores nec sunt, nec esse possunt plures; quàm duæ solùm. Per primam producit Filium suum unigenitum,

tum, contemplando divinam suam pulchritudinem ; Et per secundam producit Spiritum Sanctum, amando infinitam suam Bonitatem ; ita ut omnia duobus claudantur terminis, dum cognoscit & amat Deum. Ecce quæ sit tota ipsius occupatio per omnem æternitatem. Exteriores non sunt limitatæ ad certum numerum, quarum infinitas producit diversæ conditionis; & harum alias adhuc potest producere, quotquot voluerit, in singula temporum momenta.

4. Porrò verum est, quòd interiores exhauriant omnem ipsius virtutem, quamvis hæc sit infinita ; siquidem Omnipotentia Divini sui intellectus ita se totam impendit productioni Filii sui unigeniti ; ut secundum similem amplius non posset producere ; Et vires voluntatis suæ ita totas se applicant productioni solius unius Amoris divini, ut amplius non habeant, unde alium adhuc producere possint. Exteriores exhaurire nunquam possunt virtutem infinitam omnipotentiæ suæ ; tot enim nunqum producet creaturas, quin semper adhuc plures & plures luci posset exponere. Affirmari igitur potest, quod quasi nihil virtutis suæ impendat ad omnes actiones suas exteriores.

5. Sed demũ præcipua differentia est, quod in actionib⁹ interioribus Dei consistat tota ipsius gloria, tota ipsius Magnitudo, tota ipsius Beatitudo : ita ut si per impossibile illas unico tantùm momento interrumperet, desineret esse Deus, & quantocyus amplius non esset. Exteriores econtra, quamvis magnificæ & splendidæ nostris oculis videantur, nil ponderis addunt gloriæ ipsius essentiali, nec Magnitudini ipsius divinæ ; sive sint, sive non sint, gloria Dei nec augetur, nec minuitur in semetipsâ.

Anima nostra sicut Deus potest duo operum genera interiora & exteriora.

Cùm igitur anima nostra eo nomine creata sit ad similitudinem Dei, ut imitetur ipsum in actionibus suis ; hâncque imitationem in Evangelio nobis injungat ipsemet *Christus JESUS*, quando dixit : Estote perfecti, sicut Pater vester Cœlestis perfectus est. Hinc adorandum sanctissimæ *Trinitatis* Mysterium, verum est exemplar, quod omnes Christiani contemplando aspicere, & absque intermissione sibi ob oculos ponere, hâcq; ratione exstimulare se deberent ad ipsius imitationem. Anima nostra, sicut Deus, exercere potest duo actionum genera ; actiones nempè exteriores & interiores : potest in interiori suo contendere & adniti, ut intellectu suo cognoscat, & voluntate suâ amet Deum ; potest ipsa exterius vacare bonis operibus

diu

diu multúmque frequentatis, pro Dei gloriâ & salute proximi. Sed quandoquidem maxima est differentia inter actiones æternas & necessarias, quas Deus intra se complectitur, & illas, quas exterius & extra se producit; eò quod interiores infinito modo nobiliores & præstantiores sint, quàm exteriores, quæ respectu illarum sunt fermè nihil: hinc & animam præcipuum suum studium collocare oportet, ut optimè colat, & expoliat mentis suæ interiora & abdita penetralia; Et quamvis bona opera exteriora negligenda ipsi non sint, nihilominus manifestè intuetur in divino exemplari, quod imitari debet, his respectu illarum parum adesse ponderis ac momenti.

Sæpius in actionibus nostris contrariamur Deo.

Unde ergò oritur, quòd in actionibus nostris, atque in illo, quem tenemus perfectionem acquirendi, nósque Deo assimilandi modo, ita omnem supra modum Deo contrariemur? Ipse omnem suam magnitudinem, suam beatitudinem totam collocat in interioribus intellectûs sui, & voluntatis suæ actionibus, quæ aliæ non sunt, nisi contemplari & amare Deum, & neutiquam in exterioribus, quæ non nisi creaturas respiciunt. Nos ex adverso præcipuo amore ac æstimatione prosequimur bona opera externa, quæ speciosa & splendida sunt coram mundo, & flocci facimus interna, quæ Dei solummodò patent oculis. Ipse omne suum studium, omnem suam infinitam virtutem actionibus impendit internis, quas nec unico per omnem æternitatem interrumpit momento; & non nisi modicum temporis tribuit externis, de quibus ipse sacer codex nobis loquitur quasi de ludo & quâdam animi relaxatione: *Ludens in orbe terrarum*; ita ut actiones internæ sint magna & momentosa opera Dei; Externæ autem non nisi tenues ejusdem opellæ. Econtrariò nos totum vitæ nostræ cursum innumeris operum externorum, quorum sæpius nulla est necessitas, obvolvimus & absolvimus intricamentis; Et si unica de die horula occupationi mentis internæ ad agendum vel colloquendum familiariter & cordialiter cum Deo, sit tribuenda, tribuimus jacturæ, & omne illud tempus inaniter collocatum censemus; & quod agimus, cum tædio actitamus & magnâ negligentiâ. O quàm contrarii sumus Deo, quámque exiguâ contentione adnitimur, adorando huic nos conformare Exemplari!

Nostra occupatio æterna erit, contemplari sanctissimam Trinitatem.

Ah! quò tendunt præcipuè vota nostra, quémque dulcissimæ nostræ spei præfigimus scopum? Nonne, ut omnem impendamus æternitatē aliud non agendo,

agendo, nisi contemplando Excellentias Dei, & amando ipsius pulchritudinem ex toto corde nostro, in amœnissimo illo Beatitudinis habitaculo, ubi id ipsum est unicum Beatorum omnium negotium? Ah! quomodò invenire poterimus consummatam nostram Beatitudinem in Exercitio, quod nunquam, ne extremis quidem labris gustavimus, nunquam redegimus in opus; imò & cujus prorsus nullam toto vitæ mortalis decursu habuimus notitiam? quid est, ut verum fatear, omne vitæ nostræ tempus, nisi tyrocinium æternitatis? Quomodò credam, in omnem æternitatem mihil haud aliud fore agendum, nisi quod intellectu meo, & voluntate meâ unicè adhæream Deo; méque totum ipsi impendam, cœteris omnibus hujus intuitu quasi nihili pensis; & modò idipsum respiciam, potius despiciam, fungi faciam quasi functionum mearum minimam & abjectissimam, ipsi cœtera quasi omnia antefe rendo? Quomodò inducere in animum potero, contemplari & amare Deum fore in infinitas sæculorum myriades, suprèmam ac summam animæ meæ voluptatem; & in præsenti nullam in his præsentiam delectationem vel minimam? Oratio, quæ supremæ hujus Beatitudinis, quædam est prægustatio, non est gustui sed tædio; quam proin dum velut rem nullius emolumenti perpendo, omne in illâ impensum tempus velut perditum pendo ac censeo. O Summam mortalium ignorantiam! O cœcitatem hominum deplorandam! Ah! An majus quid facere possemus in tempore, quàm quod maximum olim erit in æternitate?

Omnes, qui persuasam sibi habent veritatem Existentis Dei, nonne homines oporteat esse spiritales, cùm noverint, ipsum purum esse Spiritum, & cum eo agi non posse, nisi spiritualiter? Sed omnes Christianos, qui unum Deum adorant in tribus personis, nonne homines esse oporteret orationi & contemplationi addictos, scientes, ipsum verum esse Exemplar sibi propositum ad imitandum? Vident ipsi, Deum nunquam cessare ab aspectu æternæ suæ pulchritudinis, nec ab amore actuali infinitæ suæ Bonitatis, vel unico momento: Nonne & ipsis foret adnitendum, ut dimitterent nunquam, nec unico instanti, reminiscentiam Dei, vel actualem ipsius suspenderent amorem? Oportet saltem habere suas solitudinis & orationis horas, sublimi huic Exercitio destinatas, firmiter animo insculpere idæam, reverentiam ac amorem erga SS. *Trinitatem*, singu-

Studium animæ contemplativæ,

ngulari erga ipsam veneratione & devotione affici, & sæpius ad singulos horæ sonitus alacri resonare voce: *Benedicta sit SS. Trinitas* atque *indivisa unitas: Confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.*

CONSULTATIO VII.

De Persona Patris.

MIssionarius quidem nuperrimè redux ex Insulis occidentalibus recensebat mihi, vidisse se plures homines sylvestres ac feros, qui quasi nullam habere videbantur divinitatis cognitionem, tam erant rudes ac stupidi, propius accedentes ad conditionem brutorum, quàm hominum; nihilominus ex illis in unum se incurrisse, qui longè ingenio ac mente ante currebat alios; ipsius indoles feritatis referebat nihil; sed potius amabat societatem, & magna perfundebatur voluptate, dum verba fundentem de rebus altioribus audiebat, quò agnata curiositate ipsius rapiebatur animus, quod ab aliquo conditionis ac nationis suæ exspectari vix poterat.

Homo Sylvestris ratione præditus, investigabat prodigia solis.

Hic sæpius occupabat mentem consideratione solis, cujus pulchritudine & præstitis ab ipso mundo obsequiis extra sei ipsum abripiebatur: siquidem cum videret indies fœcundissimum hunc luminis fontem, torrentis more splendores suos, in terras è sinu suo diffundentem, abs eo, quòd unquam exhauriretur; Cùm videret, quàm promptum & expeditum se exhiberet ad benefaciendum toti universo, cùm non nisi duo requireret instantia ad ablegandum suos è sinu suo super universum hemisphærium radios; Cùm videret prodigiosam hanc mundi faculam extingui nunquam, portare secum diem, quòcunque accessu fugari tenebras, quas ipsa natura horret ac fugit. Cùm consideraret, universalem hunc totius naturæ Benefactorem, tanto amore erga ipsam ferri, tanto támque vehementi teneri desiderio, suis ipsam cumulandi beneficiis, ut nec dies nec noctes quiesceret, sed velut infatigabilis cursor in dies singulos constanti more, universum mundum suo emetiretur circuitu, abs eo, quod vel unico cursum sisteret momento, quin nec minimam sentiret lassitudinem; tam promptè támque alacriter

ſuum perficiendo curriculum cùm denique adverteret ipſum ſolum eſſe, qui mundum illuminet, qui omnes naturæ venuſtatis ſuorum penicillo radiorum inauret; ipſum eſſe, qui has nobis detegat, è tenebris eruat, ac oculis noſtris objiciat; ipſum eſſe, in cujus abſentiâ omnia videantur mortua & quaſi in nihilum redacta; ſed quàm primùm reviviſcere omnia, ubi denuò comparuerit, quantumvis in proprii luminis ſui abyſſo ſemper maneat abſconditus, ita ut in oculis noſtris ipſius intueri faciem ſit impoſſibile: quâ ratione inter omnes mundi creaturas, ſimul eſt & maximè viſibilis & maximè inviſibilis.

Sylvicola hic, qui philoſophabatur indies cira hæc prodigia juxta naturale intellectûs ſui lumen (omnis namque homo naturali modo aliquantisper eſt philoſophus) cùm videret, quod ſe perderet in magno hoc ſplendorum ex aſtro hoc dimnantiũ Oceano, & quantò magis contendebat illa capere, tantò magis caperetur & abſorberetur ab illis: quæſivit è Miſſionario, an ignoraret, quisnam ingentem hanc mundi faculam accénderit, ipsámque ditaverit tam copioſo lucis theſauro, quem indies tam mirificè diffunderet, & nunquam exhauriretur. O ſi operis hujus cognoſcerem Auctorem!

Exin, dicebat mihi Miſſionarius, arripui occaſionem inſtruendi ipſum in ſublimiſſimis Religionis veritatibus; & captans anſam è Summâ æſtimatione, quam ipſum concepiſſe cernebam circa ſplendidiſſimam Dei imaginem, quæ haberi poſſit in mundo, allaborabam intellectum ipſius deducere ad Cognitionem alterius Luminis infinito modo ſplendidioris. Loquebar ipſi de primo quodam Ente, quod prima ſit cauſa omnium entium; Credens me haud difficulter ipſi quidquam perſuaſurum circa Excellentias Patris æterni, cujus ipſe videbat fœcunditatem ac divitias in ſole tam luculenter demonſtratas, & quia intellectum jam inſtructum habebat lumine quodam naturali, & ipſum ſufficienter diſpoſitum fore ad recipiendum quoque lumen fidei.

Sed quia ipſe difficultatem patiebatur ſe explicandi, ob raram converſationem cum hominibus ratione præditis, Collega meus, dicebat mihi Miſſionarius, qui idioma callebat & vir erat apprimè intelligens, ſeſe obtulit ad aſſiſtendum ipſi & inſerviendum pro interprete. Erigebat ex hoc animum, cum ſpe, nos curioſitati ſuæ ſatisfacturos; non minore ex parte noſtrâ conceptâ ſpe, nos ipſum Deo lucraturos. Incepi igitur ſic ipſum alloqui.

AR-

ARGUMENTUM.

1. *Sol est velut accensa facula in magno hoc naturæ palatio ad demonstrandum nobis Deum in omnibus Creaturis.*

2. *Ipse est excellens Imago Dei Patris in particulari, ostendens nobis ipsius fœcunditatem, Potentiam ac Bonitatem.*

ARTICULUS I.

NOn parva tibi quærenda est ratio, quisnam tantâ luminis copiâ locupletaverit Solem: Nam arbitraris optimè, speciosissimum hoc astrum non esse factum à semetipso, nec esse sui ipsius fabrum, cùm limitatum sit ad certam magnitudinem, quam ulterius extendere nunquam possit; Cùm affixum sit certo loco, unde egredi ipsi nec sit liberum nec licitum, cùm obstrictum sit certo cursui, quem non possit interrumpere ad captandam quietem, nec immutare ad arripiendum & capessendum alterum: Hæc omnia haud obscurè annuunt, quod dependeat ab altero, quod tale sit, quale fieri voluit, qui fecit, quodque illi, qui se fecit, obediat. Sed quæris, quis ergò est Auctor ipsius & Artifex?

Sol est facula in magno mundi palatio.

Est magnus is ille Architectus, qui universum hunc condidit mundum, in morem Palatii magnificentissimi; & ut totam lumine compleret domum, accensam in altis tenet hanc faculam, affixam laqueari, quod est cœruleus ille cœlorum fornix; ut omnes, qui magnum hoc subeunt palatium, videant pulchritudinem operis, quam dum vident, admirentur artificem, quem, dum admirantur cupiant cognoscere & cognitum, amare, Ecce totum id, quod quæro, inquiebat sylvicola: Tot jam annis decumanum hoc lumen meos illustrat oculos, nec tamen unquam adhuc sui monstravit artificem. Quantò plus ipsum aspicio, tantò plus ipsum admiror, haud credens inaniter, quod ultra pulchritudinem, quam mihi detegit, tegat & obvelat quidquam aliud, quod longè sit mirabilius. Quid autem hoc sit, adhuc me latet.

Audi me benè, respondit ipsi Missionarius, docebo te id, & tuæ abundè satisfaciam curiositati. Quandòquidem tantâ industriâ rimatus es Excellentias speciosissimi hujus astri; utique observaveris, quod, licet sit unica res, tria tamen in se complectatur, inseparabilia quidem, valdè tamen inter diversa; nempè propriam suam substantiam, suam lucem, & suum calorem. Ex substantiâ procedit ipsius lux;

Sol est admodum splendida Dei imago.

Substantia & lux producunt simul calorem. Ecce quid evidenter & manifestè notandum occurrat in sole. Sed à visibili hâc luce altius attolle mentem tuam & cogita aliam adhuc esse lucem infinito modo pulchriorem & nobiliorem, oculis nostris corporalibus invisibilem, Eò quod tota spiritualis, & hæc lux est Deus, qui cum creator sit lucis hujus visibilis, voluit se in illâ repræsentare, ut nobis ostenderet, quòd, licet ipse sit unicus solus Deus, considerare in ipso debeamus, substantiam, lucem, & calorem, quæ realiter ab invicem distincta sunt, quamvis sint non nisi unica eadémque res. Substantia est fœcunda origo, unde emanat tota lux, & utráque est principium, unde procedit calor; Sed ipsa est substantia, lux & calor naturæ adeò elevatæ super omnia, quæ conspicis in sole, ut infinito quóque modo exaltata sit super omnia, quæ intellectus tuus concipere aut excogitare posset.

Sol est imago imperfecta sanctissimæ Trinitatis.

Siquidem in sole substantia non est lux, & lux non est calor, sed hic totum quod est, est substantia, totum est lux, totum est calor: omnia tria non sunt, nisi unica simplicissima res, & hæc non est nisi unicus solus Deus. In sole substantia est ante lucem, & lux ante calorem; sed hic nihil est ante, nihil est post, sed omnia sunt simul in eodem instanti æterno. In sole aspicis corpus, quod habet figuram suam limitatam, lucem suam corpore suo magis dilatatam; & calorem suum quandóque magis, quandoque minus diffusum lu.e suâ. Sed hic non est corpus, nec figura: Deus est substantia spiritualis infinita in ita magnitudine; Est lux spiritualis in suâ magnitudine; est calor spiritualis & substantialis infinitus in suâ magnitudine: unum non habet majorem magnitudinem altero; omnia tria non habent, nisi eandem infinitudinem, eandem immensitatem. Sol non habet vitam, nec sensum, nec intelligentiam, nec libertatem, non est quid supremum nec independens: Sed hic totum quod est, est vita, totum quod est, est intelligentia, totum quod est, est libertas, Deus solus est independens & supremum omnium Entium. Nihil igitur est ex omni eo, quod considerâsti & admiratus es in sole, respectu illius, quod concipere & considerare oportet in Deo.

Et nihilominus sicut nec unicam creaturam corporalem habemus, quæ circumferat lineamenta vivaciora, vel characteres splendidiores similitudinis, quàm speciosum hoc astrum, quod omnia nobis monstrat & videnda præbet, quæ visibilia sunt inter opera Auctoris sui; sic quóque nihil habemus, in quo se ma-

se magis visibilem reddiderit, quàm in hoc luminis fonte: licet verum sit, quod illa, quæ in hoc nobis videntur splendidissima, non nisi obscurissimæ sint umbræ respectu supremæ Majestatis Dei. Aspicis, quomodò ascendat hoc astrum & potestatem gerat super omnia inferioris hujus mundi; quomodò circumferatur in triumpho, propriis suis coronatus radiis, per totum hoc universum; quomodò omnes creaturæ sua in ipsum figant lumina, ipsumq; velut suum revereantur Monarcham; quomodò progignat flores & fructus, benigno duntaxat ipsos aspiciens oculo; Et deniq; quomodò omnia recipere videantur, vitam, vigorem & gaudium à Benevolis ipsius influxibus: quod plerosq; inducit homines, ut ipsum velut universalem totius naturæ Patrem intueantur.

Sol non est, nisi rudis adumbratio Majestatis Dei.

Videtur vobis, ipsum perfectissimum esse Archetypon & nihil excellentius esse in mundo; & tamen non est nisi rudissima, imperfectissima, & obscurissima adumbratio infinitæ Majestatis Dei Auctoris sui. Ipse solus est, cui absoluta sit potestas super omnia, quique nihil habeat supra se; Ipse est, qui triumphet de omnibus, infinitâ circumfusus & coronatus gloriâ sibi propriâ ac naturali, quámque à nemine accepit. Ipse est, qui supremum teneat dominium super omnes creaturas, à cujus oculis universus dependeat mundus; Et licet hic incomparabilis tibi videatur Magnitudinis, minimo tamen est minor atomo, respectu infinitæ magnitudinis Dei. Ipse solus est, unico verbo, qui jure æquissimo gerat Nomen Patris; sed Patris æterni, Patris omnipotentis, Patris misericordiæ. Ipse est Pater æternus, eò quod ab æterno producat filium è propriâ suâ substantiâ, qui æternus, sicut ipse, sit Deus. Ipse est Pater omnipotens, eòquod extraxerit omnes creaturas è sinu Nihili omnipotentiâ suâ, illisque dederit esse, quod possident. Ipse est Pater misericordiæ erga nos & intuitu nostri, eò quod adoptet nos in filios suos, quando nos extrahit ex abysso peccatorum nostrorum, ut nos justificet ex magnâ paternæ suæ misericordiæ virtute.

O! quàm magnus Deus, exclamavit desuper, miser sylvicola, sublatis manibus ac oculis in cœlum, totus abreptus pulchritudine, quam levitèr tantùm & quasi per rimulam incipiebat aspicere? O quàm divinus Pater! quàm plenus est igitur Majestate? quàm admirabilis est, quámque amabilis! quàm felix ipsorum sors, qui ipsum cognoscunt, qui potiuntur honore,

nore, ut ipsius sint filii! sed quâ ratione ternis vicibus est Pater, & ratione tam diversâ? Quomodò est Pater omnipotens, quomodò Pater æternus, & quomodò Pater misericordiæ? perge arrigere aures, respondit ipsi Missionarius, & explanabo tibi omnes, tres hasce Paternitates, unam post alteram tantâ cum claritate, ut facilè sis comprehensurus illas, quantum fuerit opus ad omnimodam tibi dandam satisfactionem.

ARGUMENTUM.

Quomodò Deus sit Pater æternus.

Articulus II.

Sol repræsentat fœcunditatem Dei Patris.

INtuere visibilem illam, quam tam solicitè ac studiosè investigâsti, imaginem Divinitatis, Solem, & perpende tam copiosam ipsi ab Auctore suo communicatam fœcunditatem, ut exhauriri non possit. Nihil est in ipso, quod non lumen sit, cujus non est avarus dispensator, sed torrentis more illud è sinu suo diffundit tam munificè, ut diceres, quod ex universo orbe magnum solem facere attentet & intendat. Nihilominus quamvis dispertiatur omnia, quæ habet, nihil tamen perdit ex eo, quod dispertitur; Et licet è sinu suo effundat & profundat prodigè, non tamen exhauritur, nec, dum ita est prodigus, fit indigus. In instanti, quo est sol, jam incipit necessitate quâdam naturali suum diffundere lumen, quam diffusionem continuat, & nec unico intermittit momento post tot annorum ac sæculorum curricula: & post hæc omnia, nec lassatur, nec alteratur, nec vel tantillùm in virtute suâ imminuitur. Quàm admirabilis fœcunditas in unicâ creaturâ!

Deus Pater se totum communicat filio.

Sed in comparationem adducta cum fœcunditate creatoris sui, disparet omninò & nihil est. Nihil est in ipso, quod non sit lumen; sed lumen tantò speciosius tantò fœcundius & jucundius, quàm illud solis, quantò creator major ac nobilior est, quàm creatura, hoc est, modo infinito. Non igitur se res hic habet, sicut cum sole, cujus est limitata magnitudo. Sed Deus sol est immensus in suâ magnitudine, non solùm effundens è sinu suo lumen, quod accidens sit, sed propriam suam effundens substantiam in solem alterum, qui prorsus idem sit in naturâ: Ipse effundit se totum ex seipso per profusionem quandam naturalem, quantum effundere se potest, absque

absque ullâ exceptione, & consequenter, quod dat: modo dat infinito, & ille, qui recipit, est æquè dives ac ille, qui dat, qui sumit, sicut qui largitur: nihil est in uno, quod non sit in altero; tota substantia divina est in uno, tota substantia divina est in altero, & ambo non habent, quàm unam solam eandémque substantiam, quæ non est divisa inter ipsos, nec multiplicata per ipsos; sed unica semper manet & simplicissima.

Deus producens Filium suum se exhaurit, & nunquam est exhaustus.

Hanc qui dat, includit in semetipso Principium fœcunditatis infinitæ; hanc qui accipit, est terminus admirabilis hujus fœcunditatis: Unus producit alterum. Sed sicut qui producit & progenerat è sinu suo alium sibi similem in naturâ, reverà est Pater, ita & ille, quem sic producit, reverà ipsius est Filius. Jam impossibile est, hunc Patrem & hunc filium, non esse duas Personas realiter à se invicem distinctas, licet non nisi eandem habeant substantiam, eandémque prorsus divinitatem. Quàm pretiosæ igitur debent esse divitiæ, quàm abundans thesaurus fœcunditatis hujus paternæ, dum nimirùm Pater in seipso invenit, unde producat Deum sibi in omnibus æqualem! Et dum infinitas hasce facit impensas, Thesaurus ipsius exinanitur non imminuitur, sed eâdem semper ratione manet locuples & opulentus. Verum est, ipsum tam absolutè ac omnimodè in solâ hac unici filii sui productione exhauriri, ut ex eo alium secundum producere non posset; nihilominus tamen ita semper inexhaustus manet, ut non cesset in ipsum effundere omnem suam essentiam, profusione semper infinitâ, semper actuali per omnem æternitatem.

O admiranda Potentia Patris, vim habens ac virtutem producendi Deum! O Excellentia stupenda Filii, qui omne est id, quod producere potest omnipotens DEUS, exhauriendo infinitam virtutem intellectûs sui divini! quando produxisset centenos mundorum milliones, & post hos adhuc tot milliones aliorum; imò tot, quot illorum quilibet particulares complexus fuisset creaturas, omnia hæc minores fuissent stipulâ, cum Filio hoc unigenito æquiparata. Quanta magnificentia, o Magne Deus, & quanta gloria divino huic Patri, Patrem tanti esse Filii! sed gloria non minor est Filio, Filium tanti esse Patris.

Quare Deus Pater sit Pater æternus & quare non dicatur Filius æternus.

Jam pronum est afferre rationem, ob quam nuncupetur Pater æternus. Verum quidem est, quod nunquam incepisse, & nunquam finire constituat rationem & essentiam perfectæ æternitatis; quod commune est Patri &

Filio, qui consequenter pari ratione sunt æterni; nihilominus moris non est, filium nominare æternum. Sed plerumq; tantum dicitur Pater æternus. Ratio est, quòd licet Filius reverà sit, & nunquam inceperit, ortum tamen habuerit ac originem. Sed Pater hâc gaudet prærogativâ sibi prorsus speciali, quod non solùm nullum habeat initium, sed nec ullam originem: Ipse non recipit esse ab aliâ Personâ, sed habet hoc à semetipso, ipse est origo & primum principium esse Divini. Et sicut paulò ante diximus, quod nunquam sol sit absque lumine, & in eòdem instanti, quo sol est, diffundat hoc è sinu suo fœcunditate sibi connaturali & nunquam ab eo vel unico desistat instanti, ita multò magis verum est, quòd nunquam Deus vel unico momento sit absq; divinâ sua fœcunditate; adeòq; ab æterno instanti, quo Deus est, effundat omnem suam divinam substantiam in filium suum unicum: Est igitur Pater ab instanti æternitatis. Et hæc prima est ratio, ansam nobis præbens, specialiter ipsum condecorandi nomine Patris æterni.

Deus Pater ab æterno est in actu Paternitatis suæ, quem intermpere non potest.

Secunda fortior adhuc & evidentior est, quod perpetuò sit in actu divinæ suæ Paternitatis, id est, quod nunquam non actualiter producat filium suum unicum ex propriâ suâ substantiâ, quod nunquam vel unico momento ab eo desistat: nunquam incepit, nunquam cessat, & nunquam cessabit. Divina ipsius fœcuditas infinita est in suâ abundantiâ, non minus autem in suâ duratione: dat omne, quod habet, per totam sui ipsius effusionem, quæ ipsi necessaria est; & ideò impossibile est, ut faciat vel plus, vel minus, vel quid aliud, quàm quod facit ab æterno. Ipse semper est Pater, & ipse solus in divinitate gaudet glorioso hoc Patris elogio: æquissimo igitur jure nuncupamus ipsum Patrem æternum.

Gaudium Patris & Filii est reciprocum.

Quis imaginari sibi poterit abundantiam gaudii in corde Patris, quòd talem habeat Filium, & exuberantiam lætitiæ in corde Filii, quòd talem habeat Patrem? Pater, qui tantas videtur Pulchritudines ac perfectiones in filio suo unico, afficitur ex in gaudio infinito; Et Filius, qui conspicit tantas in Patre suo divino Bonitates, tantásque excellentias, infinitâ quoque perfunditur lætitiâ. Pater infinitam haurit voluptatem, dum exhaurit se, dando omnia, quæ habet, Filio suo unigenito; Et Filius quóque infinitâ capitur lætitiâ, dum capit & accipit omnia à Divino Patre, abs eo, quod accipiat aliquid ab alio, quàm ab ipso solo. Ipsorum gaudium tam reciprocum est ac mutuum, ut non sit maius in uno quàm in altero;

altero; & hoc gaudium esse non potest absque amore infinito ex utrâque parte.

Amor reciprocus Patris & Filii.

Quomodo possibile sit, Patrem æternum non amare tantùm talem filium, quantùm videt ipsum esse Amabilem, id est, modo infinito? Et quomodò possibile etiam sit, Filium non amare tantùm talem Patrem quantùm ipsum amabilem cognoscit, modo nempè pariter infinito? Amor igitur eorum æqualitèr infinitus est ex utrâque parte; Verùm hic non est, nisi idem omninò amor: siquidem quamvis duæ sint personæ, non tamen habent, nisi idem cor, eandem voluntatem, sicut ambæ non habent, nisi eandem essentiam, eandem divinitatem. Communis hæc voluntas Patris & Filii, ita gaudiis ac amoribus repleta ambarum harum divinarum Personarum, quasi tota gravida ac prægnans ardoribus ac flammis, & quasi suæ abundantiæ impulsa vi, felici necessitate constringitur ad pariendum, quod concepit. Ipsa igitur producit amorem infinitum, æquè perfectum sicut principium, unde emanat, & consequenter æquè sicut ipsum est Deus; Et hæc est tertia Persona adorandæ *Trinitatis*, quam appellamus Spiritum Sanctum, qui metam & summam perfectionem apponit omnibus Divinis emanationibus.

Doctorum Ecclesiæ summus mirabile attribuit Nomen Spiritui Sancto, & dicit, quòd sit, *Jubilus Patris & Filii*, ad declarandum nobis, ipsum esse fontem ac originem summæ Beatitudinis Dei in se ipso. Amare infinito modo bonum, & illud perfectissimo modo possidere; omnem illius cognoscere Excellentiam, & infinitam ex illo haurire complacentiam; gustare plenè omnem ipsius dulcorem, ac in æternâ ejusdem fruitione quiescere: Ecce hæc sunt, in quibus consistit tota immensitas & tota infinita Magnitudo gaudii Dei. O Pater infinito modo felix possessione, amore, complacentiâ, gaudio infinito, quo te afficit Filius tuus unigenitus! O Fili infinito modo felix possessione, amore, complacentiâ, gaudio infinito, quod accipis à Divino Patre tuo! O Spiritus Sancte infinito modo felix, dum infinitus existis amor, Jubilus, complacentia, gaudium infinitum utriusque!

S. August. de Trinit.

Affectus animæ speranti aliquando intrare in gaudium Patris æterni.

An igitur verum est, mi Deus, exclamabat desuper Collega Missionarii magno cum fervore, interpretans affectus & animi sensa, quæ legebat in facie & oculis pauperis hujus sylvicolæ: An igitur verum est, eo nomine creâsse te animam meam, ut aliquando redderes participè ipsam omnium gaudiorum tuorum? An

aspiciet olim omnes illas pulcritudines, quæ perpetuo raptu & extasi tuum abripiunt & admiratione abreptum tenent intellectum! An easdem gustabit delicias, quæ abs fine adorandum cor tuum infinito replebunt Jubilo? Quomodò? An infinita hæc me exspectat Beatitudo? Tu mihi promittis ipsam, & incessanter me gratiis tuis illuc attrahis, illámque ardenter mihi dare desideras; Et ego, quasi non exspectarem hanc ab ipso, oscitanter repto super terram, replens mentem meam & cor meum mundi crepundiis, has æstimo, his me occupo, his adhæreo, quasi majus nil esset, quod meam constituat beatitudinem. Ah! Anima mea, quid cogitas? Attolle in altum oculos, & aspice immensas illas magnæ æternitatis pulchritudines, quæ olim detegentur tibi. Vide & considera bona infinita in domo Patris tui cœlestis tibi præparata. Huc aspirandum tibi est, túque retrahenda pudore, ne eoúsque te demittas, ut quidquid aliud æstimes & magni facias. Nonne vides creatam esse terram, pedibúsque tuis substantiam, ut conculces ipsam; & econtra Cœlum tuo imminere capiti, ut illud incessanter velut unicum spei tuæ objectum intuearis?

O quanta dulcedo animæ, dum recordatur immensi hujus gaudii Divini, firmámque ac vivam spem concipit in corde suo; dicenda sibi aliquando fore suavissima illa verba, dum exitura est mundo: *Intra in Gaudium Domini tui!* quasi diceretur. Ecce postquam exiveris inauspicato exilii tui, ubi languebas, & contabescebas, domicilio, ingredere modò, ad nunquam amplius exeundum, in gaudium Domini tui, & gusta easdem, quæ perfectam ipsius constituunt Beatitudinem, cum ipso delicias. Quæ unquam præsentis vitæ afflictio suam non amittet amaritudinem in spei ac fiduciæ hujus dulcedine? Verùm quid opus est, devotam animam exspectare actualem ineffabilis hujus felicitatis possessionem, ut gaudium exinde concipiat? Nonne jam in vita præsenti est in Deo, cùm ex sinu immensitatis ejus egrediatur nunquam? Quid impedit ergò, quin ingrediatur in gaudium Dei sui? Nonne oculis fidei contemplari id potest, quod visura est olim in gloriâ, inde demulceri jubilo? Si nubilum tristitiæ ipsam velit affligere, non aliunde consolationes advocet, sed vocari & invitari se credat intus, & haurire auribus: *Intra in Gaudium Domini tui.* Lætare ex eo, quod totus superabundet gaudio Deus, & dies aderit olim, quo eodem superfundenda sis

gaudio. Non est mœror tam amarus, qui non abeat, ubi primùm subierit cogitatio tam amabilis mentem. Verum est, inquit Missionarius, hæc consolatio ex eo in nos redundat, quod Deus sit Pater æternus; sed hæc non parum augetur, si consideremus, ipsum similiter esse Patrem Omnipotentem.

ARGUMENTUM.

Quomodo Deus est Pater Omnipotens.

ARTICULUS III.

Tres divinæ Personæ sunt Pater omnipotens.

QUando dicimus Deum esse Patrem æternum, hoc non fit, nisi respectu Filii ipsius unigeniti, quem ex propriâ sua producit substantiâ ab æterno, intus in semetipso, & nullatenus respectu creaturarum, quas ab æterno non produxit. Et quando dicimus, ipsum Patrem esse omnipotentem, hoc fit non nisi respectu creaturarum, quas è sinu nihili virtute suæ omnipotentiæ extraxit, & nullatenus respectu filii ipsius Unigeniti, quem non producit è nihilo, sed ex propriâ suâ progignit substantiâ. Verum quidem est, Nomen Patris, si propriè significet illum, qui producit aliam personam sibi similem in naturâ, non verè convenire, nisi soli Personæ divinæ, id est, Deo Patri respectu Filii ipsius unigeniti. Sed si nomine Patris intelligatur ille, qui producit aliquid, ipsique verum largitur esse, quamvis non sit ejusdem secum naturæ, omnes tres divinæ personæ sunt Pater omnium creaturarum, ex eo, quod dederint esse. Sed hic est Pater omnipotens, eoquod extraxerit ipsa virtute suæ omnipotentiæ è sinu nihili, quod opus est conveniens, nisi Deo soli.

Hæc Paternitas, quam habet respectu creaturarum, quas non producit ex propriâ suâ substantiâ, quibus tamen parvam aliquam largitur essentiæ suæ similitudinem, non est, nisi simplex imago vel imitatio veræ illius Paternitatis, quæ constituit primam Trinitatis personam in supremâ dignitate Patris æterni. Hæc simplex est & indivisibilis, ita ut nunquam nec major nec minor esse possit; sed altera Paternitas habet suam latitudinem, & suos perfectionis gradus. Deus est Pater omnipotens respectu certarum creaturarum nobiliori modo, quàm respectu aliarum, nempe juxta proportionem, quæ magis vel minus ex ipsius similitudine participaverint. S. Thom. p. 1. q. 33. A. 3.

Deus non est Pater omnipotens omnium creaturarum eâdem ratione.

Sunt certæ creaturæ, quæ aliud similitudinis nil habeant, nisi quod sint velut vestigia pedum ipsius; nihilominus appellatur Pater ipsorum in libro Job: *Quis est pluviæ Pater, vel quis genuit stillas roris?* Job. 38. sunt & aliæ, quæ habent similitudinem imaginis secundùm naturam, veluti sunt creaturæ rationales, quarum Pater est nobiliori modo; sic nuncupatur Pater Hominum in Deuteronomio: *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit & creavit te?* Deut. 32. Insuper adhuc aliæ sunt, quæ similitudinem imaginis habent clariorem & sublimiorem, secundùm gratiam, vi cujus adoptantur in Filios Dei, éstque Deus longè excellentiori modo Pater ipsarum; sic Apostolus loquitur in Epistolâ ad Romanos: *Spiritus Sanctus reddit spiritui nostro testimonium, quod sumus Filii Dei, si autem Filii & Hæredes*: Rom. 8. Denique aliæ sunt, quæ proximius adhuc accedunt ad ipsius similitudinem, quia totæ in ipsum transformatæ videntur, & penetratæ à splendore gloriæ ipsius, dum possident ipsum in cœlo, & respectu harum Patris gerit Nomen majori cum majestate; sic idem Apostolus in memoratâ Epistolâ scriptum reliquit: *Gloriamur in spe Gloriæ Filiorum Dei*; Rom. 5. ad quem felicem statum quotidie aspiramus, dum orationem à se edoctam dirigimus ad ipsum: *Pater noster, qui es in Cœlis, adveniat Regnum tuum.*

Deus est Pater omnipotens velut creator.

Verùm non constat, quid magis admirandum sit in dignitate Patris, quam gerit respectu creaturarum; An ipsius potentia, vel fœcunditas, vel summa Potestas ac Auctoritas ipsius. Admirabilis videtur ipsius potentia, dum è sinu nihili eduxit tam ingentem pulcherrimarum creaturarum numerum; Namque ex nihilo aliquid facere, est opus non nisi conveniens Brachio omnipotenti. Quid dixisses, si præsens fuisses Creationi mundi, ex abysso nihili prodire videns tot exquisitissimæ artis opera ad primum Creatoris sui mandatum? Imaginare tibi & tecum cogita, te solum fuisse unà cum omnibus Angelis, antequam ulla adhuc creatura esset, nec Cœlum, nec terra, nec lumen, nec elementa, nec quidquam aliud ex omnibus, quæ magnum hoc universum constituunt; Adhæc omnes Angelos omni contentione adlaborâsse, ut è nihilo producerent aliquam muscam, aliquem florem, vel duntaxat minimum arenæ granulum, & postquam omnes suas adunâssent vires, omnem suam collocâssent industriam, abs eo, quòd quidquam efficere potuerint, ingenuè fuisse fassos suam impotentiam,

tiam, verissimúmque esse, omnes simul creaturas non habere virtutem producendi vel minimum herbæ cauliculum, aut terræ pulvisculum; & dum ita attentè tecum ponderas stupendam difficultatem, quam vincere oportet, ad producendum aliquid è nihilo, & admirabilem potentiam ad id evincendum requisitam, cùm omnes simul Angeli id evincere non potuerint; Cogita audisse te vocem, unicum duntaxat verbum, *fiat*, efformantem; Et eodem, quo efformata est, instanti, vidisse te è fundo nihili prodire orbem terræ tam vastum, uti est, in suâ latitudine, ex seipso quasi venientem seq; collocantem subtus pedes tuos, & exin cooperientem se herbis, floribus, fructibus, plantis, magnis arboribus, & inæstimabili diversorum animalium numero.

Pulchrum spectaculum videre omnes creaturas prodire è nihilo.

Vidisses ex eodem prodire nihilo mare magis adhuc diffusum ac extensum terrâ, hanc partim operiens, partim circumcingens, idque incessanter circumvolvi, noctes diesque agitari & moveri, abs eo, quòd unquam suos transgrederetur limites, insuper infinitis fœcundum piscibus, monstris marinis, figurâ, formâ, magnitudine ac naturâ tam diversis.

Vidisses ex iisdem produci abyssis aërem mari ac terrâ longè adhuc majorem ac ampliorem, velut tenuissimum ac tersissimũ conopœum sese extendentem ac involventem utrumque, insuper suis quantocyùs locupletatum ornamentis; tot aves zephyrorum obsequio super plumas suas, velut in triumpho circumvectas, dulci melodiâ invitare quasi homines, ad decantandum secum laudes Creatoris sui; tot insuper meteora in medio ipsius fabrefacta, nubes, pluvias, nives, grandines, tonitrua

Vidisses ex eodem nihili sinu prodire, præfati virtute verbi, immensos illos cœlorum globos, in orbem hos agi & supra te in Regione longè sublimiori collocari, tam fastuosâ ornari pompâ, tot planetis, tot stellis, tot radiantibus astris, quæ videbantur velut tot carbunculi cœruleis suis limbis circumducti; & super omnia magnam illam mundi faculam, admirandum hunc Solem, qui lumine torrentis instar effuso totum collustrat universum, nobisque venustatis suæ aspectu gaudium parit ac lætitiam.

Affectus animæ aspicientis opera Dei.

Quid dixisses, si cuncta hæc prodigia tuis hausisses oculis? Nonne admirationis æstu extra temetipsam raptus exclamâsses? O Cunctipotens artifex hujus Universi! quanta fortitudo tua, quantum robur tuum! Cùm omnes

omnes unà Angeli ne atomum quidem extrahere possint è fundo nihili, quamvis omnes suas huc advocent vires & collocent robur; tu nonnisi unicum eructas verbum, & producis & prodire facis exinde, abs ullo adnisu, abs ullâ contentione, abs labore vel minimo, immensas cœlorum machinas, terram, astra ac omnia Entia! O Brachium Dei quàm potens es? O Pater cœlestis, quis diffitebitur, te Patrem esse omnipotentem!

Verùm an vitæ halitus tibi fuisset superstes? An tuo adhuc insertum cor pectori, quin ardentissimo exarsisset desiderio videndi illum cujus prodigia à te visa in stuporem te adduxerant? Jam nos indies eadem cernimus prodigia, eosdem, aspicimus Cœlos, eadem astra, eandem terram, eadem prorsus elementa, quæ tu prodire vidisses ex nihilo. Eâdem usurpamus scientiâ, supremum illorum conditorem ea extraxisse, ac si id ipsum facientem nostris usurpâssemus oculis; & tamen in stuporem non agimur, ipsius non admiramur Cunctipotentiam, laudibus millenis non extollimus divinam ipsius tam benè cuncta disponentem sapientiam; nec infinitam ipsius amamus bonitatem hæc omnia ex amore erga nos operantem. O Cor meum, quantâ laboras cœcitate! Ah! quando aperies oculos ad videndum & amandum ineffabiles Excellentias Patris tui omnipotentis!

Admirabilis fœcunditas creaturarum ostendit illam Dei.

2. Si tam admiranda est ipsius potentia, major adhuc est ipsius fœcunditas, sed non pondera duntaxat ipsam in eo, quod ingentem hunc produxerit creaturarum numerum; Cùm hæc omnia fermè nihil sint, respectu ejus, quòd posset facere. Admiror ipsam in hoc, quòd non contentus producere creaturas, omnibus his communicaverit fœcunditatem & facultatem producendi alias; alias quidem illis similes in naturâ, velut sunt plantæ & animalia; alias causis producentibus nobiliores, velut est terra, quæ fœcunda & plantis, fructibus, frumentis, floribus, lapidibus, metallis, quibus nunquam exhauritur; & mare, quod fœcundum est piscibus, quibus viduari & evacuari non potest. Alias saltem donaverit virtute producendi imagines sui repræsentativas; siquidem nec unicum quidem est ex omnibus entibus visibilibus, quòd non agat pictorem quasi naturalem, semper in manibus tenendo penicillum, ad depingendum se in omnibus speculis, omniúmque animalium oculis. Minima creaturarum, quæ accepit esse à Deo, tam luculenter circumfert imaginem divinæ fœcunditatis

tatis ipsius, ut nunquam cesset reproducere semetipsam, vel saltem perfectissimè se repræsentare in teneris illius speciebus, quibus repletur totum spatium diaphanum ipsam circumdans, quasque Philosophi nuncupant species intentionales; ut exinde conjicere nobis liceat admirabilem fœcunditatem Dei Patris, ad exprimendum semetipsum modo perfectissimo in suâ imagine, quæ est filius unigenitus, cùm tam stupendam fœcunditatem contulerit creaturarum suarum minimæ ad repræsentandum se naturaliter in suis speciebus.

Stupenda fœcunditas animæ nostræ manifestat illam Dei.

Sed qui benè cognoscere voluerit fœcunditatem Patris cœlestis; aspiciat præcipuè animam rationalem. Hæc singulari prærogativâ decorata est super alias creaturas, quòd facta sit ad similitudinem creatoris sui, quódque per proprias suas experientias admirabilem cognoscat fœcunditatem sibi ab ipso collatam. Quantum prodigium videre intellectum, qui ratione quâdam imitans infinitam Auctoris sui fœcunditatem concipit in momento, & abs intermissione producit res innumeras? Omnes creaturas, quas Deus produxit extra se ipsum, intellectus humanus concipit in se ipso, dum ipsas aspicit; adhæc multa concipit & cognoscit alia à Deo non facta, format sibi & fabricatur in seipso mundos novos, excogitat scientias & artes, est pictor, est Architectus, est aurifaber, ipse solus est, quod sunt omnes artifices alicujus Reipublicæ; & quod mirabilius est, ipse solus sufficit ad suppeditandam omnem materiam necessariam pro cunctis absolvendis operibus, quæ conceperit in se ipso. Invenit penes se colores, quibus decumanam sibi depingat imaginem; eruit ex se ipso marmora, quibus exstruat Palatium valdè magnificum; dilatat penes se vastos campos ac prædia, ac progignit ex se ipso artifices & operarios, quorum aliquos destinat ad ædificandum, alios ad excolendam terram, jacienda semina, desecanda frumenta, intra pauca momenta omnes percurrit regiones terræ, videt, exquirit, omnium statuum investigat statum, gerit bella, tractat pacem, exstruit civitates; Exercitus navales immittit in mare. Quis non admiretur fœcunditatem parvæ hujus creaturæ, quæ tantas, tàmque multas res conficit in semetipsâ & per semetipsam, absque labore & abs eo, quod alio sibi stet impendio, nisi ut illi intendat, quod facere intendit.

O Pater cœlestis, quanta est igitur fœcunditas tua, tu qui

Deus solus potest exhaurire in-

tellectum humanum, sicut exhaurit intellectum divinum;

Ens es infinitum, cùm tam admirandam fœcunditatem fueris largitus intellectui solius hominis? Et quid foret, si oculis intueremur omne id, quod jam produxerunt omnia ingenia humana supra terram, per omnes sæculorum decursus, & præcipuè, quod actualiter producunt omnes mundi hujus habitabilis inquilini, & super omnia, quod producet omnis nostra posteritas? qui hæc omnia videret uno ac simplici intuitu, nonne tabesceret præ admiratione, infinitos videns ipsorum effectus ac opera, quæ nondum exhauserint omnem ipsorum fœcunditatem? siquidem plura adhuc facere possent, abs eo, quod exhauriantur. Quis non admirabitur prodigiosam hanc fœcunditatem? Nihilominus hæc ipsa nondum est atomus, si comparetur cum tuâ, O Pater omnipotens! Ita est, in exhauribilem te esse extra te ipsum, & tamen unica sola cogitatio, quam intra te, te ipsum contemplando formas, tam omnimodè exhaurit omnem infinitam intellectûs tui divini virtutem, ut aliam secundam producere non posses. Benè voluisti imaginem tuam tibi similem esse; Nam ita est, quod intellectus humanus ad imaginem tuam factus, quamvis inexhaustus sit respectu creaturarum, dum tamen de te cogitat, sese inveniat prorsus exhaustum, obruitur namque magnitudine essentiæ tuæ infinitæ, obscuratur fulgidissimis splendoribus tui luminis, hæret attonitus, hebes totus ad aliquid de te cognoscendum, & absorbetur in profundâ abysso adorandarum tuarum perfectionum? O felix jactura, ubi se invenit & suaviter requiescit in centro felicitatis suæ!

Suprema auctoritas Patris æterni,

3. Sed postquam admirati sumus potentiam & fœcunditatem Patris cœlestis, non minus admiranda nobis videtur summa ipsius Auctoritas ac potestas. Ipse est, qui legem posuit omnibus creaturis, dum illas exposuit luci, & extraxit ex umbris nihili: Et quia unicâ tantùm vice dedit jussa terræ, ut produceret ac germinaret herbas, flores ac fructus, nunquam cessavit hos parere, ut parêret mandato, nunquam destitit se eviscerare, ut impleret obedientiam per omnem sæculorum defluxum. Quia unicâ duntaxat vice imperio obstrinxit Solem, ut metiretur nobis dies ac noctes, divideret nobis anni tempestates, indies ad amussim circumcurreret universum orbem, nunquam deflexit à mandato, nec unico subsistens momento, vel si substitit, id fecit, ne resisteret imperio. Quia unicâ solummodò

lummodò vice in mandatis dedit mari, ut fœcundo sinu profunderet nobis pisces, nunquam non se ita submissum, ductile ac docile exhibuit summæ creatoris sui auctoritati, ut semper squammatos daret greges, nec his dandis vellet unquam sterilescere. Omnes denique creaturæ sic se semper venerabundas demonstrârunt cœlestis sui Patris potestati ac Dominio, ut quod semel is ordinavit, ipsæ nunquam fuerint transgressæ: *Ordinatione tuâ perseverat Dies, quoniam omnia serviunt tibi.* Psal. 118.

Homo solus resistit potestati Dei.

Homo solus, ex omnibus creaturis maximâ devinctus obligatione supremam hanc Patris sui cœlestis reverendi auctoritatem eò proruit temeritatis, ut contemnere adhuc præsumat. Homo solus, cujus pedibus subjecit Deus omnia, his imperans, ut ipsius obtemperarent mandatis, ipsius se manciparent obsequiis, ipsi velut suo servirent Monarchæ; homo, quem adeò sublimavit, quem velut Deum hujus mundi designavit, illum velut beneficiorum suorum centrum concatenatis & nunquam intermissis prosequendo favoribus; est tam ingratus, ut præstare renuat suo obedientiam Creatori, quam hic suas per creaturas ipsi facit exhiberi. Homo solus, cui tam honorifica est posita lex, ut ex toto corde diligat Deum suum, familiariter cum ipso velut intimo suo amico conversetur, reverentiali cum confidentiâ ipsi loquatur, sicut filius perdilectus suo colloquitur Patri; Ipse solus tam est socors in observandâ tam amabili lege, ut malit velut mancipium suis servire passionibus ac vitiis, quæ non nisi tyrannidem in ipsum exercent suam. Homo solus, cui Deus Regnum disposuit æternum, nec non æternorum bonorum promisit possessionem, abs eo, quod quidquam pro tanto favore exigeret ab eo, nisi ut abstineret à sui offensâ, seque amaret ex tota mente suâ; Ipse solus ex omnibus creaturis tantâ percellitur stupiditate, ut tam ingenti neglecto commodo, quo beatum se reddere posset absque labore, sese malit obruere molestiis ac fatigationibus, ut miserum se reddat ac infelicem. Homo solus, qui obstrictum se videt ad obtemperandum præceptis Dei sui, sub pœnis tam atrocibus, ut, si id renuat, condemnatum se sciat ad ardendum æternaliter in desolatoriis ac devorantibus flammis; Ipse solus tam obcœcatus, támque insensatus est, ut obedientiam Deo subtrahens, objicere sese audeat malis infinitis in omnem æternitatem tolerandis, modò temporis pauxillo inordinatis suis

satisfaciat animi affectibus, turpiterquè gerat morem sensuum illecebris. Denique homo solus, super omnes alias Creaturas præditus ratione, rationis se maximè expertem millenis demonstrat experientiis: Cœteræ omnes nunquam non abs noxâ sunt, innocentes sunt suis in operationibus; homo solus semper peccat & in suis à recto deflectit, & cum Beatus esse posset, suâ se culpâ inter omnes Creaturas miserimum reddit ac infelicissimum, eò quod juxta debiti sui exigentiam revereri nesciat, potius nolit, Patris sui Cœlestis, qui Deus est Omnipotens, auctoritatem: flecteretur fortassis, consideraret ipsum velut Patrem misericordiæ. Vide.

ARGUMENTUM.

Quomodò Deus sit Pater Misericordiæ.

Articulus IV.

Deus est Pater Misericordiæ ad majorem suam gloriam & nostram felicitatem.

QUod Deus solus sit Pater æternus, est summus ipsi tum gloriæ cumulus, tum apex lætitiæ. Quod sit Pater omnipotens, divinæ suæ triumphus est fortitudinis. Sed quod sit Pater misericordiæ, labor est & opus potentiæ ac Bonitatis suæ. Esse Patrem æternum, est producere Filium unicum è sinu propriæ suæ substantiæ ab æterno. Esse Patrem omnipotentem, est omnes Creaturas extrahere è sinu nihili per creationem. Sed esse Patrem misericordiæ, est facere è peccatore & magno Dei inimico, dilectum Filium Dei & hæredem gloriæ suæ. Producere Deum ex propriâ suâ substantiâ, ut sit Pater æternus, non potest esse, nisi opus omnipotentiæ. Extrahere Creaturas è sinu nihili & illis dare Existentiam, ut sit Pater Omnipotens, non potest etiam esse nisi effectus omnipotentiæ. Sed è peccatore facere Filium Dei, & è Filio gehennæ Filium regni, ut sit Pater misericordiæ, est tam ingens prodigium, ut esse non possit exquisitissimum opus potentiæ ratione quâdam magis stupendæ magisque admirandæ duabus aliis.

Esse Patrem misericordiæ, est ratione quâdam admirabilibus, quàm esse Patrem æternum filii sui unigeniti.

Non est instituenda comparatio inter generationem Filii unigeniti in sinu Patris æterni, & productionem filiorum adoptivorum in sinu Patris misericordiæ, si attendatur terminus, qui producitur: Cùm omnes homines, qui è peccatoribus evadunt filii Dei mediante misericordiâ, minoris sint atomo, si comparentur cum Filio unigenito Patris

tris æterni. Verùm si attendatur principium diversarum harum generationum, video, Patrem æternum invenire in proprio sinu suo omnem divitiarum immensitatem, quæ necessariæ sunt ad producendum Filium suum unigenitum; sed & video Patrem misericordiæ, nihil prorsus in peccatore invenire, unde facere ipsum possit Filium Dei? unde desumit materiam ad conficiendum opus tam speciosum? Non videt in peccatore nisi crimina & abominationes, quibus excitetur odium & horror erga ipsum: An inde formare possit dilectum Deo Filium? Ulterius conspicio, Patrem æternum totam suam essentiam divinam effundere in Filium suum unigenitum, emanatione quâdam naturali, non solùm absque labore, sed infinitâ cum voluptate, sed & video, Patrem misericordiæ, millenos facere assultus, ut Spiritum suum & gratias suas introducat in hominem peccatorem, ad formandum ex eo natum Dei: & sæpius in vanum laborat, & omnem perdit operam. Quid hoc sibi vult? nisi quod, licet unigenitus Filius Patris æterni infinito modo excellat omnes Filios adoptivos Patres misericordiæ; nihilominus facilitas producendi unum, & maxima difficultas producendi alios, ansam nobis præbeat multò magis admirandi potentiam, quæ progignit filios adoptivos in sinu Patris misericordiæ, quàm illum, quæ progignit Filium unigenitum in sinu Patris æterni.

Esse Patrem misericordiæ, plus est, quàm esse creatorem mundi.

Similiter comparatio ineunda non est inter opera Patris omnipotentis, quæ sunt omnia entia creata, & inter opera Patris misericordiarum, quæ sunt filii adoptivi Dei, sive attendatur terminus productus, sive aspiciatur principium producens; nam illa, quæ facit Pater omnipotens in Creatione entium, non sunt nisi Creaturæ, quibus dat esse naturale; sed quod facit Pater misericordiarum in justificatione peccatoris est dilectus Deo filius, cui esse dat supernaturale. Omnis creaturarum multitudo, quæ non nisi naturale habent, minoris est unico solo adoptivo Dei Filio; de quo, dum dicitur, quod habeat esse supernaturale, per hoc innuitur, quod transcendat omnem naturam; Et consequenter si consideretur terminus productus, Deus nobilius & excellentius opus patrat, dum facit ex peccatore Filium Dei, quàm si universum crearet mundum.

Verùm excellentius adhuc est, si consideretur terminus, unde prodierunt. Siquidem Deus Pater omnipotens extraxit omnes creaturas è sinu nihili, tantâ cum facilitate, ut ipsi non ste-

terint nisi unico verbo. Nihilum tam est promptum, tamquè morigerum voci ejus, ut quamvis nihil habeat, semper tamen expeditum & accinctum sit, ad subministranda illi omnia, quæ voluerit, abs eo, quod vel minimam voluntati ejus exhibeat repugnantiam. Sed quando Pater misericordiarum extrahit filios adoptivos Dei è profundo nihili, quò peccatum ipsos adduxerat, hoc tantâ accidit cum difficultate, ut non solùm stet ipsi verbis innumeris, invitationibus, importunis solicitationibus, verùm etiam huc collocet plures menses, & plures annos, assultus conduplicet, in subsidium advocet Angelos & homines, adhibeat promissa, minas & supplicia: & quandoque post tot infectationes, prensationes, ambitus, quib⁹ omnis alia, nisi illa misericordis Dei defatigaretur patientia, desideratum scopum in suis non assequitur consiliis.

Difficilius est trahere animam â peccato, quàm mundum è nihilo.

Ratio est, quia peccatum, quo reperit ipsos immersos, est nihilum quoddam rebelle voluntati suæ, nihilum tumultuans, refractarium, quod sese opponit, nimis quàm sese obarmat invincibili quâdam proterviâ; illigat, constringit, vincit voluntatem peccatoris, ipsam detinet captivam, obcœcat, indurat, insensibilem reddet, tantâ pervertit malitiâ, redigit in statum ita Deo oppositum, ut non minori, quàm infinitâ opus sit bonitate ad superandam ipsius malitiam, adhæc omni alteri, nisi brachio omnipotenti, absolutè impossibile foret extrahere illam è tyrannide fortis hujus armati. Ecce quare dixerim, majori & fortiori opus potentiâ ad progignendum unicum Filium Dei adoptivum, quàm ad producenda omnia entia creata. Verum enim est, Patrem omnipotentem citius & facilius creaturum mundos centenos magno hoc universo ampliores, quàm Pater misericordiarum unum extrahat hominem ex abysso peccatorum ad formandum ex eo dilectum Dei Filium.

Gratitudo animæ â peccato extractæ.

O quantis tibi steti laboribus ac ærumnis, diviniſſime mi Pater! quid feciſti quæsitum me? è quàm profundâ abysso extraxisti me! unde traxisti ansam me tuis prosequendi favoribus, me, qui nonnisi dignus eram tuo odio, tuisque suppliciis, quoad peccatis meis hærebam affixus? Cor tuum est, O Pater cœlestis, infinita tua est bonitas, quæ emollita est magnitudine miseriarum mearum, quæquè pro eo, ut dira in me vibraret fulmina, benignam mihi tetendit manum, pacisquè exhibuit osculum, & ex inimico, qui eram, me Filium suum fecit perdilectum. O quàm amabilis es in

triumpho

triumpho miserationum tuarum? Væ mihi nisi amem te, & nullo non tempore tanti beneficii memorem gratitudinem geram cordi meo insculptam. Sed quàm admirabilis mihi videtur potentia tua, in exquisitissimo hoc gratiarum tuarum opere! si creâsses mundos millenos hoc jam creato longè pulchriores, non ita ex iis elucere cernerem infinitæ potentiæ tuæ prodigia & in æstimabilium bonitatum tuarum portenta, sicut ex misericordiâ mihi exhibitâ, quâ me extraxisti è miserabili peccatorum meorum nihilo, ut in tuum me adoptares filium.

Quanta nobis gloria esse Filios Dei.

Sed quàm stupenda benevolentia, quod Deus omnipotens, qui ab æterno Pater est Dei sibi æqualis, ex quo infinitas haurit delicias ac delectationes, esse quoque velit Pater vilissimorum, quales sumus, terræ vermiculorum! tam ingens hic bonitatis excessus est in Deo, ut credere vix possemus, quod eo usque se demittere fuerit dignatus, nec unquam fuissemus ausi ipsum velut nostrum respicere Patrem, nisi ipsemet dedisset in mandatis, ut hoc ipsum compellaremus nomine, dum precamur ipsum: *Pater noster, qui es in Cœlis.*

Verùm eòusque in sublime ascendit hic tum honoris, tum felicitatis, quo fruimur, apex, ut vix in animum nobis inducere liceat, reverà nos gloriosâ hâc sorte potiri, ut filii simus Patris, qui non solùm supremus est omnium Induperator & Monarcha, verùm & Deus omnipotens. Incomparabilis hæc felicitas tam stupenda est in nos miseros hæcquè tam sublimis sors nostræ vilitati tam difformis & incongrua, ut incomprehensibile nobis sit, vilissimum terræ pulvisculum decorari honore, ut reverà sit perdilectus æterni Dei Filius. Dicitur hoc nobis, sed non capimus; nec capit id caput nostrum, cùm majus sit omni captu & cogitatu nostro: felicitatis nostræ exuberantia, quæ incredibilis nobis videtur, obstaculo nobis est, ne illius gustemus dulcedinem: Non movemur ex illâ, cùm nimiùm à nobis videatur remota, illámque intueamur haud aliter, quàm speciosam quandam imaginem.

Nihilominus est hæc veritas adeò firma & solida, ut nullatenus liceat de illâ dubitare, cùm articulus sit fidei & verum Verbum Dei: *Videte qualem Charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur & simus*: Videte, Fratres mei, dicebat magna quædam anima, totâ admiratione abrepta & absorpta gaudio, in consideratione hujus portenti; perpendite bonitatem 1. Joan. 3.

tatem nimiam Patris nostri cœlestis, quâ gaudere nos voluit nomine ac elogio Filiorum Dei. Si alia nobis non esset prærogativa, nisi glorioso hoc nomine insigniri, nonne summo nobis cederet honori? Sed accedit adhuc quid amplius: siquidem nos integro & integrè potiri voluit isthoc privilegio, non tantùm ut nominemur, sed re ipsâ & ipso opere simus Filii DEI; Ipse nos ceu tales agnoscit, nobis omnem exhibet benevolentiam paternam, nos gestat in sinu suo, præcipuâ nos providentiæ suæ curâ prosequitur, & tandem nobis ceu Filiis suis hæreditatem disponit & præparat æternam. Quantus favor, quanta felicitas, quantus gloriæ cumulus? O Deus! quo gratitudinis, reverentiæ & amoris affectu æstuaremus erga tam bonum Patrem, si persuasum animo haberemus, ipsum nos respicere, nósque amare suos velut filios!

Miser hic sylvicola, qui avidas dederat aures allatis à Missionario dogmatibus, quibus sat clarè explanabantur excellentiæ Dei, velut Patris æterni, velut Patris omnipotentis, velut Patris misericordiarum, quamvis nondum totaliter omnes hasce sublimes veritates intelligeret, animum tamen & cor suum totum sentiebat immutatum: Certum namque est, veritates

Aspectus excellentiarum Dei immutat brevi tempore animam.

æternas, quas fides nos docet, habere aliquid in se tam divinum, támque illecebrosum, ut paulisper tantummodò visæ ac cognitæ cunctos rapiant animos ac potenter corda lucrentur; præsertim, quando novæ nobis sunt, & primâ adhuc vice nobis proponuntur; & si assiduitas, quæ ad illas intelligendas requiritur, nobis earum non imminuat æstimationem, immenso nos accumulabit gaudio ipsarum pulchritudo.

Collega Missionarii, qui observabat vultum novi hujus in fide Catechumeni, videns ipsum totum attonitum, & magnis hisce veritatum splendoribus ipsi ob oculos positis quasi obtenebratum & caligine obductum, & credens ipsum desuper concepisse animo sensa & affectus, quos exprimere non poterat, voluit ipsum in his depromendis adjuvare, ipsúmque interrogavit: Quid videtur tibi de Patre hoc æterno, qui producit Filium suum unigenitum ex propriâ suâ substantiâ, tantâ cum Majestate & gloriâ, & summâ dimanantis ex eo gaudii exuberantiâ? Ad hoc non respondit nisi per signa admirationis, extollens oculos ac manus in cœlum, quasi dicere volens: Adoro illum, admiror illum; sed ipsum non capio, non comprehendo, Sed quid videtur tibi, prosequitur alter, de Patre hoc omnipotente,

tente, qui dedit esse omnibus creaturis, quas extraxit è nihilo tantâ cum potentiâ, tantâ cum fœcunditate, tantâ cum auctoritate? quod magnus sit Deus, respondit sylvicola, & quod magnus sit artifex, cùm tot ac tanta formaverit ex nihilo, quodquè totus mundus obstrictus sit ipsi servire, & sub potentiâ illius contremiscere.

Affectus animæ considerantis, Deum esse Patrem æternum, Patrem omnipotentem & Patrem misericordiæ.

Sed deniqúe, pergit Collega Missionarii, quid sentit cor tuum de Bonitate misericordissimi hujus Patris, qui tam alienus ab eo, ut nos pro meritis & exigentiâ criminum nostrorum perderet, tantâ nos prosequitur bonitate, ut ipse nos quærat in profundâ abysso iniquitatum nostrarum, nostras disrumpens catenas, à peccati tyrannide nos exsolvat, ex magnis suis hostibus, qui eramus, nos intimos suos facit amicos; & deniqúe eòusque Charitatis suæ excessum in nos protrahat, ut pro veris suis nos filiis recipiat, nosque in possessionem inducat hæreditatis suæ, quæ propria ipsius per omnem æternitatem est gloria? quæ mens, quis tibi sensus de Patre tam bono? quid dicis de ipso? Ah! Quid dici de ipso posset, respondet alter, positâ super cor manu suâ? infinito modo foret amandus, si fieri posset. Sed quâ ratione contingere potest, ut revera ipsius simus Filii? Non enim sumus ejusdem cum ipso naturæ, aliàs essemus Dij, sicut ipse; siquidem veri Filii ejusdem naturæ, ejusdem conditionis debent esse cum Patre. Hâc super re resumpsit verba Missionarius, ipsiúque explanavit, quâ ratione adoptemur in Filios Dei.

ARGUMENTUM.

1. *Non sumus Filii Dei, quod nati simus ex propriâ ipsius substantiâ, sicut Filius ipsius unigenitus.*
2. *Etiam non sumus ipsius Filii per solam demonstrationem extrinsecam.*
3. *Sed collocat ipse in nos qualitatem aliquam, qua transformemur in ipsum.*

Articulus V.

Dignitas Filiorum Dei debet addere nobis animum.

VErum quidem est, non esse nos Filios Dei, ex eo, quod nati simus è propriâ ipsius substantiâ, quod non convenit, nisi Filio unigenito, quem in sinu suo genuit ante sæcula, in æternitate suæ gloriæ, consubstantialem sibi, ejusdemque possessorem Divinitatis. Sed credendum pariter non est, nos nomine duntaxat ipsius esse filios,

quia tales reipsâ & in veritate sumus, & ratione quâdam, quâ extollamur ad tantum gloriæ ac honoris fastigium, ut, si æstimare possemus valorem sublimis hujus dignitatis in nobis, perspiceremus clarè, ipsam abs comparatione majorem esse, quàm si Filii essemus potentissimi Monarchæ hujus mundi. Et si probè cognosceremus divinam hanc, quam Deus nobis confert, excellentiam, impossibile foret, quin extolleretur anima nostra supra Communem hominum Conditionem, tantamquè Cor nostrum indueret generositatem, ut nunquam moliretur, nisi facinora egregia, præclara, heroica & natalibus suis consentanea. Si Princeps Juvenis deprehenditur in actione quâdam vili & probrosâ, confunditur & suffunditur rubore, pudetque ipsum dignitatis multò autem magis actionis suæ; lubens sese absconderet, & negaret facilius se esse, qui est, quàm sufferat pudorem affusum ex eo, quod indignitate vitæ suorum natalium obfuscaverit splendorem. Et nos eâdem ratione puderet abjecto & ignavo adhærere animo sensuum nostrorum illecebris, quæ nobis cum bestiis communes sunt, nec auderemus prodire in conspectum Cœli & subire oculos Patris nostri Cœlestis, ubivis locorum nos intuentis: Mallemus potius vivi terræ committi visceribus, quàm unicum duntaxat in præsentiâ illius committere peccatum, si benè committeremus animo, quantâ cum gloriâ & honore nos admittat, ac in suos adoptet Filios.

Quâ ratione nos Deus adoptet in filios.

Siquidem hìc aliter res agitur, quàm cum hominibus, qui dum aliquem adoptant, aliud non agunt, nisi quod ipsum pro suo declarent filio, vel verbis vel scriptis, abs eo, quod aliquid in ipso ponant, quo naturalis ipsius immutetur conditio, nisi quod adoptantis censeatur filius & capacitatem acquirat hæreditate acquirendi ipsius facultates. Sed Deus adoptat nos in filios modo prorsus alio: siquidem ipse reipsâ in nos collocat certam quandam qualitatem divinam, quam naturaliter non habemus, nosq; relucere facit pulchritudine quâdam supernaturali, quæ exterius quidem non apparet, nec oculis patet corporalibus, se autem insinuat usque ad intima animæ nostræ penetralia. Est qualitas hæc certus ex facie ipsius radius, afferens nobis usquè ad fundum cordis nostri vitam quandam divinam; est emanatio sanctitatis ipsius infinitæ; est admirabilis quædam participatio propriæ ipsius Divinitatis, quam appellamus gratiam sanctificantem, quæ animam eousque extol-

extollit super conditionem naturalem, ut non sit amplius Creatura è nihilo solùm extracta, sed exquisitissimum divinæ misericordiæ opus, formatum in corde Dei. Ipsa tantâ resplendet nobilitate & excellentiâ, dum è glorioso hoc emergit & prodit principio, ut, qui videre posset pulchritudinem animæ gratiâ justificante ornatæ, ipsam ceu quandam deputaret Divinitatem, confessus, maximas quascunque naturæ pulchritudines ab ipsâ procul abesse.

Pulchritudo animæ in gratiâ.

Nihil est omnium venustatum externarûm oculis corporeis blandientium, quod æquiparari possit pulchritudini spirituali, quæ oculos delectat animæ; sed omnes pulchritudines spirituales, non nisi in naturæ ordine collocatæ, non sunt nisi deformitates ac turpitudines, respectu unius tantùm pulchritudinis supernaturalis, quam reperire est in minimo dono gratiæ: quia etiam omnia dona gratiam sanctificantem concomitantia, haud alio penes illam gaudent splendore, quàm gaudeant stellæ in præsentiâ solis: siquidem in illâ & per illam angusta cum dignitate regnat Deus in animâ; in hâc erigere sibi amat Tabernaculum suum extra seipsum; & post infinitam, quâ in propriâ essentiâ suâ fruitur, gloriam, amœniori non gaudet Paradiso, quàm si supremo cum imperio regnet in animâ justi. Quanta pulchritudo hujus sit animæ, quæ Dei ipsius exhilarat ac delectat oculos? Et quàm exuberans beatitudo ipsius, quia cùm fruatur Deo, non solùm paradisum suum circumfert in seipsâ, sed cùm Deus possideat ipsam cum voluptate, dici potest, quod circumferat Paradisum DEI ipsius?

Anima in hoc statu adeò Dei pulchritudine refulget, ut videatur tota transformata in ipsum, & quasi facta prorsus divina.

Intima unio animæ cum Deo per gratiam.

Aliqui instituunt hanc comparationem ad declarandum nobis hoc prodigium, quod benè verbis explicari nequit. Dicunt rem esse sicut cum ferro, quod totum penetratur, totúmque exardescit ab igne. Mitte ferrum in fornacem vehementer accensam, ferrum non fiet reipsâ ignis, neque ignis etiam fiet ferrum, sed sit inter illa unio tam intrinseca, támque reciproca, ut, cum unum totaliter possideat alterum, non videantur esse nisi una eademque res; & qui nunquam vidisset ferrum ab igne, nec ignem separatum à ferro, imaginari sibi non posset, hæc duas res esse; sed indicaret, hîc aliud non esse nisi ignem; ita ferrum absconditur sub igne, absorbetur ab igne, & quasi to-

D. Thom. 1. 2. q. 112. A. 3.

tum transformatur in ignem. Sic quoque dicunt ipsi, Deus, qui ignis consumens est, transformat totam animam in seipsum, quando possessionem ejus adit per gratiam sanctificantem, ipsamque adoptat in filiam. Verum est, hanc animam non fieri Deum, nec Deum fieri hanc animam, fit tamen inter illos unio tam fortis tamque stricta, ut quis judicaret esse non nisi unam eandemque rem. Et sicut nil amplius apparet ex nigredine vel frigore ferri candentis, sed videtur non esse nisi ignis; sic etiam nil amplius apparet deformitatis naturalis in animâ sic in Deum transformata, tam est abscondita & absorpta in pulchritudinem infinitam Dei. Non nisi Dei est, sic suos adoptare filios mirabili modo transformando ipsos in propriam suam naturam; sicut solius ignis est ita accendere ferrum, ut illud velut ignem apparere faciat. *Sicut impossibile est, ut igneat nisi solus ignis; sic necesse est, ut solus Deus Deificet.* D. Thom. ibidem.

Missionarii Collega, qui semper observabat vultum novi proselyti, quem in fide instruebant, probè advertit, ipsum totum esse commotum; aspiciebat sæpius Cœlum & ingemiscebat continuò; Annotavit quoque ipsum aliquid submissâ voce mussitantem, quasi desumpsisset, si non verba, saltem sensum ex magno Sancto Augustino, quando dolens conquerebatur, quod tam tardò inceperit cognoscere & amare Deum: *Serò te amavi, Pulchritudo tam antiqua & tam nova, serò te amavi.* Ut quid tam longo te tempore ignoravi, O Pulchritudo tam antiqua, O Bonitas tam nova? ut quid tam serò incepi te cognoscere, tam serò amare? Cùm ergo videret ipsum tam benè dispositum, quæsivit ex eo; nonne corripitur amore cor tuum erga Patrem tam bonum? Nonne fortunatum te crederes, si hujus filius esse posses? Ah! si possem; respondet pauper hic sylvicola ingemiscens & imò ex pectore altum trahens suspirium, si possem obtinere sortem tam beatam! sed quâ ratione? Desuper Missionarius ipsum amplexans & animans, suum, ut sequitur, prosecutus est, sermonem.

Dolendum nobis est, quod tardò inceperimus cognoscere & amare Deum.

Confess. l. 10. c. 27.

ARGUMENTUM.

1. *Deus desiderat ardenter, nos suos esse Filios.*
2. *Gerit erga nos veri Patris affectum, ut afficiamur erga ipsum tanquam veri & genuini Filii.*

ARTI-

ARTICULUS VI.

Nomen Patris est hyperbole amoris.

SI seriò desideras verus esse Patris Cœlestis Filius, scito & pro certo habe, ipsum ex parte suâ id multò ardentius desiderare. Nomen Patris fert secum bonitatem, dulcedinem, intimum amoris sensum suos erga filios. Non est amor comparabilis amori Patris; unde ex antiquitate quispiam non immeritò dixit: *Nomen Patris, Amoris hyperbole*; dicere volens, quod si quis exprimere vellet Bonitatis excessum, quo fertur amor Patris erga Filium, accipiretur pro phrasi hyperbolicâ, id est, exaggeratione rei incredibilis; eousque amoris paterni excessus transcendunt communem sensum illorum omnium, qui Patres non sunt.

Deus Pater tradit Filium unigenitum pro Filiis adoptivis.

Sed amor hic nihil est respectu amoris, quo Pater cœlestis suos prosequitur filios. Si declarare tibi voluero, quanto excessu, quanto affectu ac impetu feratur erga illos, hyperbolen interpretaberis: Accipe auribus quod dico, quia prorsus stupendum est. Deus Pater, qui non nisi unicum habet Filium intra semetipsum, sibi consubstantialem, eundem secum Deum, quem infinito amat amore, suavissimum æternæ suæ complacentiæ objectum; sed plures habet filios adoptivos extra seipsum, non ex propriâ suâ substantiâ progenitos, non nisi Creaturas è nihilo à se extractas, quæ nihil omninò sunt respectu Filii sui unigeniti: nihil ipsi amabile habent in semetipsis, cùm omnes nascantur peccatores & inimici ipsius ex utero Matris suæ. Nihilominus tanto amoris excessu prosequitur illos, ut pro ipsis filium suum unigenitum dederit, nimis quàm parum est, dicere, quod ipsum dederit, illum sacrificaverit pro ipsis, ac ipsemet illum morti devoverit, ut filii ipsius adoptivi, per mortem Filii sui proprii vitam acciperent sempiternam: Nonne hæc hyperbole amoris est paterni?

Excessivus amor Patris æterni.

Certè si omnes filios suos adoptivos destinasset morti, ad salvandam unigeniti sui vitam, hoc tantam non cieret admirationem: Si sacrificâsset Cœlum & terram & Creaturas omnes pro ipso solo, id æquitas postulâsset. Sed quod excessus amoris, quo erga nos fertur ipsum eò úsque rapuerit, ut, cùm non haberet nisi unicum Filium in sinu suo, quem uti seipsum amat, pro nostrâ hunc salute sacrificaverit, pro nobis vilissimis terræ vermiculis, pro nobis peccati mancipiis, pro nobis, qui magni ipsius eramus inimici, & non nisi odio ipsius digni: Hoc omnem intellectum idipsum considerantem reddit attonitum, omnes facit obmutescere

linguas, omnemquè transcendit admirationem. *Quomodò nos amâsti, Pater bone, qui Filio unico non pepercisti, sed pro nobis impiis eum tradidisti!* O Pater optime! infinitæ Pater misericordiæ? quò rapuit te tui erga nos excessus amoris? quid fecisti? Unicum habes Filium infinitè tibi charum ac pretiosum, infinitè à te dilectum, & ipsum tradidisti pro impiis, qui te non amant, non diligunt? exspolias vitâ unigenitum tuum, hanc ut pluribus tribuas parvulis adoptivis, nihil in se habentibus, quod dignum foret, ut respiceres ipsos? quis comprehendat tantum Bonitatis excessum? Nonne hoc sit paterni hyperbole amoris? *Nomen Patris Amoris hyperbole.*

S. August. lib. 10. Confess.

Veruntamen nondum hic finis Amoris; majori adhuc gestit accumulare nos felicitate. Postquam enim incomparabili hoc affecit nos honore, ut per mortem unigeniti sui, nos in suos adoptaret filios, quasi plurimùm, hunc ab ipso recipiendo honorem, simus promeriti, disponit nobis coronas pro præmio & regnum æternum, quod nobis promittit, cujusquè possessionem firmiter sperare nos jubet. Sed quod regnum? Bonum infinitum, semetipsum, propriæ suæ participationem gloriæ.

Et ut nos disponat ad tantam felicitatem, per aliam huic omninò similem, elevat nos hic (nempè per gratiam hanc sanctificantem) velut Principes sui sanguinis infinitè sibi charos; portat nos semper in sinu paternæ suæ providentiæ, nunquam non oculos suos in nos gerit defixos; Angelos, qui aulæ cœlestis sunt Principes, nostro deputat servitio; propriâ suâ nos enutrit substantiâ, melius quàm proprio lacte enutriat Mater Sobolem suam; cùm nobis largiatur proprium suum Corpus & adorandum suum sanguinem, ut efficiamur prorsus divini, utpote sic propriâ Dei substantiâ enutriti: instruit nos velut Bonus Pater parvulos suos Filios, quomodò loqui cum ipso debeamus, datquè nobis cum confidentiâ licentiam, appellandi ipsum Patrem nostrum, sicut & quotidie petenti ab ipso panem & regnum ipsius *Pater noster, adveniat Regnum tuum; Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè.* Quis unquam sumpsisset hoc sibi, ut ab ipso tam ingentem efflagitaret amorem? An vel minima mentem subire potuisset cogitatio tanti favoris, vel levissimum ore dilabi verbum, quo innueretur, incomparabilem hunc Patrem, tanto nos diligere cum ardore? Nisi id propriis nostris usurparemus

Deus Pater nos nutrit & instruit velut dilectos suos Filios.

oculis,

oculis, an credere possemus? O Amantissime Deus! O Pater infinities Dives in bonitate erga pauperculos Filios tuos! Nonne hoc reipsâ hyperbole sit amoris paterni: *Nomen Patris, Amoris Hyperbole?*

Nomen Patris allicit cor Patris, & Filii.

Quis non alliceretur dulcissimis hisce Cœlestis Patris nostri blandimentis, videns, quod non solùm nos doceat ad se recurrere velut Creaturas ad Creatorem, appellando ipsum Deum omnipotentem; velut subditos ad Principem, nuncupando ipsum nostrum Regem; velut famulos ad Dominum, nominando ipsum moderatorem nostrum? sed velit, ut recurramus ad ipsum velut infantes ad Patrem suum, & quis est, qui pronuntiando verbum tam affectuosum, ab ipso ori nostro insertum, *Pater noster*, non advertat hic ultra magnitudinem Charitatis suæ, amorem ingeniosum ad excitandum in corde utriusque Patris & Filii intimum reciprocæ dilectionis sensum? Enim verò nec verus Filius pronuntiare posset nomen Patris, abs eo, quod sentiat venerabundam submissionem in animo tenerrimum affectum in corde, & mel quasi suavissimum in ore: Dulcis hæc assentatio est abblandiens Patri, quæ deliniat ipsum & melius potentiúsque protracto in longum discursu persuadeat, obtineatque ab ipso, quidquid voluerit: *Hoc Nomine Charitas Patris excitatur, & quædam impetrandi præsumptio est.* Nec Pater ex parte suâ audire posset vocem Filii sui se Patrem compellantis, quin cor suum emolliri & in dulcedinem sentiat colliquari; iracundiâ concitatus mox conciliatur, sequè nescio quâ dulci facundiâ immutatum experitur, facundiâ inquam in solo Patris nomine inclusâ: quo audito duntaxat, millenas statim rationes excogitat, quibus persuadeatur, ut non nisi Bonitatem & amorem spiret erga illum, quem dilectum sibi habet filium.

S. Aug. lib. 2. de Serm. Dom. c. 8.

Testis sit infidelis illa anima, quæ maximis ipsum affecerat injuriis rebellione suâ, ipsiusque despectu; si Pater non fuisset, juxta merita sua perdidisset ipsam. Sed vocato in Consilium proprio corde, recordatus se Patrem esse ipsam denuò requirit, ipsam præoccupat, ipsiquè facillimum ad manus porrigit Remedium in pacem secum redeundi, suamque quantocyùs recuperandi gratiam: quod ab ipsâ postulat, unicum est, ut revertatur ad se filiali cum fiduciâ, sequè appellet Patrem suum: *Ergo saltem voca me; Pater meus es tu.* O infinita Bonitas divini ac cœlestis Patris mei! Credebam,

Deus invitat animam peccatricem; ut nominet se Patrem suum adlucrandum cor illius.

Jerem. 3.

debam, te post peccatum meum obarmaturam Virgâ manum tuam ad puniendum me, uti merebar. Credebam mearum fore partium, ut potius me humiliarem & annihilarem coram te, lacrymantibus oculis, contrito præ dolore corde, suffuso pudore vultu, tibi dicens, quod Filius prodigus Patri suo: Pater peccavi in Cœlum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis. Et ecce, tu me prævenis, prior accurris ad filium tuum perditum, apertis Brachiis, magis tamen adhuc aperto corde, mihiquè dicis: *Saltem voca me; Pater meus es tu*: Veni mi fili, voca me Patrem tuum, & satisfactum mihi erit; Consolaberis ex jacturâ tui afflictum cor meum, idquè præ gaudio dilatabis & delectabis summè, si tantummodò dixeris mihi dulcissimum hoc Verbum, quod revivisçere faciet in ipso intimum amoris ac dilectionis affectum: *Sic Amor vindicat*; sic cœlestis Patris ulciscitur Charitas, sic injuriæ acceptæ exigit pœnas ab offendente se filio. Quis diffitebitur hanc verè amoris paterni esse hyperbolem? Si desideramus, ut noster ipse sit Pater, millies magis is desiderat, ut nos ipsius simus Filii. Voca voca confidenter ipsum Patrem tuum.

Affectus eliciendi à filio adoptivo erga Patrem cœlestem.

Ad hæc verba Neo-Conversus exhibuit foris animi sui sensa & affectus, quos intus produxerat gratia in corde ipsius; & respicere incipiens Deum velut Patrem suum, tanto cum fervore est ipsum affatus, ut tum missionario, tum Collegæ ipsius fecerit uberes oboriri lacrymas: O Pater indulgens nimiùm, qui dedisti mihi, ut essem, qui conservâsti me, qui tamdiu nutrîsti me, nec cessâsti benè facere mihi, dum nondum cognoscebam te Deum meum! O Bonitas, qui tanto tempore, dum offendi te, tolerâsti me! O verè paterni hyperbole amoris, quo ad tam immodicos raperis excessus erga indignos! O Bonitas! O infinita Bonitas! O quàm acriter pungit & lancinat animum, tam tardò cognovisse te! Omne tempus abs cognitione & amore tui transactum, malè collocatum & deperditum censeo; nec aliud supereſt, nisi de illo deperdito dolor, qui solus est, quem ad reparationem amoris mei offerre tibi valeam.

Ah! saltem amabilis mi Pater, suscipe me in Filium tuum, & concede, ut ab auspicato hoc die, quo cognoscere te auspicor, non cessem unquam amplius tibi famulari, tibi placere, te amare. Ah! quando haberem solus omnia corda tum hominum, tum Angelorum, non sufficerent adhuc

huc mihi, ut tantum amem te, quantum es amabilis. O Pater cœlestis, an nunquam ergò erit, ut perfectè amem bonitatem, quæ tantùm amat me? Aufer à me, o amabilis Pater, aufer à me meum hoc cor marmoreum, & pro eo da mihi cor totum igneum, vel aufer mihi vitam: quia vivere amplius nolo, nec momento super terram, nisi ut tibi serviam, teque diligam, tam bona dans specimina, aggregatus est numero fidelium: & hic fructus præsentis erat Consultationis.

CONSULTATIO VIII.

De Persona Filij.

INvisum concesseram amicorum quempiam, & abs eò, quod adverteret, in ipsius penetraveram cubile, cùm mihi assumens libertatem, quæ inter amicos magis familiares, familiaris esse solet; Inveneram ipsum solum, erectum in pedes, & stantè coram magno quodam speculo, tamquè attentè se in illo considerantem, ut me ingredientem non observaverit. Videns ipsum hâc distentum occupatione, quæ ipsi prorsus præter morem erat! haud inaniter judicavi, nil hic subesse vel curiositatis, vel vanitatis, vel complacentiæ sui ipsius: Noveram enim ipsum supra modum pietati ac devotioni addictum, & à sæculi crepundiis nugisq; prorsus abstractum; nesciebam autem, quid suo revolveret animo, oculos suos ita immobiliter in speculum gerens defixos: non ita res habet cum veris Dei servis, sicut cum mundi vernis & affectis: hi in omnibus non quærunt nisi vanitatem; illi econtra non aliud, nisi quod mentem ipsorum attollere possit ad Cognitionem primæ veritatis.

Miraculum naturæ in speculo.

Cùm propius accederem, me prius in suo videbat speculo, quàm intrantem perciperet in suum cubile. Nolebat mox ab initio mihi suum communicare arcanum; sed conversus ad me, festivâ oris specie & hilari vultu dicebat mihi; Enim verò mirabile est; non sum pictor, & in momento mei ipsius tam perfectam, omnibusquè numeris absolutam efformo imaginem, ut magis exquisitam perfectiusq; repræsentantem peritissimus Mundi pictor efformare non posset. Quæ est manus hoc opus perficiens? mea námque non est, debet esse cujusquam alterius, quem non videam: ubi est penecillum, quo utitur? Ubi sunt colores, quos adhibet? Quis magnus est ille

pictor, qui opus suum jam absolverit, antequam visus sit incepisse? Qualis est pictoris hujus genius, qui actionem dat, motum ac gestum picturæ suæ, abs eo quod impertiatur ipsi vel sensum vel vitam? An quem video in hoc speculo, ipsus ego sum? Verùm scio, me ibi non esse: Ergone est alius? sed in cubili, præter me, est nemo. Et quicúnque viderit, quod video, attestabitur, me idipsum esse.

Prodigium specierum intentionalium. D. Bonav.

Est ne id, dicebam, quod ita volvis animo? Ecce magnam tibi Philosophiam! An nescis, quid dicat Sanctus Bonaventura: Deus dedit virtutem cuilibet rei, ut producat speciem suam ex naturali fœcunditate; id est, quod Deus supremus naturæ, sicut dedit omnibus Creaturis parvam quandam sui esse participationem, ita etiam iis dederit admirabilem quandam divinæ suæ fœcunditatis imitationem; ita ut ne unica quidem sit, quæ facultatem non habeat semetipsam reproducendi in teneris quibusdam & imperceptibilibus imaginibus, ex ipsismet prodeuntibus per naturalem quandam emanationem, abs eo, quod vel quidquam artis conferant, vel omninò cogitationem de hoc susci piant, illasquè in speculis repræsentent. Hinc est, quod natura vultum nostrum munierit duobus oculis velut duobus speculis naturalibus, in quibus omnes visibiles Creaturæ semetipsas depingunt; non quod complacentiam habeant semetipsas iterùm videndi reproductas in suis imaginibus, sed ut nobis voluptatem afferant exhibendo conspectui nostro omnia opera Dei, velut exquisitissimos divinæ omnipotentiæ effectus, quorum intuitu mens nostra elevetur ad cognitionem Auctoris. Et firmissimè credo, te non fixè in speculum hoc tuos defixisse oculos, quin infixeris menti tuæ bonam de Deo cogitationem.

Verum est, respondit mihi, quod, cùm viderem à memetipso me reproductum, totum omninò ac integrum, & quidem unico instanti in hoc speculo, vehemens me invaserit cogitatio de eo, quod aliàs toties audivi; nimirum, quod Deus Pater perfectissimè se depingat in imagine suâ, quæ est Filius ipsius unigenitus & alter ipse. Speculum sat clarè exprimit productionem Filii Dei à sua Patris.

Non est mirum, si aspiciendo Deum, producat Deum, cum & ego aspiciendo me ipsum, reproducam me. Sed ego in speculo me aspicio, quod est extra me; & ideò produco meam imaginem extra me ipsum, & Deus Pater aspicit se in semetipso absq; speculo, id est, in propriâ suâ essentiâ; & ideò producit imaginem suam intra semetipsum.

Ego

Ego solummodò emitto speciem meam, quæ non est nisi leve accidens, in hoc speculum; hinc est, quod non producat nisi effectum sibi similem, id est, imaginem mortuam & accidentalem: sed Deus effundit & immittit immediatè propriam suam substantiam in suam imaginem; hinc est, quod sit imago viva & substantialis, quæque sit eadem cum ipso substantia. Ego non semper præsens sum huic speculo, ut ibi me aspiciam, ibique meam exprimam similitudinem: Sed Deus Pater semper est præsens sibi ipsi, semper ab instanti æternitatis oculos suos defixos tenet supra propriam suam substantiam, abs eo, quod vel unico momento desistat; hinc est, quod semper producat suam imaginem, quæ æterna est, sicut ipse, à cujus productione cessare non potest nec unico momento. Denique ego non sum nisi creatura limitata & supra modum in angustum coacta, & ideò non produco nisi imaginem mihi similem, id est, parvam & magnitudinem meam non excedentem. Sed Deus cùm sit ens immensæ magnitudinis & in omni perfectionum genere infinitum, producit imaginem sui ipsius sibi in omnibus similem, quæ sit immensa in magnitudine, sicut ipse, infinita in perfectione sicut ipse.

Sic id, quod video per reproductionem mei ipsius in hoc speculo, non est adæquatum apographum, quod repræsentare mihi possit magnum illud Archetypum generationis æternæ Filij Dei in sinu Patris sui, quia infinito modo hic plus discriminis est, quàm similitudinis; Nihilominus fateri oportet, quod aliquid hìc sit, quo tam benè illius concipiatur idæa, ut nihil in universo mundo illam melius repræsentet. Indago ubique, an aliquid forsan occurrat, quod majorem profundi hujus mysterii dare possit cognitionem, sed nihil invenio. Et hoc maximè sæpè ponderis fuit argumentum, super quo nostram instituimus consultationem, ubi suavissima nobis occurrerunt illicia altius ponderandi prodigia generationis Verbi æterni in sinu Patris sui. Et ecce quâ ratione id sit peractum.

ARGUMENTUM.

1. *Magna foret temeritas concipere velle generationem æternam Filii Dei, cùm hoc intellectui humano sit impossibile.*
2. *Nihilominus magnæ est utilitatis, illam debitâ cum reverentiâ considerare.*

Articulus I.

Generationem nostram propriam non capimus, quantò minus illam Filii Dei.

PRæcipuum & Altissimum ex omnibus fidei mysteriis est, veritas Dei *Trini & Unius*. Proponitur id nobis ad credendum firmiter, & non ad clarè cognoscendum. Sanctus Gregorius Nazianzenus mirabiliter tum confutat, tum confundit temeritatem eorum, qui credere nolunt æternam generationem Filii Dei in sinu Patris sui, ex eo, quod illam comprehendere non possint. Interrogat ipsos: An benè cognoscitis id, quod tangit vos ipsos? An benè comprehenditis propriam vestram generationem in sinu matris vestræ? An dicere nôstis, quâ ratione tot membra diversa fuerint ab invicem separata & organizata ex unicâ solâ vili, ejúsdemque naturæ materiâ? An recordaris, quando tuam acceperis animam, & quâ ratione hæc tuum inceperit informare corpus? Cùm paulatim excresceres & vires acquireres ad exeundum ex hoc ergastulo, an quidquam ad hoc contulisti industriæ? An assensum præbuisti? An id percepisti? An si centenæ circa generationem tuam tibi proponerentur quæstiones, vel ad unicam respondere posses, quantumvis eidem fueris præsens & tui ipsius ageretur causa? quomodò in re, quæ tam propè, imò proximè te tangit, nihil cognoscis, nec quidquam dicere potes? An mirum sit, quod generatio æterna Filii Dei in sinu Patris sui tibi sit incognita: *Ergo tua Generatio tibi ignota est, quomodo Dei Generatio tibi nota erit?* S. Greg. Naz. orat. 3. de Trinit. Si credendum non est, quod comprehendere non potes, ne credas te formatum esse in sinu Matris tuæ, nec inde te prodiisse, cùm id comprehendere non possis.

Sed nonne videmus, Deum tàm esse admirabilem in minimis suis operibus, ut voluerit res familiarissimas, quas manibus tangimus & quotidie oculis usurpamus, nobis esse incomprehensibiles, ad deprimendam intellectus nostri arrogantiam eumque adducendum, ut ipsemet confiteatur, facto imbecillitatis suæ in rebus tam abjectis experimento, sibi præsumendum non esse, quod comprehendere & captu suo assequi possit excellentias & magnitudines DEI? Aspicis facilitatem ac promptitudinem, quam habes reproducendi te ipsum in speculo;

lo; Est hic effectus tam vulgaris & frequens, ut nemo sit, qui miretur, cùm indies occurrat in oculos. Nihilominus quis est, qui prodigium hoc capiat? Dicitur quidem, esse species intentionales, quæ ferantur in hoc speculum, quod corpus est diaphanum, ibique terminentur ac detineantur per corpus aliquod opacum, quod est retrò speculum. Sed quid sunt hæ species? & quômodò agunt tantâ cum solertiâ ac vigore.

Prodigia incomprehensibilia specierum intentionalium.

Siquidem non sunt ipsæ, corpus aliquod animatum, non sunt nisi simplices qualitates, & quidem qualitates non activæ, sicuti esset calor, neque enim ullam habent activitatem: Et tamen opus suum in unico confecerunt momento & omni citius cogitatione: Non sunt ipsæ visibiles in seipsis & omnia visibilia faciunt in speculis; non habent ipsæ colorem, & perfectissimè omnes colores exprimunt; non constant ipsæ quantitate, & tamen ad amussim omnem repræsentant magnitudinem: Non est ipsis vita, nec gestus, nec sensus, & tamen exhibent ac oculis objiciunt & motus & gestus & sensa gaudii vel tristitiæ in facie; non occupant ipsæ locum, & tamen sic omne implent spatium diaphanum, ut nullum omninò sit, ubi non sint; non habent ipsæ nec formam nec figuram, & tamen nec forma, nec figura est, quàm ipsæ nō exhibeant: Et cùm omnia hæc faciant, non sunt nisi simplicissima qualitas, & licet fœtus habeant à tam diversis in naturâ patribus productos, ipsæ tamen omninò ejusdem sunt naturæ.

Et quod stuporem auget, est, quod, cùm totus aër his speciebus scateat, ipsæ tamen lateant, & ex iis non plus percipiatur, quàm si ibi omninò non essent. Omne spatium illuminatum objecta visibilia circumcingens ita refertum est invisibilibus hisce imaginibus, ut quocunq; tuos defixeris oculos, illæ tibi omnia repræsentent objecta, quæ in lineâ rectâ poterunt ad ipsos deferri. Res stupenda, quod ipsarum omnimodè diversarum multitudo sit infinita & tamen non commisceantur, nec confundantur inter se: album non miseretur, cum nigro; nec figura rotunda, quadrata, triangularis seinvicem destruunt; tam immensa rerum copia, quarum quælibet magnum locum occupet, non invicem se urgent nec premunt in suis speciebus; magnum nemus, pratum innumeris floribus confertum, integra civitas, campus amplus ex unâ parte frumentis, jumentis ex alterâ pluribus coopertus, omnia hæc convenient in uno oculi tui angulo, abs eo, quo misceantur, premantur, confundantur invicem; & quælibet repræsentat tibi objectum

particulare, à quo producitur, tam distinctè, quasi id solum in tuis esset oculis.

Non sunt ipsæ nisi accidentia, carentia virtute subsistendi ex semetipsis; nisi enim aliqua substantia illas sustentet, necesse est ut pereant: adhærent igitur aëri, vel alteri cuidam corpori diaphano; & tamen si ventis agitetur aër, ipsæ manent tam immobiles, ut exhibeant objectum, quod repræsentant, absque ullâ vacillatione, absque agitatione minimâ. Non est tantæ sagacitatis ingenium, quod perfectè hæc & millena alia capere posset prodigia, quæ Deus includere voluit in rebus, quæ nihil esse videntur, quásque nemo ferè ponderat, cùm tamen quantò magis ponderantur, tantò magis incomprehensibiles videantur. Verùm si intellectus noster hæret attonitus ex re tam tenui, nobisque adeò familiari, utpote quæ continuò nostris obversetur oculis, an arrogare sibi audeat & adniti ad comprehendenda profundissima generationis Verbi æterni Mysteria, in sinu Dei abscondita, quæ rapiunt in stuporem Angelos, nec intellectum sui capacem inveniunt, quàm intel ectum Dei ipsius?

An filius nascatur vel natus sit.

Quando sapientissimi Ecclesiæ Doctores de his locuti sunt, non id fecerunt, ut explanarent illa velut optimè à se intellecta, sed ut faterentur, hæc sibi esse incomprehensibilia. Sanctus Augustinus nescit, an dicere debe at, quod Filius Dei sit natus, vel an dicendum, quod nascatur actualitèr, vel an melius dicat, quod nasciturus est è sinu divini Patris sui. Est natus ab æterno, & nativitas ejus nondum transiit; nascetur in æternum, & Nativitas ejus non est futura; nascitur actualiter, & tamen dici non potest, quod producatur, quasi nondum produci desiisset. Sanctus Thomas ita hâc de re sentit: *Melius est, quod dicatur semper natus.* Inde est, quod sit fructus in perfectâ suâ maturitate ante tempus, cùm productus sit in infinitâ suâ perfectione ante omnia tempora. Verba nostra, quæ transitoria sunt, eò pertingere nequeunt, ut dicere quid possint, quod significet verbum æternum & invariabile Dei æterni.

S. Augustin. serm. 12. de temp.

S. Thom. q. 42. a. 2.

Mysteria divina debent nobis esse incomprehensibilia.

Et reverà, si Mysteria divina comprehendi possent à nostro intellectu, vel nostris explanari verbis, digna non forent infinitâ excellentiâ ac magnitudine Dei. In hoc planè divina sunt, quia sunt incomprehensibilia & ineffabilia; nec optarem efficacius argumentum ad stabiliendam certitudinem nostræ fidei, nisi quod omnia, quæ credenda nobis proponit, infinito modo transcendant capacitatem intellectûs

tellectûs humani: *quantò fortè sermo deficit, tantò magis nos convenit glorificare Deum; quod talem Deum habemus, qui & intellectum transcendit, & Cogitationis intuitum.*

S. Chrysost. hom. 2. in Epist. ad Heb.

O Anima mea, quanta tibi gloria, quantum tibi gaudium, quod Deum habeas adeò magnũ, quem intellectus tuus admirari, sed capere & perscrutari non possit: quem profundo adorare possis silentio, sed nunquam condignè laudare verbis! quem amare possis ex toto corde tuo, sed nunquam amare tantum, quantum & amabilis! Magne virtutis Religiosus cessit fatis eo ferè tempore, & loco, ubi hæc scribo; qui cùm post obitum suum alteri sibi olim valde familiari apparuisset, hicque mox ab initio ipsum interrogâsset: *Quis est Deus?* Ipse hoc melius explanare non potuit, quàm respondendo: *Est ille, quem non satis amavi in vitâ meâ.* O quàm dignâ mente hoc est complecti infinitam Bonitatem Dei! O quàm verè hoc est loqui, si abs intermissione nosmetipsos interrogemus: Anima mea, qui est Deus? Est is, quem nunquam potes capere, tam est magnus, tam est adorabilis; Est is, quem nunquam tantùm potes amare, quantùm est amabilis. Adora, lauda, admirare, ama super omnia, ama quantum potes & nulli parce labori, & nunquam satis adorabis, laudabis, amabis: *Quantum potes tantum aude, quia major omni laude nec laudare sufficis, nec amare sufficis.*

Intellectus S. Joannis elevatus ad videndam generationem æternam Verbi

Nihilominus licet indignissimi simus, vel minimam habere cognitionem de adorandis his Mysteriis, clam in sinu Patris, circa æternam generationem Filii sui unigeniti peractis; Deus tamen tantâ erga nos fertur bonitate, ut voluerit nobis communicare illa, nósque docere eas, quas in corde suo maximè gerit absconditas veritates adeò sublimes, ut ipsi Angeli, qui clarè illas vident, non plùs tamen cognoscant ex illis, quàm nos addiscamus per dogmata fidei. Hinc est, quod Evangelistarum aquilæ, dilecto suo discipulo Joanni, tam altum concesserit volatum, ut elevaverit se super omne, quod est corporale, super omnes nobis invisibiles spiritus, super animam suam propriam, & deniqúe super omne, quod non est Deus, & volaverit usque in sinum Patris æterni: roboravit adhæc hujus aciem aquilæ, ut fixis oculis intueri posset magni hujus solis, alium solem in splendoribus luminum suorum producentis fulgores; dixerit insuper ipsius calamum ad explanandas nobis admirabiles hasce productiones verbis tam sublimibus, ut pronuntiata in stuporem rapuerint Cœlum & terram: Sunt námque

námque prodigiosa tot oracula, quæ probè considerata fateri cogunt, ipsum Deum esse, qui hæc per os Evangelistæ fuerit effatus; cùm mortalium nemo unquam sic loqui potuisset: *In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: Omnia per ipsum facta sunt.*

In paucis hisce verbis exhibet nobis tres insignes idæas adumbrantes personam Filii DEI, nascentis è sinu Patris sui. Prima, quod sit cogitatio intellectûs Dei Patris, dum dicit nobis, quod ab æterno fuerat in suo principio. Secunda, quod sit verbum perfectissimè exprimens omnem Dei Patris cogitationem, dum dicit, quod verbum erat apud Deum. Et tertia, quod sit infinita virtus & fortitudo divini Patris sui, dum additi: omnia per ipsum facta sunt. Considerabimus benè hæc tria, & ex his mirum in modum resplendere videbimus excellentias Verbi æterni.

ARGUMENTUM.

1. *Filius Dei est Cogitatio intellectûs Patris æterni, quem imitamur, dum de Deo cogitamus.*
2. *Hæc cogitatio est immensa & æterna, ac omnia illi sunt præsentia.*
3. *Ipsa est vita, & omnia habent vitam in illâ.*

ARTICULUS II.

Intellectus humanus producit cogitationes in infinitum.

CUm anima nostra creata sit ad imaginem Dei, dici potest, intellectum nostrum parvam imaginem esse intellectûs Dei; adeóq; mirú non esse, quod tam miræ sit fœcunditatis, ut infinitas successivè concipiat cogitationes. Quod si benè imitari vellet intellectum Dei, cujus est imago, adniti deberet, ut non nisi unicam solam haberet cogitationem, quæ tota esset de Deo. Verùm in omni alio cogitationum genere tam est fertilis, ut qui numerum inire vellet omnium cogitationum, quæ formantur in intellectu unius tantùm hominis temporæ vitæ suæ, nunquam ad finem perveniret: Jam quilibet intellectus habet fœcunditatem suam majorem vel minorem, juxta majorem vel minorem intellectûs capacitatem & acrimoniam: Si ergò uno intuitu viderentur omnes cogitationes, quæ conceptæ fuerunt in intellectu hominum omnium à Creatione mundi, & concipientur adhuc usque ad

ad finem ejusdem, quantum prodigium! Nonne abyssus foret, sui tantum aspectu incutiens horrorem? Ubi intellectus est Angelicus, qui his enumerandis sufficiat?

Verùm si inveniretur in mundo intellectus, qui solus comprehendere posset, omnem infinitam multitudinem cogitationum, quæ occupant, quæ occupaverunt, vel quæ occupabunt omnes hominum intellectus, nonne intellectus hic foret omninò stupendus? Et si omnibus his concipiendis non formaret nisi unicam simplicem cogitationem illa includentem, & tam distinctè ac perfectè exprimentem, ut ne minimam quidem omitteret circumstantiam, nonne hæc esset cogitatio ad prodigium miraculosa? Quid diceres de ejusmodi intellectu? Et quid cogitares de ejusmodi cogitatione? An satis illam admirari posses?

Intellectus Dei non producit nisi unicam cogitationem omnia experimentem.

Et tamen nihil hoc foret respectu intellectûs Dei. Et si unicam hanc cogitationem, quæ tibi tantùm admirationis cieba t, comparare velles cum simplicissimâ cogitatione, quam Deus Pater, in suo concipit intellectu; minor hæc foret, quàm si parvam ignis scintillam è petra chalybe percussâ extractam & quantocyùs disparentem æquiparare velles cum sole. Et nonne hæc comparatio foret, quæ nihil comparationis haberet? Hoc nihil est dicere, quod per simplicem hanc cogitationem DEUS distinctissimè cognoscat omnes cogitationes hominum, qui sunt, qui fuerunt & erunt in mundo per omnes sæculorum periodos *Scrutans Corda & Renes Deus.* Sed ipse cognoscit omnes cogitationes, quæ nasci potuissent in intellectu omnium hominum, quos abs numero & fine potuisset creare: Et omnia hæc non essent, nisi minima cogitationis suæ scintilla. Hoc nihil est dicere, quod per hanc solam & simplicissimam cogitationem cognoscat omnia entia creata à Cœlo Empyrico usque ad minimum herbæ cauliculum super terram, omnes simul atomos in particulari, horúmque diversos ac inordinatos motus in aëre factos. Sed perfectissimè novit omnia, quæ facta fuissent in mille millionibus mundorum, quos creare potuisset, & omnia hæc, quæ nobis tam stupenda videntur, non nisi parvum arenæ granulum viderentur magnitudini intellectûs Dei.

Deus exprimit essentiæ suæ infinitudinem unicâ solâ cogitatione.

Quod admirabile, nec unquam sat potest comprehendi, est, quod perfectissimè cognoscat per simplicissimam hanc cogitationem, omnem essentiæ increatæ infinitudinem. Cogno-

scit suam immensitatem, suam æternitatem, suam omnipotentiam, & omnem infinitarum suarum perfectionum infinitam copiam, abs eo, quod nihil sit cognoscibile in divinitate, quod plenissimè non cognoscat per simplicissimam hanc cogitationem. O Deus! quantæ magnitudinis & incredibilis excellentiæ hanc oportet esse cogitationem! Deus Pater, qui ipsam produxit, totus ab illâ rapitur, tantum gaudii, tantum voluptatis in seipso haurit ex eo, quod illam produxerit, illamque adhuc in intellectu suo conservat. Et mirum non est, cùm hæc cogitatio Deus sit, sicut is, qui eam produxit, & tamen non est, nisi simplex cogitatio Dei. An vides, quid efficiat intellectus, dum intendit ac se impendit ad cogitandum de Deo? An vides sublimissimam animarum contemplativarum occupationé? Æmulantur hæ modo admirabili contemplationem Dei Patris, qui totus intentus attentè cogitare de Deo, non format nisi unicam simplicissimam cogitationem, quam nec mutat, nec unquam multiplicat, â quâ etiam nunquam distrahitur; & sic cogitando de Deo producit Deum sibi æqualem.

Magna occupatio animæ sæpè cogitantis de Deo.

Ah! Si cognosceret anima, quàm magni momenti in seipsâ conficiat opus, dum studiosè se applicat ad cogitandum de Deo; tunc enim intellectus ipsius ad similitudinem intellectûs Dei formatus, nobilissimo modo imitatur hoc divinum Archetypon, cujus est imago! Nunquam excellentiori distineri potest negotio, & cœteræ occupationes omnes, etiam illæ, quæ magni videntur ponderis, uti foret reipublicæ tenere clavos, nil haberent ponderis, & in comparatione non essent nisi crepundia, nugæ ac puerorum ineptiæ. Mallem occupari & animo immorari uni soli piæ de Deo cogitationi, quàm si in intellectu meo haberem omnes alias cogitationes humanas ac naturales, quæ occupaverunt unquam caput & intellectum omnium omninò hominum; si námque omnes has haberem, non haberem nisi res frivolas, futiles ac inanes; Deum autem solum dum mente meâ actuali ipsius reminiscentiâ complector, dicere cum veritate possum, habere me omnia: Et quia intellectus meus hâc ratione regalis evadit thronus, in quâ Dei residet Majestas, quam ibi contemplor, quam ibi adoro, nemo in universo mundo est, qui me dignius, me excellentius occupetur.

Cogitatio de Deo, quæ nobis faciendæ sint ostendit.

Deus intuetur omnia simplici cogitatione, quam format de se ipso, tum ea, quæ sunt in ipso, tum illa, quæ sunt extra ipsum. Cura quam habet de rebus

bus creatis, nunquam ipsum distrahit ab actuali studio cogitandi de Deo. Et hoc est mirabile, quod quivis inseipso experiri potuit, si reflexionem desuper fecit, quod cogitatio de Deo afferat secum lumen in animam, quod ostendat ipsi, quid agendum sit, quod omnium obligationum suarum inducat memoriam, quódque permittere non possit, ut in aliquo defectum committat, cùm supremæ justitiæ regulam habeat ob oculos positam; siquidem aliter res hìc agitur, quàm cum cogitationibus humanis, quarum una inducit oblivionem alterius, dúmq; vehementer intellectum occupant, adimunt ipsi aspectum rerum earum, quibus attendere & invigilare deberet; sæpè autem deficit, quia distrahitur, & distrahitur, quia de Deo non cogitat. Medium ergò faciendi id, quod debemus, perfectissimè, est, quantum possibile fuerit, conservare cogitationem de Deo; Est hæc velut facula dirigens animam justam, nec permittens ipsam in errorem agi vel in minimo. Verum quidem est, cogitationem hanc magnam replendo intellectum absorbere intra se ipsam & quasi annihilare omnes alias cogitationes; sed hoc est, ut illas modo quodam nobiliori faciat reviviscere; nam cùm res omnes longè excellentiori modo sint in Deo, quàm sint inseipsis, certum est, illas in principio sui esse longè melius videri, quàm in seipsis videantur, & nunquam actiones nostras perfectius & exactius fieri, quàm si fiant in actuali cogitatione de Deo.

Cogitatio, quam Deus conservat, æterna est, & semper actualis.

Sed quod stuporem auget in hâc unicâ & simplici cogitatione, quæ totum replet intellectum Dei, est, quod sicut in magnitudine suâ est immensa, quâ universaliter includit omnia, quæ sunt cognoscibilia, sic etiam infinita sit in suâ duratione: Est namque cogitatio æterna, quæ nunquam incepit & nunquam finietur, quæ non habet durationē successivam, sicut res, quæ sunt in tempore, sed præsentiam semper actualem, quæ non solùm includat in se omnia tempora, sed infinito modo se extendat ultra omnem sæculorum durationem, nihil est præteritum, nihil est futurum respectu illius, omnia sunt illi præsentia, nullius oblivíscitur, nihil de novo addiscit, nunquam aliquid perdit ex intuitu suo. Creatio mundi jam longo tempore præteriit respectu nostri, sacrificium Abrahæ, pœnitentia Davidis, mors Salvatoris nostri, pugnæ Martyrum, omnia illa, quæ contigerunt in Ecclesia úsque ad nostra tempora, transiérunt respectu nostri:

ſtri : hora mortis noſtræ ; judicium particulare animæ noſtræ, vel univerſale omnium hominum, futurum eſt intuitu noſtri; ſed omnia hæc præſentia ſunt Deo. Ipſe actualiter videt mundum è nihilo prodeuntem Virtute Verbi ſui ; videt Abraham ſuum immolantem Iſaac, videt Davidem lacrymis rigantem ſtratum ſuum, videt Filium ſuum unigenitum Cruci affixum & morientem in Golgothæo vertice ; videt diffluentem Martyrum ſanguinem & omnium pœnitentium animarum lacrymas ; videt nos agonizantes in ultimo momento, quo anima noſtra ſeparari debet à Corpore ; videt judicium noſtrum finale, & æternitatem noſtram vel beatam, vel miſeram, abs eo, quod quidquam ex his omnibus, illi ſit vel præteritum, vel futurum ; ſed omnia illi ſunt præſentia.

Quomodò æternitas cogitationis Dei tranſcendat modicas noſtras cogitationes non niſi momentaneas.

O Magna Cogitationis DEI æternitas, quàm es admirabilis? Ah ! quid ſumus coram te miſerrimi terræ pulviſculi ? Nunquam ſcivimus res infinitas præteritas, & paucas illas, quas ſcivimus, tradidimus oblivioni ; ex omnibus futuris nihil ſcimus ; ne quidem, quid manè nobis ſit eventurum, notum eſt nobis ; nihil nobis reſtat, niſi parvum hoc præſens momentum, in quo non ſolùm neſcimus, quid rerum reaptè agatur in univerſo mundo, ſed vix minimam earum partem cognoſcimus, quæ nosmetipſos concernunt : Et tamen magni videri volumus thraſones, credendo, nos, quanti quanti ſumus, haud eſſe niſi ſapientiam? Conſilia meditamur in tempora, quæ noſtra non ſunt, ſpondendo nobis, nos mira facturos, dum forſan amplius nil erimus niſi cœnum aut cinis : Oculos noſtros ejaculamur in eâ, quæ futura ſunt, ubi omninò cœcutimus ; convertimus & inflectimus illos ſuper ea, quæ tranſiêrunt, ubi cuncta redacta nobis videntur in nihilum : Non niſi præſens habemus inſtans, ubi videnda clarè videre licet, & ſæpè huc animum non adjicimus ; & pro eo, ut repleamus illud bonis, quibus poſſemus, permittimus id vacuum omninò dilabi è manibus, intenti vel tædiis præteritorum, vel futurorum deſideriis nobis prorſus inutilibus.

Felix anima non niſi intenta cogitationi de Deo.

Mi Deus, quantum diſcrimen inter intellectum, qui obrui ſe ſinit ingenti cogitationum vanarum & imaginationum inutilium ac futilium multitudine, & illum, qui ſe occupat, in quantum potuerit, ſolâ & unicâ cogitatione de Deo ? Nam in illo non ſunt niſi tenebræ caligo, confuſio ; hic habitat in regione lucis ac luminis, ubi omnia clari-

claritate cernit incredibili. Nam tu sola es, O Cogitatio Dei æterna, quæ vides ea omnia, quæ respectu nostri vel præterita vel futura sunt, unico tibi semper præsentissimo intuitu, dúmque animam ingrederis, ipsam luminum tuorum facis participem. Moyses vidit in te Creationem mundi, & descripsit eam velut præsentem, quamvis respectu ipsius fuerit præterita. Vates sacri videbant in te futuros eventus hominum, illósque velut præsentes declarabant, licet respectu ipsorum futuri modò essent. Sed hoc inde est, quod nihil nec præteritum nec futurum sit æternæ cogitationi Dei: Omnia illi sunt præsentia.

Quomodò videre quis possit omnia peccata præsentia in cogitatione Dei.

Tu vides, mi Deus, omnia vitæ meæ præteritæ momenta, sicut & momenta omnia vitæ meæ futuræ; nec unicum quidem est præteritum vel futurum respectu tui; omnia tuis sunt præsentia oculis. Omnia, quæ commisi peccata, & quæ committam adhuc, nisi tua me ab his præservet gratia, tuo sistuntur conspectui, & illa omnia intueris cum horrore: Modicum boni, quod inventum est, vel quod inveniri poterit in vitæ meæ decursu, tibi est præsentissimum, & donorum tuorum dum aspicis in me pulchritudinem, conspicis unà sordes, quibus illa ex culpâ meâ deturpavi. Illa omnia si tantùm aspiciam in meis cogitationibus, nihil hic video, non intueor mea peccata, nisi veluti res jam præteritas & longè remotas, non apparent nisi successivè, & hic tam imperfectus aspectus, non nisi tenuem mihi incutit horrorem. Verùm si in cogitationem Dei me insinuem, illáque eodem cum ipso oculo intuear, omnia se simul & semel coram me sistunt, sicque sunt præsentia, ac si illa reipsâ adhuc committerem; sicque vix esse potest, quin maximum exin horrorem concipiam. Sic dicitur, Deum illa in divino suo lumine, omnia simul unita ac præsentia, cuivis exhibiturum animæ in ultimo agone.

Si non aspiciam mortem meam & judicium meum finale, nisi in cogitationibus meis, id solummodò futurum est, mihique tam remotum, támque incertum videtur, ut parum me moveat. Verùm si me insinuans in æternam cogitationem Dei, illa considerem, sicut ipse videt, velut reipsâ jam existentia ac præsentia; si me videam agonizantem, & ultimum exhalantem Spiritum; si me intuear actualiter præsentem judicio Dei, recipientem sententiam meam finalem, & irre-

vocabilem ingredientem me domum æternitatis, unde nunquam amplius pateat ulli vel concedatur exitus, impossibile est, quin vehementer me animo commotum sentiam.

Explicatio orationis pro mortuis, qui jam nobis judicati videntur.

Sunt, qui non intelligant, quomodò accipienda sit Ecclesiæ pro defunctis oratio, quæ ita sonat: *Domine JESU Christe, Rex Gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de Pœnis inferni.* Funditur hæc oratio pro animâ, quæ fatis cesserit fortassis ante decem annos, super quo ita discurrimus: Certum est, sententiam Dei latam esse eodem momento, quo ipsa præsentata fuit judicio ipsius; jam hæc sententia est irrevocabilis: Cui ergo bono preces tanta post tempora pro illâ ad Deum fusæ inservient? quin etiam si unica tantùm dies, unica hora, unicum momentum à Judicio recepto intercessisset, quid prodesset intercessio ad Deum facta, ut exhiberet ipsi misericordiam, cùm judicata jam sit juxta exigentiam meritorum pro totâ æternitate, & judicia Dei nulli prorsùs subdantur mutationi.

Optimus hic foret discursus, si præteritum vel futurum daretur respectu Dei, sicut datur respectu nostri; Si judicium animæ fieret uno, & preces pro ipsâ ad Deum fusæ alio fierent tempore: Sed omnes hæ temporum differentiæ non sunt nisi pro nobis. Æterna Dei cogitatio videt omnia sic præsentia, ut judicium omnium animarum, & preces etiam mille post annos pro ipsis factæ, respectu ipsius non sint, nisi eodem præsentissimo instanti; ita ut quâcunque ex omnibus sæculis hora oraveris, eodem omninò ores momento, quo ipsam judicat. Hoc respectu tui fit longo post tempore, sed ante & post nullo penes illum existunt loco; omnia actualiter sunt præsentia magno illi æternæ suæ cogitationis momento; Et hoc prodigium est æternæ cogitationis Dei, nobis omninò incomprehensibile.

Cogitatio Dei est viva.

Annecto alterum non minus stupendum prodigium: Et est, quod divina hæc cogitatio non solùm immensa sit in suâ magnitudine, æterna in suâ duratione, sed etiam viva, imò tota vita, & quidquid in ipsâ est, sit vita. Sic hâc de re nobis Sanctum Evangelium loquitur: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Nam sicut videmus, quod architectus, qui formavit sibi in animo idæam pulchri alicujus

Joan. I.

cujus palatii, id in capite suo prius circumferat, quàm manibus suis exequatur; sed circumferat id totum spirituale, & totum vivum. Lapides, marmora, ligna, ferra & omnia alia pro materiâ structuræ inservientia, vivunt in intellectu architecti eâdem vitâ, quâ vivit architectus ipse, licet omnia illa nihil vitæ habeant in esse suo naturali: *Arca in opere non est vita, Arca in arte vita est*: ita etiam Verbum adorandum, per quod omnia facta sunt (nempè hæc ipsa adoranda Dei Cogitatio, de quâ hic loquimur) circumferebat in æternis suis idæis imaginem totius hujus Universi; Et hoc est, quod Theologi vocant mundum Exemplarem, tunc nimirùm omnia in ipso vita erant, omnes lapides ipsum componentes, vivebant propriâ ipsius vitâ; terra vita erat, & omnia Elementa vita erant: arbores, Cœli, animalia, saxa, homines, omnia erant vita in ipso, quia hæc erant viva ipsius idæa; Et hæc idæa non est aliud nisi Deus ipse, immensus vitarum omnium Oceanus: *In ipso vita erat.*

S. August. tract. 1. in Joan.

Sed quando pervenit ad pariendum id, quod conceperat & producendum foras, quod conceperat apud se intus, suum exequens consilium in Creatione mundi: omnia entia creata, dum ex hoc vitæ principio exiêrunt, perdiderunt quasi vitam hanc divinam, quam habuerant in Deo: Eo modo, quo architectus, quando foris exstruit palatium, quod in suis gerebat & circumferebat cogitationibus, tunc illud vita amplius non est; sed tribuit unicuique Creaturæ talem naturam, talémque perfectionis gradum, qualem voluerit, juxta locum magis vel minus nobilem, quem ipsi in ædificio suo designare placuerit. His non dat, nisi simplex esse, sicut Elementis; Aliis esse & vitam, sicut plantis: aliis esse vitam & sensus, sicut animalibus: aliis esse, vitam, sensus & rationem, sicut hominibus. Sed hæc omnia cùm semel exiverint ex idæis Dei, vel vivâ hâc Dei cogitatione, non amplius vivunt vitâ Dei.

Creaturæ velut abortus perdunt vitam, dum nascuntur.

Videbis, quid tulerint lucri omnes Creaturæ, dum ex angusto hoc idæarum Verbi æterni palatio exiêrunt: quamdiu in seipsis nihil fuerant, omnia fuerunt in Deo, quia erant Deus ipse: sed postquàm inseipsis aliquid esse cœperunt, quasi nihil amplius sunt, cum non sint nisi miserabiles Creaturæ, & tales, quæ vix umbram habeant tenuis alicujus perfectionis, in medio

medio infinitorum, eorumque ingentium defectuum, ita ut unico momento dixeris id parum, quod possident, boni; pluribus autem diebus non enarraveris, quid ipsis deficiat, quibúsque bonis careant.

Nihilominus nihil ex omnibus his, quæ ita ex idæis Dei per Creationem exiêrunt ad constituendum hunc mundum visibilem, unquam illuc revertetur, ut denuò vivat vitâ Dei, nisi anima nostra. Ipsi soli concessa est hæc prærogativa, quod exiêrit è vasto hoc omnium vitarum Oceano, velut parvulus rivulus vitam hanc mortalem circumfluxurus, ut sic fluendo redeat séque denuò æternaliter immergat in immensum hunc, unde exivit, Oceanum. Et videtur, quod Creator ipsius, dum eduxit illam juxta idæas suas è sinu nihili, applicaturus ipsam ad informationem Corporis humani, divinâ manu suâ attigerit illam, velut siquis tangeret magnete acum pyxidis nauticæ, ut nullum haberet unquam motum, nisi ad quærendum, ad indagandum ipsum. Hinc est, quod videamus ipsam semper agitari & perpetuò irrequietam esse ad inveniendum Divinum hunc Magnetem, supremum ac summum suum bonum, quo solo satiari potest, ita ut nihil unquam faciat juxta mentem Sancti Augustini, quod non dirigat ad quærendum Deum, adeóque nunquam solidâ frui possit quiete, quoad invenerit ipsum: *Irrequietum est Cor nostrum, donec requiescat in te.*

Nostra anima sola potest redire in Deum, ut vivat vitâ Dei.

Sed invanum quæsiissemus ipsum, nunquam potuissemus invenire hunc fontem vitæ, nisi ipse prius veniisset nos quærere, qui perditi eramus in regione umbræ mortis, ut doceret nos vias vitæ Exemplis ac Verbis suis, dicens nobis in Evangelio: Ego sum via, veritas & vita. Ille ipse est principium & origo vitæ adorandæ, unde exivimus, nos ad se revocans, nobísque demonstrans viam ad se redeundi. Sed quod admirabile est, & à paucis observatum, abscondere voluit vias vitæ sub specie & imagine mortis; & hinc est, quod plerísque mortalium, non nisi externam attendentes speciem, illas fugiant & summè abhorreant.

Deus abscondit nobis vias vitæ sub specie mortis.

Quando sacer Evangelicus codex nobis mysterioſa hæc verba annuntiat, loquens de Filio Dei: *Quod factum est, in ipso vita erat;* non solùm dicere voluit, quod omnia, quæ in æternis suis idæis conceperat, fuerint in ipso vita; sed intelligendus quoque est, quod omnia, quæ acciderunt in verbo mortali carne vestito, adeóque omnia, quæ circa personam ipsius tempo-

tempore crudelissimæ passionis facta sunt, fuerint vita, & etiamnum vita sint. Hinc est, quod omnia divina ipsius effata, quæ prudentiam nostram destruunt humanam, sint vita: hinc est, quod omnia ipsius Exempla, quæ nobis reliquit, paupertatis, humilitatis, patientiæ, quæ mortem nostris afferunt sensibus, sint vita; hinc est, quod ipsius persecutiones, ipsius dolores, ipsius Crux, clavi, spinæ, quæ nobis tam acerbæ videntur, sint vita, & ipsa mors ipsius vera sit vita; & nunquam, quidquid fecerimus, inveniemus vias vitæ reducentes nos ad Venerabile hoc vitarum omnium Principium, unde exivimus, nisi ambulemus per viam, quam ipsemet nobis signavit: quia ipse est *via & vita.*

Foveatur vita in Christo Jesu sub mortis simulacro.

O Anima mea, si vitam velis, ex hoc fonte potes illam haurire. Ah! si benè degustares Spiritum Christi JESU; si felicitatem tuam statueres in imitandis ipsius Exemplis; si amares omnia, quæ amat, Crucem, contemptum, paupertatem, separationem ab omnibus occupationibus vanis ac mundanis, unico verbo, si amares omnia, quæ in nobis extinguunt vitam veteris Adami: quantocyùs reperires vitam! Non incutiat nobis horrorem hæc mortis species, sub quâ abscondita hæc est vita: Nam hic quod apparenter facit mori, reipsâ tribuit vitam; quod affligit, consolatur; quod depauperat, locupletat; quod secundùm speciem nos reddit miseros, ipso effectu felices nos reddit ac beatos.

Sequamur duntaxat CHRISTUM JESUM divinum nostrum Exemplar, quàm poterimus instantissimè, in veniemus omnia, quæ in ipso sunt, veram vitam esse: *Quod factum est, in ipso vita erat.*

Ecce longam considerationem de Filio DEI, quâ aspeximus ipsum velut cogitationem in intellectu Patris conceptam. 1. Cogitationem immensam in sua magnitudine. 2. Cogitationem æternam in suâ duratione. 3. Cogitationem vivam, quæ vitam tribuit omni eo, quod ipsam concipit. Videamus jam illum velut Verbum pronuntiatum à Patre, ad declarandam magnam hanc Cogitationem.

ARGUMENTUM.

1. *Verbum humanum considerantem se in magnam rapit Admirationem.*
2. *Sed Verbum divinum omnem admirationem transcendit.*
3. *Pater eo Nomine nobis illud donat, ut dignè possimus cum ipso loqui.*

ARTICULUS III.

AGnatam nobis habemus hanc imbecillitatem, ut res in seipsis plurimùm stupendæ, nobis vilescant, si assuescant nobis esse frequentes & continuæ; id quod indies videmus, vix amplius dignamur nostris usurpare oculis. Non admiramur, intellectum concipere tot ac tantas res, ut benè omnes mundi Creaturas suo includeret capiti, quia hoc ipsi solemne est ac usitatum formare in momento idæam omnis ejus, quod voluerit: Non admiramur modum, quo dotatus est à creatore, pariendi per Verbum, quod cogitatione concepit, & aliis hâc ratione arcana cordis manifestandi, quia nihil usitatius nobis, nihil frequentius est quàm verba. Verùm res adeò stuporis & admirationis plena est, ut, si semel duntaxat contingeret in vitâ, quisquis videret, quisquis audiret, tanto prodigio, quod capere non posset, extra se raperetur.

Mirum prodigium verbi humani.

E medio mei ipsius protrudo vocem, quæ unde veniat, nescio; quâ ratione formetur, ignoro, cui dum certos attribuo tonos, certasque articulationes, alius qui nihil facit, qui manet in pace & silentio, novit illa, quæ meo concluso animo. Dico ipsi, vidisse me pratum floribus ornatum, torrentem è vertice montis præcipitem actum, regionem denso ac conferto nemore instructam, civitatem totam è palatiis marmoreis compositam: Et ubi primùm ex ore meo prodit pratum, torrens, nemus, Civitas, quæ dum per aërem volant, & aures ejus intrant, & exinde in ipsius intellectum; in instanti, quo loquor, omnia, quæ in meo habueram intellectu, transmigrant in intellectum ipsius, & se ibi depingunt. Quis illicò produxit hæc omnia in uno intellectu? Et quis tam celeriter illa transtulit in alterum? quà transierunt? quis transtulit? quis transire, quis transferri vidit?

Sed quod mirabilius est, non nisi unicam conceperam cogitationem; non nisi unicum protuleram verbum, quando dixi, verbi gratia, aliquod pratum. Et si mille sint, qui me audiant,

Ecce

Ecce tibi quantocyùs mille prata, quæ trajicio in ipsorum intellectum. Non habebam nisi unicum in meo intellectu, quod involveram verbo aliquo sensibili, quod dum pronuntiavi, projeci in aërem; Et ecce in instanti totum replet aërem undequáque diffusum prato, quod producit in omnibus auribus ad id recipiendum dispositis, abs eo, quid quisquam ex illo quid videat, aut constet, quas adhibuerit machinas ad tantum conficiendum opus, in cujus productione tamen tantæ est promptitudinis, ut in momento propè & id inceperit & confecerit. Sermonem prosequor & successivè nomino omnes milites alicujus exercitùs ad triginta millia hominum, quos omnes volare facio per aërem, abs eo, quod videantur, illosque millies multiplico in auribus & intellectu mille personarum me audientium. Quis hoc prodigio non raperetur extra se, nisi tam usitatum esset, ut ne quidem occurrat animo aliquam desuper faciendi reflexionem.

Elevatio mentis ad Deum circa prodigium verbi humani.

O Omnipotens creator mundi, quàm es admirabilis in minimis tuis operibus! quanta altitudo sapientiæ tuæ! O magne mirabilium omnium artifex, qui omnia hæc noveras, hâc disponere ratione! Tu inclusisti Spiritum immortalem corpori mortali, dum hominum cuilibet animam dedisti rationalem. Et ut animæ hæ facili inter se frui possent commercio, porrexisti illis admirabilem hunc modum, cogitationes spirituales, quas intus conceperint in animo, vestiendi quâdam corporum formâ, vel saltem corporali aliqua qualitate, vocibus nimirùm sensibilibus illas involvendo, ut quocunque voluerint, transferre ipsas possint, ubi denuò fiant spirituales, suisque iterum exuantur corporibus, dum in aliam commeant animam rationalem. Et hæc nemini pariunt admirationem, quia tam usu recepta sunt, ut nullus illa consideret, ad admirandam & extollendam in his excellentiam & magnitudinem Dei.

Prodigium intellectûs secum ipso loquentis.

Quando nobiscum ipsis interius loquimur, & propriis nostris cogitationibus in colloquii morem nos distinemus; Verba nostra sunt tota spiritualia, quia Spiritus est, qui loquitur spiritui. Et hoc alteri magno accensendum est prodigio, quod similiter non agnoscitur: nempè, quod aliquis Spiritus loquatur, sibi ipsi, secumq; colloquiũ, congressum ac consuetudinẽ instituat, haud aliter ac si duo ipsorum

numerarentur; Ille, qui loquitur, & alter, qui auscultat. Si unicus duntaxat est Spiritus, quid dicere sibi potest, nisi quod jam novit? Et si novit, quâ voluptate perfunditur, secum ipso fundendo sermonem, ac si aliquid addisceret ab aliquo, quod nondum novit? Et nihilominus reperies plurimos, quibus omnis alius congressus parit fastidium, quibusque major delectatio, voluptásque solidior solitudine non est: ut in hâc constituti majori cum libertate interius secum ipsis possint conversari. Ah! quàm verum est, quamq; luculenter hoc unicum nobis ostendit, animas nostras esse factas ad similitudinem Dei?

Prodigium intellectûs Dei sibimetipsis loquentis.

Deus purus est Spiritus, & summa adorandi hujus Spiritûs voluptas est, loqui sibi ipsi & secum ipso distineri in profundo divinitatis suæ penetrali. Ah! quid sibi ipsi dicere potest, nisi quod jam novit? Et si omne jam novit, quod sibi dicit, quomodò infinitam invenit voluptatem ab æterno dicendo sibi id, quod tam benè novit, cum novi omninò nihil exinde addiscat? Etiam nos voluptate fruimur, inveniendo abs intermissione res novas, quas nobis ipsis recensemus, dum nobiscum interius loquimur. Sed Deus nihil de novo addiscit, nec dicit aliquid, nisi quod ab æterno dixit, & dicet in æternum. Nos dicimus plura verba, nos concipimus plures cogitationes, sicque nobiscum ipsis instituimus plura diversa colloquia ac congressus, quibus animum relaxemus: Sed Deus non concipit, nisi unicam cogitationem, nec sibi dicit nisi unicum verbum, quod post se non trahit longam colloquiorum seriem, sed consistit in unico tantùm puncto, infinito modo simplici, & infinito modo indivisibili.

Deus solus loquitur quod cogitat.

O Prodigium hujus verbi, quod Deus solus pronuntiare, Deusque solus potest intellegere! Nos in infinitum multiplicamus cogitationes nostras, & ut unicam cogitationum nostrarum enuntiemus, indigemus pluribus verbis: Non facilè invenias os, quod par sit parere per verba omnes cogitationes, quas conceperat intellectus; harum partem plurimam suffocari necesse est in sinu, in quo conceptæ sunt; Cùm nemo sit, qui omnia dicat, quæ cogitat, Non nisi Deus solus dicit omnia, quæ cogitat; nam ipse solus non nisi unicam concipit cogitationem, & ipse solus non dicit nisi unicum verbum, quod perfectissimè exprimit omnem cogitationem ipsius; non dicit hanc nisi sibi ipsi, & ipse solus hanc intelligit,

telligit, & nemo illi potest respondere. Quid diceres de aliquo verbo, quod ita simplex foret, ut etiam non constaret ex pluribus syllabis, nihilominus distinctissimè exprimeret id, quod exaratum est in omnibus bibliothecis, & clarè enuntiaret omnia, quæ omnes homines dixerant ab Adam & dicent usque ad ultimum posterorum suorum? Nonne videtur tibi prodigiosum omninò hoc fore Verbum; nihilominus hoc nihil esset, si in comparationem veniret cum verbo Dei Patris, quod distinctissimè ipsi exprimit omnia, quæ Deus scire & comprehendere potest totâ infinitæ suæ sapientiæ latitudine.

Deus mittens nobis verbum suum, inducit illud rebus sensibilibus.

Quamdiu Deus non loquebatur, nisi sibi ipsi interius, divinum ipsius verbum purè erat spirituale, omnimodè inclusum in sinu ipsius; & nemo præter ipsum noverat, nec quid cogitaret, nec quid diceret sibi ipsi. Sed quando patefacere nobis voluit arcana cordis sui, nobisque qui corporales sumus, suum ablegare verbum, induere ac vestire illud debuit re quâdem sensibili, ut se nostræ accommodaret agendi formæ, rationi, instituto; Et quantocyùs circumcinxit illud carne nostrâ mortali, nostrisque exposuit oculis; Dum nempè in mysterio Incarnationis *Verbum Caro Factum Est*; post hæc etiam obtexit illud sub voce sensu perceptibili, & verbis, quæ nostris haud essent absimilia, ut in prædicatione nobis liceret percipere auribus; sicque etiam dicimus: Audivi Verbum Dei: Et iterum abscondit illud sub speciebus panis, ut id præberet nobis ad manducandum, sicut in Mysterio Sacro sanctæ Eucharistiæ: Et hoc ubivis est idem Verbum, quod ex ardentissimo se nobiscum conjungendi, nósque seipso satiandi ac replendi, sicut & portandi ad penetralia cordis nostri illa prodigia, quæ annuntiat cordi divini patris sui desiderio, diversis se vestit & contegit modis, ut sic per plures quasi januas sibi ad nos introitum paret, per os, per oculos, per aures. Sed ultra hoc, loquitur etiam nobis sæpius interius ad cordis aures per divinas gratiarum suarum inspirationes.

O Verbum adorandum, quod induere voluisti amictum ex carne, ut visibilem te redderes oculis carnis nostræ. O divinum Verbum Patris, quod cum ipso ab æterno loquens de ineffabilibus ipsius Excellentiis, te nobis reddere voluisti manifestum, ut de iisdem loqui nobis posses, ac eorundem quoque nobis communicare noti-

tiam ! Ah instrue nos ! fac nos cognoscere bonitates tuas.

Loquere fortitèr ad corda nostra, ut audiant te & firmiter credant, persuasumque habeant, quidquid dixeris illis : *Sonet vox tuæ in Auribus meis.*

Cant. 2.

O Verbum admirabile, quod exhauris omnia verba ex ore hominum, dum verba de te facere intendunt. O Verbum magnum, quod tam perfectè exprimis omnem infinitudinem infinitarum cogitationum Dei Patris tui ! quæ vel Angelorum vel hominum lingua de te loqui posset ? Venerabundo, admirationis & stuporis pleno adoro & revereor te silentio.

Ah ! non comprehendo te, sed comprehende me tu ipse, absorbe me, & feliciter submerge ac tumula me in profundis abyssis tuis, ut inde nunquam amplius mihi liceat exire. Aufer à me omnia verba humana, cumprimis quæ vana sunt & inutilia, & tu solummodò sis omne verbum meum.

Loqui possumus cum Deo per proprium ipsius verbum ad hoc ab eo datum, 1. Pet. 4.

Optarem hìc bene intelligere id, quod dicit nobis Sanctus Apostolus Petrus : *Si quis loquitur quasi sermones Dei.* Quando nos loquimur cum Deo, necesse est ipsum loqui proprium suum idioma. Non habet is, nisi unicum solum Verbum divinum, & aliud idioma non callet. O Consolatio animæ Christianæ. Non eramus idonei loqui cum Deo, nescientes, quo idiomate ipsi loquendum fuerat, ut nos intelligeret ; sed tantâ erga nos usus est bonitate, ut proprium suum nobis verbum donaverit, idipsum verbum, quod sibi ipsi æternaliter loquitur, quodque omnes ipsius enuntiat & manifestat Excellentias : Divinum hoc verbum voluit, ut nostrum fieret, & nostrum reipsâ esset, illoque uti possemus velut re ad nos pertinente. O quàm dignè ergo mihi jam licet loqui cum DEO per hoc verbum ! dicam ergò cum Regio vate : *Eructavit Cor meum Verbum bonum.* Si Verbum adorandum, quod dedit mihi Pater, regnet in corde meo, non amplius loquar DEO nisi per ipsum, dicamque ipsi :

Psal. 44.

Quomodo loqui debeamus Deo, per proprium ipsius verbum.

Mi DEUS ! Ignotæ mihi sunt infinitæ excellentiæ ac perfectiones tuæ, nec illas deprædicare sat possum Carmine laudis, adorationis & gratiarum actionis ; sed Verbum tuum, quod est meum (quia illud mihi donâsti) cognoscit illas perfectissimè. Est igitur mihi animus tibi dicere per illud ea omnia, quæ tibi id dicit de gloriâ tuâ, magnitudine tuâ, excellentiis tuis.

tuis. Id tibi has dicit in corde tuo absque submissione & absque adoratione, quia tibi æquale est; Sed tibi has dicit in corde meo, & in nomine cordis mei, profundissimâ cum Reverentiâ, & humillimâ cum submissione, quæ tibi debetur à miserrimâ tuâ Creaturâ. Dignè tibi loqui non possum de amore infinito, qui tibi debetur, quemque tibi reddere summè vellem, cùm me lateat, quantum sis amabilis. Sed Verbum tuum adorandum, quod est verbum cordis mei, novit hæc omnia, & illa mirificè tibi exhibet: Vota ergò mea sunt ea omnia tibi dicere, quæ desuper id tibi dicit & loquitur. Scio id infinito modo amare te, sicut infinito modo tu amas illud. Cùm igitur id meum sit, concessum mihi fuerit eo uti, velut re mihi propriâ, ut tibi dicam in illo & per illud, quod tibi dicere non possum ex me ipso.

Non intelligo ea omnia, quæ tibi id dicit, cùm hæc infinito modo excedant captum meum; Consentio tamen in omnia, quæ tibi dicit, & unicum meum est desiderium, ut illa prodeant & proficiscantur è visceribus cordis mei, liceatque mihi dicere cum Vate Regio: *Eructavit Cor meum Verbum bonum.* O quanta mihi est consolatio firmiter imprimere animo meo amabilissimam & suavissimam hanc cogitationem, quamque mihi volupè sæpius hæc dicere Verba: *Eructat Cor meum Verbum bonum*; cum sanctâ hâc intentione, dicendi Deo omnia, quæ dicit ipsi adorandum illius Verbum, quod factum est meum dono ipsius munificentissimo, quo me voluit honorare.

Postquam admirati sumus excellentias Filii Dei, considerando ipsum velut cogitationem & Verbum Divini Patris sui, Sanctus Joannes, qui in hâc consuetutione nobis dux est, eundem nobis proponit velut brachium & fortitudinem Dei, dum dicit nobis: Omnia per ipsum facta sunt. Hoc non minori consideratione dignum est.

ARGU-

ARGUMENTUM.

1. *Nihil tam est debile, quàm Verbum hominis.*
2. *Sed Verbum Dei est omnipotens.*
3. *Nonnisi erga cor hominis impotens esse videtur.*

ARTICULUS IV.

Verbum humanum effari res, sed non efficere potest,

EX parte hominum longè aliud est dicere, & aliud facere: Nam licet verbum hominis admirabilem habeat virtutem transferendi idæam omnium Entium in intellectu suo conceptam, & reproducendi illam in intellectu aliorum: Verum tamen est, illud esse tam impotens ad producendas res illas, quarum idæam significat, ut, si congregaveris omnes in mundo homines, ad constituendum ex iis exercitum potentissimum, qui par foret evertendis urbibus & transportandis montibus: Si nonnisi solum adhiberent verbum, totus ac integer hic exercitus tantæ foret debilitatis, ut, quando omnes loquerentur simul, & ex totis viribus suis per integrum clamarent & vociferarentur annum, loquendo producere non possent vel unicum herbæ caulículum in terrâ, vel culicem in aëre: quin imò loquendo duntaxat transferre non possent minimum arenæ granulum ex hoc in locum alterum. Ratio est, quod verba non sint data nec concessa homini, ut per illa res efficiat, sed illas dicat, sicut manus ipsi datæ sunt ad faciendum, non ad dicendum.

Dicere & facere apud Deum est idem,

Sed Verbum divinum tam admirandum est in suâ potentiâ, ut respectu Dei dicere, non nisi eadem sit res. Verbum ipsius non differt à manu ipsius, & manus ipsius non differt à Verbo ipsius. Ille dixit, ut fiat lux, & illicò facta est; ille dixit, ut fiat firmamentum, & connuò factum est. Et quod melius resplendere facit patientiam hujus verbi infinitam, illud est, quod faciat omnia ex nihilo, abs eo, quod illi stent vel minimo, abs eo, quod vel minimâ utatur machinâ ad opus suum conficiendum, illud est, quod appenderit super nihilum immensam hanc mundi molem; quod denique, sicut omnia produxit è nihilo, ita denuò in nihilum redigere possit, abs ullo alio labore, nisi quod suam suspendat virtutem ac desinat ipsa conservare. O admirabilem potentiam divini verbi? Uti potentiam huic simílem reperias?

Mirabilis potentia Verbi divini.

Veruntamen nondum his concluditur limitibus. Ipsa tam stupen-

stupenda est, ut Deus unicum Verbum dicendo producere potuisset centies millenos alios mundos, hoc jam producto longè pulchriores & pretiosiores illósque ita disponere, ut secundus tantundem superâsset hunc primum in magnitudine, pulchritudine, & omnibus aliis perfectionibus, quantum his superat arenæ granulum. Perpende benè comparationem inter utrumque, & imaginare tibi, si potes, quantæ hic secundus foret magnitudinis. Et cùm tertius transcenderet tantundem secundum, quantùm hic transcendisset primum: consequenter quartus præcelleret tantùm tertio, quantùm hic præcelluisset secundo; Et iterum quintus antundem excelleret in magnitudine, in divitiis, in prærogativis quartum, & sextus quintum; Et sic deinceps usque ad centesimum, usque ad millesimum, usque ad centies millesimum. Reduc in mentem consideratè & perpende omnes hosce mundos, unum post alterum, & allabora illorum dimetiri inter se proportionem: quis intellectus imaginari sibi poterit magnitudinem, pulchritudinem, & incomparabilem excellentiam ultimi ac extremi? Et nihilominus omnia hæc non pluris illi stetissent, nisi verbo unico: *Ipse dixit & facta sunt.* O admirabilem potentiam Verbi divini, quis te comprehendere posset!

Ps. 148.

Si quæras; unde desumeret materiam pro exstruendis tot tamq; amplis mundorum ædificiis? responderem tibi: Illos omnes produceret è nihilo, haud aliter, quàm primum; sed quod indigeret sæculis ad illos conficiendos & in ordinem redigendos? responderem tibi: Non nisi unico uteretur momento: quanto artificum numero haberet opus ad illos tantillo tempore absolvendos; responderem: Unico oris sui verbo hæc omnia conficeret. Sed tandem ubi inveniret tantum spatii, quo collocaret tam prodigiosæ magnitudinis massas, ita ut una foret extra alteram? responderem tibi: Ipsi immensæ latitudinis sunt spatia extra res omnes creatas, in quibus omnes hos mundos collocaret, qui non plus ex illis occuparent, quàm unus ex universo aëre occupat atomus. O Deus! quàm incomprehensibilis est ergò Divini hujus verbi potentia! O quàm verè ipsum est fortitudo & brachium omnipotentis Dei!

Divitiæ Verbi divini omnibus prospicientis.

Et tamen hæc omnia ne minimam quidem illius partem ostendunt: Nam postquàm hæc omnia produxisset, tantos adhuc alios mundos novos creare posset, quot particulares in his omnibus haberet creaturas, disponendo illos in eodem [illegible]

Intellectus humanus absorbetur consideratione potentiæ verbi æterni.

litatis ordine, sicut præcedentis; Et iterum è sinu nihili progignere tot alios adhuc majores, quot particulis se componentibus constarent hi postremi, sicque continuare in singulas integri sæculi horas, quin & momenta. Intellectus confunditur, seque perdit in hisce abyssis, & confitetur, omnem suam vim esse imparem ad concipiendam minimam infinitæ potentiæ partem, quâ viget & valet verbum Patris. O si omnes hi mundi per potentiam tuam reipsâ fuissent producti, optarem O Verbum divinum, ut nonnisi ex linguis laudes tuas resonantibus fuissent compositi; optarem, ut omnes fuissent tot corda decumana, vehementissimè amore tuo succensa; optarem, ut linguæ hæ & corda hæc in meâ fuissent potestate; Et promptissimè fuissem confessus, nihil adhuc me habere, quo possem te laudare, quo possem te amare juxta debitú meum, juxta desiderium meum, Eheu! quod dici possit, me habere nonnisi unicam linguam, nonnisi unicum cor, quæ sunt, quasi non sint; Et hæc non impendam, saltem sine ulla exceptione, ad te laudandum, ad te amandum perpetuò!

Deus potest includere centies mille

Adjicio hic alterum adhuc prodigium, apparenter magis adhuc stupendum omnibus his hucusque enumeratis ad declarandam majori cum stupore infinitam verbi divini potentiam: Et est hoc, quod, posito, omnes innumerabiles hos immensæ magnitudinis mundos reipsâ fuisse creatos, ipsi ab illo includi potuerint, abs eo, quod se invicem comprimerent, in unico parvo arenæ granulo. Quis intellectus non obstupescet, non obtenebrescet, non quasi hebescet & attonitus hærebit, ad propositionem tam inauditam, inusitatam, parodoxam? Et quis non dicet continuò, absque reflexione desuper factâ: Hoc absolutè est impossibile? Sed nonne hujus prodigii specimem habemus ante oculos, dum integrum & adorandum corpus suum, sub minimâ sacro sanctæ hostiæ includit particulâ? quis dubitat, quin æquè facilè includere hic posset mundum universum? Et si includere potest unum, potest etiam includere centum alios, & centies millenos alios, si velit, illis auferens quantitatem suam externam, sicut abstulit corpori suo adorando in sanctissimo Sacramento; nihil enim est illi impossibile. Sed Majestas omnipotentiæ ejus nobis est incomprehensibilis, & multò minora minimo sabuli grano sunt ingenia nostra ad complectendas omnes ipsius excellentias.

mundos in grano arenæ.

Cor humanum solum

Quis ergo resistere poterit infinitæ

resistit potentiæ verbi Dei.

finitæ verbi hujus potentiæ? Nihil est ex totâ omnium entium, sive actualium, sive possibilium latitudine, nisi cor obstinatum, nolens se dedere Deo suo. Vocat ipse creaturas omnes ex abysso nihili, & mox obediunt ei; Et si vocare adhuc vellet centies millenos alios mundos, mox quóque obtemperarent. Vocat autem & ipse hocce cor ex iniquitatum suarum abysso, & non obedit; vocat illud centies, & centies surdo cantatur fabula; diceret libenter, quod populus ille rebellis dicebat Moysi: Loquere tu nobis, qui homo es nobis similis; sed conticesce Verbum divinum, non loquere nobis: *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Si audiam te mihi dicentem, relinquenda fore omnia, ut sequar te, necesse mihi erit mori mundo; Et ego sic mori nolo. Si audiam te mihi denuntiantem, quod oporteat agere pœnitentiam, vel perire æternum; quod oporteat contendere, ut intremus per angustam portam, & multi sint, qui quærent intrare, & non poterunt: moriendum mihi erit voluptatibus meis, ac seria mihi agenda pœnitentia; Et ego sic mihi ipsi mori nolo. Ne loquere mihi tam alta, o Verbum divinum, nam sic me mori facies; Et ego semper vivere malo in vitâ meâ mundanâ & in omnibus satisfacere propensionibus sensuum meorum.

Quid est hoc, mi Deus? Unicum verborum tuorum vim habuit educendi è nihilo tot creaturas: tanto jam tempore mihi loqueris, & ego semper contabesco in meis miseriis. Nonne sum creatura tua? Virtus tua, o Verbum divinum Dei mei, jam extraxit me olim è quodam nihilo, cur ergò relinques me in alio multò magis miserabili, nihilo scilicet peccatorum meorum? loquere Domine, & fac me obedire tibi non obstante repugnantiâ meâ; ne attendas libertatem, quam dedisti mihi; Ecce illam tibi restituo, ne resistere amplius tibi liceat, meque rebellem exhibere adversum te. Loquere mihi, sicut locutus es nihilo, & eâdem ratione fac tibi me obsequi; loquere, Domine, quia audit servus tuus; sed loquere fortitèr ad aures, cordis mei; scio namque id magis durum, magis surdum, magisque insensibile esse petrâ; sed loquere ad petram hanc, & dabit tibi aquas, aquas lacrymarum obedientiæ suæ tesseras.

Quod si resistat, mox percute ipsam binis vel trinis vicibus paternarum castigationum tuarum virgâ; sed neque requiem neque inducias illi concede, quo ad tibi cesserit ac præstiterit obedientiam. O Verbum adorandum

Patris! O omnipotens Verbum Dei mei, à quo habeo, quod sum; perfice opus tuum, move fortiter, trahe efficaciter, flecte penitus cor hoc, quod dedisti mihi; & triumpha de eo per validos gratiarum tuarum motus, quibus cor, quantumvis durissimum, non resistat, cùm hæ concessæ sint ipsi ad tollendam ipsius duritiem, & flectendam rebellem ipsius voluntatem, tuæque conformandam. Ah ita fac! ut perpetuò laudem & adorem Majestatem verbi æterni velut cogitationem, velut verbum, velut fortitudinem infinitam divini Patris sui. Amen.

Consultatio IX.

De Spiritu Sancto.

SI assistere cupias Consultationi pulcherrimæ, quæ unquam instituta sit in mundo, circa adorandam Spiritûs Sancti personam, aperi Evangelium Sancti Joannis capite tertio, & audies ipsum Christum Jesum, de magno hoc argumento agentem cum Nicodemo, modo tam profundo, tam sublimi, tam admirabili, ut, si benè comprehendere possemus id, quod ipsi in divino hoc enuntiavit colloquio, plura sciremus de hoc, quàm omnes mundi Theologi nos possent edocere. Joan. 3.

Omnia oracula per os æternæ hujus sapientiæ pronunciata, adoranda sunt & stupenda; quod tamen nobis enarrat de Spiritu Sancto, habet nescio quid tam dulce, ut impossibile sit id auribus haurire, quin ineffabilem cor hauriat dulcorem, quo colliqueſcat: siquidem hic nobis loquitur ex abundantiâ cordis sui; loquitur nobis de Spiritu Sancto per ipsummet Spiritum Sanctum: Verum enim est, Spiritum Sanctum inhabitare cor ipsius, id est, divinam ipsius voluntatem, quæ origo est, unde procedit, & centrum, ubi quiescit. Ex voluntate hâc divinâ, in quâ ab æterno habitat, communicatus est modo quodam nobis incomprehensibili, voluntati humanæ Salvatoris in mysterio Incarnationis: Exinde diffundebat gratiam in labia ejus tantâ cum abundantiâ, ut omnia, quæ dicebat, fuerint verba vitæ æternæ: *Verba vitæ æternæ habes.* Audiamus cum reverentiâ admirabilem instructionem, quam dat Nicodemo, & fiamus cum ipso Discipuli divinæ hujus sapientiæ. Haud poterit Spiritus Sanctus loquebatur per os Christi Jesu. Joan. 6.

terit fieri, quin intellectus noster totus sit illuminandus divinâ cognitione, & sacris Spiritûs Sancti flammis accendendum cor nostrum.

Nicodemus venit ad ipsum nocte (nec mirum est, quod venerat quærere lucem, quia in tenebris erat) & magnâ cum reverentiâ Ave ipsi dicto; Domine, inquit, scimus, quia à Deo venisti Magister, nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo. JESUS CHRISTUS respondit illi: Nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre Regnum Dei. Ah! quomodò potero hoc facere, respondit Nicodemus, cùm sim senex; nunquid potero in ventrem matris meæ iteratò introire & ibi renasci?

Theologia Christi Jesu concernens Spiritum Sanctum,

CHRISTUS JESUS compassionis affectu aspiciens profundæ ignorantiæ tenebras, quibus ipsius animus offundebatur, ut lumen ibi reaccenderet, explanavit ipsi rem clarius, dicendo: Oportet te renasci ex aquâ & Spiritu Sancto, aliàs non potes introire in Regnum DEI: Non loquor tibi de aliqua nativitate carnali aut naturali, quæ jam dudum extraxit te è sinu matris tuæ; sed oportet te renasci vitæ prorsus alteri, vitæ spirituali & omninò divinæ, quam obtinere non potes, nisi à Spiritu Sancto: Nam sicut, quod natum est ex carne, caro est, sic quod natum est ex Spiritu, Spiritus est. Et exin declarat illi profundam hanc Theologiam, quæ paucis verbis complectitur omnia, quæcunque sublimia dici possunt de personâ Spiritûs Sancti. *Spiritus ubi vult spirat; sed nescis, unde veniat, aut quò vadat.*

In paucis hisce verbis, si benè intelligantur, continentur omnia, quæ scitu necessaria sunt de tertiâ Personâ adorandæ Trinitatis, & reducuntur ad quatuor puncta. 1. Ipsius Essentia, quæ nobis detegitur in ipsius Nomine, *Spiritus*; Spiritus Sanctus. 2. Ipsius principium aut origo, quæ nobis designatur per verba hæc, *unde veniat*. 3. Missionis ipsius terminus, qui nobis denotatur per hæc alia verba, *quò vadat*. 4. Deniq; admirabiles effectus, quos producit in animâ, ubi recipitur, qui significantur per hæc verba, *ubi vult, spirat*. Credendum est, Christum Jesum, omnia hæc sublimia Mysteria Nicodemo explicâsse: Nam licet Evangelium nonnisi pauca hæc verba, ipsi exterius solummodò dicta commemoret, dubitari tamen non potest, quin magna valdè interius acceperit lumina, & totus illustratus rediêrit ex admirabili hâc consultatione, quam habuit

buit cum illo, qui verum est lumen illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.

Assume hic personam novi hujus Discipuli, & sacra Theologia, quæ felix depositaria est luminum, ac fidelis interpres dogmatum Christi JESU, loquatur tibi pro eo. Illa docebit amabiles, quas desuper intelligere & cognoscere poteris Veritates, quod hujus consultationis, te inter & ipsam, erit argumentum: Quidquid nôsse voluerit, ipsam interroga, & docebit te omnia; Nam sicut Philosophiæ congruit instruere homines in omnibus rebus naturalibus, sic Theologiæ institutum est, eos docere omnia, quæ capere poterunt circa res divinas ac supernaturales.

ARGUMENTUM.

1. *Quare tertia Persona adorandæ Trinitatis vocetur Spiritus Sanctus.*
2. *Qualis idæa formari debeat de hâc Personâ, ad distinguendum illam à duabus aliis.*
3. *Ipsa est donum pretiosum nos locupletans in æternum.*

Articulus I.

ANte omnia libenter scirem, quam ob rem tertia Persona adorandæ *Trinitatis* nuncupetur *Spiritus Sanctus*, potius quàm prima aut secunda. Nonne Pater est purus Spiritus, & est infinito modo Sanctus? Nonne & Filius similiter est Spiritus infinito modo Sanctus? Undè ergò venit, quod non nisi Tertia Persona, per antonomasiam appelletur Spiritus Sanctus? Estne, quod habeat aliquam Sanctitatem particularem, quam non habeant aliæ Personæ divinæ.

Tres pulchræ rationes, cur tertia Persona Trinitatis vocetur Spiritus Sanctus.

Non, respondet tibi Theologia, non habet nisi unam eandemque divinitatem, unam eandemque Sanctitatem, cum Patre & Filio: ambo sunt æquè puri Spiritus, & sunt Spiritus infinito modo Sancti, sicut ipse; Et tamen non ipsi, sed Tertia tantummodò Persona insignitur augusto hoc Nomine Spiritûs Sancti: Et hoc ob tres præcipuas rationes: Prima est, quod ipse sit solus, qui producitur per modum spirationis, id est, quod ipse solus sit amorosum suspirium Voluntatis Patris ac Filii; hinc videmus in Evangelio, Christum Jesum, quando primâ vice Apostolis dedit Spiritum Sanctum, insufflâsse super eos, illisque dixisse: Accipite Spiritum Sanctum;

ctum; ad innuendum illis, quod amorosum hoc voluntatis suæ suspirium ipsis communicando, quasi cor suum in ipsos voluerit effundere. Secunda ratio est, quia ipsi specialiter attribuitur justificatio peccatorum: Jam hæc justificatio duo secum affert; primum, ex carnalibus facit spirituales, ex sceleratis facit sanctos; Hinc Auctor tam pulchri operis appellatur Spiritus Sanctus. Et tertia & quidem præcipua ratio est, quandoquidem duæ aliæ, personæ divinæ habent specialia sua nomina Patris & Filii, non nisi ipsis solis convenientia, quibus à se invicem distinguantur & cognoscantur; Tertia autem Persona cum aliud particulare nomen non habeat, quo ab aliis distinguatur, portat nomen, quod proprium est Deo, quod est esse Spiritum Sanctum. Et ut ipsi approprietur hoc nomen, ita ut nulli alteri Personæ conveniat, fit quasi ex duobus non nisi unum Verbum, & dicitur Spiritus Sanctus: per quod verbum intelligimus non nisi Tertiam Personam sanctissimæ *Trinitatis*. Sic benè dici potest, quod Pater sit Sanctus Spiritus; sed non est Spiritus Sanctus; similiter & Filius Sanctus Spiritus, sed non est Spiritus Sanctus.

Sed quam idæam formare mihi possum de Spiritu Sancto, quæ distinguat mihi ipsum à Patre & Filio? Nam Pater est totus Spiritus, & Filius est totus Spiritus; Pater est totus Sanctus, & Filius est totus Sanctus: Et quando concipio Sanctum Spiritum, aliud non concipio, nisi Patrem & Filium; Aliud nihil est in Deo, nisi solus ipsorum Spiritus, nec alia Sanctitas, quàm ipsorum sanctitas. Quâ ratione igitur concipiam in divinitate Spiritum Sanctum, qui non sit Pater nec Filius?

Quomodo concipi possit Spiritus Sanctus distinctus à cæteris personis divinis.

Non est difficile captu, respondet tibi Theologia, quod sicut Pater æternus contemplando suam essentiam & perfectiones suas infinitas; Exin sibi formal perfectam imaginem, cognitionis suæ terminum ac Filium suum unigenitum; ita Pater & Filius amando pulchritudinem suam & Bonitatem suam infinitam amore reciproco & amore infinito, producunt terminum amoris sui, quem nos appellamus Spiritum Sanctum; Cùm voluntas non minus potens sit, quàm intellectus, & amor non minus fœcundus, quàm cognitio. Facilè quoque captu est, quod sicut Filius, qui est terminus cognitionis Patris, est Persona realiter à Patre distincta, cùm impossibile sit, quod producens & productus non sint, nisi una eademque Persona; sic etiam Spiritus Sanctus, qui est termi-

terminus amoris Patris & Filij, sit Persona realiter distincta à Patre & Filio, cùm possibile non sit, has duas Personas unam tertiam producentes, non esse nisi unam eandémq; Personam cum illâ: Iterum pronum est intelligere, quod sicut Pater & Filius, licet duæ personæ realiter distinctæ, non tamen sunt nisi unus idemque Deus, eò quod tota divinitas Patris communicata sit Filio, absque ullâ vel divisione, vel multiplicatione ejusdem; sic etiam Pater & Filius & Spiritus Sanctus, licet tres personæ realiter distinctæ, non tamen sint, nisi unus & idem Deus, eò quod tota divinitas Patris & Filii communicata sit Spiritui Sancto, abs eo, quod fuerit vel divisa vel multiplicata. Ecce tibi ergò veram ideam, quam formare tibi potes de Spiritu Sancto, quæ ipsum tibi perfectè distinguat à Patre & Filio.

Cur Spiritus Sanctus appelletur Filius Dei.

Potest tibi desuper oriri nova difficultas. Si Spiritus Sanctus productus est ex propriâ substantiâ Dei tam benè, quàm Filius, estque æqualis in naturâ, imò potius ejusdem naturæ cum Patre & Filio, qui se producunt, quare ergò non est Filius Patris & Filii? Quid enim aliud requiritur ad habendum Filium, nisi producere sibi similem in naturâ? Magna certè videtur difficultas; sed Theologia respondet tibi, hoc ideò esse, quia Filius producitur per intellectum Patris, & Spiritus Sanctus per voluntatem Patris & Filii. Jam non propriè congruit, nisi intellectui formare conceptus suos similes objecto, quod cognoscit; hinc id, quod producit, gerit meritò Nomen Filij, quia gerit similitudinem principii se producentis, dum nascitur ex ipso. Dum Pater æternus producit verbum suum per contemplationem propriæ suæ essentiæ, impossibile est, ut hoc illi simile non sit in essentiâ & naturâ; impossibile ergò est, ut non sit ipsius Filius: Sed voluntas non ita operatur, ipsa non concipit sicut intellectus; potestque ratione quâdam dici, ipsam gignere, abs eo, quod concipiat; cùm aliud non faciat, nisi quod se amando effundat erga objectum, quod amat: hinc est, quod terminus à se productus non gerat Nomen Filii, quia sic ex ipsâ nascendo non gerit similitudinem sui Principii.

Spiritus Sanctus non amat, nec amatur in divinitate.

Cùm igitur Spiritus Sanctus non sit Filius in Divinitate, non vocat Deum Patrem suum, quantumvis esse suum à Deo recipiat. Mirabilius est, quod cùm ipse sit terminus amoris Patris & Filii, reverà tamen non ametur à Patre & Filio, id est, non sit objectum amoris Patris & Filii,

sed

sed sit amor ipse. Potest etiam dici, quod non minus mirabile est, quod ipse non amet Patrem & Filium, id est, quod ipse non sit principium producens amorem, sed sit terminus productus; sed Pater & Filius est, qui producunt amorem infinitum, sèque amant per Spiritum Sanctum. Sic ipse non amat, quia non est principium, quod amat; non amatur, quia non est objectum amoris. Quantum hoc dictu prodigium, quod Spiritus Sanctus sit amor infinitus, qui non amet, nec ametur in divinitate? Et Sanctus Thomas vetat dicere, quod Pater & Filius ament Spiritum Sanctum, sed benè reciprocè se ament per Spiritum Sanctum. *Non amant Spiritum Sanctum, sed amant se Spiritu Sancto.*

Spiritus Sanctus facit in nobis quod facere non potest in Deo.

Nihilominus hic amoris Spiritus, qui vocare non potest Deum Patrem suum in divinitate, descendit ad nos aditurus possessionem cordium nostrorum, & hìc appellat Deum Patrem suum. Sic enim nos docet Magnus Apostolus, quod Deus Pater miserit Spiritum Filii sui in corda nostra, quodque in ipso & per ipsum, velut per linquam ignitam similem illis, quæ datæ sunt Apostolis, *Clamamus, Abba Pater.* O Miraculum bonitatis Dei erga pauperes nos terræ Vermiculos! Amor, quo Deus fertur erga seipsum, licet sit Deus, & licet infinitus sit in suâ virtute, producere non potest unicum Filium in divinitate. Et idem ipse amor dilatat & extendit bonitatem suam erga nos miseros mortales, ut nasci nos faciat veros Dei Filios, nobisque libertatem concedat, & amabilem confidentiam vocandi Deum Patrem nostrum, quasi complaceret sibi facere in nobis & per nos, quod facere non potest per seipsum. Non potest vocare Deum Patrem suum per seipsum, & appellat illum Patrem per os nostrum: Non est ipse Filius Dei in divinitate, hinc neminem vocat Patrem suum; Et tamen ipse est, qui producit omnes Filios Dei extra Deum, quia ipsi specialiter attribuitur justificatio animarum, quod justificare, est illas adoptare in Filios Dei.

Debemus omnia tribus divinis Personis.

Omnia tibi debeo, O Pater cœlestis, quia tu misisti mihi Filium tuum unigenitum, & tuum Spiritum Sanctum, sine quibus tam essem infelix, ut multò melius fuisset mihi perpetuò permanere in nihilo. Omnia tibi debeo, O Fili unigenite Patris mei cœlestis, quia tu descendisti ad suscipiendas in adorandâ Personâ tuâ meas miserias, ut ab illis me liberares, & dare

voluisti propriam vitam tuam, ut mihi acquireres æternam. Sed tibi quoque omnia debeo, O adorande Spititus Sancte, quia tu elevâsti me ad sublimem dignitatem Filii Dei, & inutilis mihi foret Redemptoris mei passio, nisi per gratiam adoptionis filiorum Dei applicaretur nobis, quod tibi magis specialiter, quàm aliis Personis divinis attribuitur. O quàm robusta & fortia sunt vincula, quæ inseparabiliter nos alligant adorandis tribus Personis superadorandæ *Trinitatis*! sed videtur, Spiritum Sanctum specialiter, qui sacer est nodus Patris & Filii in divinitate, facere quóque & constituere amabile vinculum, quo Filii adoptivi alligantur Patri suo Cœlesti. Veni Sancte Spiritus, & integram cape possessionem voluntatum nostrarum: Veni vinculum adorandum, & alliga tam fortiter corda nostra amori Patris nostri Cœlestis, ut nunquam nec momento amplius separentur ab illo.

Spiritus Sanctus non donatus est divinis personis, sed nobis.

Quis est, cujus cor non dilatatur præ gaudio, dum Ecclesiam percipit cantantem mysteriosa illa verba ad honorem Spiritus Sancti. *Qui diceris Paraclitus, Altissimi Donum DEI*; Ubi vocat ipsum consolatorem suum & pretiosum Altissimi Donum. Verum est, Spiritum Sanctum donum esse pretii infiniti; sed donum non est, quod Pater faciat Filio suo, vel Filius largiatur Patri suo in divinitate, néque enim unus potest alteri Spiritum Sanctum dono dare; sed ambo possident ipsum pro seipsis, velut proprium suum thesaurum, quem æqualiter producunt ab eodem instanti æterno, eâdem voluntate sibi communi. Sed nobis miseris mortalibus ingens hoc tribuunt donum, & tribuunt nobis illud modo tam officioso, comi ac benigno, ut dum relinquunt nobis libertatem illud vel acceptandi vel recusandi, juxta placitum & arbitrium nostrum, sibi ipsis libertatem non relinquant, nobis id auferendi, quando semel id nobis contulerunt.

Pretiositas & facilitas magni hujus doni.

Quantum hoc prodigium muneris tam prodigi, quod probè perpensum extra seipsam abripere deberet animam! Spiritus Sanctus thesaurus est pretii infiniti; si per impossibile personæ divinæ sibi invicem largiri possent dona gratuita, ipsarú digna magnitudine, nil pretiosius, nil locupletius largiri possent, quàm Spiritum Sanctum. Et verum sit, illas idipsum nobis conferre donum, nobis qui nihil sumus, nisi parva nihila, quæ

quæ nullius sunt meriti: multum foret, si nobis id conferrent post longas precum instantias & fusas torrentis instar lacrymas; sed multò plus faciunt; prævenium nos, nobisque benignitate prorsus liberali id offerunt. Nimis hoc parum est dicere, quod nobis id offerant, solicitant nos ad id recipiendum, nec hoc contentæ urgent nos, precantur nos, & abs intermissione & feriâ feriunt cordis nostri portam, validis gratiarum suarum impulsibus: quasi Deus obtestari nos vellet per intimos intensissimi amoris sui affectus, per amantissimi cordis sui teneritudinem, ut aperiamus ipsi cor nostrum, ad recipiendum in eo divinum suum Spiritum. Desiderat id ardentissimè, ita impulsus ab infinitâ suâ Bonitate; & nihilominus relinquit nobis libertatem vel concedendi sibi id, vel denegandi, quod à nobis petit, nunquam, nunquam sibi usurpare quidpiam volens ex jure libertatis, quâ nos donavit.

Nos fruimur stupendâ libertate, quam Deus non habet.

Quis mente assequatur excessum dulcedinis ac benignitatis, quâ nobiscum agit? Relinquit nobis libertatem, quam sibi ipsi non reliquit. Nam si consensum præbeam ipsius gratiæ, ipsumque amem, sicut desiderat, non est in libertate ejus denegandi mihi Sanctum suum Spiritum: Et si mihi semel jam illum donavit, non est illi liberum eundem mihi denuò auferre, nisi ipsemet illum è corde meo per peccatum expellam. Tenetur ad hoc vi pollicitationis suæ nobis factæ hoc verborum tenore: *Si quis diligit me,* Joan. 14. *diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* An igitur tam stupenda mihi potestas sit in Cor Dei, ut penes me sit intimâ ipsius potiri amicitiâ, modò assentiri velim gratiæ ipsius me prævenienti, & ut ipsum amem, impellenti? Et si ipsum amem, denegare mihi non possit amorem suum, nec Sanctum suum Spiritum; & ipse eandem non habeat potestatem in voluntatem meam? Verùm quamvis sciam, quod amet me, & ipse vicissim desideret amari à me, semper in meo est arbitrio, denegandi ipsi amorem meum; Et quando incepero amare ipsum, desistere possum omni, quo libuerit, momento: Et quando etiam arctissimum cum ipso contraxissem amicitiæ vinculum, nunquam non id rumpere possum, quando voluero, & renuntiare ipsius amicitiæ, etiamsi id ipse noluerit.

O Deus amoris, quàm insolentem ac inusitatam mihi re-

Mutanda foret libertas nostra cum necessitate Dei.

linquis hic libertatem ! Mutemus, Domine, mutemus vices, nolo hanc libertatem tibi cedo illam. Malo te libertate frui, me non amandi tunc, quando te amo, & Sanctum tuum Spiritum mihi semel concessum auferendi, quando tibi placuerit: probè enim novi, te misericordissimè usurum libertate tuâ; sed illam ne relinquas mihi, quâ negare tibi possim amorem meum, vel eundem tibi semel concessum auferre. Constringe cor meum & alliga voluntatem meam; utere absolutâ tuâ potestate erga illam, sicque affixam tibi serva, ut nunquam amplius possit separari à te. Nolo unquam aliam libertatem, quàm amandi te ex totâ amplitudine voluntatis meæ. Ah si hanc in infinitum dilatare possem, ut tantum te amare mihi liceat, quantum es amabilis?

ARGUMENTUM.

1. *Spiritus Sanctus procedit ex Patre & Filio.*

2. *Historia separationis Ecclesiæ Orientalis, quem credere noluit maximo suo malo.*

ARTICULUS II.

Spiritus Sanctus procedit ex Patre & Filio.

EX his, quæ dixi, concepisti forsan tenuem aliquam ideam circa Personam Spiritûs Sancti: *Sed nescis, unde veniat.* Ventus est Symbolum Spiritûs Sancti, juxta mentem plurium sacrorum Doctorum: Hinc est, quod in die Pentecostes descenderit velut ventus vehemens super Apostolos. Jam nunquam omnes Philosophi scire pro certo potuerunt originem ventorum; nec unquam omnes homines cum certitudine aliquâ potuissent cognoscere, quænam sit origo & principium Spiritûs Sancti, nisi fides nos doceret, velut articulum nostri Symboli, quod procedat è Patre & Filio, veluti ex unico solo Principio: *Qui ex Patre Filioque procedit.* Et hic reciprocus Patris erga suum Filium unigenitum, & Filii unigeniti erga suum Patrem est amor. Sanctus Augustinus hujus amoris pulchritudine totus illectus, ignorat, quomodò ipsum exprimere debeat; modò dicit, quod sit dulcedo ineffabilis Patris & Filii: *Genitoris genitique suavitas.* lib. 15. De Trinit. Modò, quod sit infinitus jubilus in corde ipsorum, qui voluptate ac gaudio illos repleat; & modò, quod sit sacrum vinculum, quo invicem uniantur; & denique quod sit amor infinitus Patris & Filii.

Sed

Quare sit tantùm unus Spiritus Sanctus,

Sed quia ambo non habent nisi unam eandemque essentiam, unam eandemque voluntatem, non producunt nisi unum amorem, unum Spiritum Sanctum, qui est ejusdem substantiæ, & unus cum eis Deus. Pater & Filius communicant totum suum esse Spiritui Sancto, & reservant id totum integrum sibi ipsis, ita ut communicando totum, quod habent, nihil perdant ex eo. Spiritus Sanctus accipit totum, quod habet, à Patre & Filio, & tamen nihil illis debet, nec est ipsis in minimo obstrictus. Impossibile est, ut sit sine ipsis, & tamen ipsorum non indiget. Verum quidem est, quod habeant supremam auctoritatem in ipsum, quia sunt origo ipsius, & habent omnem potestatem ipsum mittendi, ipsumque nobis donandi; & tamen non dependet ab ipsis, quia non est ipsis inferior; nec habent ipsi aliquam superioritatem in eum, cùm omnes tres non habeant, nisi eandem essentiam, & eandem divinitatem.

Quâ ratione Spiritus Sanctus procedat ex Patre & Filio.

Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio; sed aliqui dicunt, quod procedat à Patre per Filium; alii quod procedat à Filio per Patrem. Hi ambo dicunt veritatem. Illi, qui dicunt, qrod procedat à Patre per Filium, intelligunt, quod cùm cognitio sit necessaria ad amorem, si per impossibile Pater non haberet perfectissimam cognitionem infinitarum suarum perfectionum, amare illas non posset amore infinito. Jam ipse habet perfectam hanc cognitionem per Filium suum unigenitum: per ipsum ergo & cum ipso producit amorem infinitum, qui est Spiritus Sanctus; ideóque verum est dicere, quod procedat à Patre per Filium. Illi autem, qui dicunt, quod procedit à Filio per Patrem, intelligunt, quod, cum necessarium sit esse intellectivum & voluntas ad amandum, Filius accipiat totum suum esse & voluntatem suam à Patre suo. Cùm ergo non contribuat ad productionem Spiritûs Sancti, nisi quod à Patre suo divina accepit, verum erit dicere, quod procedat à Filio per Patrem.

Ratio, ob quam Spiritus Sanctus ex Patre & Filio procedere debeat.

Omnes articuli nostræ fidei, præcipuè concernentes Mysterium Sanctissimæ *Trinitatis*, probari non possunt ratione. Nihilominus reddi potest ratio hæc solida, quare necesse sit procedere Spiritum Sanctum tam à Filio, quàm à Patre; eò quod realiter tam à Filio quàm à Patre distinguatur. Jam certum est, distinctionem realem inter personas divinas non consistere in alio, quàm in oppositione re-

lativâ & necessariâ, quæ necessariò admittenda est inter personam, quæ producit, & illam, quæ producitur, sicut inter Patrem & Filium. Si ergò Spiritus Sanctus non esset productus, quàm à solo Patre, non esset realiter distinctus, quàm à solo Patre; & si non esset productus à Filio, nullâ ratione esset distinctus à Filio. Et dicere, quod non sit æquè realiter distinctus à Filio, sicut distinctus est à Patre, magna foret hæresis. Dicendum igitur, & est articulus fidei, quod æqualiter procedat ex Patre & Filio, velut uno solo principio: *Qui ex Patre Filioque procedit.*

Historia hæreseos orientalium circa processionem Spiritûs Sancti.

Diximus paulò ante, Ventum esse symbolum Spiritus Sancti. Sed nunquam ventorum furor tam sævam excitavit tempestatem in mari, quantas in Ecclesiâ Dei, quæstio de Origine Spiritus Sancti, peperit turbationes, procellas ac funesta naufragia.

Inceperunt in quarto Sæculo circa annum trecentesimum sexagesimum, dum Macedonius eò proruit impietatis, ut publicè contra divinitatem Spiritûs Sancti concionari præsumpserit, docendo, quod Deus non sit, sicut Pater & Filius, quodque solummodò sit Patris & Filii servus & famulus; uti referunt S. Basilius, Sanctus Epiphanius, Sanctus Augustinus & plures alii contra hunc Hæresiarcham. Huic medendo errori congregavit Ecclesia Concilium Constantinopolitanum, quod fuit secundum universale in Ecclesiâ celebratum; ubi Macedonius fuit condemnatus velut pernicioſus hæreticus, excommunicatus, abscissus à Corpore Ecclesiæ; Et tota congregata Ecclesia veluti articulum fidei decidit, quod Spiritus Sanctus idem sit Deus cum Patre & Filio, qui totam suam essentiam divinam eidem communicando, ipsum ab æterno producunt unâ eâdemque voluntate. Et ut omnes fideles hunc fidei articulum sicut cæteros omnes reciperent Symbolo, quod compositum est in primo Concilio universali Nicæno ad defendendam divinitatem Filii Dei contra hæresin Arianorum, grandia hæc verba, quæ triumphare faciunt divinitatem Spiritûs Sancti adversûs hæresin Macedonii: *Et in Spiritum Sanctum, Dominum & vivificantem.* Hæresiarcha defendere volebat, quod Spiritus Sanctus esset servus; Et Ecclesia ipsum condemnans, velut articulum fidei declarat, quod sit Dominus vivificans.

Basil. Epist. 78. Epipha. hæres. 74. August. hæres. 52.

Sed prima hæc hæresis contra Spiritum Sanctum, quæ videbatur monstrum jam contritum

Consule Gammach. 1. part. q. 35. ca p. 1.

tritum in ortu suo, facta est scaturigo infinitarum majorum adversitatum, quæ afflixerunt Ecclesiam & hodiedum adhuc discindunt. Aliquot annis post Concilium Constantinopolitanum & condemnationem Macedonii, Anno circiter 430. Domini nostri concitavit orcus aliam magis pernitiosam hæresin contra Spiritum Sanctum, cujus Theodoretus primus auctor fuisse creditur. Hæc hæresis docebat, Spiritum Sanctum procedere solummodò à Patre & non à Filio.

Hæretici orientalis sunt excommunicati à Papa.

Benè dixit Evangelium, quod qui peccaverit contra Spiritum Sanctum, remittendum nunquam ipsi sit, néque in hoc sæculo, neque in futuro. Vix credi potest, quantâ protervia Græci huic semper errori adhæserint, quod nempè Spiritus Sanctus procedat à solo Patre & non à Filio, contra communem sensum Ecclesiæ Catholicæ, quæ in Concilio Nicæno controversiam hanc dirimente hæc Symbolo adjunxerat verba: *Qui ex Patre Filioque procedit*; nec unquam cedere voluerunt decisioni Concilii: sed sicut scriptum est, quod superbia inimicorum Dei ascendat semper, eousque insolentia hæreticorum orientalium devoluta est, circa annum millesimum quinquagesimum quartum salutis nostræ, ut Michaël Patriarcha Constantinopolitanus, confisus & innixus potentiæ Imperatoris Constantini IX. quem nuncupabant Monomachum excommunicare ausus fuerit Pontificem Romanum successorem Petri & Caput totius Ecclesiæ, declarando ipsum hæreticum, quod crederet, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio.

Imperator convertitur & successores ejus perverruntur.

Nihilominus, quia magna crimina horrori sunt universo mundo, quin & ipsis committentibus illa, hinc Constantinus Imperator Monomachus sibi ipsi condonare non potuit illud à Patriarchâ suo patratum, cujus ipse ex parte causâ fuerat: conscientiâ namque tam acriter fuit stimulatus, ut, quoniam hujus angores sufferre non poterat, agnito confestim errore pœnitentiam egerit, & abjuratâ hæresi, Catholicam, Apostolicam, Romanam fidem amplexus & professus, tandem feliciter tanquam verus Ecclesiæ filius cesserit fatis. Verùm Eheu! tam boni Principis successores haudquaquam succedebant ipsi in pietate: siquidem in hæresin, quam ipse abjuraverat, relapsi, in Thronum reposuerunt hocmonstrum, quod ipse calcaverat pedibus, illudque pertinaciter defenderunt ac propugnârunt, usque ad annum millesimum,,

mum, quadringentesimum, trigesimum Nonum; quoad Deus audiens ingemiscentem numerosam piarum animarum frequentiam, quam abs intermissione pro pace & unione Ecclesiæ ipsum deprecabantur; aliquos animârit ad extrema tentanda, quibus id effectum est, ut congregatum fuerit Concilium Florentinum sub Papâ Eugenio quarto.

Tota Ecclesia congregata in Concilio Florentino.

Pulcherrimum visu spectaculum fuit, aspicere in hoc Concilio Ecclesiam orientalem, quæ occidentalem visitabat initura cum illâ reconciliationem. Orientis Imperator Joannes Palæologus adfuit in personâ cum ingenti numero Patriarcharum, Archi-Episcoporum, Episcoporum, Doctorum totius Ecclesiæ Orientalis. Ubi post plures consultationes & diuturnas disceptationes Latinos inter & Græcos, post fervidas preces & cœlestium gratiarum invocationem, ab universo Concilio determinatum fuit, articulum fidei esse ad salutem necessarium, credere, quod Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedat. Huic confessioni fidei omnes subscripserunt, tam latini, quàm Græci, cum Imperatore, Joanne Palæologo: Confirmârunt idipsum gratiæ Deo redditæ, universale gaudium in omnibus Concilii Patribus, Pax & Generalis unio in totâ Ecclesiâ promulgata, & Spiritus Sanctus, qui exitu felici triumphabat super omnes fidelium animas.

Hæresis excitatur.

Verùm, o Deus! quantæ molis est; demoliri & extinguere hæresim semel vehementer accensam, quin aliqua remaneat scintilla, non ægrè magnum incendium reaccensura. Invenire erat tumidos quosdam animos, qui decisioni universalis Concilii acquiescere nolentes, ex arrogantiâ quâdam luciferianâ, particulare suum judicium anteferre non timuerunt judico Ecclesiæ totius. Præcipuè certus quidam Marcus, Episcopus Ephesinus, qui plus nimiò sibi tribuens, disceptationem susceperat pro græcis contra latinos, qui devictum se videns, nec tulisse se, quod quærebat, rabie vix non crepuit, quia credere noluit: quodque calamitati ipsius accessit, ipsumque in extremam desperationem egit præcipitem, est, quod Bassarionem Episcopum Nicænum, Cardinalitiâ dignitate à Summo Pontifice honoratum & auctum videre debuit, se neglecto & despecto.

Quid possit ira illa unicè detestanda hominis.

Prô! quàm sæpè, invitâ se prostrata surgit superbia, seque vescitur adversùs seipsam, ad extremas devoluta angustias! Infelicissimus hic mortalium in

suam

suam redux terram, velut avernali actus œstro suam statuit stabilire hæresim, cunctis cæteris reluctantibus Episcopis, despicatui habens decisionem à Concilio factam: Et tam infelici id effecit eventu, ut decem annis vix elapsis, nulla fieret amplius Concilii Florentini mentio, nisi ut ponderetur flocci, nec volitaret amplius rumor de Conversione Orientalium, nec de pace, quam per suam reunionem cum Ecclesiâ Catholicâ firmaverant; sed hæresis primas suas resumpsit vires, & totus Oriens suâ involutus caligine eclypsabatur ut ante.

Papa exarat vaticinium orientalibus per modum Exhortationis.

Justitia Dei, quàm longanimis tua est patientia! sed & quàm terribilia tua sunt supplicia, dum eò devolveris, ut opere compleas! An conqueri Orientales poterunt de indulgentiâ ac bonitate Patris misericordiarum, ultra octingentos annos exspectati ad pœnitentiam? Non solummodò autem exspectati sunt, sed vocati, invitati, flagitati modis efficacibus exterius ipsos solicitantibus: Quis autem norit, quantis, quàmque validis gratiæ stimulis intus fuerint agitati, ad amplectendam postliminiò cum Ecclesiâ unionem, omnia invitabant ipsos, ut reverterentur ad Deum; ita ut tribus annis ante extremam ipsorum calamitatem, Papa Nicolaus V, tunc ad Clavum Ecclesiæ sedens, calamum suum acuens direxerit ad ipsos Epistolam zelo pastorali, & pulcherrimis, quas excogitare poterat, rationibus instructam, quâ exstimulabat ipsos ad reconciliationem & pacem cum Ecclesiâ ineundam. Melius dicerem, quod illis annutiaverit vaticinium, terribilium sibi imminentium calamitatum, si abnuerent conversionem: siquidem Spiritu Dei impulsus urgebat ipsos fortiter parabolâ ficûs infructuosæ, quam Paterfamilias exspectaverat tribus annis, ut videret, an fructum afferret, quo non allato mandaverat succidi & in ignem mitti, quod inutiliter terram occuparet. Adhuc tres annos, dicebat illis, adhuc tres annos, patienter exspectabit Cœlum fructum conversionis vestræ; sed elapsis annis tribus nolite ultra exspectare misericordiam.

Occupatio Constantinopolis per Machometum II.

Videri poterat, hoc fuisse vaticinium, quod orientalibus intimabat Deus per magni hujus Papæ calamum, siquidem tribus annis post exaratam hanc Epistolam revolutis, anno nempè à celebratione Concilii Florentini duodecimo, sese extendit manus Domini ad castigandos severissimè protervos istos,

hoc suum Concilium executioni mandans mediante ambitione Machometi secundi Turcarum Tyranni, cujus Sceptro ad deprimendam rebellium horum arrogantiam subdidit orientis imperium. Cingebat is obsidione urbem Imperialem Constantinopolim anno millesimo quadringentesimo secundo, capit conscendit Thronum imperii, in suam redigit ditionem, ipsâ secundâ festorum Pentecostalium feriâ, uti refert Sabellicus; ad demonstrandum orbi universo Spiritum Sanctum, cujus honori tunc universa litabat Ecclesia, acceptæ ab Orientalibus injuriæ ac blasphemiæ exigere pœnas. Nonne plus lucri tulissent, si obtemperâssent Ecclesiæ, quæ ipsos ceu filios suo foviſſet sinu, ipsisq; abblandiens illæsam illis suam conservâsset libertatem, cùm modò sub tyrannicâ Machometi servitute ingemiscere cogantur? Hæresis ejecit ipsos è sinu Ecclesiæ, & Dei vindicta è focis & fanis, è tectis & aris, tum facultatibus, tum libertate suâ turpiter exutos, magnificum Sanctæ Sophiæ templum, quod alterum, post Salomonis fanum, videri poterat mundi prodigium, in Machumetanum abiit delubrum, in quo profana Pseudoprophetæ celebrantur mysteria. Et tota orientalis Ecclesia, aliàs pietatis ac Religionis sedes, regioque sanctorum, in quâ omnia prima celebrata fuêre generalia Concilia, ubi fides Clarissimos diffundebat splendores, tantâ modò involvitur confusione ac desolatione, ut complectatur partim Mahumeti asseclas, partim hæresi, partim schismate infectos, & tota sub geminatâ gemat captivitate, quâ nunquam abs magno sit exsolvenda prodigio.

Væ illis, qui Deum relinquunt & ipsius Ecclesiam.

Lamentandum tibi hoc videtur, & planè est. Sed quibus destinatæ sunt minus placabiles vindictæ Cœli, nisi peccantibus in Spiritum Sanctum. Judæi, qui crucifixerunt Filium Dei, ultra sæcula bis octona jam sentiunt flagella persequentis terrificæ justitiæ divinæ; Et orientales, qui blasphemârunt in Spiritum Sanctum, tot jam sæculis divinâ prostrati manu sub turpi & sæva lamentantur servitute. Nihilominus verum est, utriusque hanc haud levem calamitatem, non esse nisi umbram respectu calamitatis infinito modo majoris, magisque funestæ, quâ involutum se videt Christianus, qui, dum exterius profitetur, adorare se Christum Jesum, interius in corde suo ipsum crucifigit, quique, dum verbis contestatur, se verè credere in Spiritum

Peccare in Spiritum Sanctum est crimen irremissibile.

ritum Sanctum cum Ecclesiâ; illum suo expellit animo, ut dominari illic permittat Spiritum mundi, more paganorum.

Christiani operibus ostendunt se non credere in Spiritum Sanctum.

Quid prodest ipsi dicere; Credo in Spiritum Sanctum, Dominum vivificantem; dum re-ipsâ tantum adorandi hujus Spiritûs, quem suum agnoscit Deum, præsefert despectum, ut nonnisi in omnibus se dirigi sinat à Spiritu naturæ, à passionum suarum impetu, à sensuum suorum propensione, & quod pejus est, sæpè sæpius à Spiritûs maligni suggestione? Quid tandem faciet ex illo occultus hic Spiritus Sancti in ipsius corde contemptus? facit certè ex ipso mancipium carnis, mundi, & diaboli, quibus animæ suæ permittit dominium. Et tamen pleriqué Christianorum sic vivunt, ut solis exterius labris profiteantur, se credere in Spiritum Sanctum, opere autem ipso se tales exhibeant, unde non immeritò argui possit, ipsos nec minimam Spiritus Sancti habere cognitionem. Si ore auderent evomere: Non credo in Spiritum Sanctum, crederent se abominandam admisisse hæresim, evomuisse blasphemiam; dum autem ipsis operibus id profitentur, ducendo vitam prorsus carnalem & animalem, nullum exinde concipiunt horrorem. Et tamen quis abnuet, quod si blasphemia ejusmodi verbis commissa Cœli mereretur fulmina, illa commissa factis, quæ longè pejor est, majoribus sit digna DEI suppliciis? Sed quia sic mos inolevit, non est, qui sumat id cordi. O mi Deus, quàm metuendum nobis est, alium, quàm Spiritum Sanctum in nostrâ dominari animâ! *Spiritum Sanctum Tuum Ne Auferas A Me.*

ARGUMENTUM.

1. *Spiritus Sanctus procedit è Corde Patris & Filii, ut regnet in cordibus nostris.*

2. *Tres Dispositiones ad illum recipiendum & conservandum necessariæ.*

ARTICULUS III.

Nos sumus templum Spiritus Sancti.

NOsse non sufficit, unde veniat Spiritus Sanctus; sed nôsse quoque oportet, quò vadat: *Nescis unde venint, aut quò vadat.* Id est, non sufficit scire, quodnam sit ipsius Principium, sed sciendum quoque est, quis sit ipsius terminus. Procedit ex corde Patris &

Filii ; Ecce tibi ipsius principium : Vadit, ut quiescat in cordibus nostris, velut in sacratiori Tabernaculo, quod habeat extra Deum ; Ecce tibi ejusdem terminum. Naturæ dispositio ostendit, Corpus nostrum, quod totum materiale est, præparatum esse à manibus Dei, ut palatium sit animæ nostræ, quæ tota spiritualis est : Sed dispositio gratiæ destinat id usui infinito modo nobiliori : Magnus cum Apostolus asseverat nobis, quod Deus eo nomine creaverit animam, ut esset templum Spiritûs Sancti : *Nescitis, inquit, quia Corpora vestra templum sunt Spiritûs Sancti, qui habitat in vobis.* Non solùm in animabus justorum, quas sanctificat per suam gratiam, sed etiam habitat in ipsorum corporibus, quæ suâ dignetur præsentiâ. O Deus ! si capere possemus felicitatem summam, quâ nos beat tanti præsentia hospitis, sacro quodam corriperemur horrore, aspiciendo nos velut viva præsentis Divinitatis tabernacula ; invigilaremus continuò nobis ipsis, ne re minimâ inquinaremus Templum Dei ; Et gaudium, quo perfunderemur, memores, Spiritum Sanctum, qui infinitus est Dei Jubilus, reipsâ implerè animam nostram & Corpora nostra, hunc que esse articulum Fidei, cùm Sacer codex expressis hoc verbis dicaat, haud ægrè persuaderet nobis contemptum omnium gaudiorum ac vanitatem hujus mundi.

Siquidem communis sententia est omnium Theologorum hâc in re adhærentium S. Thomæ, quod Persona Spiritûs Sancti reipsâ detur animæ, quando adoptatur in filiam Dei per infusionem gratiæ sanctificantis, sicut Persona Filij data fuit sanctissimæ Virgini quando honorata fuit dignitate Matris Dei in mysterio Incarnationis ; Et hoc desumunt ex verbis Magni Apostoli ad Romanos scribentis : *Charitas Dei diffusa est in Cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Verum igitur est, dicunt ipsi, gratiam sanctificantem, quæ datur animæ justæ, non esse solùm Favorem Spiritûs Sancti ; sed esse donum, quod datorem ipsum secum ferat, propriam Personam Spiritûs Sancti in animâ habitantem ; Et consequenter verum est, personam Spiritus Sancti tam verè habitare in hâc animâ, quamdiu gratiam conservat ; quàm verè Persona verbi habitavit in Beatissimâ Virgine, quamdiu gestavit ipsum in castissimo suo ventre.

Persona Spiritus Sancti reipsâ datur animæ justæ.

Cap. 4.

Spiritus Sanctus obligatur

Non solùm autem defendunt hanc veritatem velut firmissi-

mam

manere in animâ, quæ habet gratiam.

mam & certissimam; sed eousque progrediuntur, ut dicant, quod si per impossibile Persona Spiritus Sancti non esset immensa, sed solùm habitaret in Cœlo, teneretur inde descendere, ad habitandum in beatâ hâc animâ, cùm quâ sacrum Charitatis vinculum strictissimè ipsum tenet legatum; cùm sint velut Sponsus & Sponsa sub uno habitantes tecto: *Erunt duo in Carne unâ.* Unum solum Corpus animatum à duobus Spiritibus, uno humano, & altero divino. Quanta nobis gloria, quantum honoris fastigium, dum dicitur, quod Spiritus Sanctus, ille ipse ineffabilis nodus, qui tam dulciter, quàm fortiter Patrem æternum devincit cum Filio suo unigenito in divinitate, sit quoque sacrum vinculum, quod filios adoptivos Dei conjungit cum Patre suo Cœlesti, quamdiu hâc sorte fruuntur, ut vivant in ipsius gratia, in ipsius amore. O Deus amoris! quâ igitur reverentiâ prosequenda est anima, quæ sic repleta est Spiritu Dei? Nonne eadem exhibenda i si veneratio, quæ exhibetur tabernaculo, ubi repositum est adorandum Corpus Christi Jesu in sanctissimo Sacramento? vel quæ exhibita fuit Beatissimæ Virgini, quamdiu Filium DEI unigenitum in castissimis suis portavit visceribus, eò quod hæc anima tota repleta sit personâ Spiritus Sancti, qui est idem cum Filio Dei.

D Th 1. p. q. 4. a. 3.

Sed sicut decebat Beatissimam Virginem plenam esse omni gratiâ, ut condignè reciperet adorandam personam Filii Dei in purissimo sinu suo: sic etiam oportet animam pluribus adornatam esse virtutibus, si dignè disponere se velit ad recipiendam & conservandam in se personam Spiritûs Sancti. Non loquor de sanctâ Charitate, quæ Regina est virtutum, eò quod ille ipse hanc offerat & introducat in animam, velut ultimam necessariam dispositionem ad se recipiendum. Sed præcipuè adnitendum est, ut tres speciatim virtutes habeantur. Prima est humilitas, secunda est puritas, & tertia est pax, vel tranquillitas interior, quæ non tam est virtus, quàm fructus plurium virtutum.

Tres dispositiones sunt animæ necessariæ ad recipiendum Spiritum Sanctum.

1. Anima non potest esse habitaculum Spiritûs Sancti, nisi sit humillima: siquidem Deus ipse id claris exponit verbis in Scripturâ: *Super quem Requiescit Spiritus meus, nisi super Humilem?* Et alibi dicit, *quod superbis resistat, & humilibus det gratiam.* Animus elatus ac timidus pro domo luciferi, qui superborum Rex est, aptior est

1. Humilitas.

& habilior, quàm ut Templum sit Spiritûs Sancti, qui non requiescit, nisi super humiles. Hinc omnes vitæ spiritualis Magistri pro regulâ statuunt universali, nos majorem non habituros possessionem Spiritûs Dei, quàm habeamus veræ & solidæ humilitatis. Hinc quando examinare volumus aliquam devotionem, & cognoscere, an vera sit vel ficta, argumentum & experimentum certius nobis non est, quàm illud humilitatis: quamprimùm vel minima vanitatis umbra advertitur, abundè est, nil aliud notæ inquiritur ad arguendum, animam illam à Spiritu Dei non esse possessam.

Quando Deus præparare & disponere voluit magnum Sanctum Simeonem Stylitam, ad tam sublimem perfectionis statum, ut difficulter obtineant fidem omnia prodigia, quæ in ipsius vitâ recensentur, habuit is somnium, vel potius in somno revelationem divinam, ubi videre sibi videbatur hominem venerandæ Majestatis, demandantem sibi, ut magnum quoddam erigeret ædificium, ac illicò inciperet fodere & excavare fundamenta; obtemperat; adjicit manum operi magnâ cum defatigatione, ad eruendam terram; cumque jam sufficere sibi persuaderet, ipsi dicitur: nondum satis est, profundius adhuc oportet fodere; majori ergò cum contentione opus repetit, fodit altius, & cùm satis esse jam crederet, cessare voluit à labore: Nondum satis est, ipsi dicitur, perge, continua, altius adhuc fode; Cumque sic quartâ vice laborem suum reiterare fuisset jussus, tandem vir ille insignis, hoc in negotio ipsius moderator, dixit illi: Satis est. Jam exstrue, erige & extolle ædificium, quantum volueris, úsque ad Cœlos id poterit pertingere.

Hoc tam ipsi, quàm nobis documento erat, ab initio adnitendum nobis esse, ut de primamus agnatam nobis arrogantiam; nósque humiliemus usque ad Cordis intima; imprimenda fortiter esse animo sensa ac desideria abjectionis nostræ; ad laborandum nobis strenuè, ut nos annihilemus, & iterum annihilemus, & adhuc amplius annihilemus; & hâc in parte non facilè ad excessum rapiemur, nec nimium concipiemus nostri ipsius contemptum; sed quantò altiora jecerimus fundamenta veræ & solidæ humilitatis, quantò firmior fuerit ac profundior hæc omnium virtutum Christianarum Basis, tantò majori replebit nos Spiritus Sanctus gratiarum suarum abundan-

undantiâ, quarum auxilio ædificium perfectionis nostræ erigere & attollere poterimus usque ad fastigia Cœlum, juxta certam illam Sancti Evangelii gnomen. *Qui se humiliat, exaltabitur.*

2. Puritas.

2. Verùm non sufficit, animam esse humillimam; oportet humilitati adjungere maximam quoque puritatem; aliàs nunquam poterit evadere habitaculum Spiritûs Sancti. Ah! quâ ratione Corpora nostra esse poterunt Templum Spiritûs Sancti, juxta effatum Sancti Pauli, nisi Caro nostra quodammodò cesset esse Caro, ut tota fiat spiritualis, id est, deinceps non amplius serviat propensionibus sensûum, sed purissimis affectibus Spiritus? Minima carnis spurcities indignam reddit animam inhabitatione Spiritus Sancti. Nonne enim jam olim ex ore ipsius Dei hoc prodiit decretum? *Non permanebit Spiritus meus in Homine in æternum, quia Caro est.* Columba, quæ Symbolum est Spiritus Sancti, cùm non inveniret nisi putida cadavera, lutum ac cœnum, extra arcam, non habuit, ubi requiesceret pes ejus, sed illicò reversa est in arcam.

Cùm Sancta Lucia magnâ cordis ac animi generositate Tyrannum paschasium alloquerentur, in stuporem is actus dixit illi: Non diu tibi hic erit loquendi ardor, alio mox loqueris idiomate; cessabunt tunc verba, cùm ventum erit ad verbera; Cui virgo: Dei servis verba deesse non possunt, quibus à Christo Domino dictum est: cùm steteritis ante Reges & Præsides, nolite cogitare, quomodò aut quid loquamini; Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Sanctus, qui loquitur in vobis. Quomodò, respondet Tyrannus, estne in te Spiritus Sanctus? speraverim, reponit Sancta; quia castè & piè viventes sunt templum Spiritûs Sancti. At ille; jubebo te ad lupanar duci, ut te Spiritus Sanctus deserat. Provoco te, inimice Dei, inquit Sancta, magno animi fervore ac zelo succensa: ut vim patiar, efficere poteris; ut malo consentiam, efficies nunquam: si autem invitam jusseris violari; Castitas mihi duplicabitur ad Coronam; Serto Virginitatis non amisso & glorioso obtinebo palmam Martyrii. Spiritus Sanctus, qui puras defendit animas, velut sponsas suas, haud permisit, ut perversum hoc Paschasii Consilium fuerit opere impletum.

Nonnisi dæmonum est, immundorum Spirituum, Carnis sectari delicias, hisce se conjungere

gere ad extinguendum cum ipsis Spiritum Dei. Sed divinus hic Spiritus, cum sit ipsa puritas, tantum exin horrorem concipit, ut adhoc nonnisi unicâ sit opus cogitatione, cum complacentia in animo revolutâ; nonnisi opus unico verbo minus honesto, unico actu à puritatis regulâ paulisper tantùm exorbitante, quibus mox Spiritus Sanctus fugatur ab animâ; sicut dicitur, quod apes attrahantur bono odore Balsami, abigantur fœtore cadaverum. Oportet ergò animam esse purissimam sicut humillmam, ut sanctuarium esse possit Spiritus Dei.

3. Pax interna.

3. Tandem requiritur, ut anima sit pacifica & tranquilla. Palatium Sancti Spiritus, frontispicio suo insculptum gestat; *Factus est in pace locus ejus.* Anima tumultu passionum agitata, inquietudine amoris proprii convulsa, quomodò esse possit Tabernaculum Spiritus Dei? Ipsius hic propriæ rationis humanæ respuitur Dominium, & intellectûs naturalis excutitur jugum; Ipsa velut mancipium turbatis inseruit passionibus, ambitione inquietatur, avaritiâ convellitur, voluptatibus fatigatur, legibus mundi opprimitur, amore proprio torquetur, desideriis sensuum velut tortoribus perpetuò flagellatur. Ah! quomodò in his perturbationibus recipere posset dulces Spiritûs Sancti attractus, aut suavissimo lucis ipsius radio gubernari?

Psal. 75.

Inquietum hic forum est, ubi loris rejectis passiones animi tumultuantur, mundus sedet ad Clavum, amor proprius jubet & imperat, sibique facit obsequi: hic forum est, ubi salus æterna venditur, omnia Cœli dona exponuntur mercatur, & vilissimo væneunt pretio, minutiis, crepundiis. Ah! quantùm abhoret ingentem fori hujus tumultum Spiritus Dei? *Non in commottone Dominus.* Requiritur anima tam tranquilla & quieta, ut, sicut ros, Aristotele dicente, unum ex meteoris, quæ ab astris formantur, vix non jucundissimum, impeditur minimâ ventorum agitatione; sic etiam operationes Spiritûs Sancti turbentur & omninò impediantur per minimam passionum commotionem in animâ, quæ pacem non habet. Sed quis enarrare possit prodigia, quæ operatur Spiritus Sanctus in profundâ animæ pace, quæ sese totam illi tradidit possidendam, seque totam illius permittit directioni? *Spiritus ubi vult, spirat.* Ducit ipsam, quò vult, & sæpius introducit ipsam in profunda

3. Reg. 19.

funda mysteria arcanorum Dei, ubi feliciter se perdit, abs eo, quod sciat, ubi sit, vel quid faciat. *Spirat ubi vult*: nec ullus designare illi potest vias suas, nec præscribere ipsi operationes suas, neque etiam dirigere divinos motus ac impulsus suos: sunt hi tam mirabiles, tamque animæ absconditi, ut ipsamet, quæ illos experitur, non cognoscat. O millies beatam animam probè humilem, probè puram, probè tranquillam! Eò quod pretiosa evadat possessio Spiritus Dei. Operatur hic in illâ tanta prodigia, ut tota æternitas ipsi non sufficeret omnem ipsius degustare dulcedinem, & se gratam pro collatis exhibere favoribus. Contendamus interim aliquid ex iis cognoscere.

ARGUMENTUM.

1. *Anima, quæ habitaculum est Spiritûs Sancti, possidet in seipsâ scaturiginem gratiarum ipsius.*
2. *Is ipsi communicat tres magnos favores.*

Articulus IV.

Prodigia, quæ Spiritus Sanctus clam operatur in animâ, sunt innumera,

Qui sibi sumeret, omnia enarrare prodigia, quæ Spiritus Sanctus operatur in animabus, quas suâ honorat præsentiâ, abysso se involveret, unde nunquam exiret; oporteret ad hoc cognoscere omnia arcana intima, quæ commemorantur in vitis Sanctorum, oporteret legere & videre in omnibus cordibus prædestinatorum totam œconomiam cœlestis Jerosolymæ, quam hic ædificat in terris in secreto, & silentio animi. Quemadmodum Templum Salomonis exstructum fuit absque tumultu, & abs eo, quod perciperetur vel unicus ictus malliei, eò quod lapides omnes jam alibi in remoto loco ita fuerant dispositi, ut ad amussim destinatum occuparent locum, abs eo, quod vel minimâ indigerent reformatione; ita & Spiritus Dei disponit hic in terris quemlibet Electorum & præparat ad obtinendum olim ordinem ac locum sibi in augusto & magnifico templo gloriæ destinatum, juxta consilia æternæ ipsius prædestinationis. Et totum hoc negotium nec directionem habere, nec progressum facere potest, nisi per operationem Spiritûs Sancti: ita ut, quamdiu hæremus sub directione proprii nostri intellectûs naturalis, vel quocunque actio-

num nostrarum naturali principio, nihil efficiamus in magno salutis nostræ negotio.

Tres magni favores, quos Spiritus Sanctus concedit animæ se receipienti.

Dum decantat Ecclesia gratiosum illum hymnum in honorem Spiritûs Sancti compositum, inter alia ipsum deprædicat, quod sit *Fons vivus*, abundans & inexhausta scaturigo, unde dimanent omnia gratiarum flumina, quæ sese diffundant ubivis in corda sibi aperta, nulloque obstaculo impedita. Felix anima, circumferens in corde suo, hanc vitæ æternæ scaturiginem! Vates Isaias nobis dicit, quod exeant inde septem flumina divinorum omninò Spirituum, quos inter illos, qui dispositi fuerint, distribuit; qui sunt: Spiritus Sapientiæ, Spiritus intelligentiæ, Spiritus Consilii, Spiritus fortitudinis, Spiritus scientiæ, Spiritus pietatis, & Spiritus timoris Domini. Et anima, quæ Spiritûs Sancti est habitaculum, ipsamet possidet abundantem hanc omnium bonorum æternalium scaturiginem. Integra requirerentur volumina ac flumina; sed ut illa complectamur intra limites unius tantùm Consultationis, sufficit dicere; quod nunquam Spiritus Sanctus veniat in animam, ad habitandum ibi velut in templo suo, quin locupletet eam tribus favoribus tam raris ac pretiosis, ut nunquam nisi in thesauris ejus reperiri possint. 1. Coronat ipsam velut Reginam, & tribuit illi supremum Dominium. 2. Sanctificat illam velut Dei Filiam, & largitur ipsi legitimum Jus ad hæreditatem Patris sui cœlestis. 3. Accendit illam velut Seraphim igne prorsus cœlesti.

Quare Apostoli sederint recipiendo Spiritum Sanctum,

1. Quod verum sit, Spiritum Sanctum venire in animam, ut ipsam coronet velut Reginam, & illam attollat ad dignitatem Sponsi supremi mundi Monarchæ, cognovimus experientiâ: siquidem, quid sibi vult innuere pompa ex unâ parte tantâ Majestate, ex altera tantis Mysteriis plena, quâ descendere voluit super Apostolos in die Pentecostes? Historia Actuum Apostolorum non absque causâ annotavit, quod sederint omnes, quando ipsum receperunt, & quando adorandâ suâ præsentiâ replevit domum, invenerit omnes quasi in Thronis suis collocatos: *Replevit totam Domum, ubi erant sedentes.* Act. 2. Hoc planè stupendum videtur, quod Sancti Apostoli, qui probè agnoscebant Majestatem Spiritûs Sancti, quæ persona est divina, ad quam dignè recipiendam sese præparârunt per decem dierum solitudinem, qui noverant optimè, quod omnem mereretur venerationem, ac reverentiam, non prostrati in terram, vel saltem

tem genuflexo ipsum receperint, sicut facere solemus, quando recipimus sanctissimum Sacramentum. Estne congruus & decorus hic corporis habitus, sedere ad recipiendum illum, quem velut personam divinam deberent adorare?

Cur linguæ igneæ super capita Apostolorum apparuerint?

Sed Sanctus Gregorius Nazianzenus detexit nobis Mysterium hujus sessionis, dum scribit, decuisse, ut sederent, eò quod hæc sacra fuerit cœremonia, quâ Spiritus Sanctus de Cœlo veniens ipsos coronare voluerit tanquam Reges: *Propter Regiæ dignitatis Excellentiam*; Et inde est, quod se collocare voluerit super capita illorum, velut locum, quo gestari solent Coronæ. Sed observandum est, quod Coronæ, quibus ipsos honoravit, habuerint formam linguæ & non diadematis, ad significandum, quod regalis ipsorum potestas exerceri debeat verbis & non brachiis; quodque etiam hæ linguæ ex luce fuerint & igne, & non ex carne; ad innuendum, quod dominari in corda hominum non deberent, nisi prædicando Evangelium verbis lumine cœlesti fulgurantibus & igne divini amoris prorsus accensis: hâc ratione quoq; agit invisibiliter cum omnibus animabus, cui beata sors accidit illum recipiendi; siquidem & ipsæ in totidem evadunt reginas. Et ecce quomodò:

Orat. de Pent.

Inprimis anima, quæ velut suprema Domina in parvâ mentis suæ ditione & republicâ imperat, nonne verè & reapte Regina sit? Hic statuit illa leges passionibus suis, quas omnes imperio rationis tenet subjectas: Exin captivat rationem ipsam sub obedientiâ fidei, omnes quoque sensus frœno perfectæ mortificationis tenet constrictos; & denique hic judicat & condemnat omnes falsas mundi opiniones, fallacia prudentiæ carnalis dogmata, & omnia, quæ non concordant cum sacris Spiritûs Sancti motibus ac impulsibus. Regina hæc est, eò quod nullâ ratione subjectam se videat tyrannicis mundi legibus, quæ homines servitute constrictos tenere solent: Ubi Spiritus domini, ibi libertas; Regina deniq;, Eoquòd non agat amplius nec ex timore pœnæ, sicut mancipia, neque ex intuitu retributionis, sicut mercenarii, sed solùm ex motivo amoris purissimi erga Deum suum.

Anima habens Spiritum Sanctum est verè Regina.

Mirum est, coronam, quam Regina hæc capiti impositam gestat, esse linguam igneam è Cœlo. Lingua pari ratione duobus inservit usibus: inprimis ad loquendum, deinde ad gustandos bonos sapores; Ipsa non gestat hanc linguam in ore, sed super caput, quod est membrum magis in Cœlum tendens & versùs

Lingua servit ad loquendum & gustandum.

astra elevatum; ad innuendum Spiritum Sanctum esse animæ se recipienti linguam cœlestem, quâ fiat idonea & loquendi res divinas ac cœlestes. An mirum ergò sit, nobis hanc deesse facultatem, & sæpius loquendi cum Deo in oratione, & rerum cœlestium degustandi saporem, cùm hâc linguâ divinâ simus destituti, quæ ad utrumque foret necessaria. Lingua hæc est Spiritus Sanctus. Ah! quomodò haberemus Spiritum Sanctum, cùm repleamur, quanti quanti sumus, Spiritu mundi & naturæ, quo incessanter impellimur ad loquendum idioma mundi, & degustandũ nil aliud, nisi sensuum voluptates? Incassùm mundi affectis occinitur: gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. Ah! quomodò hunc gustent? Non habent hanc Cœli linguam, quæ degustandis rebus cœlestibus est necessaria. Non pertinet nec ad rationem, nec ad intellectus considerationem, bonos discernere sapores; hujus judicium duntaxat est penes linguam: nullam habebit vim longus & elegans discursus ad persuadendum, inveniri in Deo dulcorem, qui omnem creaturarum inducat oblivionem; nunquam id nôsse poteris, nisi gustaveris ipse; nunquam autem poteris gustare, nisi habueris Cœli linguam; hanc verò linguam non habebis, nisi repletus fueris Spiritu Sancto. O Deus amoris, concede mihi Spiritum Sanctum tuum, & ineffabiles tuas degustabo bonitates, aliàs id facere non potero.

2. Primo huic favori, quo Spiritus Sanctus locupletat animam, dum ipsam, se recepto, coronat velut Reginam, adjicit secundum, non minoris sanè excellentiæ & emolumenti; & est, quod ipsam justificet, liberans ipsam à peccato; justificans sanctificet; implendo ipsam gratiâ; sanctificans divinam quodammodò reddat, adoptans illam in filiam Dei. Non igitur duntaxat residet super caput ipsius, ad honorandum ipsam velut corona; sed intrat quoque in cor ipsius, ad animandum vel vivificandum illud, tanquam ipsius anima & Spiritus; sicut & ad communicandum ipsi principium vitæ prorsus divinæ. Nam cùm ipse procedat ex corde Patris & Filii, & omnia à duabus hisce personis accipiat, videns se nihil huic divinæ essentiæ sanctuario reddere posse, quamvis divitiis atque potentiâ par sit, nec in minimo cedat aliis duabus divinis Personis; quærit ubique animas, ex plenitudine suâ recipere & participare volentes, ut munificum sese exhibere possit Filiis ex eo, quod reddere non potest ipsorum Patri cœlesti, à quo omnia accepit. Ah si corda

Spiritus Sanctus nobis dat omnia cùm nihil dare possit Deo.

reperire

reperire esset tantæ aviditatis recipiendi ab ipso dona sua, quanto is ardet hæc conferendi desiderio, quàm divites ipsius donis essemus.

Bonum gratiæ excellit omnem naturam.

Ad declarandum hujus thesauri, quo locupletat animam in instanti, quo ipsam gratiâ suâ sanctificat, pretium ac valorem; cùm hoc ab intellectu humano in vitâ præsenti, ubi parum nobis est luminis, comprehendi non possit, verbis quoque caremus ad explanantum idoneis. S. Thomas pro certo affirmat, minimum gradum boni supernaturalis, quo Deus ditat animam, quam per gratiam Spiritûs Sancti justificat, ante cellere omnem bonorum naturalium, quæ inter omnes creaturas est dispertitus, multitudinem ac præstantium: *Bonum gratiæ unius majus est, quàm bonum naturæ totius universi.* Mira certè verba, ac verè digna, quæ ubivis locorum aureis exarentur literis, ut abs intermissione versentur ob oculos & profundè nostris insculpantur cordibus. Haud majorem exoptarem animæ felicitatem, quàm ut probè nôsset & gustaret, quanti ponderis ac momenti sit hæc veritas; impossibile foret, quin maximam bonorum supernaturalium sibi à Spiritu Sancto communicatorum conciperet æstimationem; econtra maximo haberet despicatui omnes mundi vanitates.

D. Thom. 1a 2æ q. 113. a. 9.

O mi Deus! quantâ igitur laboramus ignorantiâ! ut quid & corpus & animum affligimus ita, ad obtinendam tam vilem ac tenuem boni terrestris portionem? Si totum simul haberem mundum, quid esset respectu unius gradûs gratiæ Spiritûs Sancti, si sors contingeret eundem possidendi? Unica Sancti Thomæ auctoritas cumulatè sat esset, ad id efficaciter mihi persuadendum, sed hujus tam evidens est ratio, ut vel parum duntaxat considerata convictura sit intellectum, cui vel mica sit salis. Nam si unicum solùm gratiæ sanctificantis habuero gradum, hunc que conservavero usq; ad mortẽ, certa ac secura mihi est æterna infiniti boni possessio, ipse nimiùm Deus. Verùm si solus possedero universum hunc mundum & mille alios huic æquales, illosq; conservavero usq; ad fata, privatus autem fuero gratiâ Dei mei, nihil in æternum mihi superstes erit, nisi funesta ac deploranda boni infiniti carentia. Eccur ergò magni pendam omnium bonorum naturalium possessionem, cùm omnia simul nec obtinere unico momento mihi possint possessionem Dei? Et quanti æstimem minimum gratiæ sanctificantis gradum, quæ certò certius mihi in omnem æternitatẽ comparabit & acquiret Dei possessionem.

Cur minimum bonum gratiæ præferatur toti naturæ.

Mi Deus! quàm parùm lucu-

lenta hæc veritas est nota hominibus? Ah! si probè illam cognoscerent; si, quanti sit ponderis, seriò perpenderent, an pro universo simul mundo, an pro centenis mundorum millionibus, si creati forent, perdere vellent vel unicum sanctificantis gratiæ atomum? Et quotidie deficiente hujus veritatis cognitione, vel etiam seriâ, quanti momenti sit, ponderatione, in tantum gratiam Dei adducunt contemptum, ut illam pro rebus nihili, pro nugis ac crepundiis amittere non vereantur.

Spiritus Sanctus impellit animam ad amandum Deum.

3. Tandem Spiritus Sanctus, qui totus est ignis, totus Amor, totusque ac infinitus cordis ardor Patris & Filii; *Fons vivus, Ignis, Charitas*, veniens in animam, tam sancto accendit ipsam ardore, ut quasi ardentem induat & evadat in Seraphinum. Ignis esse non potest, quin comburat, si materiam inveniat combustibilem, dilatat se & accrescit, & quantò plus combusserit, tantò plus vult adhuc comburere; famis est insatiabilis, nec unquam dicet: sufficit. Est pari ratione impossibile amorem habere & amare non velle. Anima Spiritu Sancto repleta, suscipit in corde suo eundem amorem, per quem Pater & Filius abs intermissione & infinito modo se invicem amant per totam æternitatem. Si igitur in corde suo eundem portet amorem, per quem Deus infinito modo amatur intra semetipsum, quomodò fieri possit, quin singulis momentis ipsius ignis accrescat, cùm amandum tale inveniat subjectum, quod nunquam tantum amari potest, quantum est amabile? Nonne necesse sit, ut quantò plus amat, tantò plus amare velit, abs eo, quod unquam desistat, abs eo, quod relaxetur, abs eo, quod unquam dicat: sufficit; satis est amatum.

Charitas producit actus suos faciliter & cum voluptate.

Omnes virtutes inclinant ad producendos actus sibi proprios. Liberalitas inclinat ad donandum; patientia inclinat ad tolerandum; Justitia inclinat ad reddendum unicuique suum; humilitas inclinat ad recipiendum quemvis contemptum: Et sic de aliis virtutibus. Sed Sanctus Thomas tenet, nullam virtutem tam fortem, tamque dulcem habere inclinationem ad producendos actus suos, qualem habet amor Dei; sed nec ullam in Exercitio suo tantam gustare suavitatem, quantam hic Amor gustat in suo: *Nulla virtus, inquit ipse, habet tantam inclinationem ad suum Actum, sicut Charitas; Nec aliqua ita delectabiliter operatur.* Spiritus Sanctus animam inhabitans, est velut sacra flamma nunquam non in Cœlum tendens, & animam abs intermissione impellens ad aman- D. Th. 2. 2. q. 23. a. 2.

amandum Deum suum: quod si fideliter divinos ipsius secuta fuerit attractus, tantâ perfundetur voluptate, ut totus simul mundus facultatem non habeat, talem vel unquam conferendi.

Cor fruitur voluptate divinâ in Deo ipso, dum ipsum amat.

Sanctus Augustinus in illa Scripturæ verba; *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei*; profert sequentia seraphico corde magni hujus Doctoris dignissima: Intelligant, si Filii Dei sunt, Spiritu Dei se agi, ut quod agendum est, agant, & cum egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant: aguntur enim, ut agant, non ut ipsi nihil agant, & ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, ut quando id agunt, sicut agendum

lib. de corrept. & gratia c. 8.

est, id est, cum dilectione & delectatione justitiæ, suavitatem, quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant. Hucusque Sanctus Augustinus, per quæ verba vult dicere: Filii Dei, si Spiritu Dei aguntur, hoc non fit, ut maneant ipsi immobiles; sed ut cor suum in ipsum effundentes, aspirent ad degustandum abundantius suavitatem Spiritûs ipsius, quo aguntur & impelluntur ad faciendum cum voluptate omnes voluntates ejus; & si semel omnem voluptatem suam collocaverint in rebus divinis, agnoscant, omnem voluptatem hanc esse merum Donum Dei, & Dominum esse, qui ipsis hanc dederit suavitatem. Nostri oculi voluptatem habent, videndo pulchritudinem colorum & lucis; nostræ aures delectationem inveniunt in dulcedine soni & harmoniæ; sed nihil par est voluptati, quâ afficitur Cor amando id, quod est amabile; Et si semel inceperit amare Deum suum, incipiatque gustare & cognoscere eum, quem amat, quantum adorandum hoc objectum in bonitate transcendit omne id, quod est extra ipsum, tantum & gaudium cordis ipsum amantis, transcendit gaudia omnia, quæ degustari possunt in creaturis.

Anima non amans Deum est inexcusabilis.

Quam excusationem afferre valemus, nisi perpetuò maximum quod boni operis præstare possumus, in præsenti hâc vitâ, exerceamus? Nam si occasiones exteriores nos destituant agendi quid boni, vel tolerandi quid mali, vel exercendi aliquam virtutem, vel portandi crucem Domini nostri: nonne semper habemus mentam nostram, quæ templum est Spiritus Sancti, ubi nos recolligere possumus cum ipso, reluctantibus frustra creaturarum impedimentis, quibus circumcingimur, & liberè hîc exercere actus, adorationis, fidei, spei, & præcipuè amoris Dei? Nihil tam est facile, nihil tam est delectabile; sed & nihil tam est heroicum, nihil tam magni-

magnificum, cum unicus ejusmodi actus multò majoris sit pretii, quàm si millena occupâssemus imperia.

Agedum, anima mea; si Deum amamus, possessione fruimur divini ipsius Spiritûs; namque id promisit nobis: *Si quis diligit me, ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; Et si Spiritûs Sancti possessione fruimur, nimis quàm divites sumus; nihil curemus cætera, sed benè magno hoc thesauro utamur. Ipse totus est amor, & amor infinitus Patris & Filii; Et si noster est, est & noster proprius amor. Amemus Deum per magnum hunc amorem, & nunquam cessemus ipsum magis & magis semper amare. Laboremus infatigabiliter modico hoc, quod restat nobis, tempore; Beata æternitas, quæ nos exspectat; Si Deum amemus, sat longa erit, ad indulgendam nobis requiem.

Consultatio X.

De Reciprocâ & mutuâ divinarum Personarum inhabitatione, quam Theologi Circuminsessionem appellant.

INcomparabili laborat fame intellectus noster cognoscendi veritatem, cujus quantò plus cognoscit, tantò plus adhuc cognoscere poscit; quantò magis se hâc adimplere molitur, tantò magis se illâ evacuatum experitur, & quidquid faciat, nunquam se satiatum, nunquam sibi credit satisfactum. Id inde est, quod natus sit pro veritate infinitâ, cujus fruitio constituere debet ipsius beatitudinem, & perfectam ipsius requiem in omnem æternitatem, hanc ubique indagat, sed sæpius aberrat, & loco veritatis, non nisi prosequitur vanitatem, & sacra hæc fames, quâ impelli debuerat ad Deum, degenerat in vanam curiositatem, qua procul à *D*eo recedit, quâque incessanter affligitur. Nihilominus divina misericordia, quæ è malis nostris potest elicere bona, utitur quandóque ipsismet illius erroribus ad reducendum ipsum, & supremam veritatem ibi feliciter invenire facit, ubi non nisi vanitatem inquirebat.

Curiositas trium Juvenum.

Quemadmodum accidit tribus præclari & acuti ingenii Juvenibus, qui postquam per aliquot annos humanarum scientiarum studiis

studiis suam navârunt operam, præcipuè autem Cosmographiæ, optimèque annotârunt omnia, quæ Auctores exarant de situatione mundi, de quatuor præcipuis terræ partibus, Europâ, Asiâ, Africâ, Americâ, de diversis regnis quamlibet partem dividentibus, de præcipuis Civitatibus, quæ in quolibet regno inveniuntur, & de quibusvis raritatibus, quæ in civitatum quâlibet poterant occurrere; dixerunt ad invicem: quid prodest nobis legisse in libris tot stupenda, quæ non nisi ex aliorum fide nobis constant? In rebus sensu perceptibilibus, speculatio sola, debilis est cognitio; pro eo, quod nostræ satisfaciat curiositati, ipsam magis accendit; oporteret illa ipsa propriis hausisse oculis, ut cor nostrum & animus noster, suam exin haurire possent voluptatem & omnimodam delectationem. Quid nos moratur? nonne nostra nobis est libertas! Eamus & videamus omnia, quæcunque pulchra, quæcunq; rara occurrere possunt in terrâ; innocentissima hæc est & maxima vitæ voluptas.

Occursus Sancti alicujus Eremitæ curiositatem ipsorum cohibet, & quomodo.

Unus ex tribus, cui acrius videbatur esse judicium, quàm aliis, volens fortassis ipsorum retinere curiositatem, quæ laboris plurimum & utilitatis parum ipsis parabat, consultò finxit, quod sciat & illis facili negotio ostendere possit ac velit, rarissima, quæ in mundo sint, prodigia. Et quænam hæc, dixerunt illi? Si forent abhinc quingentis stadiis, videre illa statuimus. Non ita procul ibimus, reponit alter, non nisi dimidiæ diei iter requiro, & ostendam vobis palatium adeò magnificum, ut vix simile habiturus sit universus orbis. Exin deducebat eos per certos montium anfractus, at postquam plures transiêrunt profluentes, perambulaverunt ex transverso loca quædam valdè deserta; unde delati sunt in sylvam adeò densam, ut arborum crura nunquam attigerit radiorum solarium virga, quàm postquàm transiissent versùs septemtrionem, deduxit illos ad specum devoti alicujus Eremitæ, quem ante viginti circiter annos in vastam illam solitudinem noverat concessisse.

Hic cum adverteret hominum præsentiam, illicò meditabatur fugam, seque abscondere volebat, metuens adesse prædones, qui veniissent ad rapiendum sibi thesaurum suum: ita nuncupabat silentium suum, solitudinem suam, contemplationem suam, internam pacem suam, universalem suam rerum omnium mundanarum oblivionem, altissimam paupertatem, dulcemque Dei possessionem, omnia hæc erant thesaurus ipsius, adeoque

mundi affectas aspiciebat velut prædones, qui non nisi apti essent ad exspoliandos Eremi cultores pretiosis his Cœli divitiis, & adimplendos mundi crepundiis. Lubens se igitur fugæ mandâsset, sed paulisper mente revolvens, quod forsan Deus consultò ipsos ad se destinaverit, ut ex suo proficerent colloquio, secum statuit suam illis exhibere præsentiam, quod & fecit ad passus aliquot Angelico oris habitu illis procedens obviam, & maximâ ipsos excipiens cum benevolentiâ ac liberalitate. Et exin versùs suam ipsos deduxit cellulam, quam tamen ut intrarent, non invitavit; Erat namque tam parva, tam humilis, tam angusta, ut uni vix homini capiendo sufficeret, incurvato licet corporis situ.

Estne igitur, inquiebat ex illis unus, hoc speciosum illud palatium, cujus nobis promittebatur aspectus? Non, reposuit illicò Solitarius, hoc non est palatium, quod incolere soleo. Id quod videbis non est nisi carcer, quo quempiam capitis reum captivum teneo, & sepulchrum, quo mortuum quendam tumulare mens est, sed ad me quod spectat, magnificentissimum in Cœlo palatium, quod vobis monstrabo, videre si vultis. Ad hæc attoniti aspiciebant se invicem, ignari quid dicere vellet; Et ipse prosequens, non mirabimini, ajebat illis, in hæc me verba loquentem audientes, si ea, quâ fruor, vobis constiterit beata sors.

Dicam vobis, amici mei: anima mea & corpus meum, magnam inter se habuêre contentionem, & longo tempore sibi invicem moverunt bellum, præteudebat Corpus meum, servitute sibi obstrictam esse animam meam, & ad præstanda arbitrio suo sibi obsequia, ex eo, inquiebat, quod cum sibi ex jussu creatoris dare & conservare deberet vitam, suppeditare quoque debent consequentia ad vitam, uti sunt lautæ dapes, quies, recreationes, & omnes reliquæ vitæ naturalis vel necessitates vel commoditates. Contrarium tenebat anima mea, tantum abesse, se corporis subesse imperio, ut potius ipsius velut mancipii uti possit operâ; adeoque nil aliud ipsi deberi, nisi alimenti parum, laboris plurimum, plagas supra modum, & in omnibus exactum obsequendi studium, cùm illa sit ipsius Domina, altioris ac nobilioris abs comparatione conditionis. Ipsorum contestatio constituebat me ipsum quasi campum prœlii, ubi hi duo adversarii acerrimè inter se decertabant; Et ego cum tædio tumultus hosce, nullis finibus coarctatos tolerare coactus, levatis manibus in Cœlum, clamabam cum

Disceptatio animæ & corporis.

Apo-

Apostolo : *Infelix ego Homo! quis me liberabit de Corpore mortis?* An ergò nunquam, mi Deus, liberabor ex durâ hâc persecutione, quæ tanto me jam tempore affligit?

His obrutus angustiis, vehementem intra memetipsum percipiebam vocem bis insonantem hæc verba mihi : *Beati, qui habitant in Domo tuâ, Domine; Et beati, qui habitant in Domo tuâ Domine*: Et ex hoc intelligo, me nunquam habiturum pacem, quoad anima deseruerit Corpus meum, ut obtineat facultatem habitandi in Domo Dei, velut in loco refugii & securitatis. Et ex nunc mecum concluſi perpetuum inter Corpus meum & animam meam facere divortium, & condemnavi Corpus meum ad habitandum perpetuò in hoc ergastulo, quod pro reo capitis nimiæ adhuc est Commoditatis, ut hâc ratione anima mea omni fruatur libertate pacificè commorandi in dilecto tabernaculo Dei sui. Intelligebam probè, augustissimum & magnificentissimum hoc esse debere palatium tanto Monarchæ recipiendum accommodatum, sed nesciebam adhuc quale hoc sit palatium, & quâ ratione illuc intrare mihi liceat.

ARGUMENTUM.

1. *Domus Dei non est magnus hic mundus.*

2. *Sed divinæ Personæ habitant invicem in se.*

Articulus I.

BEnè novi, Deum ubiqúe esse, quia immensus est; sed benè etiam novi, quod, cùm immensus sit, habitare non possit in magno hoc universo, velut in domo suâ, Eoquod proportionatæ deberet esse magnitudinis pro Majestate tanti hospitis; est enim illud, si infinitæ magnitudini Dei comparaveris, minus minimo atomo, nisi hunc contuleris cum Cœlo. Quâ ratione igitur esse possit Domus Dei?

Fateor quidem, magnificum hoc esse palatium; nam oculos attollite, & aspicite magnitudinem illius, inquiebat, manibus ipsis demonstrans Cœlum. An unquam fuit palatium instructum tantæ tum altitudinis, tum latitudinis tecto? An unquam subiit oculos lacunar tam pretiosum tamque splendidum? Quod si illud consideraveris tempore noctis, quæ dum tegit nobis pulchritudinem terræ, nobis detegit decorem Cœli, videbis id locupletatum innumero stel-

Quamvis palatium naturæ sit pulcherrimum, non est tamen domus Dei.

larum numero, quæ velut totidem erunt carbunculi, rubini, smaragdi, adamantes cæruleo campo inserti. Et ubiqúe noveritis (nullus enim dubito, quin vestra vobis curiositas addiderit calcaria, ad cognoscenda globorum cœlestium prodigia) harum stellarum minimam, quæ vobis hic velut minimus videtur apex luminis, sexagies sexies, majorem esse universâ terrâ; & plerasque adhuc multò majores. Multiplica hanc magnitudinem toties, quot stellas numerabis in Cœlo, & exin, si poteris, metire spatia inter illas adhuc vacua & inania. Quàm portentosam aspicies magnitudinem in specioso hujus palatii tecto?

Omnia stupenda sunt in suppellectili hujus palatii.

Quis architectus infinitâ præditus sapientiâ tam magnificam mente suâ concipere potuit ideam? Quod brachium omnipotens illam mandare executioni? ubi invenit & unde eruit materiam ampliando tanto decori, spendori ac pretio idoneam? Sed videte, qualiter id exornaverit infinitâ multitudine tam pretiosi & in varietate suâ admirandi suppellectilis, quo totum est plenum à summo cœlorum vertice, usque ad imum centrum terræ, abs eo, quod tantillum sit spatii, ubi tantùm digitus possit locari, quod vacuum, sit in universo orbe. Assiduitas, quâ omnia hæc prodigia nobis ob oculos versantur, adimit nobis ipsorum æstimationem; sed immorare, & defixâ mente considera vel minimam suppellectilis hujus particulam, hæc tibi tam stupenda videbitur, ut nulli intellectui humano tanta futura sit acrimonia, quâ penetrare possit vel ipsius artificium, vel comprehendere omnes ipsius pulchritudines. Quod si omnes mundi artifices contendant, & omnem suam impendant industriam, ad effigiandum solummodò florem, vel minimam terræ plantulam, nunquam efficere id poterunt; & quidquid tandem fecerim, non nisi apparentem speciem & speciosam apparentiam poterunt ob oculos collocare: siquidem nec vitam, nec secretam aliquam virtutem aliàs ipsi congruam, illi poterunt communicare; & si minima magnifici hujus palatii particula refugit omnem humanæ potentiæ imitationem ac industriam, quid de universo censendum erit?

Palatium, ubi Majestas Dei habitat, est infinitò modo pulchrius.

Et nihilominus pro quo putas ædificâsse Deum palatium tam magnificum, tam splendidum, tam amplum? Non pro se ipso: hoc enim non est nisi viatorum inops tugurium, infinito modo Majestate tanti Monarchæ indignum; Servorum duntaxat id est habitaculum.

lum ac bestiarum receptaculum. O si vidisses palatium illud augustum, ubi ad gustum adoranda illa Majestas habitat in æternum? *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit Anima mea in atria Domini.* Ostende mihi admirandas pulchritudines tuas, jucundam habitationem Dei mei, rape me ad te, indica mihi, O dilecte animæ meæ, ubi cubes, ubi quiescas in meridie gloriæ tuæ.

Psal. 87.

Optimus hic Dei famulus totus præ dulcore solvebatur in lachrymas, usu sensuum vix non destitutus, & jamjam obruendus profundâ illâ & sibi consuetâ extasi, quando ad contemplandas Dei excellentias attollebat animum, à quâ ipsum tres illi viatores, ne privarentur solatio, quam ex ipsius conversatione affatim hauriebant, retrahere & impedire nitebantur, adeoque precabantur ipsum, ut inceptum prosequeretur Sermonem. Oportet ergò, dicebat illis, nos unà, vos mecum, & me vobiscum deserere terram, imò & Cœlos ac omnes res creatas, si quidquam videre volumus ex infinitâ pulchritudine jucundissimæ Domûs Dei, quam incolit ipse in personâ.

Deus habitat in seipso.

Ne putetis, quidquid creatum est, existere posse veram Dei domum ac habitationem. Siquidem nonne eâdem, quâ modo, magnificentiâ habitabat ante mundi creationem, quando nihil erat, nisi ipse solus? Ubi ergò tunc habitabat, nisi in se ipso, ubi hodiedum adhuc habitat, & habitabit in æternum. Si quæris, quisnam architectus hoc erexerit palatium? Nemo unquam adjecit hic manum, est à seipso, est necessariò, est æquè grandævum ac æternitas. Si interrogas, ex quâ subsistat materiâ, quæque sit ipsius figura? Nec materiam habet, nec formam; purus est Spiritus in esse suo; purus & simplicissimus est actus in essentiâ suâ, est magnitudo infinita, immensa, incomprehensibilis in perfectione suâ; Est magnus & inexhaustus infinitarum perfectionum Oceanus, & non est, nisi res quædam simplicissima. Sed dum vobis hoc dico, nihil dico ex eo, quod reipsâ est; siquidem hoc nec oculus mortalis unquam vidit, ner auris audivit, nec in cor hominis ascendit; nam si ascendere posset, non foret quid magnum. Ipse est ingens excellentiarum, deliciarum & gloriæ abyssus, solus sufficiens ad conferendam in æternum beatitudinem & Creatori & Creaturæ. Unico verbo, est id, quod ipse solus perfectissimè cognoscit.

so, sicut ante mundi creationem.

Nonnisi tres magni Monarchæ habitant in domo Dei.

Et nihilominus non nisi tres Personæ augustum hoc inhabitant palatium, nec ullum unquam id amplius potest admittere; Hi tres Monarchæ non habent nisi unam solam Coronam, unum solum Regnum, unum solum Dominium. Quilibet illorum tam est magnus, ut perfectissimè impleat totum ac immensum hoc palatium; Et nihilominus duo alii, qui æquè sunt magni, unà cum ipso ibidem habitant; necessarium igitur est, ut omnes tres habitent in se invicem, unus in alio. Sed, quod valdè stupendum est, & admirationem auget, est, quod id fiat abs eo, quod se invicem penetrent, sicut facerent duo corpora gloriosa; abs eo, quod invicem misceantur, sicut facerent plura lumina, quando sunt simul: siquidem nunquam non ita realiter manent hæ tres personæ inter se distinctæ, ut una non sit altera; Et tamen non tantùm sunt intimè inter se unitæ, sed sunt una simplicissima unitas, ita ut omnes tres non sint, nisi una eademque res: Et hoc est, quod intellectum humanum reddit attonitum, & obrutum majestate incomprehensibilis hujus Mysterii. Unus solus Deus est realiter tres Personæ, & tres Personæ realissimè inter se distinctæ, sunt unus solus Deus. Unitas tam benè stat cum multitudine, & multitudo cum unitate, ut unum non impediat alterum.

Hoc est, quod in magnam rapiebat admirationem Sanctum Bernardinum, Consideratione hujus prodigii defixum: *Quomodò stat Pluralitas cum Unitate, aut Unitas cum Pluralitate? Scrutari Temeritatis est; Credere Pietatis est: Nôsse, Vita Æterna est.* O Beatos sanctæ Civitatis inquilinos, aquilinis vos id jam clarè intuemini oculis, & clarè intuentes id admiramini: Et nos aliquando id clarè videbimus, & hæc æterna erit animarum nostrarum vita. Verum est, non comprehendere vos, absorbere vos, rapere vos pulchritudinum suarum illiciis: Sed quando plenè horum aspectu saturabimini? Nunquam: Sed semper & in perpetuum ineffabili horum dulcore inebriati, æternâ manebitis extasi extra vos rapti atque defixi. O Mi Deus, quando hoc erit? quando hoc erit? quando veniet beata illa Dies, quâ hæc, sicut intueris, & nos intuebimur?

S. Bernard. lib. 5. de consider.

Solitarius enuntiabat hæc verba, oculis ac manibus in Cœlum sublatis, tanto cum Spiritûs fervore, tamque jucundâ divinæ gratiæ unctione, in ipsam faciem ejus diffusâ, ut, qui ipsum audiebant, hunc oris ac corporis habitum intuendo, ac tali ratione

tione ipsum loquentem percipiendo, intra se commoti dicerent ipsi : O mi Pater ! quàm benè apparet, divini hujus palatii, de quo nobis loqueris, pulchritudines tibi haud esse incognitas, teque sæpius illuc intrare, ad contemplanda illius portenta & prodigia. Sed nos, qui repimus super terram, quâ ratione eousque rapiemur in sublime ? Ah si saltem ad januam nobis stare liceat, sicque assulgeat spes ; vel eminus quidquam spectandi.

Omnes admittuntur ad videndam pulchritudinem hujus palatii.

Imò, hoc vobis licet, inquiebat illis, non enim hìc illa est ratio, quæ Regum terrenorum efficit palatia, quorum accessus non semper est liber intrare volenti ; hoc námque nunquam non apertum est, nec prætoriana hìc cohors adest, quæ aditum prohibeat ulli : sed potius hìc cunctis patet introitus, nemo non admittitur benignè ; quin & divinæ tres Personæ, quæ immensam speciosi hujus palatii replent magnitudinem, omnes, ut secum velint esse, sibique cohabitare, invitant. Ingrediamur confidenter, & primò consideremus palatii hujus magnificentiam & splendorem. 2. Exinde colloquium cum tribus adorandis personis hìc commorantibus iustituamus. 3. Et tandem, quid inter illas in omnem æternitatem agatur, perpendamus : Beati, qui habitant in Domo tuâ Domine.

ARGUMENTUM.

1. *Essentia Divina est palatium, ubi habitant divinæ Personæ.*
2. *Dici potest, quod tria sint palatia in hâc Essentiâ pro tribus adorandis Personis sanctissimæ Trinitatis.*
3. *Pro nobis non est hìc nisi unicum palatium.*

ARTICULUS II.

Divitiæ Essentiæ Dei.

NE miremini, si vestri obtundantur ab initio oculi, dum illos acuere putatis ad intuendum augustæ hujus Majestatis splendorem ; Scriptum est enim, quod lucem inhabitet in accessibilem : roborabit nihilominus fides animæ tuæ oculos, illisque modum suggeret, ex parte saltem introspiciendi obscuritatem divinæ essentiæ, quæ infinitudine quâdam infinitarum perfectionum ita locupletatur, ut si per impossibile dividi posset inter omnes creaturas totius mundi ac etiam illas,

las, quas Deus creare potest, quælibet in particulari perfectionem haberet infinitam, & consequenter quælibet verus esset Deus. Videbis in adorandâ hâc essentiâ talem omnipotentiam, ut absque ipsius virtute infinitâ, omnia sint nihil, & per ipsius virtutem nihil sit omnia; & tandem illa ipsa sit omnia & sit nihil. Ratio est, quia si omnipotentia Dei non conservaret omnia entia creata, reducerentur in Nihilum; Verum ergò est, quòd absque illa omnia sint nihil. Sed quandoquidem ipsa omnia entia è sinu nihili extraxit, & adhuc omnia, quæ voluerit, extrahere potest, hinc iterum verum est, quod nihil per ipsam fiat omnia. Et tandem Deus est omne id, quod est ineffabile & incomprehensibile: sed & est nihil ex omni eo, quod nos vel dicere vel concipere possumus. Ecce quomodò sit omnia, & quomodò sit nihil.

Deus immensus totus integer est in minimâ creaturâ.

Videbis per fidem in hâc unicâ simplicissimâ essentiâ talem immensitatem, ut magnitudo Dei constringi non possit omni latitudine totius hujus universi; Et nihilominus tota integra invenitur in creaturâ minimâ; Et tandem continet in manu suâ omnia entia creata, quasi aliud non essent, nisi unicus atomus. Diffunde oculos tuos & vide, quantæ amplitudinis, quantæque sublimitatis sint Cœli, & dicito intra teipsum: Deus infinito modo major est his omnibus; nam scriptum est. *Excelsior Cœlis fructus:* demitte exin oculos tuos, & perpende vel minimum arenæ granulum, quod fuerit ad littus maris, & dic: Deus, quem adoro, totus est integer ac totus immensus in hâc parvulâ creaturâ, quia cùm sit infinito modo simplex ac indivisibilis; ex parte ibi esse non potest. Tandem portat in manu suâ ingentem hanc mundi machinam, haud aliter, quàm minimum pulvisculum; eoquod tota creaturarum massa multò minor sit respectu infinitæ Magnitudinis DEI, quàm sit atomus respectu totius universi: *Qui Cœlos Palmo ponderavit.* Isa. 40.

Alia prodigia Essentiæ Dei.

Conspicies in hâc ipsâ Essentiâ tam illustres gloriæ splendores, ut dici possit, illam ex omnibus rebus invisibilibus, omnium maximè invisibilem esse; Nihilominus est ipsa ex omnibus rebus visibilibus maximè visibilis; Et tandem in omnibus rebus visibilibus ipsa videtur invisibiliter.

Verum

Verum est, illam maximè invisibilem esse ex omnibus rebus invisibilibus, eò quod Scripturâ dicente, lucem inhabitet inaccessibilem, & nulla creatura oculos habeat tam perspicaces, ut ipsam aspicere possit, nisi lumine gloriæ fuerit elevata & roborata, DEUS solus sit, qui videri non possit, qualis reipsâ est. Verum quoque est, ipsum ex omnibus rebus visibilibus maximè visibilem esse Sanctus Thomas hujus affert rationem; eò quod ipse actus sit purus, nullam admixtam habens potentiam, Ens quoddam infinitum infinito modo elongatum ab omni genere non Entis. Vult dicere, quod sicut nihil magis est invisibile quàm nihilū, cùm nihil in se habeat, quod videri possit; ita etiam nihil magis sit visibile, quàm Ens infinitum nihilo oppositum; Et si visibilis non est nostris oculis, causa refunditur in ipsorum debilitatem, quâ inepti redduntur ad conspiciendos magni hujus solis splendores. Et tandem in rebus omnibus visibilibus videtur invisibiliter: quid enim in omnibus rebus creatis videmus, nisi parvum quendam radium infinitarum perfectionum primæ hujus causæ, à quâ productæ sunt: sufficiunt hæ quidem ad demonstrandum nobis quod sit: Sed ad declarandum, quis vel qualis sit, prorsus inidoneæ & impares sunt.

D. Th. 1. p. 1. q. 12. a. 1.

Sic dicerē possumus, quod se tum demonstret, tum abscondat nobis in omnibus Creaturis.

Tandem videbis per fidem in essentiâ divinâ divitias tam copiosas, ut nullius rei indigeat ipsa, sed omnia potius indigeant ipsius, quodque sola ipsius voluntas sufficiat tum sibi ipsi, tum omnibus Creaturis. Videbis ibi justitiam, quæ jure æquissimo bona præstet & exhibeat maximè impiis, cùm nullus sit vitæ tam profligatæ, quin interdum quid boni exequatur operis, quod retributionem mereatur saltem temporalem; Et justitiam, quæ absullâ injuriâ malis afficiat homines bonos & probos, eò quod nemo sit tantæ sanctitatis, qui se reum non fecerit alicujus noxæ, quæ temporalem saltem non mereatur pœnam. Videbis ibi misericordiam, quæ nullâ tangatur compassione miseriarum humanarum, eò quod, cùm DEUS impassibilis sit in suâ divinitate, omninò compassionis sit incapax; Et tamen videbis misericordiam, quæ suæ bonitatis excessu, ex amore erga nos eò miseriarum devenit, ut hominem induens, in carne humanâ pati & mori debuerit super Crucem. Quid igitur poterit cogitari de hoc mari absque fundo, de hoc Oceano absque ripâ, de hac magnitudinum abijsso omnes magnitudines absorbente? Ah!

Essentia Dei est abijssus prodigiorum.

infinita Majestas, & dignaris tuos super nos defigere ac demittere Oculos? Ah! quid sumus Coram te?

Dolor bonæ animæ quod Deus tam magno ita contemnatur.

Quantus dolor bonæ sit animæ, quod DEUS tam magnus à suis contemnatur Creaturis? Sanctus Chrysostomus ardenti desuper movetur zelo, insolentiam admirans peccatoris, dum non timet rebellare adversus eum, ipsúmque offendere, qui sibi benè fecit; quodque is, qui non est nisi terræ pulviculus coram suprema illa Majestate, dolore cordis transfixus non succumbat fatis: *Hæc cùm audis, non te luges? non te ab hominum consortio distrahis! non te obruis? qui eò temeritatis & amentiæ proruisti! ut quem glorificare debes & adorare, hunc ceu rem vilem contemnis!* Quomodò, ô Peccator obcœcate, dum verba audis de magnitudine omnipotentis DEI, coram quo incessanter te vultu in terram demisso humiliare deberes, dum vides ipsum protervè à te ac temerariè contemptum; Et tu siccis adstas oculis, non solveris in lachrymas, non frequentatis ictibus disrumpis pectus, non te abscondis præ pudore, non vivum te busto tumulas, adhuc comparere audes coram facie Angelorumque hominumque? Ah! quis dabit capiti meo aquas, & oculis meis fontem lachrymarum, ut non cessem plorare omnibus diebus vitæ meæ, quoad ex meis eliciam oculis sanguinem cordis mei, mortuusq; corruam ante pedes ejus, ad exsolvendam ipsi honorabilem de me & per me mulctam.

Hom. 2. Contra Anom.

Ah quid, mi Pater! interpellabant ipsum tres hi Discipuli, quos informandos susceperat: dabas promissa, ostensurum te nobis Divini splendorem palatii, nosque sperabamus ipsius lætanter fruituros aspectu; & in tumulum deducis nos, ad deducendos Exemplo tuo ex oculis nostris lachrymarum fontes? Verum est, ipse ad illos, Filii mei, lachrymandi tempus non est, dum pulchritudo essentiæ divinæ subit mentis oculos; cùm DEUS promittat absterşurum se lachrymas nobis, dum videbimus ipsum: Absterget DEUS omnem lachrymam ab oculis eorum. Volebam discursu meo sublimem vobis imprimere idæam circa ineffabilem pulchritudinem Domûs DEI. Sed forsan in admirationem vos rapiam, si dixero vobis, superadorandam hanc Essentiam, cujus paulisper vobis Excellentias posui ob oculos, angustũ quidem esse palatium, miseris nobis mortalibus præparatũ, ut beata nostra sit in omnem æternitatem habitatio; sed ut verum fatear, ipsa non est, nec esse potest palatium trium Personarum adorandæ Trinitatis.

Mira-

Beati habitant in essentiâ Dei, & tres divinæ personæ non habitant ibi.

Mirabile profectò videtur, quod miserabiles nos terræ vermiculi arrogare audeamus nobis, essentiam divinam infinitis præditem, iisdem splendidissimis perfectionibus, futuram olim palatium, ubi omni repleti gaudio in omnem commorabimur æternitatem. Sed mirabilius adhuc videtur, quod dicere audeamus, Divinas tres adorandæ Trinitatis Personas ipsas ibidem non commorari velut in domo suâ; Et tamen ipsissima est veritas: non quod dicere velimus, divinas hasce Personas, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, esse extra essentiam Divinam, hæc enim magna foret Blasphemia; nam si per impossibile inde exularent, DEUS non essent; dicere tamen non possumus, illas in divinâ hâc essentia commorari, velut in suo palatio; aliàs realiter deberent esse distinctæ ab ipso, cùm certum sit, hospitem realiter distinctum esse à domo, ubi commoratur. Dicendum igitur est, quod nec sint extra, nec intra essentiam divinam, sed sint ipsa essentia divina; adeoque & dicendum, distinctionem nullam esse inter unicam hanc essentiam, & tres adorandæ Trinitatis personas.

Cur divinæ personæ non habitent in essentiâ Dei?

Hinc est, quod omnes Theologi doceant, essentiam divinam infinito modo fœcundam quidem esse, nihil tamen ipsam producere ad intra: Siquidem ipsa non est, quæ divinas producit personas, sed personæ divinæ sunt, quarum una producit alteram, fœcunditate essentiæ sibi communi: Nam si essentia divina produceret personas, quid inde sequeretur? Nisi quod dici posset, illam realiter esse distinctam à personis, quas produceret, verumque esset dicere: Essentia divina non est personæ, & personæ etiam non sunt essentia divina; sicut verum est dicere: Pater non est Filius, & Filius non est Pater. Et quid esset hoc dicere, quod persona non sit essentia divina, quàm dicere, quod non sit DEUS? Et consequenter dicere non possumus, si rectè loqui velimus, quod divinæ tres Personæ habitent in propriâ suâ essentiâ, velut in suo palatio; sed dicendum est, quod ipsæmet sint essentia DEI.

Quodnam est igitur angustum illud, in quo habitant, palatium? Dicendum est, illas omnes, esse reciprocum sibi invicem palatium. Quælibet ex tribus est magnificum palatium duarum aliarum. Pater est palatium Filii & Spiritûs Sancti: Filius est palatium Patris & Spiritûs Sancti: Et Spiritus Sanctus est palatium Patris & Filii. O quàm dignè, quàm splendidè habitant! quælibet reperit in aliis dignam magnitudine suâ habitationem;

Personæ divinæ habitant in se invicem.

sed hæc recipiendi illas obligationem nullam habet, illarum non indiget, nec dependet ab illis. Pater habitans in Filio suo, largitur ipsi totam Divinitatem suam, omnesque suas infinitas ipsi communicat delicias absque ullâ exceptione; & tamen Filius ipsi non manet obligatus, nec ullam debet ipsi subjectionem. Pater & Filius habitantes in Spiritu Sancto, tribuunt quoque ipsi totam suam divinitatem ac totum immensum gaudiorum suorum Oceanum, & tamen hic illis nihil debet, nec ullâ ratione ab illis dependet. Et Spiritus Sanctus habitans in Patre & Filio nihil dat nec tribuit illis, & tamen aliis duobus non minus est dives, non minus liberalis. O Mysterium admirabile! O Arcana incomprehensibilia! Non enarrantur ingentes hæ veritates, ut ipsas comprehendamus, sed ut ipsas admiremur, adoremus, & fateamur esse incomprehensibiles.

Personæ divinæ habitant etiam in nostra anima.

Nihil ominus, quantus felicitatis nostræ cumulus, quanta gaudiorum nostrorum abundantia, dum consideramus, adorandas hasce tres personas, tam magnifico exceptas hospitio, dum ita hospitantur in se mutuò, sicque hospitando fruuntur omni infinitâ voluptate, quâ plenè contentari potest ipse DEUS, tantum habeant bonitatis, ut eligere voluerint animam nostram, velut alterum palatium extra seipsas, ut suas illic nobiscum capiant delicias, nobisque abundanter communicent suas; haud aliter, quàm si Princeps, qui totus deliciis & splendoribus aulæ suæ Regiæ plenus, datâ operâ sibi exstrueret ruri parvum quendam voluptatis locum pro recollatione suâ.

Inæstimabilis felicitas animæ, cui Deus tantam exhibet gratiam.

Quis unquam favorem tam specialem sibi arrogare præsumpsisset, si ante mundi creationem vocatus fuisses ad supremum adorandæ Trinitatis Consistorium, & omnes tres divinæ Personæ infinitâ illâ propriarum deliciarum abundantiâ refertæ, quibus tam perfectè in omnem satiantur æternitatem, ut nullius omninò rei extra semetipsas indigeant, tibi dixissent: est nobis mens exeundi è nostro palatio, ad inquirendum in abysso nihili Creaturam aliquam, quam ad nostram formabimus imaginem, illisque ditabimus ipsam donis, quibus apta reddatur, ad contrahendum nobiscum familiare commercium, non quod illâ ullatenus indigeamus, vel ipsa quidpiam boni nobis valeat præstare; sed eo duntaxat nomine, nostris ipsam cumulemus beneficiis, jucundabimur cum ipsâ, tamque amicè conversabimur, ut futura sit omnium favorum nostrorum centrum & scopus; ipsa sola ex infinito aliarum Creaturarum numero

erit,

erit, quæ magno hoc gaudebit Privilegio, aliæque omnes non nisi ad ipsius destinabuntur servitia: Et omnibus his favoribus auctam in terris, majoribus adhuc prosequemur, facturi ipsam æternorum nostrorum honorum ac gaudiorum consortem in Cœlis.

Indignitas animæ Deo ingratæ.

Quid tibi fuisset animi de fortunatissimâ hâc Creaturâ? Quid dixisses de maximâ ipsius obligatione, quâ tantæ tamque excessivæ tenebatur bonitati? Ah! Domine, quid unquam in tantæ bonitatis recognitionem poterit præstare? Aliud non exigo, dixisset tibi DEUS, nisi ut me adoret, me amet ac diligat; Et tamen ingrata, pro eo, quod me adoret, contemnet me; pro eo, quod me amet, omni alteri suum dicabit amorem, rebus etiam vilissimis, nugis ac crepundiis, quin & brutalium voluptatum illecebris, quarum suffundi deberet pudore; malens pro momentaneâ brutali delectatione perdere æternarum deliciarum, quas ipsi præparaveram, possessionem. An potuisses hoc credere? An tibi imaginari cœcitatem tam monstruosam, tantumque ingratitudinis portentum in Creaturâ tantis titulis DEO suo obstrictâ? nonne dixisses, impossibile hoc est? Monstrum námque tam abominandum id foret, ut mereretur obrui lapidibus, feriri fulminibus, discerpi ab omnibus Creaturis justâ indignatione accensis. Et tamen res ita se habet; Et tu ipsa es ingrata hæc, indigna hæc Creatura, dum offendere audes amabilissimum hunc Benefactorem, qui extraxit te è nihilo, eo duntaxat nomine, ut infinitis te cumularet beneficiis in tempore & æternitate.

Quid dicitis ad hæc, inquiebat tribus viatoribus Eremicola, magnâ aviditate suo intendentibus sermoni? Nósse vellem, quæ circa magnas hasce Veritates sint animi vestri sensa? hæ námque tam evidentes, támque manifestæ sunt, ut nullam admittant contradictionem. Videbantur equidem commoti tum admiratione ex magnitudine DEI conceptâ, tum intimo bonitatis ipsius amore, tum etiam dolore, quod ipsum hucúsque debito honore, amore, obsequio non fuerint prosecuti: sed metuentes inceptum interpellare discursum: perge, inquiebant ipsi, mi Pater, etiam atque etiam obsecramus te: Introitus hujus palatii ad palatum est nostrum; exspectamus à te, ut spectandam nobis exhibeas, majestatem eorum, qui hoc inhabitant palatium.

ARGUMENTUM.

1. *Quàm aditu faciles sint tres Personæ adorandæ Trinitatis, & quàm promtè ad familiare admittant colloquium.*

2. *Quomodò loquendum omnibus simul, vel cuilibet in particulari cum voluptate & profectu.*

Articulus. III.

Quodnam sit verum Cœlum animæ nostræ.

NOn capiebam statim ab initio, quod Sanctus Paulus nos admonebat; Conversationem nostram esse debere in Cœlo: Siquidem cùm longè inferiorem me cernerē globis illis cœlestibus quibus, nostra subsunt capita, non videbam, quomodò conversari ibi possem, ubi non eram. Sed modò probè intelligo, Cœlum hoc visibile, quod velut tectum est magni hujus Universi, è Creaturis materialibus compositum, non esse Cœlum animæ meæ, quæ spiritualis est; Id tantum Corporis mei, quod materiâ constat, est Cœlum. Anima mea aliud Cœlum habet, ubi DEUS habitat, & ubi cum illo conversari potest; & hoc Cœlum non procul est ab illâ, sed in medio ipsius, in intimis penetralibus ejus. Hoc est Cœlum, quod DEUS creavit pro seipso, & pro animâ, & in quo sibi complacet familiariter cum animâ conversari: Ita ut, quando tota recollecta est in seipsâ familiariter conversando cum DEO illic præsentissimo, tunc existat & habitet in hoc Cœlo: Id quod ex Sancto Ephrem hausi docente: Semper memineris DEI, & Cœlum mens tua evadet.

Cùm Deus se à nobis amari permittat, etiam nos ad colloquium admittit.

Invenio hîc facilè & absque labore omnes tres adorandæ Trinitatis Personas, & licet ipsæ infinitæ sint magnitudinis, quæ totâ Cœlorum latitudine constringi non possint, sunt tamen omnes totæ ac integræ in animâ meâ, cùm per partes ibi esse non possint, eòquod omnino sint indivisibiles & partes nullas habeant. Verum est, ipsas esse Monarchas tam splendidæ, tamque formidandæ Majestatis, ut altissimi Cœlorum Seraphini coram ipsis contremiscant, ipsasque aspicere verecundentur. Sed cum hominibus familiariter conversari in deliciis habent, quos tantò liberalius amant, tantò benignius recipiunt, quantò fuerint viliores, quantò simpliciores. Et ego quem vilissimum vos cernitis, abjectionem plebis & novissimum virorum, non cessavi animare me, ut ipsarum me præsentarem conspectibus confidenter; dicebam nam-

namque intra me. Quandoquidem altissima hæc Majestas, quam adoro, permittit mihi, ut amem ipsam, confidere quoque possum, quod mihi permissura sit, ut ipsam conveniam, ipsam alloquar; Et quia amare me vult, si amem ipsam, non dedignabitur certè mihi aures præbere, mihi loqui, si locutus ipsi fuero; nemo enim, quod amat, aspernatur: maximè cùm me non lateat decantatissimum illud ipsius Effatum: Delicias suas esse, esse cum Filiis hominum, quas delicias vult esse reciprocas, nil aliud exoptans, nisi ut pariter Filii hominum in hoc suam collocent felicitatem, suas credant esse delicias, si liceat ipsum alloqui, ineffabili præsentiæ ipsius frui dulcore.

Facilis accessûs & colloquii sunt divinæ personæ,

Et experientiâ teste didici, ipsum præbere accessum tam facilem cuicunque se convenire volenti, ut tam facilis conventu non sit abjectissimus hominum; tam liberalem facultatem dat DEUS secum congrediendi, secum confidenter, quin & familiariter colloquendi. Video, quod non solùm neminem repellat, sed nos præveniat, nos prior inquirat: Et si probè attenderemus in profundo cordis nostri silentio, ipsum abs intermissione cordibus nostris perciperemus loquentem. O mi DEUS! quantâ dulcedine, quantis deliciis perfunditur anima, quæ assueta est in Cœlo cordis sui conversari cum adorandis tribus Personis ibi nunquam non præsentibus, nunquam non paratis ad ipsam recipiendam & admittendam usque ad intimum augustissimorum palatiorum suorum penetrale, ad conversandum ibi cum ipsâ familiariter! Invenit ipsa personas has tam dulcis, tam jucundæ ac delectabilis Conversationis, ut nunquam vel minimâ tædii alicujus aspergatur amaritudine. Ah! nemo inquirat, quâ ratione Cultores Eremi tam altum colere possint silentium, toto tempore vitæ suæ, abs eo, quod contabescant fastidio! Magis est difficile, quâ ratione animæ ad conversandum æternaliter cum Deo creatæ, qui solus contentare potest ipsas, suam possint transigere vitam in continuâ dissipatione, abs eo, quod unquam, vel quasi unquam cum DEO loquantur. Quomodò se ipsas sic perpetuò spoliare possunt conversatione tam dulci, quæ summè oblectat abs ullo tædio Beatos in Cœlo?

Quomodò loqui possimus cum tribus divinis personis.

Colloquium cum unâ solâ personâ, quam amamus, quæque nos amat, voluptate nos afficit. Sed ecce hic tres infinitæ Excellentiæ Personas, quæ omnes nos magis amant, quàm cogitatione valeamus assequi, quasque eâdem ratione ex toto corde nostro deberemus amare: ut quid ergò ex ipsarum colloquio, non maxi-

maximo colliqueſcimus gaudio? Ipſarum ſunt tres, ſed omnes non habent niſi unum intellectum & unam voluntatem: Meo relinquitur arbitrio vel loqui cum omnibus ſimul, vel ſpecialiter cum unicâ ſolâ converſari. Quandoque loquar cum Patre ſolùm, & nonnunquam cum Filio ſolùm, & interdum cum Spiritu Sancto ſolùm. Et licet optimè ſciam, nihil eſſe diviſum inter illas, quodque omnes per eandem omnipotentiam ſibi communem coöperatæ ſint ad productionem omnium rerum extra ſe ipſas ex amore erga me; nihilominus novi opera Creationis attribui præcipuè Patri: Unde & â Symbolo noſtro nuncupatur omnipotens Creator Cœli & Terræ; magnum Redemptionis opus ſpecialiter attribui Filio, cùm is ſolus incarnatus ſit ad patiendum & moriendum pro noſtrâ ſalute; Et tandem Spiritui Sancto attribui opus juſtificationis, ſicut & glorificationis animarum, cùm ipſe ſit, qui animam repleat gratiâ, gratia autem ſemen ſit gloriæ.

Collegium cum Patre circa beneficium creationis.

Quamobrem, dum ſpecialiter alloquor DEUM Patrem, loquor ipſi de magno creationis meæ beneficio. Quæro ipſum, unde tam beata mihi ſors, cujus nunquam ſubiêrat mentem cogitatio? cur ergò è ſinu nihili me potius extraxiſti, quàm infinitas alias Creaturas, quibuscum ibi confuſè permixtus & tumulatus fueram? Non enim fueram nec pejor nec melior cœteris omnibus. Unde venit, quod illis ibidem relictis, elegeris me ex omnibus, ut eſſe mihi dares, meque tuam faceres Creaturam? Reſpondet, non aliam ſubeſſe rationem, niſi ſolam duntaxat bonam, quâ erga me ferebatur, voluntatem. Sed unde hoc meæ felicitatis auctarium, Domine, quod, dum creâſti me, non feceris me lapidem, arborem, vel animal brutum, ratione privatum; ſed feceris me Creaturam tam nobilem, ut honorem habeam portandi glorioſum ſimilitudinis tuæ Characterem? Reſpondet mihi, id aliunde profectum non eſſe, niſi quod me amaverit, ſolumque fuiſſe amorem, quo fuerit impulſus ad hæc mihi præſtanda beneficia. Sed dum voluiſti me eſſe hominem, quod tibi, mi Domine, præſtiti obſequium pro favore tam eximio, ut naſci me nolueris turcas inter & paganos, feras potius quàm homines veros, ubi velut in deſertâ Lybiâ expoſitus fuiſſem unguibus gryphium ac ferocium beſtiarum dentibus, dæmonum, volo dicere, arbitrio ac poteſtati, ſicut tot millies & iterum centeni alii, quos depaſcuntur, quibusque fauces replent averni? Cur naſci me voluiſti in ſinu Eccleſiæ tuæ, me dirigens in viam ſalutis potius, quàm tot millenos alios?

alios? Respondet mihi, nil aliud causæ intercedere, nisi quod me plus omnibus aliis amaverit, idque nonnisi unico amori suo sit attribuendum.

Sed denique, Domine, quis adduxit te, ut Nativitati meæ assignares, tempus, locum, statum, conditionem & alia, quæ magis idonea essent, ut educarer in timore tuo, illuminarer cognitione tuâ, deducerer in viam salutis meæ, si fidelem me tibi exhibere voluero? Respondet mihi ad omnia hæc, aliquam rationem vel meritum non esse ex parte meâ, quod obstringere ipsum potuerit, ut tantis me prosequeretur favoribus; sed incitamenta & motivas rationes desumpsisse se ex corde suo; eo quod amaverit me ab æterno, amare me voluerit tunc, quando prorsus indignus eram, à se ipso ita persuasus ad exhibendas mihi omnes has misericordias magnas, ex eo, quod infinito modo sit bonus.

Desuper ipsius exquiro Consilium, ipsumque interrogo: quid igitur faciendum mihi, ne omninò ingratum me tantis exhibeam beneficiis? Et dicit mihi, quod, cùm omnium sim ipsi debitor, unicè debeam ipsi vivere, ipsum adorare, ipsi servire, omnes ipsius voluntates exequi, ipso me perpetim, quantum possibile fuerit, occupare; sed præcipuè, quod maximè mihi invigilandum, ut ipsi soli devoveam totum cor meum, totum, absque ullâ exceptione, ipsumque amare incipiam ex totis viribus meis hic in vitâ, ut illic abs fine continuare id liceat in omnem æternitatem. Particulare hoc cum Personâ Patris Colloquium summâ demulcet me voluptate, ita ut nullo afficerer tœdio, si toto vitæ meæ prosequerer curriculo.

Colloquium cum filio circa beneficium Redemptionis.

Posthæc conversus ad filium, speciatim ipsi verba facio de incomparabili Redemptionis meæ beneficio, quo nomine me ipsi obstrictissimum agnosco, & quæro ex ipso: Quis adegit te, ut tam magnum ageres iter è Cœlo in terram ex amore erga me? Quare deserto Divini ac Cœlestis Patris tui sinu, magnifico hoc palatio, ubi omni ipsius gloriâ, & infinitâ deliciarum in omnem æternitatem fruebaris abundantiâ, descendisti ad nos in terram, ut nostras apprehenderes miserias, ut à nostris nos miseriis liberares? Ut quid me tuâ magis adamâsti vitâ, & quidem tunc, cùm peccatis onustus non nisi tuam mererer indignationem, cùm adhuc essem inimicus tuus? Respondet mihi, amorem suum solam esse causam magni hujus excessus, quo extra seipsum raptus, velut in extasi ceciderit ad pedes meos; quod ita me amet,

eo quod me amet; quodque anima mea ipsi in tantis sit deliciis, ut si ipsa sola foret in mundo, pro ipsâ pati & mori vellet ad obtinendam ipsi pretio sanguinis sui vitam æternam; quodque tandem me ita adamaverit, cùm amore suo infinito modo indignus essem, ut saltem non abnuerem amare ipsum ex toto corde meo, ipsum, qui amore meo infinito modo sit dignus.

Videns ingentem hunc amoris & bonitatis erga me excessum, gaudio repleor & spe salutis meæ: quâ enim ratione anima, quam adeò amat Deus, possit perire? Novi lethaliter ipsam sanciatam esse tot plagis, quot granes commisit noxas; sed ipsi has detego velut Medico magno, qui sanare has potest; dicit namque mihi: Sume pretiosum Balsamum vitæ ex omnibus plagis meis tunc stillans, quando sub torcular Crucis positum dolorosè compresserunt me propter te; Non est malum adeò desperatum, cui facillimè ac promptissimè non medeatur.

Colloco ipsi ob oculos, quod ita obæratus sim debitis, sicque obstrictus justitiæ Dei Patris sui ob enormia scelera mea, ut solvendo nullatenus sim: Et ipse mihi offert omnes divitiarum suarum Thesauros, divinarumque satisfactionum gazas, quæ exhauriri non possunt, dicitque mihi per amicâ plenus commiseratione erga paupertatem meam: meas cape facultates & hisce tuis satisfac debitis, suppeditabo omnia, nihilque unquam tibi abnuam, nam totus tuus sum: Cui confidenter repono: Timeo, Dulcissime mi salvator, ne tantis me tibi titulis obstringam, dum tantâ bonorum tuorum obruor abundantiâ, ut his me exsolvendi, omni destituar facultate; nam quâ ratione tibi unquam reddere potero, quod à te accepi: Et ipse respondet mihi tenerrimo amoris affectu & infinitâ plenus bonitate: Ama me solùm ex toto corde tuo, & ex integro satisfactum mihi credam.

Sed infinito modo amabilis es, o mi JEsu, unde amorem de summam infinitum? Si totum cor meum Conversum fuerit in puram amoris flammam, nihil hoc erit illius, quod tibi debeo, comparatione: nunquam ergo obligatione meâ & debitis meis potero defungi. Accipe cor meum, respondet mihi ad hoc; Nam totum id tuum est, & omnes amoris, adorationis, laudis, aliique sancti affectus, quos in se complectitur, tui quoque sunt; quibus ceu tuis utere, hisque omni te libera obligatione. Tantarum igitur misericordiarum dulcissimo absorptus ac immersus diluvio aliud effari non pos-

possum, nisi hoc, volo Domine, imò volo te amore, te amare, te amare in æternum ex omnibus affectibus tui cordis, & cordis mei, quæ deinceps nonnisi unum corerunt. Particulare hoc cum personâ Filii colloquium, nonne tantam propinat dulcedinem ac voluptatem, ut nullum unquam gignere possit fastidium?

Colloquium cum Spiritu Sancto circa beneficium Justificationis.

Tandem solum quandoque alloquor Spiritum Sanctum; Sed dum ora ad exsolvendas illi grates solvere intendo, hæret vox & verba non invenio. Hæc dum hæret, se aperit cor meum, velut terra, quæ solis ardoribus adusta, mille aperit ora ad postulandum & recipiendum rorem Cœli: Et video ipsum majori ardere desiderio hoc me perfundendi, quàm ego eundem ab ipso exquirendi. Verùm cum ipsi exponere satis non valeam desideriorum meorum ardorem, totius Ecclesiæ votis incessanter per filios suos ipsum exorantis, & mea adjungo: *Veni Sancte Spiritus, repletuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende*; illius nempe ignis, cujus tu es tota sphæra, & centrum unicum.

O Beatam animam, quæ permittere cor suum novit totali directioni spiritûs Dei! In hâc pro arbitrio suum perficit opus, abs eo, quod vel ipsa id advertat, aut aliam adjiciat curam, nisi ut impediat, ne aliâ occupetur, quàm curâ, quàm ut unicè se sacratis dedat & permittat motibus gratiarum ipsius. Ipse vitæ æternæ illic jacit semina per tot pretiosa, quot largitur ipsi gratias perticulares, quarum ipsa aliquando optatissimos aspiciet fructus; Sed hoc erit in magno æternitatis die, qui plus quàm nimiæ haud erit longitudinis, ut totus quantus iisdem colligendis impendatur. Si meis intuear oculis abundantiam infinitam, durationem æternam, felicitatem ineffabilem messis & collectionis hujus, quam exspecto, recordatione ejus mens absorbetur, deficit anima, confunditur intellectus. Tali ratione meam transigo vitam in tam dulci ac jucundâ cum tribus adorantæ Trinitatis Personis conversatione, ut nullo unquam afficiam fastidio.

Qui solitarium ita facientem verba audiebant, manebant absque verbo, pares in hoc duobus discipulis euntibus in Emaus, cum quibus dicere poterant: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis? Magnis anhelabant desideriis audiendi residuum hujus colloquii, quo tantoperè delectabantur, ipsum rogabant, ut promissis sibi factis faceret fidem, & ulterius declararet quid negotii divinæ tres Personæ inter

se actitarent in omnem æternitatem. Prosecutus est igitur Discursum, uti sequitur; Et hæc fuit meta consultationis.

ARGUMENTUM.

Societas trium Divinarum Personarum facit.

1. *Quod* Deus *sit solus, sed non solitarius.*
2. *Quod altum teneat Silentium, & semper loquatur.*
3. *Quod fruatur perfectissimâ niete & tamen perpetuò operetur.*

Articulus IV.

Tria prodigia inter divinas personas.

SI consideres attentè, quid actitetur, abs eo, quod unquam actitari intermittatur, in adorando Divinitatis sanctuario, inter tres divinas personas, tria tibi occurrent prodigia incomprehensibilia. Primum est, quod Deus sit solus, semper tamen in societate infinito modo magnâ & jucundâ. Secundum, quod altum observet silentium, longi tamen nunquam desinat. Tertium, quod perfectissimâ fruatur quiete, perpetuò tamen operetur. O si Magni hujus Exemplaris probè considerati idæam, menti tuæ firmiter teneres infixam, teque illi pro viribus conformare studeres, exactè adimpleres Evangelicum illud JEsu Christi præceptum. *Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est.*

Deus est solus sed non est solitarius Deut. 32.

Inprimis videbis, Deum ita esse solum, ut non sit alius, & nunquam alius esse possit verus Deus, quàm ipse: *Videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* Ingens erat gentilitatis cœcitas, dum sibi tantam fabricabantur multitudinem Deorum, quos adorabant, cùm ex solâ ratione luculenter cognoscere potuissent, quod impossibile sit, plures Deos esse, cùm esse non possit nisi unicum summum, nisi unicum primum ens, unicum solum ens, quod possideat in seipso & à seipso omnem plenitudinem infiniti entis; & extra quod sit nullum, quod sit à seipso. Omnes Creaturæ, quæ sunt extra non habent esse à se ipsis, sed potius à seipsis habent purum nihil; Et non nisi ex voluntate hujus primi entis, acceperunt levem quandam entis portionem & talem, qualem is ipsis voluerit elargiri. Unde est, quod dici non possit, ipsas absolutè esse absque adjunctâ quâdam limitatione; Sed dicendum sint *res tales*, quod sint in *tali loco*, quod sint

sint in *tali tempore*. Nonnisi Deus absolutè dicere potest: *Ego sum, qui sum*, absque ullâ vel temporis vel loci, vel limitatione, quia ipse solus est Magnum omne & ens infinitum à seipso.

Et licet verum sit, omnem innumerabilem multitudinem creaturarum, quas extraxit è nihilo, ipsi esse præsentissimam, hoc non impedit, quin semper in altissimâ maneat solitudine, cùm alius Deus non sit præter ipsum, eâ ferè ratione, quâ aliquis homo in sylvâ, ubi reperire est plurimas arbores, feras & aves, non desinit esse vel maximè solitarius, quando alius Homo, præter ipsum ibi non fuerit.

Quatuor constituunt Tulcorem societatis in divinis personis.

Sed quamvis Deus maximè sit solus, nihilominus semper jucundissimâ fruitur; Ab æterno nimirum amabilissimâ societate divinarum trium Personarum, à se invicem inseparabilium, Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Quatuor sunt, quæ præcipuè constituant societatis dulcedinem; Unio concordia, amicitia, & correspondentia. O Deus! quàm ineffabilis ergò divinæ societatis sit dulcedo?

Primò tanta est divinarum Personarum unio, ut perfectam se stringat & complectatur unitatem; Siquidem omnes tres, non sunt, nisi una eademque res simplicissima. Secundò ipsarum concordia non est solummodò plurium cordium inter se consensus & conspiratio, sed omnes tres non habent nisi unum cor, & unam eandemque voluntatem. Tertiò ipsarum amicitia non tantùm est intima, sed est ipsis essentialis, ita ut omnes tres non habeant, nisi unum eundemque amorem. Quartò deniqúe tam admiranda est ipsarum correspondentia; ut una nil sciat, quod aliæ quæ pariter non sciant; una nil velit, quod non velint & duæ aliæ; infinita delectatio unius est eadem nisinita delectatio duarum aliarum; Et unico verbo, nil videbis in unâ, quod non visurus sis in omnibus tribus. O Divina solitudo unius solius Dei, quàm es adoranda! O divina societas trium personarum divinarum, quàm es ineffabilis! O speciosa unio utriusque solitudinis & societatis Dei, quàm es incomprehensibilis?

Deus Loquitur semper & servat altum silentium.

Secundò in hâc tam jucundâ conversatione advertes tantum observari silentium, ut nonnisi unica Persona loquatur, & loquatur absque ullo strepitu, & non nisi unicum dicas verbum: etiam secundâ vice non repetat, an majoris sit aliquid silentii? Si quispiam hominum nonnisi unicum verbum diceret totâ vitâ suâ, nonne ipsum summi

silentii diceres hominem? Ex Deus non nisi unicum dicit per omnem vitam suam, id est per totam æternitatem. O quàm admirabile silentium, ubi ex tribus divinis Personis nonnisi unica loquitur, ubi nonnisi unicum enuntiat verbum, ubi nemo est, qui respondeat, ubi deniqúe tam alto cum dilentio loquitur, ut nonnisi divinæ tres Personæ, quarum una tota est in aliâ, id possint intelligere, tamque ingentis arcani reddi particeps. An simili unquam fuerit silentium?

Et tamen in magno hoc silentio tam sublimis, eloquentia tam admirabilis, colloquium tam perpetuum, ut nunquam sint sine verbo, ipsorúmque conversatio tam jucundâ, ne unico quidem momento interrumpatur. Enarrantur autem res adeò raræ atque stupendæ, ut omnes tres divinæ Personæ summâ attentione hæreant defixæ, intelligendo hoc prodigia, unico hoc verbo expressa, ita ut impossibile illis sit se vel unico momento ab hâc actuali attentione, quam impendunt, avertere, cùm ipsarum intellectus, quamvis immensus sit, huic totus intendat.

Cur Deus non dicat, nisi unicum verbum.

Sed unde venit, O Magne Deus, quod nunquam, nisi unicum solum verbum dicas? Ad nimiam redactus esse videris inopiam, ut dicere non possis nisi unicum verbum, & id dicere nonnisi unicâ vicet. Sed ecce, quod magis admirabile. Non potest effari nisi verbum unicum, quia satis facundus non est, ut duo enuntiet. Nobis misèris terræ vermiculis opus est, plurimis uti verbis, ad exprimendam rem minimam, quam dicere volumus, quia omnia nostra verba non sunt, nisi voces in aëra, quæ nihil quasi significant. Loqui multum & dicere parum, non est facundia, sed multa dicere paucis verbis hæc vera est eloquentia. Nonnisi Dei est, qui infinito modo est eloquens, unicum duntaxat verbum dicere, ad perfectissimè declarandum omnia, quæcunque novit, & omnia quæ dicere potest in omnem æternitatem. O Silentium Dei infinito modo eloquens! O Eloquentia Dei infinito modo studiosa silentii! quis tua comprehendere possit mirabilia, nisi tu solus?

Deus est in perfectissimâ quiete & semper operatur.

Tertiò tandem, si consideres, quomodò se occupent divinæ tres Personæ in omnem æternitatem, videbis illas in tam perfectâ quiete, ut nunquam se moveant, & tamen in activitate tam continuâ, ut nunquam cessare & desistere possint. Est quies hæc tam tranquilla, ut nunquam fuerit minima mutatio, aut minimus motus in Deo, sed

sed nec esse unquam potuerit, ob infinitam ipsius plenitudinem, quæ tanta est, ut nunquam vel aliquid acquirere, vel aliquid perdere possit; Et nihilominus in perfectâ hâc quiete actiones in seipso perficit, & semper prosequitur tam operosas, ut his non solùm omnes suas impendat vires, sed easdem absolutè exhauriat, quantumvis semper inexhaustæ maneant.

Nonne sit actio infinito modo operosa, illa divini intellectûs, cùm alium, non producat terminum, nisi Deum infinitæ Majestatis? Nonne quoque sit actio infinito modo potens illa voluntatis divinæ, quâ Pater & Filius producunt Spiritum Sanctum, Deum sibi in omnibus æqualem? Ecce magnas has duas actiones Dei in seipso. Intellectus contemplatur divinitatem tantâ cum attentione, ut per divinam hanc contemplationem producatur Deus; Et voluntas tanto cum ardore amat Deum, ut similiter producatur Deus per Magnum hunc amorem. Ambæ hæ actiones tantam requirunt vim ac virtutem, ut impossibiles sint, nisi soli Deo, qui & omnes suas infinitas vires his ita debet intendere, ut nil ultra, nec quidquam aliud facere possit intra semetipsum.

Et nihil ominus nullatenus fatigantur hæ vires, cùm actiones illæ laboriosæ non sint; nec debilitantur, nec interrumpuntur, quia semper manent inexhaustæ: Ingens Miraculum, nulli comprehensibile intellectui! Nec cuncti potentes hæ actiones in ullo interturbant perfectam quietem Dei; nec perfecta hæc requies impedit actionibus. O Deus! quanta deteguntur prodigia, quando attentè mens considerat, quidam in augusto hoc divinitatis palatio inter tres personas divinas actitetur! Quantisque anima, tam sublimium Mysteriorum consideratione se sæpius occupans repletur gaudiis, admiratione, felicitate! quantâque promptitudine ingens concipit fastidium ab omni eo, quod Deus non est?

O mi Deus, firmiter imprime menti meæ nobilem hanc solitudinis tuæ adeò profundæ, & societatis tuæ adeò jucundæ idæam ac imaginem; & concede, ut juxta Exemplar tuum super omnia sim amans solitudinis, ubi omnis mihi libertas erit tecum solo conversandi. Nolo autem ejusmodi solitudinem, quæ expers sit societatis & colloquii; hæc enim fastidiosa, otiosa, infructuosa est; Sed meam tuæ conformem esse volo solitudinem, semper in societate, semper in colloquio, cum iisdem adorandis Personis, quæ divinæ tuæ solitudinis felicitatem constituunt ad delicias.

Occupatio animarum contemplativarum est, imitari solitudinem & societatem Dei.

O bo-

O bone Deus! imprime cordi meo æterni tui silentii & verbi tui divini amorem, & degustandam mihi præbe dulcissimam voluptatem eloquentis hujus silentii, non loquentis, nisi tibi in secreto cordis, & loquentis absque strepitu, quodque verbo unico, totam effundere novit animam coram te. O quantâ me voluptate replet S. Bruno, dum omnia cordis sui sensa Deus exposuit verbo unico, cujus enuntiationem optâsset nunquam incepisse, nunquam eandem posse finire, sed actualiter semper proferre in omnem æternitatem! *O Bonitas! O Bonitas! O Infinita Bonitas!* Ingens reverà est silentium dum eò quis reducitur, ut non nisi unicum proferat verbum; Sed & magna eloquentia, quando unicum hoc verbum plus dicit, quàm ingenti plurium annorum discursu possit explanari.

Tandem mi Deus, consolare cor meum in ardenti illo, quo flagrat, desiderio, inveniendi in te solo perfectam suam quietem; sed quietem potenti illâ stipatam tui ipsius activitate in te ipso, quæ illam non interturbat, sed potius conservat. Tu ô mi Deus, perfectam tuam invenis quietem in te contemplando, in te amando, ab æterno & in æternum! Et anima mea, quam ad tuam creâsti imaginem, anima mea, quam plasmare voluisti eo duntaxat nomine, ut ipsam earundem æternarum deliciarum redderes participem, perfectam suam requiem & solidam consolationem quæreret alibi, quàm in hoc, quod omnem tuam constituit felicitatem ac beatitudinem. Valete vana terræ crepundia, valete creaturæ, apagite ex corde meo, & deinceps id agite, ne sitis obstaculo, quin liceat liberè contemplari Deum meum: Apagite & vos futiles ac inutiles, viles ac pueriles mundi affectus; eruo vos è corde meo, & nolo ut revertamini unquam in idipsum; missum me facite, & libertatem permittite amandi Deum meum ex totis viribus meis, quas unico hoc exhaurire libet negotio, nec residuas volo pro ullo alio.

O quàm verum est, unicam horam tum cognoscendo, tum amando Deo impensam, majoris esse impendii ac valoris, quàm omnes vanas hominum occupationes, quibus toto tempore vitæ suæ fuerint distenti! Hic anima perfectam suam invenit quietem, quæ ejusdem est naturæ cum illâ, quâ beati perfruuntur in Cœlo. Operatur hic illa in quiete suâ excellentius, quàm si Regnorum omnium mundi totius moderaretur habenas; Et tandem hic dulcissimo demulcetur prægustu beatæ suæ æternita-

nitatis. Sed proprio id addiscendum est Experimento, non alterius discursu; gustando discimus gustare Deum; sed eodem addiscimus tempore, illo semel gustato, nil amplius præter ipsum gustare: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus*: O amici mei, his vobis valefacio verbis: Gustate vosmetipsi, gustate & videte quàm suavis sit Dominus.

Consultatio XI.

De Æternitate DEI.

Nimis quàm magnos progressus facimus intempore, quo fit, ut cominus æternitatem Dei nobis non liceat aspicere. Oporteret nos omnem jam elapsam remeando emetiri sæculorum seriem, & úsque ad primam temporum reverti originem, unde major nobis facultas esset contemplandi prodigia æternitatis Dei.

Qui magno navigat in fluvio, ultra centenas leucas à mari dissito, non est in statu, ut videre possit ingens hoc Elementum, vel omnia illius considerare prodigia. Siquidem, quantumvis aquam habeat in fluvio, sicut habet in mari, tam ingens tamen discrimen est inter tenuem hanc aquæ è mari exeuntis & in mare revertentis stillam, ac immensam illam aquarum omnium abyssum, ut, qui unum cognoscere ex comparatione alterius vellet, tantum absit, ut id, quod videt, ipsi serviat ad concipiendam veram idæam maris, ut multò magis ipsi noceat, cum nulla quasi sit inter fluvium & mare facienda Comparatio. Enaviget totum fluvium, & attingat os & ostium, quo intrat in mare, & videre jam aliquid incipiet è decumano illo aquarum acervo, sed valde adhuc parum. Progrediatur ulterius, & velis passis agatur in mare, & plus jam ex illo videbit. Sed quando pleno jam itinere supra immensam illam fluentis Chrystalli provectus fuerit molem, quidquid faciat, videbit quidem plurimum, sed totum ac integrum prespicere aut prespiciendo emetiri nunquam poterit. Eâ ferè ratione res agitur cum tempore & æternitate.

Quid omnia nostra sunt tempora, nisi parva durationis stilla, quæ egreditur è sinu magnæ æternitatis Dei, & fluit, vel potius torrente citius currit, ut in eundem, unde exivit, sinum reverter. Tempus est parva durationis stilla, exiens è magno æternitatis oceano, ut illuc revertatur.

vertatur. Nos, qui tantum jam fecimus progressum in tam longâ sæculorum nos præcedentium serie, quomodò aspicere poterimus originem, unde illa exierunt? Revertamur úsque ad originem, ubi nulla adhuc fuêre sæcula, nec anni, nec menses; quando multus quasi infans erat sex adhuc dierum; quando Protoparens noster extractus fuit è profundæ hujus æternitatis abysso, uti languebat in nihilo, ut primus omnium conscenderet navigium vitæ, supra ingentem hunc temporum omnium profluentem, qui fluxit úsque ad nos, & jam jam dorso suo impositos portavit tot millionum milliones hominum in æternitatem, quò incredibili celeritate se se agit præcipitem.

Dubium non est, quin primus homo, qui adstiterat ostio maris, id est, januæ æternitatis; Cum nondum, sicuti nos habemus, imaginationem habuerit refertam & sæculis, & annis, & diebus, quorum nihil adhuc viderat, longè aliam, nempè multò majorem nobis cognitionem habuerit circa æternitatem Creatoris sui: Siquidem tam vicinus ipsi erat, ut posset ipsam attingere digito, si ita loqui licet, vel saltem illuc suos ejaculari oculos ad aspiciendum illam & formandum sibi de illâ perfectissimam idæam ac effigiem, cum Creator ipsius, qui formaverat ipsum velut exquisitissimum divinarum manuum suarum opus, vel quasi artis suæ daturus experimentum, nobilissimâ ipsum dotaverit & ditaverit animâ, Capacissimo insuper intellectu ac ingenio acerrimo, cui velut thesauro ditissimo, omnia incluserat genera scientiarum, ut tum Doctor, tum Communis parens esse posset posteritatis suæ.

Dubitari non potest, quin fuerit hominum sapientissimus; inter scientias tamen, quibus fulgebat, excellentissima erat, quam habebat de Creatore suo. Experientiâ quasi doctus cognoscebat adorandas ipsius perfectiones; ipsius omnipotentiam, unde actualiter suum accepit esse; infinitam ipsius bonitatem, à quâ tantis accumulabatur beneficiis, cùm ipsum miserit in possessionem totius hujus magni naturæ palatii, quod deditâ operâ pro ipso condiderat; ipsius æternitatem; ex quâ nasci & progigni videbat annos suos: Dici namque potest, vitam Adami esse quasi filiam progenitam æternitatis Dei. Et primum vinculum, quod factum est inter tempus & æternitatem, fuit in personâ hujus hominis, in quo Deus conjungere voluit animam spiritualem & æternam, cum corpore materiali, quod dependet à tempore. Ex quo deducere

possu-

possumus ipsum sublimiorem cognitionem accepisse de æternitate DEI, quàm quemvis alium hominem. Ad quem igitur confugiemus meliorem informationem accepturi circa id, quod scire nobis concessum est de sublimi hoc argumento? *Interroga Patrem tuum & dicet tibi*: Interroga sapientissimum hunc & antiquissimum è Patribus, & ipse te instruet: Et hæc Consultatio inter te & ipsum fiat. Quid ergò nôsse cupis de æternitate DEI? Deut. 32.

ARGUMENTUM.

1. *Quid concipere possimus de æternitate DEI.*
2. *Bonus usus & fructus ex hâc cognitione eliciendus.*

Articulus I.

Intellectus noster est nimis parvus ad concipiendam æternitatem Dei.

Mirabilis & insolentis omninò naturæ est nobis intellectus. Ex unâ parte non est contentus omni eo, quod est finitum, hoc enim nimis parum est ipsi. Ex alterâ parte capere & comprehendere non potest, quod est infinitum; hoc namque est nimium pro ipso. Unum distinet & remoratur ipsum, nunquam non relinquens aliquod vacuum, quo torquetur, & fastidium, quo affligitur. Alterum incassum cruciat & vexat ipsum, dum factâ quasi vi impellit ipsum, ad cognoscendum id, quod ipsi est incomprehensibile. Benè dilectus Discipulus affirmat: *Major est DEUS corde nostro*; & ipsius æternitas major est intellectu nostro. Invanum dilatamus cor nostrum, nunquam amabimus ipsum, quantum est amabilis; Et frustra vel extendemus, vel intendemus omnes intellectûs nostri vires: nunquam enim comprehendere poterimus magnitudinem essentiæ ipsius, nec cogitationibus nostris ipsius æternitatem complecti. 1. Joh. 3.

Sanctus Augustinus aspiciebat ipsum vel ut formidandam quandam abyssum, coram quâ intellectus humanus contremiscat præ timore, non audens ipsam aspicere in facie, ne fortè se videat oppressum ab ipsius Majestate, eâ ferè ratione, sicut oculi obducunt suas palpebras, haudquaquam ausi fixè aspicere flammantem solis rotam: unde dicebat decimo Confessionum suarum libro: Quis tenebit cor hominis, & figet illud, ut paululùm stet, & paululùm rapiat

splendorem semper stantis, & comparet cum temporibus nunquam stantibus, & videat esse incomparabilem?

Differentia temporis & æternitatis.

Tempus nos visitat duntaxat transeundo, abs eo, quod vel unico momento sistat, seque figat, more fluminis nunquam non currentis; æternitas immobilis & inconcussa manet sicut terra in fluminis medio. Tempus omnes suas partes separatas habet, quæque invicem stare, seque compati non possunt; aliæ namque pellunt alias, aliæ jam sunt præteritæ, aliæ adhuc sunt futuræ; Et nihil præsens est in tempore, nisi unicum solum indivisibile momentum: æternitas non habet partes, ipsa tota simul est & indivisibilis, nihil habet præteriti, nihil habet futuri, omnia sunt illi præsentia. Tempus nonnisi rebus perituris connectitur, illas devorat, illas paulatim & successivè consumit: æternitas connectitur nonnisi rebus solidis & invariabilibus, quæ perire nunquam possunt. Hinc dici potest, quod tempus è sinu nihili egressum, non venerit in hunc mundum ad comitatum exhibendum Creaturis ex eodem sinu egressis, nisi ut majorem illarum partem, in illum, unde exiêrunt, sinum reducant: sed æternitas, quæ originem suam trahit è sinu DEI, non demittit se ad nos, nisi ut nos ad se elevet & attollat. Deniqueid, quod nuncupatur tempus, aliud non est, nisi successiva duratio rerum caducarum, quæ finem sortiri debent: sed æternitas est duratio constans & invariabilis rerum, quæ nunquam finientur. Sic tempus & æternitas in nullo conveniunt, & tantum abest, ut aliquam inter se habeant similitudinem, vel una mensurari possit per aliam, ut potius maximam inter se gerant oppositionem.

Impossibile est, metiri æternitatem per tempus.

Nimium quantùm nobis constat, quid sit tempus, ad hoc, ut benè constare nobis possit, quid sit æternitas: sumus namque assueti concipere durationem alicujus rei, velut longam annorum fluentium, seque continenter sequentium seriem; nec comprehendere possumus, quâ aliâ ratione esse possit magnæ & diuturnæ durationis. Et inde venit, quod æternitatem nobis ob oculos collocando, multiplicemus millionum milliones sæculorum: Et hâc ratione nunquam concipiemus ipsam; Eò quod tempus non sit, quo mensuretur æternitas, sed potius, ubi primum posueris tempus, ibi amplius æternitas non sit; & quantò plus temporis posueris, tantò minus futurum sit æternitatis;

tatis ; & quam primùm posueris æternitatem , nihil amplius futurum sit temporis. Tempus profectò idonea mensura non est , nisi rerum temporalium , sicut sola æternitas mensura est rerum æternarum.

Tempus nos devorat.

Si inquirere liceret ætatem DEI, diceretur : Hæc est Æternitas. Sed si inquiratur ætas hominis ; accipitur aliqua temporis portio ad illam mensurandam , & dicitur : habet tot vel tot annos. Sed quid hoc sibi vult : habet tot vel tot annos ? Est dicere , quod plures annos non habeat. Si dicas, quod habeat triginta vel quadraginta annos, vis dicens quod temp⁹ jam devorarerit magnam hanc vitæ suæ portionem. Ætas hominis, qui quadraginta annos habet , aliud non est, nisi ipsummet ipsius esse , mediâ ex parte jam devoratum à tempore ; Et quando dicitur , hominem attigisse ætatem perfectam , est dicere , ipsum plus non esse , nisi semihominem ; siquidem vix illi superstes erit tantundem durationis sui esse , quantum ex eo jam perdidit. Tertullianus dicebat : *Temporis immensa gula , quidquid omni ævo hausit , evomet.* Eheu! quàm stupidi , quàm insensati sumus? Hæremus in gutture, & sub dentibus ferocis hujus bestiæ nos devorantis & perpetuò consumentis, abs eo, quod contra ipsius sævitiem defendere nos possimus. Non cogitamus, nisi quomodò consumamus tempus , quod nos consumit , nosque recreemus , dum oporteret nos gemere. Nonne saltem deberemus abs intermissione oculos , manus & cor elevare versus æternitatem , & contra ipsius ferocitatem , DEI implorare auxilium , more Apostolorum in periculo clamantium : *Domine salva nos , perimus.* Matth. 8.

Tertull. de resur. carnis.

Deus non habet, nec diem, nec horam durationis.

Anima , quæ captivam se videt hìc in terris sub Tyrannide temporis , majus non habet solatium , nisi quod oculos attollat & intueatur æternitatem Dei sui , aspiret ad illam , & vehementer ac ardenter desideret dulcissimam ipsius possessionem sibi promissam , quamprimùm ex unguibus temporis fuerit erepta. Sed quid est amabilis hæc DEI æternitas ? Aliud non est , nisi esse ipsius Divinum , permanens & invariabile , quod nunquam incepit , & nunquam finietur. Ne comprehendere contendas hanc æternitatem ; Infinitè major est intellectu tuo, nec cogitationes tuæ , nec verba tua unquam assequentur ipsam. Si exprimere volens infinitam ipsius magnitudinem, dicas , quod complectatur centies millenos milliones annorum ,

nihil dixisti. Si rem melius explanaturus dicas, quod constringat in se tot centies millenos milliones sæculorum, quot atomos habet aër, quot plantulas alit terra, quot sabuli grana numerat mare, adhuc dixisti minus, & quantò magis hâc processeris viâ, tantò minus appropinquabis ad concipiendam æternitatem Dei; siquidem tantum abest, ipsam complecti sæcula, ut nec annos, nec dies habeat; sed præsens solummodò instans.

Deus nec est senex, nec est juvenis.

Sed nonne DEUS, cùm æternus sit, valde senex erit? si senectutem ipsius metiaris ex præteritâ jam duratione sui esse, respondeo, ipsum tam senem non esse, quàm sit infans unius Diei. Siquidem hic jam numerat viginti quatuor horas vitæ suæ præteritas, Deus aute nec unicum vitæ suæ momentum quod sit præteritum. Sed cùm æternus sit, nonne longo adhuc durabit tempore? si per hoc quærere intendas, quantum adhuc ex duratione sui esse, ipsi desit, respondeo tibi, tantum ipsi non deesse, quantum deest viginti quatuor annorum seni, adeoq; tamdiu non duraturū, quandiu durabit ipse; siquidem hic aliquos adhuc sperat annos, vel aliquos menses, vel saltem aliquos adhuc dies, quos nondum habet; sed DEUS nihil exspectat futuri pro duratione sui esse; nunquam habuit, nec unquam habebit, nisi unicum instans esse sui.

Deus nunquam fuit, non erit, & etiam non est. lib. 5. de Divin. nom.

Hinc est, quod divinus Areopagita mysteriorum hoc reliquerit effatum, quod simplicibus foret scandalo, sapientibus, est admirationi: *DEUS neque erat, neque erit, magis autem neq; est.* Admirabile profectò Verbum: Nam dicere, quod Deus nunquam erat, adhuc facile esset captu, cùm hoc significet aliquid præteritum, in DEO autem præteritum nihil sit: similiter dicere, quod DEUS nunquam erit, nullam quoque in credendo patietur difficultatem, cùm hoc insinuet aliquid futurum, in DEO autem futurum nullum inveniat locum. Sed dicere, quod DEUS etiam non est, in admirationem nostrum raperet intellectum, nobisque magna videretur blasphemia, nisi id exposuisset Sanctus Augustinus dicens, verum esse, quod DEUS non est in tempore præsenti, cùm hoc non sit nisi unicum momentum, quod tam citò fluit, ut, quamprimùm advenerit, mox effluxerit; Verùm ipse est in alio momento præsenti, non nostri temporis, sed illo æterniattis, quod nunquam effluet, nec transibit.

Deus est, fuit, & semper erit.

Et tamen in alio sensu verum est dicere, quod DEUS erat, & semper erit: Hic modus loquendi magis quoque conformis est nostro modo intelligendi; si qui-

quidem per hoc insinuare volumus, quod DEUS fuerat à Creatione & ante Creationem mundi, quod semper sit actualiter per omnia sæcula, quodque semper futurus sit post finem omnium sæculorum, non quod aliquid præteriti vel futuri sit in DEO; sed quod præsens momentum æternitatis ipsius, quamvis sit indivisibile, ita sit extensum, ut includat in se omnes temporis nostri differentias, præteritum, præsens, futurum, quodque illas infinito modo absque ulla transcendat limitatione. Quàm admiranda DEI Bonitas! Non dedignatur æternitatem suam nostris admiscere temporibus, ut illorum sustentet imbecillitatem, ut nos portet in sinu suo, ut nos animet ac exstimulet bonorum aspectu æternalium, quæ cuilibet temporum nostrorum momento, quod fideliter DEO fuerit impensum, præparat; Et super omnia, ut omnibus operibus nostris, si volumus, cogitationes de æternitate velut comites adjungat.

Tres perfectiones quas dare possumus actionibus nostris aspiciendo æternitatem Dei.

An nosse cupis, quâ ratione maximum trahere possis emolumentum ex aspectu æternitatis DEI, sub quâ omnes nostri fluunt & diffluunt dies? Considera ipsam tres admirandas habere perfectiones, quas dare & conferre possis omnibus operibus tuis. Prima est, quod includat in se omnes temporis differentias, præteritum, præsens, futurum, in præsenti momento; ita ut Creatio mundi, & extremus Judicii dies, & passio Redemptoris, & omnia hominum opera, quæ fuerunt, vel quæ unquam erunt, ipsi tam sint præsentia, sicut ipsi præsens est, illud, quod actualiter fluit, momentum. Secunda est, quod sit constans, invariabilis & semper eadem, abs eo, quod subjecta sit alicui mutationi. Et tertia est, quod ipsa tota integra correspondeat cuilibet momento vitæ nostræ, cùm respondere non possit ex parte, eo quod simplicissima sit & indivisibilis ac partes nullas habeat.

O si firmiter menti tuæ imprimeres magnam hanc DEI æternitatem, illamque attento revolveres animo, sanè similitudinem ejusdem omnibus conferres operibus! Nonne posses inprimis, sicut æternitas DEI includere omnes differentias temporis in unico præsenti? Nolo, mi DEUS, ut quidquam præteriti, aut quidquam futuri sit in constanti voluntate, quâ totus tuus esse, qua te amare, tibi servire, tibi fidelem me exhibere in omnibus desidero, sed omnes bonas voluntates, quas unquam habui, quas adhuc habeo, quasque habere potero usque

que ad ultimum vitæ meæ momentum, illas jam nunc poſſideo: nolo, ut affectus cordis mei paulatim & ſucceſſivè ſtilent, ſicut temporis inſtantia, unum poſt alterum; ſed omnes ſimul junctos, unitos ac præſentes eſſe volo cordi meo, haud aliter, quàm præſentes ſunt ipſi DEO. O mi DEUS, cùm æternam creaveris animam meam, fac ut & ipſa, ſicut æternitas tua, nihil habeat præteriti, nihilque futuri, ſed omnia bona ſua habeat ſimul, & nunquam non præſentia: *Tota ſit ſimul & perfecta poſſeſſio.* Anima, quæ conſtantem hanc conſervaverit voluntatem, ſicut in ſuâ eſſentiâ, ita & æterna erit in ſuâ operatione.

Boëtius.

Secundò nonne poteris te, velut DEI æternitas, reddere invariabilem & ſemper eundem, conſtanti reſolutione, te nunquam amplius immutandi? Si vixeris ſecundùm tempus, vita tua aliud non erit, quàm continua & non intermiſſa ſeries inconſtantiarum & immutationum, & tempus deludet te, ac devorabit omnia, & tandem nihil invenies in manibus tuis. Sed ſi vivere volueris ſecundùm æternitatem, ut tandem in æternitate vivere valeas, memineris ipſam invariabilem eſſe, & potius ſubvertendos cum terrâ Cœlos, quàm ipſam in minimo immutandam. Animæ alacriter aſpiranti ad æternitatem Dei ſui, adnitendum eſt, ut ita firmiter ſecum ſtatuat, & in hâc animi ſententiâ perſeveret: Ego ſum æterna & in omnem æternitatem unicè me DEO devoveo, cujus eſſe volo; nata non ſum pro temporis inconſtantiâ, velut res caducæ ac perituræ: Aſpectus æternitatis conſervat perſeverantiiam & perſeverantibus diſperitur coronas.

Sed nonne tertiò poteris efficere, ut omnia inſtantia temporis tui reſpondeant æternitati DEI, ſi fueris in hoc fidelis, ſicut omnibus inſtantibus tuis reſpondet æternitas DEI? Siquidem Magnus Apoſtolus Paulus nobis aſſeverat, nec unicum quidem momentum eſſe vitæ noſtræ, quod non ſit prægnans æternitate, quam nobis aliquando infallibiliter pariet, ſive beatam, ſi conceperit ex bono ſemine, ſive miſeram ac infelicem, ſi conceperit ex ſemine malo. *Momentaneum hoc leve æternum pondus operatur.* O momentum, ô æternitas, quàm arctum & forte inter vos eſt vinculum! ſi hoc vitæ meæ momentum replevero magno quodam crimine, certus ſum, aliquando id mihi pariturum æternitatem infelicem; imò totam quandam ac integram æternitatem, cùm par-

partem duntaxat illius parere non possit, eoque partes hæc nullas habeat. Verùm si hoc momentum vitæ meæ aliquo replevero bono opere, velut actu amoris DEI, actu contritionis de peccatis meis, actu Eleemosynæ, actu humilitatis, patientiæ, mortificationis; certus sum, pariturum id mihi æternitatem quandam beatam; & quot instantia ejusmodi bono opere plena fuerint, tot quoque æternitates beatas necessariò inde emanaturas.

Quanti momenti sint omnia momenta vitæ nostræ.

Itane omnibus momentis vitæ nostræ negotia agimus æternitatis, sive beatæ sive miseræ, & nunquam de his cogitamus? Itane, cum tanti sint ipsa ponderis, nos minus ipsa ponderamus, quàm si emendus foret pugillus terræ, brevissimo tempore iterùm deferendus? Ubi est lumen oculorum nostrorũ? Quid nostra agit fides? An obdormiscit ratio nostra? Certè certè, noñe prorsus insensati sumus? si unicum perdidero momentum, abs eo, quod boni quidpiam conficiam operis, beatam quandam perdo æternitatem; Et hanc jacturam tam parvi facio, ut ne quidem de ipsâ cogitem: Nonne ergo totus sim stupidus! Eheu! tam facili negotio locupletare nos indies possumus pluribus coronis æternis, quot nempe vitæ nostræ momenta repleverimus, bono quodam opere, sive externum illud sit, sive internum; Et spreto immenso hoc lucro, consumimus nos, torquemus nos in coacervando pulvere ac luto, quod quantocyus nobis denuò relinquendum erit. Et omnes quasi sic vivunt, quos in cassum de lugubri hoc admonebis abusu, nec ad monendo quidquam efficies, ut in se reversi, suam agnoscant cœcitatem.

Quæ consternatio in morte? Quis stupor & horror? quando videbimus tot pretiosorum vitæ nostræ momentorum milliones, inanes omninò & vacuos, utpote consumptos in otio ac inertiâ: tot milliones aliorum nonnisi refertos crepundiis & rebus frivolis ac futilibus; & iterùm tot aliorum, nonnisi plenos mendaciis ac vanitatibus id est, infinitis vanis mundi occupationibus, quibus omne conterere tempus conscientiæ non vertitur, cùm persuasum sit animo; ipsas carere peccato? Ah! quid parient nobis omnia hæc momenta, nisi dolores, dolores, acerrimos dolores, dilaniaturos corda nostra, nosque inducturos ad maledicendam millies cœcitatem nostram; sed dolores inutiles, quos portare oportebit per omnem æternitatem ceu maximum tormentum in cordibus nostris, eo quod portare noluerimus

æternitatem DEI breviſſimo vitæ noſtræ momento, ceu maximam noſtram felicitatem in animo noſtro. *Annos æternos in mente habui.*

ARGUMENTUM.

1. Quod æternitas DEI haberé non poſſit neque principium, neque finem.

2. Quod exinde trahere poſſimus efficacia motiva ad laborandum ſolidè pro ſalute noſtrâ.

ARTICULUS II.

Deus non ſcit nec principium nec finem æternitatis ſuæ.

QUæro ex hominibus quempiam, quid dicere mihi poſſit ortum ac finem æternitatis DEI, & homo non eſt, qui hujus habeat cognitionem. Quæro idipſum ex Angelis cœli, & interrogo Cherubinos, qui ſcientiæ poſſident plenitudinem: Edocete me principium ac finem æternitatis DEI mei; ſed nec ullus illorum, rei hujus gerit notitiam. Ipſum tandem conſulo DEUM, qui omnem luminum æternorum complectitur immenſitatem in intellectu ſuo: oſtende mihi, mi DEUS, initium ac finem æternitatis tuæ; & dicit mihi, ſeipſum neſcire, eo quod reverà nullum omninò habeat, nec unquam habere poſſit. Perfectæ æternitatis eſſentia eſt, non habere, nec principium, nec finem, nec ſucceſſionem, nec mutationem aliquam, ſicut eſſentia temporis eſt, habere principium, finem, durationem ſucceſſivam, & nunquam eſſe in eodem ſtatu, *& nunquam in eodem ſtatu permanet.*

Probatur æternitas Dei, ratione.

Si per impoſſibile eſſe Dei nõ eſſet absq; principio & fine, non foret Deus; Et ecce quàm facile ſit hujus rei evidentẽ facere demonſtrationem, ſolo lumine rationis noſtræ naturalis. Si Deus incepiſſet eſſe, poſtquam eſſe non habuit, neceſſariò debuiſſet illud accepiſſe ab alio, qui hoc ante ipſum habuit, ſiquidem nihil poteſt producere ſeipſum; aliàs enim deberet eſſe, antequam eſſet, quod eſt contradictorium & prorſus impoſſibile. Si accepit eſſe ab alio, interrogo, an hic alius eſſe ſuum habeat à ſe ipſo abſque principio, ſi dicas, quod habeat à ſeipſo, dico, quod hic ſit DEUS. Quod ſi dicas, ipſum eſſe ſuum accepiſſe ab alio, iterùm interrogo, an hic alius eſſe ſuum habeat à ſeipſo, abſque principio, an autem id acceperit à quopiam alio; ſi habeat à ſeipſo, eſt Deus, ſi habeat ab alio, eadem ſemper redit quæſtiò, an hic id habeat

à ſe

à seipso, vel id acceperit ab alio. Sicque daretur processus in infinitum, qui defatigato per importunas hasce quæstiones animo, obstinatissimum quemq; tandem fateri cogeret, necessariò admittendum esse primum aliquod ens, quod esse suum non acceperit ab alio; aliàs non esset secundum, nec tertium, nec quodvis aliud: Et dicere, quod non sit primum aliquod principium existens à seipso, hoc esset negare omnia entia.

Magis evidenter probatur æternitas Dei.

Adjunge primæ huic demonstrationi secundam, quæ mihi magis evidens, magisque constringens adhuc videtur. Necessariò dicendum est, existere aliquod Ens primum, necessarium, infinitum, æternum, quodque sit à seipso; vel si tale non est, ergò est aliquod non Ens necessarium, infinitum, æternum, quod excludat & expellat Ens infinitum sibi oppositum, impossibile enim est negare unum, abs eo, quod admittatur alterum. Ah! quid esset, si admitteres aliquod non Ens, necessarium, infinitum, æternum? Necessariò sequeretur, quod illud non Ens occuparet omnia, cùm esset infinitum; quod occuparet æternaliter cùm, esset æternum, quod expelleret necessariò omne genus Entis, cùm esset necessarium; sicque non esset, nec DEUS, nec mundus, nec Creator, nec creatura, nec aliquid aliud, quod esse haberet; Certum enim est, quod esse, & non esse, Ens & non Ens, absolutè sint incompatibilia. Jam experientia nobis demonstrat, plura dari entia positiva; verum ergò est, non dari aliquod non Ens infinitum, æternum, necessarium, quod excludat omne genus entis; ideoque ex adverso concludendum est, dari aliquod Ens infinitum, æternum, necessarium, quod sit à seipso, & principium non habeat. Et in hoc consistit æternitas DEI, quod principium habere non possit.

Quàm admiranda dignitas animæ, quæ novit esse se opus DEI æterni, ac tantâ locupletata tam felicitate, ut in magnam hanc Entium abyssum, & idem sine principio principium, unde exivit, in omnem sit reversura æternitatem! quanta ipsi gloria, nôsse, quod ab æterno concepta sit in ipsius idæis, quod cogitaverit de se, quod consilium inierit formandi se ad suam similitudinem! Sed quantus gaudiorum ipsi cumulus, nôsse: Ipse me amavit ab instanti æternitatis suæ, & tunc, ubi primùm amavit seipsum, cùm jam tunc mihi benè voluerit; sed amavit

me amore tam actuali, tam forti, tamque efficaci, ſicuti tunc, quando miſit mihi Filium ſuum unigenitum in terram, ſicuti tunc, quando ſacrificiavit ipſum pro me in Cruce; & ſicuti tunc, quando ipſum mihi dedit in Sanctiſſimo Sacamento; & ſicuti tunc, quando ipſum mihi dabit ceu poſſeſſionem æternam in regno ſuo, eoquod nunquam aliquam ſuſcipere poſſit mutationem.

Amor, quo Deus nos amat, eſt æternus.

Itane, mi Deus, conſtringere te mihi voluiſti amore tam æterno, quàm ſit eſſe tuum, quod nunquam incepit, quod nunquam finietur, quod nec unico interrumpetur momento? Itane, mi DEUS, ex amore tam potenti, tamque efficaci, ut rediderit te prodigium bonorum tuorum, tuique ipſius, dediſti mihi omnia; quæ dare potuiſti abs ullâ exceptione, eoquod te ipſum dederis mihi? Sed ad quantum te impulit exceſſum hic amor æternus, quo ex bonitate tuâ prævenisti me? Ah! feciſti pro me, quod pro te ipſo non feciſti; motuus es pro me, propriam tuam pro me ſacrificâſti vitam, abs eo, quod ullum ex hoc exſpectares emolumentum; totum id meo inſerviebat commodo. O infinitum amorem, qui poſſibilis non eſt niſi infinitæ DEI Bonitati! Et tu amâſti me amore hoc ab æterno, ſemper actualiter, abſque eo, quod Sacræ hæ flammæ imminuerentur unquam, aut vel unico elangueſcerent momento.

Sed quem tibi reddidi amorem in recompenſationem amoris tam perfecti? quem amorem, parvulis duntaxat quibusdam transvolantibus momentis durantem, pro magno hoc amore totius æternitatis tuæ? Nonne debuiſſem incepiſſe ab æterno amare eum, qui me amavit ab æterno? Verùm ſepultus tum eram in nihilo, non cogitatam tum vivere tibi & pro te: Et tu jam cogitabas, jam volebas mori pro me, ex amore erga me; Nonne ergò debuiſſem incipere ſaltem amare te ab inſtanti, quo eſſe cœpi, ſicut tu amâſti me ab inſtanti æternitatis tuæ. Ah! quot vitæ meæ avolârunt & evanuerunt anni, quibus non cognovi te, quibus non amavi te, quibus ne quidem cogitavi de te? Væ primæ meæ ignorantiæ; præventus eram amore æterno, & hoc ignorabam. Tenebris obvolutus vagabar in medio magni hujus luminis, illuminantis omnem hominem venientem in hunc mundum, & oculos illi conſpiciendo non habebam; totus eram glacies, in medio flammarum magni hujus amoris æterni, cujus portabar in ſinu: *Quis ex vobis poterit habitare* Iſa. 33.

cum

eum ardoribus sempiternis? quomodò vivere poteram in æternis his ardoribus, abs eò, quod aliquid exinde sentirem?

Reprehensio animæ non amantis Deum.

Deniqúe, mi DEUS, illuminâsti me; & cognovi te, sed cognovi te nimis serò, quam vellem cognovisseme ab æterno? locutus es ad cor meum, & incepi respondere tibi & amare te; Sed amavi te amore tam debili, tamqúe infirmo, ut nihil fecerim pro te; qui fecisti omnia pro me. Tu attraxisti me, & ego incepi sequi te; sed gressu tam lento secutus sum te & incessu tam fracto, ut nunquam assecutus sim te, qui cucurristi ut nigas viam tuam, descendens ab æternitate tuâ ad tempus, & de Cœlis in terram, ut quæreres me. O infinita bonitas, quomodò possem venire ad te, nisi potenter attraheres me? quomodò amare te possem amore æterno, semper actuali & invariabili, nisi è medio temporis eruas me, ubi habere non possum æternitatem hanc, ut ad tuam me transferas æternitatem, ubi temporis mutationibus non amplius subjectus ero. Ita mi Domine, ibo aliquando, introibo in æternitatem tuam; & ibi amabo te amore æterno, qui nunquam interrumpetur, finietur nunquam: Nam sicut verum est, æternitatem tuam non habere principium; sic verum quoqúe est, ipsam finem non habere.

Cùm verum sit, quod æternitas DEI sit instans quoddam indivisibile, quodqúe ipsius principium, ipsius duratio, ipsius finis, & omne id, quod in ipsâ nobis imaginari possumus, sit res quædam simplicissima; hinc dixisse, quod non habeat principium, est quoqúe dixisse, quod non habeat finem. Verùm id capere nos prohibet intellectús nostri imbecillitas, quod probè intelligens Sanctus Gregorius hoc effatum calamo expressit: *Cùm homo in tenebris positus, de Æternitate differere cupit, cæcus de luce loquitur.* Cœcitas ipsius naturalis & tenebræ ipsum circumdantes, sunt ipsi duplici obstaculo: Et nos in cognoscendâ æternitate DEI gemino hoc involvimur impedimento. Nam ex unâ parte intellectus noster, qui finitus est, capax non est, ad comprehendendam illam, quæ est infinita; Et ex aliâ parte ita successioni temporis immersi sumus, illiusqúe idæas tam profundè animo impressas gerimus, ut de æternitate cogitare non possimus, quin eam nostris accommodemus temporibus, eoquod hic noster intelligendi sit modus.

Cæcus qui conatur videre lumen de nocte.

Moral. l. 27. c. 25.

Ecce quare imaginemur nobis velut duas partes in æternitate DEI, unam, quæ præcessit creationem mundi, quasi jam illa esset præterita; alteram, quæ sequetur mundi durationem, quasi illa adhuc esset ventura. Et inter duas has æternitatis partes diffluere videmus omne nostrum tempus, & concipimus essentiam DEI, quasi frueretur actualiter duratione, quæ ab uno ad alterum sæculorum nostrorum terminum se extendat. Sed tenuitas intellectûs nostri est, quæ aliâ ratione nos rem concipere non permittit; revera enim æternitas DEI infinito modo transcendit omne nostrum præteritum, nostrum præsens, nostrumque futurum, & omne, quod imaginari nobis possumus: Nihilominus, cùm res concipere debeamus secundùm nostrum intelligendi modum, ponamus id, quod præcessit creationem mundi, esse velut initium æternitatis DEI, & id, quod mundi durationem sequeretur, esse velut finem magnæ hujus æternitatis; jam vidimus, impossibile esse, quod esse DEI habuerit unquam aliquod principium, tum ob necessitatem primi hujus principii, tum ob impossibilitatem absolutam privationis hujus primi principii, sine quo nihil esset, nisi nihillum universale.

Jam dico, magis adhuc impossibile esse, quod esse DEI habeat unquam finem, nam quid esset DEUS, qui finire & cessare posset esse DEUS? melius foret, quod incepisset esse DEUS, ut nunquam esse cessaret. Et tu ipse, si electio penes te fuisset, nonne incipere maluisses hodie, ut nunquam cessares, quàm fuisse ab æterno, ut finem faceres in præsenti & nunquam amplius esses? plus adhuc dico, neminem esse bonâ ratione præditum, qui non mallet simpliciter esse homo, hodiernâ incipiendo die, ut nunquam hic esse desinat, quàm fuisse DEUM per omnem æternitatem, quæ præcessit præsens momentum, jamque desinere esse illum, & deinceps nunquam amplius aliquid esse: tam miserabilis est res, suum esse perdere & dilabi in nihilum. Impossibile, quod esse Dei habeat finem.

Et hæc miseraria tantò major foret, quantò essendi thesaurus, quem finiendo perderes, foret pretiosior; & ob hanc solam rationem verum esset dicere, quod, si per impossibile DEUS finire & aliquando cessare posset esse DEUS, ex unâ parte infinito modo beatus esset ob præsentem possessionem divinitatis suæ; sed simul quoque infinito modo miser & infelix, velut ille, qui aliquando finire & perdere deberet in perpetuum

um tantam suam felicitatem, sic DEUS non esset DEUS, si desinere posset aliquando, & sicut nemo ipsi dare, sic nemo ipsi tollere potest suum esse: cùm enim sit ens à seipso, & necessarium ab æternitate, hinc etiam semper erit Ens necessarium à seipso in eâdem hâc æternitate: & ideò necesse est, ut, sicut ipsius æternitas est absque principio, sic quoque necessariò sit absque fine.

Æternitas nobis videtur pulchrior, quod non habeat finem, quàm quod careat principio.

Et hæc æternitas, quæ nunquam finienda est, nos magis allicit, quàm illa, quæ nunquam incepit. Et nos, quando aspiramus ad beatam æternitatem DEI, non aspiramus ad illam, quæ præcessit creationem mundi, quamque aspicimus velut jam præteritam; sed ad illam, quæ sequitur durationem mundi juxta nostrum concipiendi modum, quæque nunquam finienda est: hæc nos allicit, hanc anhelamus, ad hanc suspiramus, desiderantes beatitudinem, quæ nobis nunquam possit auferri; Et si crederemus illam fore finiendam, destitueremur animo in tolerandis laboribus, ad acquirendam ipsius possessionem; si quidem bonum aliquando finiendum, cujuscunque sit præstantiæ, dignum non est, ut requiratur. Si DEUS meo permisisset arbitrio, vel possidendi propriam ipsius divinitatem per centies millenos annos, cum conditione, ut post hæc mihi adimeretur, & ego in perpetuum illâ privatus manerem: vel possidendi unicam solam ipsius gratiam, cum conditione illam nunquam amplius perdendi, perferrem omninò gratiam hanc æternam, transitoriæ illi divinitati. Siquidem quid prodesset mihi ad tempus bonum illud infinitum possedisse, si privatus illo forem in æternum; nisi ad æternum mihi conciliandum tormentum, dolorem, mœrorem ac amarorem infinitum, ob privationem æternam boni infiniti?

Stoliditas est adhærere rebus, quæ finiuntur.

Verùm si ita habet, quomodò possibile est, homines lumine rationis præditos, quinimò homines Christianos lumine fidei imbutos, dies noctesque laborare, seque torquere pro terrenis quantocius interituris! Habeas, quidquid optare poteris, possideas solus omnia mundi bona; habeas solus omnes honores, quibus totum te universum condecorare potest; innates ingenti pelago voluptatum omnium, quibus cordis tui desideria inhiant; transcendas omne id, quod est possibile, & per magnum quoddam impossibile colloces divinitatem in ordine rerum temporalium, illamque possideas, ita ut per aliquod tempus DEUS sis; quæro ex te: An tempus hoc nunquam finietur? finietur procul dubio: centies

tenis duret annis, quod plus est, quam vita tua durare possit: sed post omnia finietur, seque veniendo auferet tibi tua bona, tuas voluptates, tuos honores, tuam divinitatem, & omne tandem, quod est temporale: quid tibi residuum erit? nihil ex omnibus; sed universalis omnium privatio & purum nihil quamdiu durabit apud te hæc privatio? Ah! ictus hic mortis est, durabit in æternum? Ah! quid est in æternum? Id est, nunquam habebit finem. Eminus, quantum tibi placuerit, emitte cogitationes tuas, ulterius adhuc extende, longius progredere, perrumpe & penetra usque ad fundum ingentis hujus abyssi, & residua tibi adhuc erit æternitas, cujus nunquam videbis finem. Verùm si hic te aspectus affligit, in alteram partem tuos verte oculos, & considera, quàm fueris felix tempore vitæ tuæ; tantas habuisti facultates, tantos honores, tantas voluptates; ex omnibus quid tibi defuit? Eras DEUS ipse horum reminiscere, teque consolare.

Aspectus boni amissi cruciat nos semper.

Ah! non consolatur hoc me, sed potius excruciat: quid enim modò mihi prodest tam brevis possessio, quam privatio sequitur æterna? Sed omnia hæc centenis possedisti annis, nonne hoc longum sit spatium? Non elapsi, centum anni non longum sunt spatium; sunt minus uno die, minus unâ horâ, minus unico duntaxat momento, quia amplius non sunt. Sed nonne vides, omne, quod temporale est, tandem desinere in nihil, teque cùm animam æternam habeas, procurare ipsi debere beatitudinem æternam? Nonne vides, Deum ipsum, si finem accipere & desinere posset, in possessione propriæ suæ Divinitatis, miserum fore ac infelicem? Nonne igitur unicè adhærescere deberes bonis æternis nullâ unquam metâ terminandis? Cur tantum te affligis pro rebus tot perituris, quæ tam immensis tibi stant laboribus, quæque non nisi æternum nihilum tuis relinquent manibus, dum DEUS, dum bona æterna se tibi exhibent, tam facili negotio à te comparanda.

Considerationis seria & efficax.

Audi hoc, qui aliud non agis, nisi quod affligas cum animo corpus pro acquirendis mundi crepundiis, & præsentis vitæ minutiis, vide & admirare stoliditatem tuam. Eheu! Non agitur de hoc, ut solus tu possideas universum terrarum orbem; nec ut possideas omnes cœlestium sphærarum globos, multò minus ipsam divinitatem in præsenti vitâ tuâ. Id quod cor tuum & animum tuum implicat & constringit, in comparatione non est, nisi vilissimus terræ pulvis, & parvulum hoc nihil in temporum fine, aliud non relinquet, nisi magnum nihil in manibus tuis. Ubi sunt

oculi

oculi tui, nisi videas, aspirandum tibi esse, ad bonum aliquod æternum, ad gratiam DEI, ad Divinum ipsius amorem! Ecce tibi optimam partem, quæ nunquam amplius auferetur à te; Cætera omnia, non sunt, nisi vanitas, nugæ pueriles, dolor, & dolus, & quidem valdè magnus.

Cogita hæc, mi frater, & pensiculatè recogita, & quâcunque poteris animi contentione rememorare & rimare illa; nam quantò magis fueris rimatus, tantò fateberis magis, verum esse, quod, cùm habeas animam immortalem, quæ nullum habebit finem, magnum tuum negotium sola tua cura ac solicitudo esse debeat, ut obtineas ipsi beatitudinem æternam, quæ nullo quoque stringatur fine; Cætera namque omnia evanescunt ac diffugiunt. Omnes homines, qui fuerunt orbis in colæ à mundi creatione, defuncti sunt, & reliquerunt omnia: sive divites fuerint, sive pauperes; sive Monarchæ fuerint, sive mancipia, sive paucis, sive multis vixerint annis; omnia pari ratione transierunt cum tempore. Nec bona, nec mala, quæ finiuntur, quantumvis aliàs maxima, non magni sunt ponderis. Sed æternitas! Sed magna æternitas, quæ nunquam præterit! Sed impenetrabilis hæc abyssus, cujus introitus non solùm est facilis; sed absolutè necessarius; cujus exitus non solùm est difficilis, sed prorsus & nunquam non impossibilis. Hæc consideratio attento animo facta adstringit gelu sanguinem in corde generosissimorum; hæc diffringit dusissimas obstinationum petras; hæc totum immutat animum, paulisper hisce cogitationibus defixum. Immoremur adhuc parum ultimæ huic considerationi, quæ præsenti consultationi finem apponet.

ARGUMENTUM.

1. *DEUS totam suam æternitatem integram habet in præsenti momento.*
2. *Nos non habemus, nisi parvas temporis particulas.*
3. *Unde fit, quod sola æternitas DEI nos contentare possit.*

Articulus. III.

Nec sermo fieri, ac taceri potest de æternitate.

ITeratò meos in magnam DEI æternitatem conjicio oculos, & aspicio, verum esse, quod dicit Sanctus Augustinus, nos de illâ nec loqui posse, nec tacere. Loqui de illâ non possumus, eò quod nostras obmutescere faciat linguas, omnesque, qui de illâ affatim & abundè locuti sunt, nihil ferè dixerint, quod congruat & appropinquet Veritati. De illâ tamen etiam tacere non licet; nam quomodò tacebimus de re, quæ nos tam propè tangit, cujusque tanti nostra interest, ut, dum exibimus de mundo, necessariò nobis introeunda sit è duabus æternitatibus una, sive beata, sive calamitosa.

Res stupenda possidere totam æternitatem.

Quod admirabile est, & omnem nostrum transcendens captum: Introibimus non in unam duntaxat æternitatis partem, sed in æternitatem omninò integram, quia ipsa prorsus indivisibilis est, & nullas penitus habens partes. Anima beata non possidebit partem tantùm æternitatis DEI, & gaudiorum ineffabilium, quas includit; Sed possidebit illam totam & prorsus integram, quasi creata fuisset ab æternitate, & quasi ex eâ non prodiisset, & quasi ipsa sola possideret illam. Et anima damnata non reportabit solùm unam partem æternitatis calamitosæ; sed demergetur in magnam hanc malorum æternorum abyssum, tolerans omnes ipsius pœnas in præsenti momento collectas, haud aliter, ac si damnata fuisset ab æterno; Siquidem dici non potest, aliquid funestæ suæ æternitatis deesse ipsi, aut unquam defuturum; quod comprehendere velle, tentare est rem impossibilem. Eheu! Miseri damnati non comprehendunt ipsimet æternitatem suam; sed ipsorum æternitas comprehendit ipsos, & barathro suo absorbet: aliquâ tamen ratione comprehendunt ipsam, quia certissimi sunt, se ex illâ nunquam amplius egressuros; omnimodè tamen ipsam non comprehendunt, eò quod non sciant, quid sit ingens ac immensum hoc nunquam, O miserum,

um, cui luctandum sic erit contra crudelem hanc æternitatem, ut comprehendatur ab illâ, vel comprehendat ipsam;

æternitas non comprehenditur.

Tu es, ô tota amabilis æternitas DEI mei, quam comprehendere vellem! Sed non, malo ut comprehendas me: Nam quomodò comprehendere te possem, cùm noverim infinitam te esse, & nonnisi infinitudinem DEI ipsius te comprehendere. Ah! quomodò comprehendere possem, durare te semper, & nullam habere durationem, sed totam te unitam esse in momento præsenti? Intellectus noster vacillat & titubat ex debilitate suâ, cùm portare non possit immensum magnum hujus ideæ pondus ac molem: totum nimirum infinitum esse DEI, & totam infinitam ipsius gloriam, & totum ineffabilium deliciarum ipsius oceanum absque limitibus, absque fundo, unita hæc omnia in unico solo instanti æterno, quod nunquam incepit, quod nunquam finietur? quis poterit hæc comprehendere, nisi solus DEUS?

Da mihi hominem felicissimum super terram; Experitur hic felicitatem suam sibi omninò integram datam non esse in eodem instanti; Sed aliquid ex eâ jam habuit, quod est præteritum, & habebit aliquid ex illâ, quod erit futurum: Et interim non habet unquam aliquid ex eâ, quàm præsens instans, quod ipsi paulatim allabitur; ita ut eodem instanti, quo præsens est, quantocyùs jam transiêrit. Verùm si haberet omnia, quæ habuit, & omnia, quæ habebit toto tempore vitæ suæ prospera in tempore præsenti collecta ac unita, abs eo, quod nec minima illius pars abesset, quid & quantum hoc ipsum esset? Nondum adhuc esset, nisi levissimus felicitatis atomus, si intuearis magnum illum Entis infiniti oceanum, & omnes æternas DEI delicias, unitas in sinu ipsius, invariabiles ac immobiles.

æternitas Dei tota re unita est in præsenti.

Sicut verum est dicere, quod nunquàm fuerit, & nunquam futus sit, sic verum quoque est, quod nunquâ habueritur aliquam voluptatem, & nunquam etiam aliquam habiturus sit, cùm ipsi nihil sit præteritum, nihil futurum, sed omnia præsentia sint ipsi; Non recordatur ipse præteriti, nec prospicit quidquam futuri, sed omnia sunt ipsi æqualiter præsentia in momento semper actuali æternitatis suæ. Quando loquimur de præscientiâ DEI, quando ipsum precamur, ne reminiscatur peccatorum nostrorum præteritorum, quando dicimus, quod creaverit mundum, vel quod judicaturus sit homines in fine sæculo-

rum ; loquimur velut homines immersi decursui temporis, quod ostendit nobis res successivè unam post alteram, & non omnes simul. Et verum est, respectu nostri aliquas esse præteritas, nosque illarum recordari ; alias esse præsentes, nosque illas videre, & alias esse futuras, nosque illas prospicere. Sed respectu DEI, qui non egreditur æternitate suâ, omnes æquali modo sunt præsentes ; nullius ipse recordatur, nullam prospicit, nullâ delectatus est, nullâ delectabitur, nihil fecit, & nihil faciet, cùm nihil præteritum, nihil futurum sit respectu DEI : sic ipse non creavit mundum, sed ipsum creat ; non judicabit homines, sed ipsos judicat, non prospicit ipsorum peccata, sed ipsa aspicit ; aspicit in constantiam hominum, qui mox sunt justi, mox peccatores, mox digni ipsius amore, mox digni ipsius odio ; & hæc omnia suâ circumcingit æternitate, cui omnia sunt præsentia.

Lætandum est quod non comprehendatur æternitas Dei.

Quod si videatur tibi impossibile, magnas has comprehendere veritates, ne te affligas, dicit tibi Sanctus Augustinus, sed potius gaude, quando non intelligis, quæ de DEO legis vel audis prodigia, & dicito intra temetipsum, corde cœlesti consolatione pleno : quàm Ingens DEUS est, quem adoro, de quo ne quidem id capio, quod mortalis lingua dicere de ipso potest? *Si quis non intelligat, gaudeat & ipse dicens : Quid est hoc? gaudeat etiam sic & amet, non inveniendo invenire te potius, Domine, quàm inveniendo non invenire.* Lib. 1. Confess. c. 6. Hoc est aliquâ ratione cognoscere Deum, nôsse, ipsum infinito modo superare cognitionem nostram : hoc est abundè comprehendere æternitatem ipsius, confiteri, minimum prodigium ipsius nobis esse incomprehensibile : Si namque credas, DEUM id esse, quod concipere & intelligere potes, infinito spatio ab ipsius abes cognitione.

Comparatio nostri esse, cum esse Dei.

Non curemus scire, quid sit æternitas DEI, eò quod sit Deus ipse. Esse & æternitas ipsius, non sunt nisi una simplicissima res ; sic nostrum esse & nostra duratio, eodem ambulant passu. Et fortassis, dum comparationem instituimus inter nostrum esse & esse DEI, inter nostram durationem & æternitatem DEI ; habebimus ansam tantum concipiendi nostri ipsorum contemptum, tantamque DEI æstimationem, quantam concipere, nobis possibile fuerit. Ex unâ parte, quid est nostrum esse, & qualis est hujus esse duratio? Non habemus, nisi minimum essendi atomum, infinitudine nihil undequaque circum-

cumseptum: siquidem non sumus nos, nisi creatura quædam particularis, & non sumus aliæ omnes, quæ replent hoc universum; nos non sumus omnes creaturæ innumerabiles, quæ existunt adhuc in nihilo, quasque DEUS posset inde extrahere. Qui dicere vellet id omne, quod nos non sumus, non id effecerit in toto sæculo; & unicum momentum sufficit ad dicendum omne id, quod sumus: siquidem infinitis nihilis circumdati, in medio horum omnium, non nisi tam tenuem habemus essendi portionem, ut propè ad nihilum accedat, & quasi nihil sit. Sed DEUS est omnia; hoc dicimus abs eo, quod comprehendamus.

Comparatio nostri temporis cum æternitate Dei.

Nostra duratio pari cum nostro esse passu ambulat: hujus namque unicum tantum habemus instans, circumdatum infinitis privationibus durationum. Revolve animo tuo omnia sæcula, quæ nativitatem tuam præcesserunt; tota hæc longa duratio, nulla est pro te. Voca coram te omnia sæcula, mortem tuam secutura; ex totâ hâc longâ durationè nihil habebis: habeas ergò omnem illam vitæ tuæ durationem; Sed ex hâc anni jam tot elapsi quò devenerunt? Tota illorum duratio nonne evanuit pro te, abs eo, quod unquâ sis reversura? Ubi ergò sunt omnes illi anni, quibus adhuc vives? An hâc jam frueris durationè? Benè nosti, quod ex hac nec horam advehere possis. Attende, quàm infinitis sis privatus durationibus; & in magnâ privationum harum abyssu, quantam tu possides durationis particulam? Unicum præsens habes instans, quod tam celeriter dilabitur, ut obstringere hoc non possis, ad exspectandum id, quod sequitur, quatenus sic duo simul haberes durationis instantia. Nimium hoc est pro te, non habebis unquam, nisi unicum instans; sicque duratio tua non differt ab esse tuo. Nonnisi unicum habes essendi atomum, infinitis non entibus circumdatum; sic etiam non nisi unicum durationis instans, infinitis circumseptum privationibus durationum, quæ præsens momentum tum præcedunt, tum sequentur. Ecce tibi, quid sit creatura; est atomus entis, est instans durationis; videris omnem, quam in se complectitur, magnitudinem, ut quid ergò non maximo habeatur despicatui?

Magnitudo essentiæ Dei.

Verùm si ulterius mente tuâ excurras & consideres infinitam magnitudinem & æternam durationem essentiæ DEI, invenies abyssum, quâ tuus absorbeatur animus, haud aliter, quàm si gutta aquæ absorberetur ab æquo-

re. Si aspicias esse ipsius Divinum, est hoc tam magnum, ut excludat omne non entis genus, & nec unicus nihili atomus sit in illo; ita ut ipse sit omnia, ipse sit ubique, ipse sit semper, & impossibile sit dicere, ipsum non esse. Ne dicas, ipsum non esse mundum, nec creaturas; siquidem ipse possidet in se omne esse mundi & omnium creaturarum, idque modo infinities nobiliori, quàm sit omnibus rebus creatis. Ah! quomodò dedisset ipsis esse, si id non habuisset? *Nemo dat, quod non habet.* Nec dicas, quod ipse non sit alius DEUS; Ipse enim possidet tam absolutè omnem Divini esse infinitudinem, ut impossibile sit, alium DEUM esse, quàm ipsum. Nec dicas, quod ipse non sit peccatum, nec imperfectiones hominum; siquidem hæc non sunt entia, sed privationes; Et in hoc consistit infinita sui esse magnitudo, quod omnia nihilorum & privationum genera excludat, ipseque esse sit totum purum, totumque perfectum, absque minimi defectûs admixtione.

Magnitudo æternitatis Dei.

Tale est ipsius esse, & talis est etiam ipsius duratio: siquidem hæc non solùm ipsius essentiæ assimilatur; Sed aliud non est, quàm ipsummet esse ipsius; ita ut subsistat in æternitate semper actuali, ipsiusque duratio infinitâ expellat à se omnem durationis privationem. Nunquam verum fuit dicere: *DEUS non est*: Et nunquam verum erit dicere: *DEUS non est.* Sicut enim nullum est esse actuale vel possibile, quod non sit excellentissimo modo in essentiâ DEI; ita non est duratio actualis vel possibilis, quæ non sit eminentissimè in æternitate DEI. O magna DEI æternitas, quæ constringis omnia sæcula, quasi unicum duntaxat instans! O magna DEI æternitas, quæ nunquam incepisti, & nunquam desines! Æternitas invariabilis, quæ nunquam esse non potes, quod es, quàm es incomprehensibilis?

Abundantia bonitatis Dei erga nos.

Eheu mi DEUS! quid est parvus essentiæ meæ atomus', respectu essentiæ tuæ infinitæ? Et quid est exile hoc durationis meæ momentum intuitu æternitatis tuæ? Et tu concedis parvo huic nihilo attollere oculos ad contemplandam tuam essentiam, ipsi permittis aspicere tuam æternitatem, loqui de te, quin etiam loqui tecum; & quod incomprehensibilis tuæ bonitatis excessus est, dignaris super nos demittere oculos tuos, infinitum tuum esse, ad nostrum inclinare nihilum, ut quos quæras, nobis blandiaris, familiarem te nobis exhibeas, quasi tibi essemus æquales; & quod his omnibus majus

jus est, tantæ bonitatis es, ut nos omnes, & ut reciprocè amemus te, nobis præcipias? Itane infinita Majestas eò usque tuæ oblivisceris magnitudinis? Ita ne te impotens superat affectus amantium, qui seipsos excœcant, ad videndum in objecto amato pulchritudinem, quæ ibi non est, nisi quam ipsorum amor collocavit illuc, aut quam se cernere is sibi persuadet? An ignoras, Domine, veras amicitiæ leges statuere, ut amici sint æquales, ac omnia ipsorum bona sint communia? Ergonè vis æqualis fieri mihi, vel tibi me vis fieri æqualem, dum amare me vis, mihique præcipis, ut reciprocè amem te? Ergonè vis, ut per sacras amicitiæ leges nostra bona sint communia? Habebis igitur parvum hunc essentiæ meæ atomum, & ego possessionem capiam essentiæ tuæ infinitæ; Habebis meum durationis instans ac momentum; & tua æternitas erit æternitas mea, & omnia nostra bona erunt communia; Ex hoc fieri necesse est, cum tam familiari nos junctos esse velis amicitiâ. O bonitatis excessum! ô pietatis abundantiam?

Efficax incentivum amandi Deum.

Quis altius magnam hanc veritatem considerare, illamque sensim degustare potest, quin totus extra se rapiatur? Nonne vehementissimo accendendus sit desiderio, nil aliud faciendi deinceps, nisi amandi DEUM? Ama DEUM anima mea, & omnia ipsius bona tua sunt. Essentia ipsius infinita, ipsius immensitas, ipsius omnipotentia, ipsius æternitas, omnia ipsius tua sunt; quemadmodum tu tota ipsius eris, sic ipse totus erit tuus, & ex bonis vitetis communibus: Inter amicos omnia sunt communia. An majorem expetere posses felicitatem tempore vitæ tuæ? Ah! An unica sit anima super terram, quæ faciat aliud, quàm amare DEUM, amare DEUM suum, & amare illum ex totis viribus suis? Quod si nil faciat, nisi hoc solum, omnia fecit; quod si faciat cœtera omnia, si DEUM non amet, nihil fecit.

Animamur ad aspectum æternitatis.

Justus, qui crucem pœnitentiæ portat per viginti aut triginta annos, tam diuturnâ tandem tolerantiâ afficitur tædio; sed quando considerat, omnes suos labores sibi paulatim & successivè accrescere, non simul, denuò animatur ac levatur fastidio; quod si etiam contingeret, ut simul omnes pateretur, quid esset hoc respectu æternæ quietis, quam illi DEUS præparat, ubi plenam adibit possessionem totius æternæ beatitudinis, omnium bonorum infinitorum simul, eorundemque unitorum in unico solo indivisibili & invariabili

bili æternitatis instanti; *Tota simul & perfecta possessio.* O si homines apertos haberent oculos ad intuendam admirabilem hanc veritatem! Mi DEUS, si defixâ ipsam mente & animo seriò semel tantùm de die considerarent, medio horæ quadrante, quâ ratione vel mininùm æstimare possent omnia præsentis vitæ bona? O magna æternitas quis aperit te mihi, ad recipiendum me in sinum tuum? profundè te meo imprimito cordi: Veni, æternitas, veni, æternitas, pinge temetipsam, insculpe te firmiter animo meo, ut nunquam non circumferam te in capite meo. Eccur enim mi DEUS, dedisti nobis caput rotundum in formam globi, qui Symbolum est æternitatis, nisi ut semper æternitatem menti nostræ & cogitationib⁹ nostris infixam gererem⁹:

Psal. 76. *Annos æternos in mente habui.*

Vellem hic cunctis hominibus eandem facere exhortationem, quam Mater Machabæorum fecit filio suo natu minimo. Incomparabiliis hæc Amazon jam senas reportaverat victorias, in sex primis natis, qui generosè triumphaverant de morte & omnibus suppliciis pro defensione legum DEI. Non superstes erat nisi septimus & annis & viribus minimus; quem cùm crederet & robore & animo fratribus suis imparem; quid non fecit ad animandum ipsum, ad stabiliendam ipsius constantiam? Amplexata est ipsum tenerrimo afflictæ Matris affectu, ipsumque suo adstringens pectori, verbis vehementer accensis, & ex intimo cordis clibano profectis fortiter animavit.

Exhortatio Matris septem Machabæorum.

Mi chare Fili, ajebat, cor meum, vita mea, lumen meum, chara viscera mea, compatere matri tuæ plus te amanti, quàm seipsam, recordare, quod novem mensibus formaverim te in utero meo: Memineris, quod tribus te annis portaverim in sinú meo, lactando te uberibus meis: Statue tibi ob oculos tot labores, quos subii, ut educarem & deducerem te ad eam, quâ frueris nunc, ætatem. Ah! si quidquam gratitudinis geris animo, si me amas, si consolari desideras cor Matris tuæ, non nisi unicum à te efflagito: *peto, nate, ut aspicias cœlum,* Rogo te, mi chare Fili, attolle oculos in cœlum, aspice pulchritudinem cœlestis illius palatii, quod mox intrabis cum fratribus tuis, si ipsorum induas animum, sequaris vestigia. Beata æternitas, mi chare Fili; Ecce tibi aperit brachia, amplexura te; Tota integra vitæ æternitas exspectat te, pro vitæ hujus perituræ momento, quam fundis pro DEO. Abundè sat fuit unicus beatæ æternitatis aspectus, quo fortior omnibus 2. Mach. 7.

bus tyrannis factus irridebat supplicia, & lætus currebat ad mortem, tanquam ad summam felicitatem. O Mater admirabilis, quæ sic ipsum cœlo parturiit?

Æternitas beata nos exhortatur.

Verum est, linguam hujus matris silere modò; sed audiamus vocem magni Apostoli, qui cuncta penetravit sæcula, nobisque hodiedum dicit, habere nos aliam matrem, abs comparatione excellentiorem, quæ non cesset verbis longè ardentioribus nos exhortari; Hæc est cœlestis Jerusalem, cujus sumus Filii: *Illa quæ*

Gal. 4. 2. Mach. 7. *sursum est Jerusalem, Mater nostra.* Hæc clamat ad nos de vertice cœlorum, plenissimo amoris affectu: *Peto nate, ut aspicias cælum.* Mi charissime fili, thesaure mi, dulcissimum illicium cordis mei, recordare, quod portaverim te in sinu meo ante mundi creationem: Nondum prodieras è nihilo, & jam conceptus eras in æternis creatoris tui idæis; nondum eras in statu, ut posses cogitare de me, & ego jam amabam te ardentiori affectu, quàm omnes mundi matres sua possint amare pignora. Recordare, quid fecerim, quidque toleraverim pro te & amore tui: volui descendere in terram, ut quærerem te, sacrificare meipsum pro salute tuâ, dare meum sanguinem, imò & vitam meam, ut vitam tibi compararem æternam.

Ah! mi chare fili, noñe gratum refundes animum matri tam tenerè te amanti? *Peto nate, ut aspicias Cœlum*; Nil aliud requiro, nisi ut cœlum aspicias, unde venisti, & quò reversurus es in æternum. Non defigas oculos super terram, quæ indigna est aspectu tuo, quæ facta est, ut tuis contemptim conculcetur plãtis; sed oculos attolle ad illam gloriæ immensitatem, ad inscrutabilem illam abyssum deliciarum æternarum, quæ tibi præparatæ sunt, quæque exspectãt te, post transitoriæ hujus momentum vitæ; Illuc si oculorum defixeris aciem, nihil ex omnibus mundi rebus te poterit commovere. Si fallaces sensuum deliciæ tibi blandiantur, ut te decipiant, aspice cœlum, & intra te dicito: Verùm me aliæ ibi exspectant deliciæ in æternitate, has si contempsero. Si adversitates vitæ te affligant, tibique gemitus exprimant; aspice cœlum, & dicito intra te: quod hìc patior, levis tribulationis momentum est, quod ocyus avolabit; sed ibimus tandem in Domum DEI, ubi omnes nostræ lachrymæ abstergentur. Si tuæ tumultuentur passiones, si dæmonum te invadant tentationes, si mundus tibi bellum cieat, aspice Cœlum, & intus dicito tibi ipsi: paulisper tolerandum est in hoc, ubi contabescimus, exilio; sed tandem omnibus his exsolvemur pœnis, & securâ perfruemur pace, quiete potiemur omnis plenâ gaudii in magno illo æternitatis die.

O Formosa, ô delicioſa æternitas! ad te ſolam aſpiro, tu jam poſſides cor meum, & cuncta deſideria mea. Ah! quando hæc implebuntur! quando perfectè ſatiabor ineffabili pulchritudine tuâ? *quando veniam & apparebo ante faciem DEI?* O ſi anima indies ſic aſpiceret æternitatem DEI, ſi tam ardenter ipſam deſideraret, de illâ olim poſſidendâ poſſet eſſe ſecura. Pſal. 41.

CONSULTATIO XII.

De Æternitate Creaturæ.

REdeo ad te, ô magna æternitas, quæ gaudio & admiratione rapis cor meum. Et quomodò tam citò deſerere te poſſem, te, quam deſeremus nunquam, cùm omnes aliquando profundiſſimo ſinu tuo ſimus abſorbendi? Non admiror, tantâ te fulgidam Majeſtate mihi viſam eſſe in Creatore, ô ſpecioſa æternitas: ſcio namque, te unam eſſe ex perfectionibus neceſſariis & eſſentialibus divinæ ipſius eſſentiæ, eo quod eſſe non poſſit à ſeipſo, quin pariter ſit æternus; verùm quod inveniaris quoque in creatura, quæ non eſt à ſeipſâ, hoc magis admirandum mihi videtur,

æternitas creaturæ non eſt, niſi ſemi æternitas.

Probè novi, hanc non eſſe æternitatem abſolutam, neceſſariam & independentem; quæ nonniſi Deo ſoli congruit. Non ergò eſſe poteſt, niſi æternitas mutilata, ſi ita loqui licet, æternitas participata, & velut ſemi æternitas dependens, quæ habuit ſuum principium, & quæ habere poſſet ſuum finem; Eſt tamen æternitas, quia nunquam finietur. Benè quoque novi, hanc æternitatem non congruere omni creaturæ; quæ enim compoſitæ ſunt ex materiâ, eſſentialiter ſunt corruptibiles, & conſequenter æternitatis incapaces. Privilegium earum hoc eſt, quæ habent eſſe ſpirituale omninò independens à materiâ, uti ſunt Angeli & animæ rationales; Illis ſolis congruit eſſe, ſi non abſolutè æternas, ſaltem ſemi æternas, quia licet ſuum habuerint initium, nunquam tamen ſuum habebunt finem. Verumtamen nonne mirabile ſit, ipſas immerſas eſſe tempori, quod velut hoſtis ſe æternitati opponit, ſuamque in medio temporum conſervare æternitatem? Nam quis neſcit imperium temporis tantæ eſſe latitudinis, ut velut ſupremus Monarcha dominetur à ſummis cœlorum, uſq; ad profundas averni abyſſos? Hinc eſt, quod ſupremus Creator voluerit, ut ſuum ſumeret ortum & nativitatem in cœlo; ſi namq; quæ-

quæras Philosophos, quid sit tempus, respondent tibi, quod sit *Mensura motus primi mobilis.* Est igitur soboles cœli, ubi Deus ipsi erigere voluit solium elevatum super universum orbem, ut inde suum extenderet imperium supra omnes res inferiores, legesque daret mûdo huic inferiori.

Quare tempus dominium habeat in omnia inferiora.

Illud est, quod potestatem habet dirigendi nostras horas, nostros dies, nostros annos, nostra sæcula; Illud est, quod signat nostræ instans nativitatis, quod nostræ metitur longitudinem vitæ, tandemque hanc terminat per mortem: Illud est, quod convertit nostras tempestates, quod generat & excludit flores in vere, formatque, perficit, & perducit ad maturitatem fructus in æstate, illasque ceu gratum munus nobis offert in autumno; & tandem universam terram quasi mortuam tumulat in hyeme. Illud est, cuncta magna opera absolvit cum labore, & paulatim absque labore illa consumit ac destruit. Illud est, unico verbo, quod producit omnia, & omnia quoque devorat, illa mutat, illa incessanter alterat, hunc in finem super capita nostra incredibili decurrens celeritate. Hinc necesse est omnia, quæ ab ipso dependent, ipsius gubernari ingenio, & malignâ ipsius affici, vel potius inficisorte, quæ est, quod nunquam in eodem permaneat statu. Et hinc est, quod æternitas, quæ nullam vel successionem, vel mutationem admittit, sub ipsius stare non possit aut commorari imperio.

Ubi ergò commoraris, ubi habitas, ô magna æternitas, cum ubique suam tempus exerceat dominationem? Opus ergò tibi est habitatione extra tempus, ubi nunquam non immobilis ac immutabilis permaneas, sive supra sidera, sive infra tartara, sive in paradiso, sive in orci abysso. Ecce duo tibi palatia pro duabus præparata æternitatibus, ubi utraque habitat, nunquam amplius inde egressura: similes quidem sunt in duratione; Sed Eheu! quàm diversæ conditionis sunt & statûs? una elevata est supra mundum: altera dejecta, & quasi annihilata infra omnes creaturas: unam clarificat ingens divinorum luminum splendor nunquam finiendus; alteram obtenebrat nox plena caliginis & horroris nunquam terminanda. Una tota repletur felicitate in regno vitæ, alia obruitur miseriis sub tyrannide mortis. Et ecce nos in ambarum medio collocatos; una eminet capitibus nostris; altera nostris subest pedibus. Anima nostra, quæ æternitatem suam in sinu suo gestat absconditam, singulis progreditur & provehitur momentis, ut temporis perforet durationem, & inde evadat; quam si evaserit, vadendum est ipsi necessariò in harum æternitatum unam, unde amplius non

Quale sit palatium æternitatis.

pateat egressus in æternum; Sed in quam è duabus recipietur? An potiatur æternitate beatâ in sinu Dei? an præda dabitur æternitati infelici in fundo averni? Eheu? nil de hoc nobis constat, in hâc vivimus incertitudine, & in hoc versamur periculo, quo congelari deberet cruor in venis.

Nostra vita non est nisi filium, suspendens non ex æternitate.

Quàm lamentanda nostra est conditio! Nunquam non nos quasi suspensos videre inter duas hasce ingētes abyssos, & rem totam non nisi è filo pendere. Quid enim est vita nostra, nisi tenue filum fumi, quod levissimus ventus dissipare potest in momento; Et quodnam momentum hoc sit, ignoramus. Nullum omninò est in totâ vitâ nostrâ, quod ultimum esse non possit, adeoque semper in promptu ad demergendos nos in æternitatem, sive beatam, sive miseram, antequam otium nobis sit de eâ solummodò cogitandi: Et in hoc statu viventes non obruimur horrore, quia nulla hujus rei mentem nostram subit cogitatio.

Cœcitas hominum.

Mirabilis res, quod homines, qui huic periculo, & omnium periculorum maximo subjectos se cernunt; qui probè nôrunt, quando de mundo exibunt, transituros se certò in unam æternitatem, sive bonorum, sive malorum infinitorum; qui quando futurum id sit, nec diem sciunt, neque horam, dubitare tamen de terribili hâc veritate magis non possunt, quàm vocare in dubium possint, an dies sit in pleno meridie; non magis hæc cordi ducant, non magis hæc animo perpendant, quàm si certi essent, hæc non esse nisi figmēta, nisi fabulas. Deus vive! quid igitur habendum cordi, quid seriò cogitandum & recogitandū animo, nisi magnum hoc maximi ponderis negotium? quid in totâ vitâ nostrâ nos propiùs tangit, quid nostra majoris refert, nisi hoc unicum? Quid mecum erit in æternitate? An in æternum beatus ero Dei possessione? An hæc continget mihi sors, ut gustare liceat voluptates ex illo æternarum consolationum torrente, qui inebriat omnes habitantes in Domo Dei? An hæc exspectanda mihi erit felicitas? An verò in æternum torquendus ero cùm diabolis in inferno? An hoc corpus, quod modò & minima sentit, in perpetuis ardebit flammis? Et anima mea privata erit in æternū aspectu vultûs Divini? certus sum, è duobus unum eventurum mihi; sed quodnam è duobus? Eheu! neutrum mihi constat; & insensatus non magis hinc angor, quàm si hæc res me prorsus non tangeret.

Colloquii cum æternitate.

Inde hoc est, quod nunquam penitius unam & alteram harum aspexerim æternitatum, quod nunquam pensiculatè & mente defixâ ponderaverim illas: Nunquam cum illis contuli, ut ipsas interrogarem, an bona vel mala

præ-

præpararent mihi. Jam investigandum aliquando, & in spiritu intrandum mihi est in ambo hæc æternitatis habitacula. Ex unâ parte consultabo desuper cum aliquo aulæ cœlestis inquilino, ut addiscâ ab ipso, quid sit æternitas beata; Ex alterâ parte descendam vivens in infernum & verba faciam cum quopiam ex damnatis, ut edocear ab ipso, quid sit æternitas infelix, quidque facere vellet, si meo esset loco, ut ab ipsâ se se custodiret.

ARGUMENTUM.

1. Quid sit æternitas Beata.
2. Hæc replet tria magna vacua animæ, quo contentatur ita, ut status ipsius in perpetuum futurus sit invariabilis, firmus ac stabilis.

Articulus I.

Nostra beatitudo est participatio beatitudinis Dei.

DIc ergò mihi, ô Anima Sancta, quæ clarè aspicis faciem Dei: quid est ista, quâ frueris, æternitas beata? Illa respondet tibi, quod sit admirabilis participatio æternitatis Dei ipsius. Suprema hæc majestas portat in sinu suo fontes propriæ suæ beatitudinis, quos possessione suâ exhaurit, quique tamen in perpetuum inexhausti manent, ut nutrimentum sint æternæ ipsius fruitionis. Siquidem cùm intellectus Dei sit infinitè magnus, totus repletur, totusque satiatur & quiescit in æterno raptu aspiciendo pulchritudines infinitas propriæ suæ essentiæ; & divina ipsius voluntas, ejusdem cum intellectu magnitudinis tota quoque infinito repletur gaudio fruitionis suæ. Sufficit is sibi ipsi, cùm totam plenitudinem gaudiorum, quæ contentare & satiare possunt Deum, inveniat in propriâ suâ essentiâ, quam contemplatur, quamque amat ab æterno; Et quando propinare voluerit animæ ex eodem fonte, ipsam elevando ad contemplationem & amorem earundem pulchritudinum, quas ipsemet contemplatur & amat, tunc reddit ipsam participem æternitatis suæ beatæ, cùm vivere ipsâ faciat vitâ suâ, & easdem secum gustare delicias. An mirum sit, quod anima hæc perpetuò ibi hæreat affixa, ita ut ne momento quidem abiis possit avelli, cùm Deus ipse, cujus intellectus & voluntas immensæ est capacitatis, illis sic repleatur, satietur, contentetur, distineatur, ut nec unico duntaxat instanti ab iis possit distrahi & amoveri.

Capacitas nostræ animæ ter infinitæ.

Sed qua ratione anima capax est, ut recipiat in effabilem hanc beatæ æternitatis Dei participationem? Fateor inter omnia opera Dei nihil admirabilius mihi videri, quàm amplissimam hanc, quam elargitus est animæ, capacitatem. Siquidem videtur in ipsâ collocâsse vacuum valde magnum,

gnum, tamque immensum, ut trinis vicibus videatu esse infinitum in suâ latitudine, infinitum in suâ duratione, infinitum in suâ profunditate; & hoc ingens est vacuum, quod, cùm nunquam impleri possit omni eo, quod non est DEUS, reddit animam capacem, ut participare possit æternitatem D E I ipsius; verùm reducit quoque ipsam ad beatam quandam necessitatem, ut contenta & satiata esse non possit, nisi verâ participatione æternitatis D E I sui, qui solus implere potest ingens hoc vacuum ternis vicibus infinitum.

Anima immensa in suâ magnitudine.

Unde venit, quod anima nunquam repleri nec saturari potuerit omni bonorum abundantiâ, quam unquam possidere potuit in terrâ? Unde venit, quod, quantò plus ex his habuerit, tantò plus adhuc habere velit, & juxta mensuram potûs, crescat quoque ipsius sitis, haud aliter, uti mos est hydropicis. Da ipsi totius hujus universi possessionem, nihil hoc omne faciet, ad explendum insatiabilem ipsius appetitum, quo fertur in bonum; quæret adhuc cum Alexandro, an alii non sint mundi, quos sibi possit comparare; Et cùm dederis ipsi centenos alios mundos, magnitudine huic non impares, tam parum adhuc contenta erit, ut plures & majores sit semper inquisitura: Et quando DEUS ipse omnipotens suum brachium usque ad fundum nihili extenderet, ad extrahendos inde tot mundos novos, quot herbarum sunt ramusculi super terram, æquè magnam adhuc sentiret famam, & æquè parum contenta foret, ac si nihil accepisset. Unde est hoc? nisi ex eo, quod capacitatem habeat immensam in suâ latitudine, quam omne id, quod in suâ magnitudine immensum non est, implere non possit.

Appetitus animæ æternus in sua duratione.

Et quando ex suppositione dedisses ipsi bonum immensum, quod repleret omne illud infinitum latitudinis suæ vacuum, nondum adhuc contenta foret, nisi hoc bonum intermissæ & perpetuæ quoque foret durationis. Dicito ipsi, quod fruitura sit illo centies millenorum spatio annorum: nimis quàm parum hoc est, ad implendum vacuum in duratione suâ infinitum: pollicere ergò ipsi, quod potitura sit illo centies millenis annorum millionibus; nihil adhuc pollicitus es, quod expellere ipsius famem, quod satiare ipsam possit; dicet namque tibi: quid ergò post hæc faciam, si postquam ad tempus id possedero, illo in omnem sim destituenda æternitatem? Unde est, quod tam procul suos ejaculetur oculos, nihilque velit, quod sibi in fruitione suâ ullos locare possit limites? nisi

quod

quod vacuum in sua duratione æternum ac infinitum circumferat, quod impleri nunquam possit, nisi fruitione æternâ: omne, quod temporale est, non potest ipsam saturare.

Appetitus animæ infinitus in sua profunditate.

Sed tandem pono, dedisse te ipsi bonum in magnitudine suâ immensum, in duratione etiam suâ æternum, nondum adhuc plenè ipsam satiasti, nisi infinitum id quoque sit in sua profunditate. Enimverò prodigium hoc maximum est & incomprehensibile in animâ rationali, exquisitissimo hoc manuum divinarum opere; quod nempè non solùm habeat latitudinem immensam in suâ magnitudine, & durationem æternam in suâ longitudine; sed etiam certum fundum tam profundum, ut nulli sit cognitus, nisi oculis Dei, qui intuentur abyssos: hoc namque est sacrarium, quod omnipotens Creator sibi soli reservavit, ita ut nemo alius, nisi ipse, huc ingredi possit. Omnes creaturæ corporeæ non accedunt propius, nisi usque ad sensus exteriores; spirituales appropinquare quidem possunt usque ad intellectum & voluntatem, quæ sunt quasi vestibula animæ exteriora; sed fundus & intimum penetrale animæ est sacrarium tam sanctum, ut ipsi Angeli huc accessum non habeant, nec ulla creatura hic aditum inveniat: tali ratione Deo soli reservatum est, ut vacuum manere necesse sit, nisi ipse id repleat sua Divinitate.

Tres plenitudines sunt beatitudo animæ.

An nôsse jam cupis, in quo consistat æternitas beata animæ rationalis? In hoc, si plenè contenta & repleta sit secundùm magnas tres Dimensiones sui vacui, secundùm latitudinem suam, secundùm longitudinem suam, secundùm profunditatem suam. Interim, dum hoc noneſt, manet in tempore & temporis sequitur conditiones ac proprietates: agitatur, urgetur, impellitur, currit post ea, quæ ad explendam suam famem crediderit idonea. Sed quando placuerit Deo, totum hoc ingens vacuum implere possessione sui ipsius, quantocyùs transit ad æternitatem, & jucundè ac pacificè fruitur gloriosis æternitatis conditionibus ac prærogativis, abs eo, quod sufferre possit aliquam agitationem, quâ feratur ad inquirendum aliud bonum; Quid enim velle posset? Immensa ipsius latitudo impleta est fruitione essentiæ Dei, quæ est immensa in suâ magnitudine; ipsius duratio æterna in suâ longitudine tota adimpleta est æternitate boni infiniti, de quo certa est, quod id nunquam amplius sit amissura; & ipsius infinita profunditas tota est plena fruitione magni istius infinitarum perfectionum oceani, cui

cui se totam feliciter invenit immersam, ipsoque penitus absorptam. Et hac ratione per triplicem hanc plenitudinem firmata omnimodè est in perpetuâ ac immobili stabilitate. Quo enim iret? aut quid faceret? aut præter id, quod possidet, quid desiderare posset. Et ecce quid essentialiter constituat beatam ipsius æternitatem.

An nôsse posset anima, creatam se à Deo tantæ capacem felicitatis, quin ardentissimo ipsum possidendi accendatur desiderio? An in seipsâ sentire posset amplam hanc suorum latitudinem desideriorum, quæ omni eo, quod minus Deo est, repleri non possunt, quin sese attollat supra totum hunc mundum inferiorem, ad evibrandum sese per millena amoris plena suspiria in sinum magnæ hujus æternitatis, ubi juxta cordis sui desideria habebit omnia? Ah! quis dabit mihi pennas sicut columbæ? Et volabo in dilecta ac jucunda tabernacula tua. O amabilis mea æternitas! quando illucescet felix ille dies, quo tandem requiescam in sinu tuo? Siquidem extra te nunquam invenire potero quietem.

Filii Israel deflebant charam suam Jerosolymam.

Sacer codex jucundè nobis exhibet filios Israël, tempore captivitatis suæ sedentes super flumina Babylonis, quorum aquæ per illorum accrescebant lachrymas. Memoria charæ suæ Jerosolymæ, Dolor præsentis exilii, & ardens amabile hoc domicilium denuò videndi desiderium inducebant ipsos, ut dicerent, flumina hæc potius exhaurienda, quàm suas exsiccandas fore lachrymas. Nulla amplius inter ipsos fiebat mentio lætitiæ, nullam festivorum Carminum tripudiorum nulla; suspensa salicibus sua gerebant organa, quæ tristi obmutuerant silentio. Erant, qui tanto obrutos mœrore consolari volebant, dicentes: Agite, curas solvite animo: *Hymnum cantate nobis de Canticis Sion*; audivimus modos vestros musicos, omnem supra modum jucundos esse ac suaves; hinc persuasi, vos esse Jerosolymis Carmen lætitiæ concinite nobis.

Verùm ipsi suspirando respondebant: quomodò cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ? Quid de gaudio, quid de Jubilo loqui convenit exulibus, qui miserrimos sese credunt ac infelicissimos? quomodo in cordibus nostris admittere possemus vel minimum sensum lætitiæ, dum spoliatos nos cernimus perdilectæ aspectu Jerosolymæ? ô jucunda civitas! extra te incassum impenditur nobis solatium; Tu sola es, quæ solatio, quod desiderat anima nostra, nos delinire, nos demulcere potes: potius cessabimus vivere, quàm cessare à luctu, à tui amore, ab ardenti tui desiderio.

Itane

Itane moriemur fastidio, in gravi hoc exilio? An nunquam tuas remeabimus ad portas?

Suspirandum nobis est ex desiderio patriæ cœlestis.

O DEUS! si materialis Civitas, quam amabant, & unde exulabant, ipsos eò usque adduxit, ut nullum admitterent solatium, ni denuò admitterentur ad illam: quanta deberet esse nostri doloris vehementia? Nonne deberemus languere præ tædio, tabescere præ mœrore, mori præ dolore, ardentissimo succendi desiderio, cœlestem aspiciendi Jerosolymam, perdilectam nostram patriam, si tamen verè nostra est patria, nosque verè ipsius sumus Filii? O quàm timendum est, exiguum hunc nostrum affectum, quo ferimur erga regionem istam felicitatis æternæ, quasi nostra haud referret, funesta sit nota, nos potius esse veros Babylonis inquilinos, quàm Exules Jerosolymæ. Sanctus Augustinus luculentam affert notam, è quâ cognosci facilè poterat, quinam fuerint populus DEI, & quinam inimici ac hostes DEI, in eâdem Babylonis Civitate. Jucundabantur hi, & omnis generis sectabantur delicias; isti amarè plorabant & omnia respuebant solatiorum genera; veri Babylonis inquilini vivebant consolati, exules Babylonis erant afflicti. Qui non aspirabant ad aspiciendam Jerosolymam, millenis sese re-

In Psal. 136.

ficiebant oblectamentis: absorbebantur quod cogitarent de illâ; qui possessioni inhiabant charissimæ suæ Jerosolymæ, cùm nihil viderent, quo aliunde refici possent, nonnisi de illâ cogitabant, nonnisi ad illam aspirabant.

Notabile signum prædestinatorum & reprobo-rum.

Ecce genuinam tibi Babylonis mundi effigiem: habet ipsa habitatores suos, & habet exules suos, qui simul vivunt & habitant; Sed facile est ipsos discernere. Illi lætantur, quia sunt in patriâ suâ, nulloque feruntur erga cœlestem Jerosolymam desiderio; Higemunt, quia sunt extra patriam suam, nihilque negotii habere volunt cum Babylone mundi, ubi velut exules commorantur. Et hæc nonne est luculenta illa tessera, quam Christus JEsus dedit suis, ad distinguendos illos à mundi asseclis, qui sui non sunt? *Mundus gaudebit, vos verò contristabimini.* Videbitis illos refertos lætitiâ, vos autem ingemiscetis præ tristitiâ; quandoquidem illi in suâ sunt patriâ, vos autem in vestro estis exilio?

Joan. 16.

Rex David gemebat velut in exilio.

Illustris ille vates, cujus vertex fulgurabat diademate, amplissimi possessor imperii, videbatur annumerari posse fortunatissimis mundi habitatoribus, nihil ominus is exul erat perpetuò gemens & anhelans liberationem suam, & ardentissimè desiderans possessionem perdile-

ctæ patriæ suæ cœlestis. *Quando veniam & apparebo ante faciem DEI?* O anima incomparabilis! O cor omnibus mundi soliis magis excelsum! omnes Imperii honores te non deliniunt neque delectant; omnes regalis aulæ deliciæ te non demulcent, neque reficiunt; tantæ divitiæ, quas possides, tantæ victoriæ, quibus refulges; tanta lumina gloriæ, quibus totum colluſtras universum, non te satiant, nec tuam explent famem. Inter hæc omnia ingemiscis tanquam exul, & sufferre non potes retardationem speciosæ hujus æternitatis, pro quâ quovis momento percuperes mori. Et nos miseri, quibus nihil est, quod nos affigere posset mundo, sicut erat Sancto huic Regi, sed potius contrarium, quod nos ab eo deberet avellere, non confundimur, dum videmus, quantum discrepent animi nostri sensa à sensis & affectibus illius?

Pulcher affectus Sancti Anselmi In proslog. c. 1.

Ah! quis mihi ita tribuat divinos ardores, sicut verba Sancti Anselmi, quando totus succensus desiderio aspiciendi pulchritudines dilectæ suæ Jerosolymæ, dicebat ad DEUM: *Eja nunc ergò, Domine, doce cor* Psal. 41. *meum, ubi & quomodò te quærat.* Ah! an langueam semper in molesto hoc Exilio, ô mi Deus, misericordia mea, & contabescam, nec videre potero faciem tuam? Tu nôsti, mi Deus, unicum te esse cordis mei desiderium; quæro te ubique & nulli parco labori, ut agnoscam te, & tamen non novi te, nec unquam adhuc aspexi te, quomodò ergò quis & qualis sis, scire possim? Accendor desiderio videndi te, sed procul nimium absum à te in fastidioso hoc Exilio: quid faciam, ut appropinquem tibi & videam saltem radium quendam magni illius splendoris cœlestium luminum tuorum, quæ animæ nostræ detegis in æternitate beata? An omnibus Creaturis valedicendum? Erue & avelle me ab omni eo, quod me magis afficit & delectat in mundo. An multa toleranda? fac me quascunque tolerare Cruces. An opus est mori? Exsolve animam meam à catenis suis: quantocyùs ergò libet mori, mi Deus, ut aspiciam faciem tuam!

Eja moriar ut videam te.

AR-

ARGUMENTUM.

1. *Quod via ducens ad æternitatem beatam sit facilior, quàm illa, quæ ducit ad infelicem & miseram.*
2. *Quod ad aspectum æternitatis omnia facilè tolerentur.*

Articulus II.

VEni, homo miser, defere exilium tuum, in quo aliud non agis, nisi quod languidam ducas vitam in regione umbræ mortis: proficiscere & accelera versùs beatam tuam immortalitatem: finientur ibi omnes labores per possessionem æternæ quietis, quâ potieris; abstergentur ibi lachrymæ tuæ ineffabili visionis Dei gaudio, ibi tandem omnia tua implebuntur desideria acquisitione summi ac infiniti boni.

Ita est, Beatos crediderim illos, qui tantæ felicitatis metam attigerunt; sed via, quæ illuc ducit, difficilis est; sentio imbecillitatem meam, aggredi ipsam metuo, cùm noverim scriptum esse: *Arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam*; si arcta via est, consequenter est valdè difficilis, & à paucis invenienda. Malo incedere viâ regiâ, quæ latior est, magisque frequentata, adeoque facilior, quàm omnes ambulant sine labore.

Via cœli videtur difficilis, sed est facilis.

Verum est, respondet mihi anima beata, quæ viam hanc ad beatam æternitatem emensa est, ipsam proprio novit experimento: Verum est, arcta est cœli via; sed hoc ex eo est, quod rarò & non multum frequentetur; ex eo est, quod homines viam hanc ambulent serie continenti, unus post alterum, hinc est, quod semper maneat velut parva semita & plurimum arctata ac angusta; verùm si homines turmatim & magno numero hanc frequentarent, juxta vota & voluntatem Dei, qui omnes invitat ad salutem, videres illam valde latam atque tritam, utpote sæpissimè & plurimùm frequentatam. Arcta quidem est & videtur valde difficilis; sed non nisi animabus negligentibus, illamque non libenter ambulantibus, quibus ubique difficultates occurrunt. Animæ, quibus amor dilatat cor, inveniunt ipsam latam & suis sub pedibus complanatam, dicentque tibi, nihil esse facilius: *Via Domini est amanti lata.* Experire & ipse videbis, viam, quæ ducit ad æternitatem beatam, abs comparatione faciliorem esse

Quare via cœli sit angusta.

S. August. in Exod. lib. 2.

se illâ, quæ ducit ad æternitatem miseram ac infelicem.

Asperitas viæ ad cœlum abstinet pigros.

Verùm cùm appareat contrarium, ipsam aggredi abhorret animus, eò quod labores ibi aspiciam, qui intolerabiles mihi videntur. Siquidem Christus JEsus denuntiat nobis, quod quotidie tollere oporteat Crucem suam; Et Apostolus ipsius idipsum nobis insinuat, dicens: quod per multas tribulationes oporteat nos intrare in Regnum DEI. Video omnes illos, quibus animus fuit ambulare per viam arctam, quæ ducit ad Cœlum, per tantas ingressos esse austeritates, ut aspicienti tantummodò incutiant horrorem; Non enim videre hic est, nisi pœnitentias, Jejunia, lachrymas, disciplinas, cilicia, cingula ferrea: Unico verbo, videtur ipsos non vixisse in terrâ, nisi ut viverent infelices. Ex hoc cordatissimi quique cadunt animo, dum illis de viâ Cœli fit sermo, & plerique ab ipsius retrahuntur ingressu, quærentes aliam hâc faciliorem: Nemo enim vult esse infelix neque ad tempus, neque in æternum.

anda plura in via ad infernum, quam in viâ ad cœlum.

Fateor patiendum esse ambulare volenti per viam Cœli: sed quam aliam viam ambulare possent homines in præsenti vitâ, ubi non plures & majores pati cogantur difficultates? Inquirant viam, quam poterunt, commodissimam, contentare contendentes in omnibus propensiones suas, an millenas evitare poterunt amaritudines? nonne suæ tam peccatoribus quàm justis paratæ sunt cruces? Sed illæ peccatorum tribus stipantur conditionibus, quibus redduntur gravissimæ. Primò illis solis incumbit portare onus suum, naturali suæ relicti debilitati: namque Deus non apponit manum, vel si apponit, est, ut illud magis adhuc aggravet: *Aggravata est manus Domini*; castigando ipsos juxta terribilis justitiæ suæ, sese vindicantis rigorem. Secundò ipsorum Crux non tantùm premit & torquet ipsorum humeros, sed penetrat usque ad cor, usque ad abditissimum conscientiæ penetrale: Non est Crux, quæ comparari possit Cruci peccatoris, sævissimus est Carnifex, tormentum crudelissimum, ipso crudelius inferno. Tertiò Cruces ipsorum sunt absque consolatione, cùm noverint, se nihil exin trahere commodi, nisi quod sentire jam incipiant calamitosæ primitias æternitatis.

Judic. 15

Cruces justorum habent tria, quibus alleviantur.

Sed cruces justorum, tres alias conditiones sibi adsciscunt comites, quibus suaves redduntur ac beatæ, & quidem prioribus è diametro oppositas. Primò Deus portat illas cum ipsis, juxta id, quod in sacrâ pollice-

cus

tur Scripturâ: *Cùm ipso sum in tribulatione*: gravissimum quodvis onus lene videtur, dum ab omnipotente sustentatur & simul portatur manu. Secundò pro Cruce peccati, auctores suos affligentis, habent gratiam interius consolantem: Siquidem hæc est unctio Sacra, quæ dulcorat omnia, reddens testimonium animæ, quæ affligitur, non esse DEUM iracundum, vindictam de se velut inimicâ sumentem, sed amantis sinum esse Patrem sibi correctionem velut Charissimæ soboli impendentem. Tertiò nôrunt, Cruces suas magis proficuas esse omnibus mundi consolationibus utpote satisfactorias pro pœnis peccatorum suorum, nec non æternarum coronarum meritorias, Exercitium & emundationem virtutum suarum, nec non occasionem tolerandi Martyrium Amoris exoptatissimum. Si ergò pati oporteat in aliquâ, quam in præsenti vitâ ambulamus, viâ; nonnè melius longè sit portare crucem justorum quàm illam peccatorum.

Ps. 90.

Ne aspiciatur via, sed terminus.

Fateor etiam verum esse, quod dicit Apostolus: quod oporteat nos intrare per multas tribulationes in Regnum DEI. Sed tandem tamen per illas in regnum DEI intratur. Quis non mallet assimilari illi, qui toto die ambulat per spinas, ut ascendat exin super solium, ubi totâ suâ imperet vitâ, quàm illi, qui ambulat per pratum floribus confertum, ut exin ascendat super rotam, ubi diffractis ossibus miseram vitæ imponat metam? Quando Apostolus dicit quod nos oporteat per multas tribulationes intrare in regnum Dei. Non adjunxit, quod ex adverso per multas consolationes intretur in regnum diaboli, in barathrum inferni: Siquidem probè noverat, viam æternitatis miseræ & calamitosæ abs comparatione difficiliorem esse, viâ æternitatis beatæ; & peccatores majores tolerare labores in procurandâ morte æternâ, quàm maximi Sancti toleraverint ad æternam vitam promerendam.

Cruces justorum sût suavissimæ, & voluptates peccatorum amarissimæ.

Verum quidem est, ipsos exercuisse austeritates aspectu horribiles; Sed majorem in his invenuêre consolationem, quàm in suis voluptatibus peccatores; confer has cum illis, & videbis.

Primò bonus hic vir suum macerat corpus jejunio, & tu disrumpis tuum immodicâ intemperantiâ: quis duorum plus patitur? Ipsius Jejunium facit ex ipso Angelum, tua intemperantia facit ex te belluam: Ipse nunquam non liberum habet animum & intellectum ad suam prudenter juxta rationis dictamen instituendam vitam; tu tu-

um geris corruptum atque destructum, nec aliud in hoc statu agis & operaris nisi insulsas atque ridiculas ineptias: Ipsius jejunium facit ipsum semper gustare delicias innocuas in eo, quod comedit; tua intemperantia affert tibi tam ingens fastidium, ut nihil amplius comedas cum gustu: ipse semper suam servat sanitatem firmam ac incolumem; Et tu millenis te obruis & oneras infirmitatibus molestis: Denique is jejunio suo suam protrahat vitam, cùm videamus austerrimæ vitæ viros ad centum viginti annos suam provehere ætatem; Et tu miserabiliter extinguis & suffocas tuam in medio annorum tuorum. Jam quæro, quæ Crux è duabus plus habeat ponderis ad portandum, an austeritas justorum, vel voluptas peccatorum.

Qui malè habet suum corpus, consolatur suam animam.

Secundò verum est: bonus hic vir malè suum habet & excipit corpus; pungit & ferit illud flagellis, obarmat ciliciis, catenis implectit ferreis, duro condemnat strato, sed hâc ratione id redigit sub potestatem & dominium animæ suæ, ipsius motus edomat & subdit rationi, pro fundâ fruitur pace interiori, quâ conceditur ipsi libertas currendi abs labore viam paradisi. Interim dum tuo tu blandiris & lenocinaris corpori, ipsique omnes, quarum se desiderio teneri ostendit, delicias concedis ac voluptates; animam tuam ceu mancipium ipsius consignas imperio, dominari crudeliter id tibi permittis per passiones tuas, quæ belluæ sunt absque ratione, imperantes indigna & rationi dissentanea, quarum tam crudele est jugum, ut id excutere vix liceat; Et quod pejus est, quidquid feceris, vix illis satisfeceris unquam: Interim intra temetipsum nullâ perfrueris pace, sed irrequietis stimularis conscientiæ aculeis, & pro tenui delectatione, mille teneris tædiis ac molestiis. Assentire igitur vero, optimum virorum austeritatem, quamvis musto cuspide videatur horrida, majori affluere dulcore, leniusque portari, quàm voluptates peccatorum.

Difficilius est comittere peccatum quàm exercere virtutem.

Quo transigitur vita justorum, nisi operando bonum? Et quo conteritur illa peccatorum, nisi operando malum? Jam quis diffitebitur, majori stare laboris opera exantlare peccaminosa, probrisque plena, quàm gloriosis ac honorificis incumbere studiis virtutum! Ah! quantis conscientiæ angoribus convellitur mens, dum concipere intra se cogitat monstrum peccati, & operis criminosi in corde suo molitur consilium! prô! quantos hor-

horrores, quantas repugnantias, quantas inquietudines! quod si conceptum & in voluntate formatum fuerit peccatum & infausto partu jam jam excludendum, prô quot convulsiones, quot dolores, quot difficultates occurrunt superandæ! siquidem produci pudet, celari amat, justitiam timet, dissimulari optat, invenit obstacula, millenis uti cogitur dolis, figmentis, violentiis. Quandoque quod desiderat, exequi non datur abs alterius subsidio: fidere tamen non audet; sed periclitari oportet, se submittere & dependere ab alterius voluntate.

Partu denique effusum hoc portentum? peractum est opus facinorosum? Ah! mox præ januis est infernus: Infernus namque est vermis arrodens, qui conscientiam admordet, ipsamque devorat; Est carnifex nunquam non attollens vectem ferreum & minitans comminutionem & diffractionem ossium; Est horribile spectrum, non recedens ab oculis illius hominis, ipsumque ubivis locorum persequens; patravit is furtum, ecce tibi funem abs fine ipsum insequentem; commisit homicidium; Ecce tibi rotam perpetuò post ipsum currentem; fœdavit se adulterio, ecce vindictam ubivis locorum ipsi insidiantem; oportet se abscondere, opus est aufugere; suum perdidit honorem, suam perdit libertatem, & perdere quoque necesse erit facultates suas: An, vides, quanta mala adsciscat, unum solum commisisse malum? Est ne vel minima pars horum vel malorum absorbenda, vel laborum exantlanda ad exequendum difficillimum & cumprimis arduum opus, quod enarratur in gestis Sanctorum? Manifestum igitur est, viam, quæ homines ducit ad æternitatem infelicem, laboriosam magis esse, quam quæ ipsos attollit ad beatam, majoremque sufferre pœnam peccatores, ad perdendas, quàm Sanctos ad salvandas suas animas.

Sed urgeamus rem ulterius, & ad ultimam, quam attingere possit, deducamus extremitatem. Utinam verum sit, viam æternitatis calamitosæ totam confertam & consperſam esse rosis absque spinis, hominemque ibi invenire omnem, quam animus suus, sensus sui, cor suum exoptare possint, voluptatem ac delectationem, & hæc omnia nihil admixtum habere amaritudinis: utinam quoque per hanc viam ambulare posset centenis, millenis, vel etiam centies millenis annis, si ita vellet: Utinam ex adverso via ducens ad Cœlum consperſa esset spinis absque rosis, hominibus ibidem tol-

Etsi via cœli esset difficilior, deberet præferri.

toleranda forent omnia supplicia animæ & corporis, quæ omnes unquam sustinuerunt Martyres, semperque per hanc viam centies millenis annis incedendum foret: quæ ex duabus his viis tibi adhuc videretur amœnior ac jucundior, quàm ex his præferre deberes alteri? vide sis terminum amborum, & dicito mihi, quid de his sentias: uterque enim est æternitas.

Ponderа benè terminum, quanti sit momenti, quò vadis.

Experire & gusta benè, quid sit æternitas beata: & fateberis centies millenos annos supplicio-rum, quando etiam crudelitate non cederent illis ipsius inferni, nihil tamen fore, cum ipsâ in comparationem adductos. Siquidem quid mea interest, infelicem fuisse in tempore, si beatum me esse liceat in æternitate? Omnes pœnæ meæ transiêrunt, nihil ex eis supererit, nisi dulcis earundem memoria, quæ mihi est solatio; felicitatem autem meam in æternum non amplius perdam. Porrò perpendas benè ex alterâ parte, quid infelix & malè auspicata sit æternitas; & affirmabis centies millenos consolationum annos, paradisi etiam ipsius gaudiis refertos, in comparatione illius nihil omninò esse. Quid enim prodesset mihi felicem fuisse in tempore, si infelix & miser forem in æternitate? Omnes voluptates meæ evanuerunt, nihil mihi restat, nisi earundem recordatio, quæ affligit animum, dum interim infixus hæreo malorum infinitorum barathro, unde nullus unquam patebit exitus. Et ideò verum est, quod, licet difficillima videatur via cœli, semper tamen facilius multò sit ambulare per eam, quàm currere per viam æternitatis infaustæ, quâcunque etiam voluptate ac delectatione videatur repleta.

Efficax motivum ad ambulandum viam cœli.

Verùm si ita est, dum jam luculenter & ad oculum vides, rem contrario prorsus modo se habere, quod nempè via ducens ad perditionem plus amaritudinis ac spinarum habeat, & post inflictionem tam crudelium pœnarum, finiatur tandem damnatione æternâ; Econtra via cœli cruces habeat multò leviores, & post propinatos plures dulcores, quàm amarores animæ, tandem desinat in æternam beatitudinem: quomodò possibile sit, quod inter utrumque quis adhuc fluctuet & animo hæreat? Quomodò adhuc dici potest, viam cœli tam esse difficilem? Et Eccur non videmus, homines summo corripi horrore intolerabilium miseriarum, quas tolerari oportet in viâ & in termino æternitatis malè ominatæ, ut magno cum ardore, & dilatato præ lætitiâ corde, currant per cœli viam? Nonne hâc consideratione

nè seſe animabant & exstimulabant omnes Sancti?

Mira generositas Martyrum

Ubi sunt glacies & frigora, quæ non solverentur aspectu tam ingentis ignis, qui succenderat corda tot tantorumque Martyrum, dum unicum solum ictum oculi ejaculabantur in eximias illas æternitatis beatæ pulchritudines, quas exspectabant? quanti æstimabant crudelissima quæque supplicia? lege homiliam, quam Sanctus Basilius concinnavit in laudem Sancti Gordiani centurionis & invictissimi Christi JEsu Martyris. Præses comminabatur ipsi rotas, forcipes, plumba liquata, dentes ferocium bestiarum, ignem, novacula, & omnia supplicio-rum genera. Ah! quàm splendida mihi facis promissa, respondebat Martyr! Sed protinus tene quod promittis & pollicita exequere: Siquidem majori urgeor desiderio bona hæc recipiendi, quàm tu conferendi mihi illa: Novi hæc semina esse gloriæ, quæ jacta à te supra corpus meum, afferent animæ meæ fructus æternitatis beatæ. *Mina vestræ semina mihi sunt, unde immortalitatem & gaudia æterna metam.*

Audi Metaphrasten, quomodò enarret jubilum duarum sanctarum Sororum, Virginum Christianarum & Martyrum Sanctæ Menodoræ & Sanctæ Metrodoræ, postquam Judex ipsas condemnaverat, ut pectinibus ferreis totæ dilacerarentur. O jucundam nobis sententiam? dicebant ipsæ, imò jucundissimam! dum ita nostra honore, decore, divitiis locupletas corpora, tot muneribus illa, quot vulneribus afficiens; nunquam nec adamantes, nec margaritæ, nec lapides pretiosi tantum conferre illis possent splendorem, affundere jubar. O quàm magnificè exornabimur, ut majori cum pompâ intrare nobis liceat in splendidissimum beatæ æternitatis palatium: *Nulla monilia vel gemmæ ita nostra exornabunt Corpora, sicut tuæ plagæ.* Hæc dudum propter Christum sitimus. Nunquid diceres, hunc diem ipsis fuisse nuptialem, & exquisitissimo pro ipsis instructum convivio? Et nos, qui respectu illarum in viâ cœli, nonnisi mera gustamus mella, conqueremur hanc esse difficilem; Dum tot aspicimus reprobos, qui semet ipsos torquent, ut inter mille pœnas viam ambulent æternæ damnationis?

Sed unde oritur hæc hominum insania, dum majori pretio malunt emere mortem æternam, quàm leviori vitam perpetuam? Nescio, id ipsos oportet interrogare; videamus, an ipsimet id nobis possint exponere. Eamus, descendamus in spiritu usque ad inferorum abyssum, & interrogemus hâc super re aliquem ex damnatis.

ARGUMENTUM.

Dialogus hominis agonizantis cum animâ damnatâ.

ARTICULUS. III.

De horrendo rigore & æternâ duratione pœnarum suarum.

VIr quidam promptus ingenio & mente peracri, qui magnis involutus vitæ præsentis negotiis, omnia felicissimo semper evolverat eventu, in negotiis autem salutis suæ negligens admodùm, cùm morbo lætali se affixum cerneret strato, unde surgendi vix spes affulgebat, seriâ secum mente cœpit perpendere, quod sæpius quidem hauriebat auribus, sed nunquam sumpserat sibi cordi; quod nimirum in exitu ex hoc mundo intrare oporteat in æternitatem, ubi omnis deinceps intercluſus sit exitus: qui cùm aliquando defixâ secum mente ponderaret, quid hæc esse posset æternitas, inaudiit vocem gemebundam lugubri sono è profundo abyssi, sibi tristia hæc insonantem verba, quæ aliàs è flammarum medio, ardens eructavit maledictus Epulo: *Ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Ah! ne descendite in hoc tormentorum infinitorum barathrum calamitosæ & infelicis æternitatis.

Luc. 16.

Hâc novitate perculsus, cùm hactenus nil unquam habuerit commercii cum inquilino mundi alterius, & nesciens quisnam loqueretur sibi, subasperè respondit: Quænam es, Creatura infortunata, quæ, dum me affaris, à me non videris? & mox replicuit vox: Ego sum anima condemnata ad tolerandas in æternum pœnas inferni. Exin plures ipsi proposuit quæstiones, quas tum timor, tum curiositas ejus expressérant ore, ad quæ plura accepit quoque responsa auditu horrenda.

Colloquium personæ moribundæ cum aliquo damnato.

1. Ubi ergò nunc es! quænam est in æternum domus tua? Domus mea nunc est profundissima abyssus infelicis æternitatis, unde egrediar nunquam, nunquam, nunquam: *In inferno nulla est redemptio.*

2. Et quisnam est iste locus? in quâ orbis parte? in infimo mundi totius loco, in centro terræ, sub pedibus omnium Creaturarum, in sentinâ magnæ hujus Domûs naturæ totius, in cloacâ omnium immunditiarum

rum totius universi. Ecce quò me præcipitem egerit in omnem æternitatem arrogantia mea, quæ sese erexit contra Deum.

3. Quid facis ibi, & quænam est recreatio tua in tetro hoc ergastulo? ardeo in camino ignis devorantis, ubi sum velut vivus ustrinæ carbo, semper accensus ex halitu iræ DEI sufflantis, abs eo, quod unquam redigi possim in cineres: In ignem æternum, æternum, æternum.

4. Sed nonne pauxillum saltem habes aëris, quo te refrigeres? Nihil aliud nisi fumum & flammas ignis infernalis, quæ mihi non sunt loco aëris, quem respiro; sed sunt mihi velut ingens sulphuris & fusi plumbi pelagus, cui immersus sum: ibi fluctuo, ibi nato, quocunque me vertam, hoc circumdatus igne:

Apoc. 19. *In stagnum ignis ardentis sulphure.*

5. Quodnam est nutrimentum tuum, quænam dapes tuæ, in

Deut. 32. calamitosâ hâc vitâ? *Fel draconum est vinum meum, & venenum aspidum insanabile* nutrimentum meum. Et si mutare voluero dapes & ferculà, præ rabie manduco carnem meam, meque ipsum devoro.

Momentum voluptatis carò venditur.

6. Sed nunquid delectationem saltem capis ex eo, dum memoriam subeunt voluptates præteritæ, epularum deliciæ, falerna, quæ gustâsti, choreæ, tripudia, conversationes jucundæ, amicitiæ illecebrosæ, carnis lasciviæ, quibus toties innatâsti, honorum splendor, quo refulsisti, dum vivebas in terrâ? Revoca in mentem hæc omnia, cuncta hæc voluptatum plena momenta tuo revolve animo & saltem præterito, si præsenti non potes, te consolare afflictum. Eheu! Ah utinam eorum non possem recordari! fraudulentum hoc spectrum vanitatum mearum præteritarum, sæva & crudelis hæc memoria meam plus acuit & exacerbat rabiem. Ah! solvenda ergò sit mihi voluptas momenti præteriti, quod nunquam revertetur, horrendorum suppliciorum æternitate, quæ nullo terminabitur fine? O Justitia DEI viventis quàm es immisericors!

Recreationes damnatorum.

7. Quænam ergò est refocillatio tua, quæ tua symphonia, quæ tua societas, quæ tua colloquia? Refocillatio mea est diabolorum illusio, damnatorum omnium irrisio, contemptus omnium creaturarum, quarum nec unicam video, quæ miseriis meis compatiatur. Mea symphonia sunt voces horribiles, clamores lamentabiles, ejulatus terribiles, gemitus, suspiria, rabies, desperationes, quas dolorum meorum sævities è meo propellit & elicit corde. Societas mea est immensa multitu-

do sceleratorum & miserabilium damnatorum, qui DEI hostes sunt, qui lethaliter me oderunt, quique pari ratione mihi sunt odio; Et quod dolorem meum auget, est, quod nunquam amplius ab iis valeam separari. Mea cum ipsis colloquia sunt imprecationes, furores, blasphemiæ contra cœlum, maledictiones contra Deum, & omne id, quod furor & rabies suggerere possit.

Desideria damnatorum.

8. Ast ecquid jam velles? quò tua tendunt desideria in hoc statu? quantocyùs optarem annihilari, ut in meo nihilo pœnarum mearum invenirem finem; Et quamprimùm non amplius haberem esse hoc, quod à Deo accepi, ut non amplius ab ipso dependerem; & protinus vindicare me posse erga DEUM illum omnipotentem, qui conterit me onere brachii sui, & annihilare ipsammet, si mihi possibile foret: Sed cùm videam hæc omnia mihi esse impossibilia, exonero furorem meum in meipsum & mei æquales.

9. Sed dic mihi anima infortunata, quis præcipitem te egit in hunc miseriarum labyrinthum? Quis in hanc detrusit te abyssum? Quis te coëgit, ut in infelicem hanc teipsam conjiceres æternitatem? Eheu! Nemo coëgit me, & nemo cogere potuit; Sed mille potius excogitati sunt modi impediendi me ab eo, tum admonendo, tum exprobrando, tum ob oculos mihi ponendo infelicitatem meam; Sed ego ipsa eram, ipsamet sic volui, ipsamet me perdidi & damnavi in æternum ex proprio arbitrio ac voluntate meâ.

10. Ah quomodo tam crudele potuisti moliri consilium? quomodò præbere assensum, ut in perpetuum exspoliares te DEI possessione, & quòd crudelius est, in æternum te traderes ignibus inferni comburendum? Terribile facinus! Consilium horrendum! dic mihi, quâ ratione huc obstringi, huc potuisti adduci? forsan, quia aliud invenisti bonum melius DEO, potius è re tuâ futurum judicans, pro hoc amittere DEUM in omnem æternitatem? fortassis tantæ voluptatis delibuta es lenocinio, quâ ut fruereris ad tempus, persuasum habuisti animo, melius esse æternùm ardere inflammis, quàm illâ carere paucis momentis? Die mihi rationem tuam, & edoce me, quomodò potueris annuere, ut esse velles infinito modo & abs fine infelix in omnem æternitatem; hoc enim est, quod omnem meum superat captum.

Damnati sunt absq; ratione.

Ah! ne quæras rationem, ubi nulla est. Perdidi DEUM, bonum infinitum pro ridiculis, vilibus ac contemptibilibus crepundiis, minutiis, titivilitiis: nulla hic nec adest, nec pugnat ratio.

Amisi

Amisi gloriam æternam pro honoris inanis & fictitii fumo, qui pauca post evanuit momenta. Amisi omnem ineffabilium gaudiorum beatæ æternitatis abundantiam, pro voluptate transitoriâ, abjectâ, despectâ. Benè novi, nullam hic militare rationem. Porrò si non esset, nisi hæc unica bonorum infinitorum jactura (quamvis verum sit, hanc infinito modo esse lamentatione dignam) tolerandum adhuc foret, bonis his carere. Sed in felicitatis meo cumulo accedit, quo meipsum obruere voluerim infinitorum malorum mole, quibus infelix me involvit æternitas; & hoc pro umbrâ, pro nihilo, pro minori quàm nihilo, pro paucis diebus prosperitatis millenis circumseptæ molestiis, quàm quærere volui super terram. Hisce omnibus nulla omninò suffragabatur ratio. Eheu! ubi eras ratio mea? Si ratio mihi fuisset, non essem modò, ubi sum; Nonnisi qui ratione carent, damnant se, nonnisi stulti se damnant: sed stultorum infinitus est numerus.

Dolor animæ damnatæ.

Damnata igitur sum abs ratione, fateor: Sed quia stulto facilis datur venia; ubi est ratio, quod tam severè puniar? Ah! quod solvendus mihi sit fumus honoris imaginarii, ob quem DEUM vilifeci, confusione ac probro æterno! Juste Deus! quàm terribilis est tua ultio! An igitur verum sit, iniquam possessionem tenuis cujusdam boni alieni, quod non amplius habeo, quodq; amplius nunquam habebo, puniendam esse æternâ infiniti boni privatione, omniumque immensorum gaudiorum æternitatis beatæ? DEUS vive, quàm formidanda sunt tua Judicia! Itane pro momento tam levi tota æternitas, tota æternitas, tota æternitas, tota & integra æternitas infinitorum malorum? prò desperationem animæ damnatæ.

Eheu! non est dolor tam levis, qui amaritudinem non diffundat in omnes vitæ dulcores, si duret æternum. Non habeas nisi podagram in unâ solâ corporis parte, non habeas nisi colicam vel dolorem dentium, juxta speciem res magna non est; Et nihil ominus da homini regna, thesauros, omnes honores, quibus afficiuntur Monarchæ; da illi dapes, tripudia, recreationes jucundissimas, quas imaginari tibi poteris; si patiatur acres podagræ dolores, vehementes cruciatus dentium nunquam finiendos, ex nullo capiet voluptatem, nonnisi suo occupabitur dolore; videbimus illum gemere, conqueri, vociferari velut infelicem in medio tantarum felicitatum.

O DEUS immortalis! quid ergò erit cum eo, qui absorptum se

Desperatio damnati intuentis æternitatem suam.

se videt ab immenso amaritudinis pelago, quod nullo demulcetur dulcore? Quid cum eo, qui immersus est magno tristitiæ ac mœroris oceano, abs eo, quod vel minimus affulgeat alicujus lætitiæ radius? quid cum eo, qui sepultum se videt diluvio integro dolorum crudelium, probrorum horribilium, tormentorum, cruciatuum, & omnis generis miseriarum, abs ullâ admixtione voluptatis minimæ? Ignis, qui cingit ipsum, nunquam delebitur; Vermis, qui rodit ipsum, nunquam morietur; Vultur, qui ipsi dilaniat cor, nunquã devorare cessabit ipsum totũ vivum; Deus omnipotens, qui ipsum sub pondere brachii sui conterit, nunquam desinet æquissimam suam in ipsum exercere vindictam. Quandò dicitur, nunquam; hoc verbum quantocyùs dilabitur ore, sed id, quod significat, non dilabitur à subjecto; cui semel fuerit affixum.

Nescitur, quid significet hoc verbum: æternitas.

Vos mortales, vos enuntiatis quidem hoc verbum, *Æternitas* sed quid significet, ignoratis. Eheu! vos enuntiatis illud absque tremore; Sed si enuntiando propriis oculis videretis eam, quam significat, veritatem, protinus præ pavore satis cederetis omnes. Da mihi homines omnes, mundi inquilinos; qui omnes contendant simul multiplicare millia millionum sæcula, abs eo, quod aliud integri sæculi faciant spatio, omnesque intendant nervos, ut forment sibi idæam atrocissimorum, quæ cor hominis subire possunt, tormentorum, insuper abs intermissione loquantur de his, illaque exprimere conentur, verbis, quæ invenire poterunt, efficacissimis, ac ponderosissimis: an putatis illos penicillo sat terribili effigiâsse multitudinem, atrocitatem, tormentorumque diuturnitatem? Et ego non dicam, nisi unicum hoc verbum: *Infelix Æternitas*: Et ego plus solus unico dixerim momento, quàm illi omnes dicere possint, totius sæculi decursu.

His auditis ægrotus, qui avidas præbebat aures, ut benè perciperet, quæ vox ista sibi recensebat, totus hæsit attonitus, stupefactus, & extra se ipsum raptus, multò minus comprehendens, quàm antè, quid sit æternitas: nihilominus majori, quàm unquam tenebatur desiderio aliquam de ipsâ obtinendi cognitionem. Et hoc est, quod ipsi denuò addidit animos suum prosequendi colloquium cum doctore hoc infernali, à quo tam benè instruebatur, qui per proprias suas experientias id didicerat. Fecit igitur eidem sequentem propositionem.

AR-

ARGUMENTUM.

Declaratio admiranda infinitæ durationis pœnarum alicujus animæ damnatæ.

Articulus IV.

ESt nobis impossibile, nobis, qui aliam durationem non cognoscimus nisi illam temporis, benè cognoscere illam æternitatis; & obstupescimus, dum nobis dicitur, illam transcendere omnem aliam, quam nobis imaginari possumus in tempore. Hic homo, qui magno & peracuto erat ingenio, credebat, se propositurum huic animæ sibi loquenti terminum tam longum, qui transcenderet æternitatem ipsius. Dic mihi, miserabilis anima, vellesne cum justitiâ Dei hoc inire pactum?

Totus mundus ex arenâ, trãsportatus per grana à centum mille in centum mille años.

Si hæc tibi diceret: Impleo totum mundum parvulis arenæ granis à centro terræ usque ad firmamentum. Volo, ut transportes omnem hanc arenam in mundum alium, non cum sportis dossuariis aut modiis; sed quâvis vice nonnisi unicum granulum exinde sumas, sicque illa, unum post alterum, non singulis diebus, nec singulis annis, nec singulis etiam sæculis; Sed tolerabis omnia inferni tui tormenta centies millenis annis: & tunc accipies unicum solum arenæ granulum illudque in alterum transportabis mundum; post hæc redibis ad toleranda omnia inferni supplicia, centies aliis millenis annis; Et hoc evoluto termino accipies secundum arenæ granulum, idque portabis ad primum; Exin iterùm ardebis in furnis infernalibus per centies millenos annos, & redux accipies tertium; Et post alteros centies millenos suppliciorum annos libertas tibi fuerit accipiendi quartum; Sicque à centies millenis annis in centies millenos annos, transportabis omnia hæc arenæ granula, unum post alterum, quoad nec unicum amplius in hoc mundo fuerit superstes; & postquam ultimum transportaveris, videbis finem pœnarum tuarum. Si justitia DEI faceret tibi hanc propositionem, an lubens acceptares illam?

Horrenda longitudo æternitatis infelicis.

Ah! summo perfunderes gaudio, respondit hæc misera, immortales DEO rependerem grates, si hoc misericordiæ radio me dignaretur: Imò tanto cũ solatio hanc acceptarem sententiam,

am, ut dissolverer in amoris & gratitudinis lacrymas, pro insigni hoc favore, quem DEUS mihi concederet; crederem enim me metam jam videre pœnarum mearum. Quomodò metam pœnarum tuarum, respondit ægrotus, supra modum attonitus ex hoc responso? Sed an vides, quò te deduceret hæc tam exorbitans suppliciorum diuturnitas? perpéde paulisper tecum, quid sit centies millenis annis, omnes inferni pœnas tolerare ad transportandum unicum solum arenæ granulum, & non posse transportare aliud secundum, nisi postquam aliis centies millenis annis eadem tolleraveris supplicia; quidque sit tali ratione aspirare ad complendum hunc numerum, & eandem semper servare regulam, evacuare totum mundum his arenæ granulis repletum à centro terræ usque ad firmamentum. Quando amabo idipsum effeceris.

Antequam duntaxat plenam arenæ manum evacuâsses, quanta quæso jam tolerâsses supplicia? Et ad extrahendum solummodò exin unicum modium, quot millionum millionibus annorum ad id tibi opus foret? Sed quid esset modius, respectu totius illius accervi? Centeni modiorum milliones vix facerent ubi vacuum, quod vel paulisper foret considerabile: quando ergò conficeres totum opus, quod susceperas? none majus quid ad hoc requireres, quàm æternitatem? Verum est, reposuit infelix anima, longitudinem hanc adeò horrendam esse, ut intellectus humanus ipsam non capiat? absorbet ipsa omnes cogitationes, nec est intellectus tam acris, qui attentè ipsam considerando non maneat attonitus & quasi consumptus intuendo magnas hasce durationis abyssus, quæ reverà immensitatis quidpiam habere videntur. Verùm his omnibus stantibus, duratio hæc nondum erit æterna, cùm habitura sit finem, quamvis longissimè adhuc remotum; omne autem, quod finem habere potest, æternum non est. Adjunge adhuc millies tantundem prodigiosæ huic durationi, si volueris, in tantum tamen ipsam prolongare non poteris, quin potius electurus sim ipsam, quàm æternitatem; tandem enim finientur omnia, sola est æternitas, quæ finem non habet.

Magis stupenda declaratio longitudinis pœnarum in damnato.

Credis ergò, reposuit ægrotus, tam longam durationem non esse, quæ tibi brevis non videatur, adducta in comparationem, cum illâ totius æternitatis? Audi & benè adverte, quod tibi dicam; tam terribilem proponam tibi durationem, ut tandem fateri

teri cogaris, illam æternitatis tuæ tam terribilem esse non posse. Nihil adhuc tibi dixi, dum dixi de transportandis arenæ granulis, magnum hunc mundum implentibus, accipiendo unum post alterum à centies millenis in centies millenos annos. Sed confecto tuo opere, quando videbis, quod operante prodigioso omnipotentis DEI brachio, quodlibet arenæ granulum in particulari evadat in mundum integrum, & hunc ejusdem cum præsenti magnitudinis, omnesque pleni forent parvulis arenæ granulis, sicut iisdem plenum conspexeras primum. Incipe primum laborem tuum, & evacua omnes, unum post alterum, pro unicâ vice non nisi unicum extrahens inde granulum, à centies millenis, in centies millenos annos. Attende hos mundos esse innumerabiles, perpende nihil te adhuc facturum fuisse, postquam evacuaveris millenos, nec centies millenos, nec centenos milliones, cùm numunero omninò careant: considera quemlibet ex illis includere grana arenæ innumera. An resolvere te voles ad exantlandum inæstimabilem ac horribilem hunc laborem? perpende hæc tecum, & pensiculatè omnia pondera; supputa, si potueris, quousque se extensura sit inconceptibilis longitudo laboris tui, cui manus adjicies: Sed hoc tandem ad finem deducto, extinguam ignes tuos, tuaque finiam tormenta ac supplicia. Quid respondebit adhæc infelix illa anima? An conditionem hanc ausa fuerit acceptare?

Ah! Justitia DEI, gratias tibi ago de tantâ mihi exhibitâ miseratione! Itane tandem sperandus mihi est pœnarum mearum terminus? Ita; accepto ex toto corde conditionem hanc, & laborem hunc animosè aggrediar. Verum est, longitudinem ejus esse terribilem, terribilem terribilissimam, sed tamen æterna non est, habebit aliquando finem, & illius æternitas amplius non erit. Sed quandonam id perfeceris? Nonne hæc est æternitas & plusquàm æternitas? supputa sumpto ad id otio, numera & iterùm numera, pondera id benè tecum, extende quantum potueris, intellectûs tui aciem, usque ad immensam durationis hujus magnitudinem; An probè capias illam? nonne verum est, vastas hasce abyssos deglutire omnes cogitationes tum hominum tum Angelorum? Nonne verum est, haud esse ingenium tam acutum, quod non obtunderetur, haud esse tam charum, quod non obfuscaretur, & supputare desisteret, si vel in minimo incepisset? Et nihilominus enormis hæc longitudo nondum foret introitus in-

Considerato hujus durationis animum totum absorbentis.

i ium, primus ingressus æternitatis. O pavendam æternitatis durationem! O mortalium terrorem te consideranti! ô tonitru, cujus formidabilis sonus omnes concutit montes! ô tempestas! ô fulgura! ô fulmina redigentia in pulverem petras durissimas! An ergò verum sit, te non agnosci, de te non cogitari, haud aliter, ac si omninò non esses, exspectari te cum tranquillitate, donec advenias, abs eo, quod ulla fiat præparatio ad te recipiendam? DEUS vive? An verum ergò sit, te nec quidquam commovere corda mortalium?

Aspectus supplicii, quo plectitur reus, nos timore percellit, & totus infernus nos non movet.

O homo ad res magnas insensibilis prorsus, & ad minimas tam sensibilis, si coram te transire videas infortunatum quempiam, qui capitis sit reus, & ultimo damnatus supplicio, vivus quamprimùm comburendus, nonne mox tibi eriguntur pili, fremisque præ horrore; cogitans solummodò de malo, quod tibi tolerandum est? Sed memineris, dum unius duntaxat noxæ lethalis reus fueris inventus, sententiam magni DEI, te condemnâsse, ut vivus totus exuaris in omnem æternitatem. Pondera hoc tecum, & pondera cum otio, omnes mentis tuæ nervos huc intende, & iteratis vicibus seriò perpende. Quid est, esse in medio ignis devorantis per totum integrum diem? An probè id concipis? Sed quid est transigere ibi annum integrum ardendo semper, abs eo, quod quis mori aut comburi possit? Comprehendis id benè? sed quid est millenis ibi annis commorari? quid est in continuo hoc tormento vivere annis centies millenis? An hoc tibi comprehensibile videtur? Jam judica, quomodò transigere ibi poteris plusquàm centenos milliones annorum; plures quàm inveniri possint arenæ granula in universo hoc mundo: an tibi sufficiens sit animus pro his omnibus?

Et si cogitatio tua intrare renuit in has abyssos, ipsisque comprehendendis non est sufficiens, adnitere per medium tantùm horæ quadrantem tenere manum tuam in igne accenso camini tui, qui non est nisi mortua effigies ignis infernalis; Et ne parvo hoc tempore afficiaris tædio, numera interim millionum milliones sæculorum, quibus commorandum tibi erit in focis illis ardentibus, si in peccato mortali morieris ac damnaberis. Quid tibi prodest animo extolli? Quid te juvabit fuisse incredulum? An dubitare potes de veritate, quæ tremorem incussit universo, antequam esses in mundo? Ipsemet DEUS omnipotens, qui omnia fecit in virtute *Verbi* sui,

Stoliditas animorum arrogantium.

per

per idem *Verbum* tibi dixit; Ignem inferni fore æternum: *Ite maledicti in ignem æternum.* Ita, DEUS dixit, ignis adurens damnatos, est ignis æternus, qui nunquam extinguetur: Ita, Deus dixit, est impossibile id verum non esse. Ignis infernalis erit æternus, nunquam extinguentur flammæ ipsius.

ARGUMENTUM.

1. *Nulla mens creata attentè considerare potest miserias æternitatis infelicis, quin commoveatur.*

2. *Nonnisi DEI mens est inexorabilis, & damnatorum tormenta intuetur abs ullâ compassione.*

Articulus II.

SEd quid sibi vult ignis æternus? quantò magis de eo cogitatur, tantò minus ex eo capitur: non agnoscitur & negligitur, quasi non esset maximi ponderis negotium, quod foret ponderandum. Dum flos Juventæ & vigor ætatis nobis adhuc blandiuntur, loquimur de æternitate incuriè, quasi de re, quæ procul adhuc à nobis remota, vix unquam nostras pulsabit fores: quâdo ætate provehimur, cogitamus quidem, quod de illâ nos cogitare oporteat, sed tristis hæc & afflictiva cogitatio, in aliud semper tempus rejicitur: quando videmus, rem arctam esse, nosque jam stare ad portam in extremæ infirmitatis strato, quando claudere jam volumus oculos omnibus mundi rebus, incipimus illos aperire ad aspiciendam æternitatem. O quàm stupenda hæc videtur; aliud siquidem est, quàm omne id, quod videtur à mundo.

Ecce ergò tibi æternitatem; tanta mihi dicta sunt de te, sed nunquam agnovi te, ô æternitas! nunquam vacabat mihi cogitare de te, nec unquam penitius te aspiciebam. Sed ecce te mihi præsentem, video te jam cominus, ad januam tuam pulso: *Sto ad ostium Æternitatis.* Ecce apertam te mihi, video jam aditum tuum, vestibulum tuum; Eheu! sed non video exitum tuum, abyssos tuas ingredior, & non video nisi profunditatem absque fundo; progredior ulterius, & non video nisi æternitates in æternitatibus, quæ omnes meas absorbent cogitationes. Ubi est ergò finis tuus, ô æternitas! tu nullum habes, tu es interminabilis; hinc cogitans de te, perdo me. O quàm

terribilis est aspectus tuus? Verum est, nihil esse videre te solùm, cùm nemo te benè cognoscere possit, nisi sit in sinu tuo; nihil ominus aspectus tuus mirabiles conciliat motus in mentibus, quæ te considerant, téque cordi habent.

Canities contracta ex pavore unius noctis.

Didacus Orosius missus est in ergastulum Hispali à Rege Hispaniæ: terror mortis ab ipso conceptus, unicæ noctis spatio, quo ibi fuerat, tam inusitatam in ipso causavit mutationem, ut alterius diei diluculo, totus canitie obductus fuerit inventus, quasi jam quinquaginta annos superâsset; quod ansam dedit acuto Epigrammati. *O Nox quàm longa es, quæ facis una senem!* da mihi animam totam criminibus nigram; inalbescere & totam innocentem fieri oportet ipsam, si unicâ nocte includatur in terribilem hunc carcerem; infelicis ac miseræ æternititatis. Si concipere incipiat terrorem, quem conciliat mors æterna animæ se considerantì, impossibile est, quin cor ipsius contritione disrumpatur, ipsaque veram pœnitentiæ aggrediatur viam. Siquidem ô DEUS! tolerare æternum pondus omnipotentis brachii tui, conteri totum vivum & semper vivere sub potentiâ iræ tuæ; qui vel parum hoc cordi sumeret, non tantùm inalbescere, sed exarescere totus, sed congelari, sed mori deberet præ pavore.

Martial. lib. 4. Epigram. 7.

Affirmat is nobis in Apocalypsi: *Habeo claves inferni.* Et eccur ipsemet has tenet? Estne principis portare Claves carceris, quò ablegat reos capitis? nonne consignat illas manibus Ergastularii, cui circa personas reorum dare rationem incúbit? Eccur non commisit Claves dæmonibus, qui tam ergastularii, quàm immites sunt carnifices inferni? Fortassis ideò, quod sævities tormentorum, quibus cruciantur miseri damnati, adeò sit formidabilis, ut ad commiserationem commovere possent etiam dæmones ipsos, qui emollitâ suâ duritie, illa ipsis libenter relaxâssent. Non consignabit has ipsis, sed inexorabilis ipsius justitia tenebit semper claves in manu suâ, ad insinuandum nobis, quod, quandiu erit DEUS, semper pro illis sit futurus DEUS ultionum, illosque in æternum alligatos detenturus in flammis, quæ ipsos devorabunt semper, sed nunquam consument.

Quare gerat Deus in manu sua clavem inferni. Apoc. 1.

Ah! Itane mi DEUS obliviscéris miserationum tuarum antiquarum: ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine? ubi est tempus, ubi unica lachrymula temperavit iram tuam? ubi sunt dies, quibus unicus contriti cordis

Admirabile & terribile, quod Deus sit absq; compassione aspiciens pœnas damnatorum.

dis gemitus emolliit cor tuum, & exarmavit furorem tuum? Et ecce torrentes lachymarum, ecce gemitus æternos; Et non emolliris spectaculo tam horrendo calamitatum, sub quibus ingemiscunt creaturæ tuæ! Non solùm non aspicis illis compatiendo, sed potius rides, dum vides ipsarum miserias: *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo.* O DEUS amoris! qui toties deprædicaris & demonstraris velut bonitas infinita, Ah! quomodò rides inter lachrymas torrentis more ex oculis meis deciduas? Et tu ingrate, quomodò tu ridebas, dum velut torrentem effusum aspiciebas sanguinem meum pro te in ligno crucis? Ego toties vocavi te, toties obtestatus, precatus, adhortatus sum te, & mihi respondere noluisti: tu vocabis me incassùm per omnem æternitatem, & ego quoque non respondebo tibi.

Prov. 1.

Psal. 76. Sed nonne scriptum est, quod *non continebis in irâ misericordias tuas?* Vide Domine, quantam faciat stragem implacabilis justitia tua: momentis singulis præcipites ruunt animæ in orcum, velut flocci nivium tempestate hybernâ cadunt super terram. Tu hoc vides, ô Deus ultionum, & super hoc rides! postquam exarserint ac conflagrârint per millionum milliones sæculorum, postquam effuderint in suppliciis suis torrentes lachrymarum, tu illos aspicis adhuc ridens & illudis tormentis illorum: *Ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo.* Ah! Iræ divinæ infelices victimæ cur non plorabatis, dum tempus erat misericordiæ? dum lachrymæ vestræ efficaces fuerant ad eluendas criminum vestrorum maculas, tum plorare debebatis; nunc inutiles vobis vestri sunt ploratus, quin etiam damnosi & noxii; cùm ad nihil vobis serviant, nisi ut adurant.

Exhortatio admirabilis S. Macarii

Magnus Sanctus Macarius instantissimè aliquando rogatus ab Eremitis montis Nitriæ, ut faceret illis exhortationem, cujus virtute animarentur ad pœnitentiam, Exordium fecit magnam lachrymarum effundens vim, gemens ac pectus suum percutiens: Exin magno Spiritûs fervore, his illos affatus est verbis: *Ploremus Fratres mei, Eheu! ploremus, faciamus ex oculis nostris fontes lachrymarum, antequam transeamus ad infortunatam illam Regionem, ubi lachrymæ comburunt corpora. Aspiciamus è medio lachrymarum nostrarum horrendum, quod inambulamus, præcipitium, & meminerimus, nonnisi è filo pendere vitam nostram.*

Apud Rosweid. in Vitis patrum.

O quàm pathetica erat sancti hujus senis adhortatio? parva quidem verbis, sed longa effectu, quem produxit; nam omnes in tam copiosas effusi sunt lachrymas, ut velle viderentur secundum facere diluvium ad submergenda peccata hominum. Ubi nunc es, ô vox animata igne cœlesti? ubi profunda estis suspiria, quæ tam altè penetrâstis secretiora æternitatis arcana? ut quid tacetis modò? ut quid ultra non loquimini ad aures nostras, ad conterendam lapideorum cordium nostrorum duritiem? Bone DEUS! quàm insensati sumus? Nonne incessanter, sicut ipsi, deberemus colliquescere in lachrymas? nonne sicut ipsi præcipitio inambulamus æternitatis calamitosæ? Nonne vita nostra æquè, sicut illorum è tenui pendet filo? ut quid non aspicimus hanc malorum æternorum abyssum, cui tam vicini sumus? Nonne præ pavore deberemus contremiscere, exspectantes magnam nostram æternitatem, ignari, quænam intranda nobis sit, dum exibimus ex hoc mundo? An securi sumus, ne præcipites agamur in æternitatem infelicem ac miseram? Nonne peccavimus? Imò, peccavimus, patravimus plura & hæc magna contra MajestatemDEI peccata, quorum nec unicum manet impunitum; si non puniatur in tempore, necessariò puniendum est in æternitate: an in veritate pœnitentiâ seriâ nostras castigavimus noxas? an exspectabimus, quoad in æternitate castiget illas vindex DEUS? ô DEUS bone? Ne exspectes æternitatem, castigia nos in vitâ præsenti, quantum placuerit tibi; sed in æternitate facito nobiscum misericordiam: *Hic ure, hic seca, modò in æternum parcas.* S. August.

AR-

ARGUMENTUM.

1. Tormenta infelicis æternitatis nunquam nec remittentur, nec imminuentur.

2. Egregia praxis ad proficiendum ex cognitione harum veritatum.

Articulus. VI.

Damnati alicujus tormenta nunquam definunt.

LOquamur adhuc semel damnatæ nostræ animæ, ut nunquam amplius cogamur illi loqui in æternitate, ipsaque absolvat, si potest, enarrare nobis tormenta sua, ut nunquam nos absolvamus, evitare illa. Dic nobis, misera, an sperandus tibi in æternitate sit finis suppliciorum, quæ pateris; vel saltem an nullæ unico momento tibi concedantur induciæ, ut vel parum capias quietis? Non est mancipium alligatum triremibus, cui non permittatur aliquantula quies; non est reus equuleo, cui à severissimo Judice non concedantur saltem aliqua relaxationis momenta, quibus respirare ipsi liceat: an tu abs intermissione patiêris, abs eo, quod vel unico die tibi quies permittatur? Si nimius sit unicus dies, an saltem habebis quadrantem, vel semiquadrantem horæ, ad minimum semel millenos intra annos? Non, nunquam habebo quidpiam quietis, vel unico duntaxat momento. Itane ne unico quidem momento, nec minima erit pœnarum interruptio in omnem æternitatem? O rigor non imaginabilis, quis te comprehendat? Non, nunquam aliquid quietis in tormentis meis vel unico instanti? Fluit continuò tempus abs eo, quod interrumpatur vel unquam fluere desistat; Et æternitas semper eadem permanet, abs eo, quod mutetur aut unquam esse desinat vel unico momento.

Non assuescunt illa portando.

Sed forsan experiêre, mala tua mitiganda & aliquantulùm dulcoranda fore vi contractæ in patiendo consuetudinis; nam omnia tandem consuetudo reddit facilia. Non est vita tam aspera, nec labor tam arduus, cui tractu temporis non assuescamus, idque quod ab initio videbatur nobis intolerabile, supra modum facile efficitur nobis. Haudquaquam, consuetudinem nullam contraham intolerando mala, quæ patior; nec unquam minus sæva illa experiar

periar ex eo, quod diu patiar, siquidem æternitati proprium est semper esse invariabilem, hâcque ratione æquè dolorifica mea mihi erunt tormenta post centenos annorum milliones, uti fuerunt primo die, quo ea tolerare incepi.

Ibi violentia & duratio conveniunt.

Ah quid! nonne saltem remitteretur aliquantulùm ipsorum vis? omnia deteruntur & iminuuntur usu: Visæ sût machæræ acutissimæ suam hebetâsse aciem frequentatis ictibus resecando capita Martyrum, visæ sunt quoq; fornaces ardentissimæ succesſu temporis, in suo remisisse calore; non est, nisi DEUS, qui in operatione suâ non fatigatur. Carnifices crudelissimi torquendo reum tandem fatigantur, vel deficit ipse, non amplius habens vires tantos sufferendi dolores. Nequaquam, nec minimam in æternum habebo dolorum relaxationem: nam si imminui possent centesimâ, millesimâ sui parte, post centum milliones annorum, tandem omninò cessare possent, & non ampliùs essent æternæ. Ex aliâ parte, ministri & instrumenta justitiæ divinæ non magis fatigantur, quàm DEUS ipse, eoquod infinita ipsius potentia in eodem semper rigore conservet ipsa; & tandem infelix victima ipsorum furori relicta deficiet nunquam, sed immortalis manebit in æternum, ut in æternum moriatur, & moriatur nunquam.

Horror vehementiæ ignis æterni.

Sed tandem ergò damnatorum ignem alterius oportet esse naturæ, quàm nostrum, ita ut tam afflictivus & vorax non sit, sicut is est, quem habemus in terris. Videmus flammas montis Vesuvii, exempli gratia, vel fornacis calcariæ solùm aut ustrinæ tam esse ardentes (licet hæ in comparatione cum illis nihil sint) ut dissolvant lapides, liquefaciant petras, ut è radicibus ipsius dimanent torrentes ignis, ut ex succenso gutture suo evomat flammarum diluvia, quæ conspecta solùm in cutiunt horrorem ac tremorem universo mundo. Ah! quomodò possibile foret, Creaturas vivas & sensitivas morari ac durare posse in illis, per millionum milliones annorum, quin dissolverentur omninò, & in liquefactum converterentur ignem? O DEUS! sola hujus rei cogitatio facit fremere, facit gemere, facit tremere etiam illos, qui se credunt ex omnibus securissimos. Intellectus humane, quàm imbecillis es! quàm modium habes luminis? quàm procul adhuc abes, ut comprehendas, quàm acriter puniat vindex Deus peccata hominum!

Sci-

Omnia mundi mala punire non possent unicũ peccatum.

Sciremus id, si cognoscere possemus gravitatem peccati contra Divinam Majestatem commissi. Siquidem videremus probè, eoquod ipse infinitus sit, necessarium esse, ut æquissima DEI justitia castiget illud pœnâ malitiæ ipsius proportionatâ, nempè infinitâ, omnia supplicia quæ sufferri possunt in hoc mundo, nullatenus accedunt ad id, quod unicum meretur peccatum; Et hinc est, quod minimum inferni supplicium absque comparatione gravius & acerbius sit, quàm omnia hujus mundi supplicia simul conjuncta. Accumula & congrega mihi in unum omnia mala, quæ passi sunt omnes Filii Adam protoparentis nostri, à Creatione mundi in hâc vitâ; omnia hæc non adæquabunt tormenta, quæ justitia omnipotentis DEI destinavit in inferno pro punitione unius duntaxat peccati mortalis.

Considerationdemon. strans horrorem peccati.

Ratio est, quod creaturæ non agant, nec patiantur in hâc vitâ, nisi juxta vires suas naturales, supra modum debiles: sed in inferno, ubi tormenta elevantur ad virtutem quandam supernaturalem ab omnipotenti brachio DEI, ii quoque, qui illa patiuntur, pari ratione eleventur ad robur quoddam supernaturale, ut illa patiantur: Et si minimum damnati supplicium est ejusmodi; quid est ergò, ô magne DEUS! quid est ergò ô immortalis DEUS! illa omnia tolerare simul! Et tamen volentes nolentes confiteri debemus, illos plura non pati, quàm mereantur. Ipse est DEUS infinitè justus, qui sic ordinat, ipse cognoscit ex æquo enormitatem peccati mortalis, cùm ipse infinito modo sit sapiens: non ordinat ipsi præcisè, nisi pœnam promeritam, cum infinito modo sit justus. Si pœna hæc est tam sæva, ideò est, quia malitia peccati est abominanda: Ego ipsam non video, sed DEUS ipsam videt; hinc mea mihi ignorantia juxta infinitam sapientiam DEI est corrigenda. Nihilominus homines adeò sunt cœci, stupidi & insensati, ut nihil sibi esse persuadeant, committere peccatum mortale. O peccatum! ô maledictum peccatum! O si homines te cognoscerent! Audite mortales, audite benè, quid dicat vobis infelix hæc anima damnata, ipsa informat vos de eo, quod optimè novit, ipsa loquitur vobis ex proprio suo experimento, Ah! damno sapite alieno, nec differatis id credere, quo ad experiamini id ipso opere.

Pulchrum colloquium duodecim Eremitarum, Rosvveid. in vit. patrum.

Eremitæ duodecim in vitis Patrum die quodam instituerunt inter se consultationem, ut sibi invicem communicarent bona cordium suorum sensa & sancta Exercitia. Postquàm omnes locuti fuerant de Excellentiis Dei velut Angeli, quorum conversatio plerumque in Cœlis erat, ultimus ex iis percutiens pectus suum, seque lachrymantibus oculis prosternens in terram, dixit illis: Vestrum est, Patres mei, loqui de felicitate æternitatis beatæ, cujus portam virtutes vestræ vobis aperuerunt: Sed ego, qui sub mole scelerum meorum ingemisco, eòusque in sublime me attollere non auderem; Ego meipsum condemnavi ad inferos toto tempore vitæ meæ, ne me DEUS ad illos condemnet totius æternitatis suæ duratione. Aspicio omnia illorum tormenta, quorum nonnisi nimium imitatus sum crimina, & dico animæ meæ: *Esto cum his, quibus dignus es, istis post modùm annumeraberis*: Et vide, an tolerare poteris, quod tolerant ipsi.

Aspicio ardere ipsos in flammarum medio, & lamentabiles clamores & ejulatus mittere in cœlos. Itane pro unico voluptatis momento, oportet infelicem me, per totam pati & cruciari æternitatem? Video ex ipsis aliquos, suamet sibi admordere & devorare brachia, dum interim dæmones ipsorum dilaniant ac discerpunt viscera; video devorari alios à serpentibus, transire alios ab uno tormento ad alterum, & ab uno in alterum saltare ignem: interrogo illos, quam obrem patiantur hæc omnia. Respondent mihi id esse ideò, quod fecerint ea, quæ feceram ego: responsum illorum propriæ meæ condemnationis mihi esse videtur sententia; adeoque totus tremebundus prosterno me in terram, pono in pulvere os meum, nec audeo implorare misericordiam, ut mihi sit propitia; sed clamo & vociferor: Justitia, Justitia magni DEI, non parcito mihi in hâc vitâ, fateor me peccâsse, & novi peccatum meum impunitum manere non posse: Ah! puni me in tempore, ne me punias in æternitate.

Huc pœnitentiæ adeste omnes, adeste jejunia, adeste flagellationes cruentæ; adeste vincula ferrea; adeste aspera cilicia; adeste fames & sitis; ardores solis, glacies & gelu hyemis, infirmitatum dolores; adeste pœnæ omnes, & omnes austeritates, quibus sufferendis par sit homo mortalis: unà omnes in hunc irruite malefactorem, ut ipsius

in

in hâc vitâ puniatis peccata; dilaniate, comburite, in frusta discerpite, mecum agite, quidquid libuerit vobis super terram; Solùm servate me ab æternis inferni, quæ promerui, tormentis: hìc ure, hìc seca, modò in æternum parcas. O Sanctum Exercitium! seipsum sic condemnare, sicque periculo eruere, ne condemnetur à DEO.

Sæpius abeundum in æternitatem.

Quid juvat nos scire, duas esse æternitates præparatas creaturis, beatam unam, infelicem alteram, nisi mente sæpius faciamus iter in utramque. Non vivamus animalium more, quæ nunquam non & caput & oculos in terram inflectunt, sicque brutaliter suum vitæ cursum evolvunt. Sed examus è tempore, cùm hìc tam paucis commorandum nobis sit diebus: Ingrediamur sæpius in æternitatem, cùm hìc in perpetuum nostrum nobis præparatum sit habitaculum. Intremus quantocyùs in æternitatem beatam. Quid agitis hìc, vos sancti Martyres, tot passi acerba, dum viveretis, tormenta? Ubi nunc vestri sunt cruciatus? Et vos Confessores Sancti, tot assueti austeritatibus, ubi modò sunt pœnitentiæ & rigores vestri? an doletis, tolerâsse vos aliquid pro DEO? Agedum anima mea, quod nos sumus, fuerunt illi, quod illi sunt, sperare possumus, nos futuros; studeamus duntaxat illos imitari. Mox autem & descendamus in æternitatem infelicem, & primum, quem habuerimus obvium, interrogemus: quamobrem hìc miser es? ubi modò sunt voluptates tuæ? quò devenerunt spes & fiduciæ tuæ? quid faceres modò, si mei fores loco, ut custodires te ab hoc loco, ubi es, ab his cruciatibus, quos toleras? Anima mea probè vides, quanti referat seriam modò agere pœnitentiam: pœnitendum namque est. Ah! æternum ardere! ô mi DEUS! hanc unicam à te efflagito gratiam, ut semper insculptam menti meæ æternitatem circumferam, nunquam non æternitatis reminiscar. *Annos æternos in mente habui.*

Consultatio XIII.

De Immensitate & Præsentia DEI.

ERat pulcher æstivus dies, & canicula dominabatur in astris, quando sol inardescere totus videtur amore in terram, quando tam longam ipsi impendit visitationem, ut faciem ipsi suam quasi nunquam abscondat, cùm valdè serò deserat ipsam, & primo mox diluculo revisat eandem; quando magnis contendit itineribus maturare ipsius fructus, tam intentus ac defixus suo operi, ut ab eo nunquam vultum avertat, tantoque ipsius perficiendi desiderio accensus, ut ignem ac flammas ejaculetur ex oculis.

Descriptio jucundæ diei ad ambulandum.

Sed quoniam cognoverat, omnia animalia suam fugere præsentiam, latibula quærere ac umbras, cùm tolerare non possent Majestatis suæ splendores, eoquod suo occœcarentur lumine, nimioque suo consumerentur calore, hinc illo se die abscondit sub umbrâ tenuis cujusdam nubis, ex quâ sibi fecerat quasi velum ad contegendam faciem suam: tenue hoc ex albo & cæruleo mixtũ velamen, quod operiens solis oculos paulisper nimios ipsius temperabat splendores, ipsumque in eo collocabat statu, ut & ipse mundum hunc inferiorem videre, & vicissim videri posset ab eo. Totus aër magna videbat serenitate, sed blãdo refrigeratus Zephyro, qui suas super alas portans odores plantarum ac fructuum, suavem ex his faciebat mixturam, ad componendum exin naturale quoddam suffimentum, quod omnia circumquaque suo perfundebat odore. Aviculæ tenui hoc flatu excitatæ, eâ ferè ratione, quâ excitatur & animatur organum à vento suos implente tubos ac fistulas, tam suavi modulabantur concentu, ut diceres universam naturam avidis illum auribus excepisse. Et denique omnia tam jucundam, tamque amœnam monstrabant faciem, ut solitudinis studiosissimos è suis elicerent cavernis, ad conspiciendas cum voluptate divitias, quas anni gratiosa tempestas explicaverat ubique in arvis & campis. Non-

Philosophia Christiana.

Nonnulli homines DEO devoti, quos sanctæ charitatis vinculum tam arcto ligamine tenebat sibi invicem obstrictos, ut non nisi unum cor, nonnisi unam haberent animam, statuerunt eus petere, liberiore fruituri cœlo, mollioremque spiraturi auram, sicut & duas vel tres horas consecrare eorum colloquiorum dulcori, ejusmodi esse solent illorum, qui nonnisi corpore in terris, has velut suum aspiciunt exilium, quorum econtra animus conversatur in cœlis, quos velut dilectam sibi patriam ardenti prosequuntur amore. Sanctus Gregorius Nazianzenus, qui maximam vitæ suæ partem transegerat in solitudine, cum integerrimo suo amico, Sancto Basilio in ejusmodi conversatione, vocat illam veram Christianorum Philosophiam. Siquidem cum nôssent, non sufficere sibi paganorum more, se duntaxat applicare studiis veritatis naturalis: hinc omnes ipsorum discursus non aliam sibi præfigebant metam, nisi ut contenderent nôsse ac scire DEUM, qui summa est veritas, nec illum scire desiderarent, nisi ut amarent ipsum. O beatam animam, cui datum fuit gustare dulcedinem ejusmodi Philosophiæ!

E societate quispiam, qui singulari gaudebat dono contemplandi ubivis in Creaturis Creatorem, cùm primùm conjiceret oculos in amplum quendam campum maturâ segete refertũ, ubi innumeræ spicæ se quasi certatim sursum attollebant, & apicibus suis ferebantur in cœlum, quasi vellent reddere illi, quod ab ipso acceperunt: Mi DEUS (dicebat ipse) tu olim descendere fecisti manna è cœlo ad nutriendos homines terræ, eò quod hi populi fuerint, non nisi aspirantes ad possidendam aliquam desiderabilem & jucundam terræ regionem; Et jam prodire & enasci nobis facis manna è terrâ, ascendens versùs cœlum, ad informandum nos, quò tendere recipiendo à te nutrimentum istud debeamus. Non amplius sunt Angeli, qui hoc nobis manna præparant, sed tu es ipse, ô Pater cœlestis, cui curæ est irrigare tuis pluviis has plantas, tuo illas calefacere sole, tuis illas purgare ventis, quos thesauris tuis concluſos geris, quosque eo nomine inde extrahis, ut emittas ad laborandum pro nobis, velut fideles & industrios operarios. Et cùm accepisset frumenti spicam in manus suas, omnes rapuit in admirationem excellentiarum DEI, enucleatè explanando illis admirabilem & stupendam illam di-

Campus frugibus refertus

ſpoſitionem, quam quotidie ante oculos habemus, & nemo noſtrûm conſiderat?

Mira alicuijus ſpicæ frumentariæ.

Nonne videtis, inquiebát, quâ ratione Creatori fuerit curæ, collocare in omnia ordinem omnia hæc parva grana, illorumque cuilibet particularem ſuam deſtinare cellulam, ut illic viverent in pace, & in concordiâ, abs eo, quod unum alteri eſſet incommodo? Videtis, quomodò non ſolùm quodlibet ſpecialem ſuam incolat cellulam, ſed & particulari induatur amictu? quid eſt hoc, mi DEUS? Ecce tibi miraculum, quod adeò deprædicavit ſacer codex in filiis Iſraël, dum erant in deſerto? Ipſorum veſtes, quibus amiciebantur in infantiâ, non tantùm continuo uſu non atterebantur, ſed creſcebant cum ipſis, juxta quod eorum corpora creſcebant in annis; nec unicum duntaxat eſt frumenti granulum, quod non veſtieris parvulo ſuo habitu, qui creſcit cum ipſo, tamque benè ſe accommodat ipſius corpori, ut nulli poſſet ſervire alteri. Quis ita ad amuſſim texta ſingula inſecuit & concinnavit? quis ita dexterè conſuit, ut nulla prorſus appareat ſutura?

Interim, dum tanto ſtudio conſiderabat exteriorem hanc pulchritudinem, alius, qui peritum agebat philoſophum, dicebat illi: nihil hoc eſt, corticem duntaxat & externam intueri formam: Verùm an nôſti, quàm admirabilem virtutem abſconderit DEUS in pârvulo hoc grano, ut ex ipſo ſolo alimenta provideat omnibus hominibus, qui ſunt in mundo. Siquidem dum conjicitur id ſolummodò in terram, abs eo, quod amplius de ipſo cogitetur, producet ad minimum integram ſpicam vel quandoque plures, omnes aliis granis velut ſuis onuſtas prolibus, & eâdem, quâ pater gaudet, naturâ & virtute locupletatis. Quod ſi hæc iterum conjiciantur in terram, producentur ex iis alia in longè majori adhuc numero, eandem omninò virtutem habentia: Et hæc ſicut priora terræ mandata idem omninò facient, ita ut poſt aliquorum annorum decurſum impletura ſint omnem terram meſſe tam divite & copioſâ, ut omnes homines & omnia animalia exin facilè viverent, & interea omne ſuum alimentum aliundè non traherent, niſi ex ſolo hoc parvulo frumenti granulo? Et quod magis ſtupendum eſt, id magis conſiderare volenti, hæc virtus tam ſpecialis eſt parvæ huic creaturæ, ut non

Miranda virtus unici tantum grani.

nonnisi ipsa sola in mundo hâc gaudeat prærogativa: cùm nec omnes Angeli in Cœlo id facere possint, nec omnes mundi Monarchæ hanc habeant potestatem; jactent hi se de potestate suâ, quantùm voluerint, dependere tamen debent ab uno grani frumento, si panem suum habere velint supra mensam. Ah! quomodò possibile est nos ignorare dependentiam infinitam, quâ DEO subdimur, cùm ipse à Creaturarum suarum minimâ ita nos faciat dependere.

Contemplativus, qui argumentum subministraverat discursui hujus philosophi, simul ansam ex virtute hâc absconditâ, quam detexerat in suo frumenti grano, loquendi nobis de Excellentiis DEI, modo tam sublimi, ut omnes nos summâ voluptate affecerit. Ecce tibi quid dixerit.

ARGUMENTUM.

1. *Quod* DEUS *sit ubique, & in nullo sit loco.*
2. *Quod nobis sit præsentissimus & infinito modo à nobis remotus.*
3. *Amorosa consideratio circa id, quod* DEUS *sit præsens cordibus nostris.*

Articulus I.

INgens videris tibi detexisse mysterium, dum virtutem hanc secretam observasti, quam DEUS abscondit in grano frumenti; Sed ultra progredere, & invenies virtutem aliam infinito modo majorem, sed incognitam hominibus. Deus ipse est, qui totus integer absconditus est in virtute hâc absconditâ; Sed sicut impossibile est oculis nostris corporeis videre occultam hanc virtutem in grano frumenti, licet corporalem, & nonnisi oculi animæ illam cognoscere possunt; sic intellectus noster naturalis tantæ virtutis non est, videndi DEUM in virtute hâc secretâ absconditum; requiruntur oculi fidei, ad illum ibi conspiciendum: quicunque hos habet benè apertos & probè illuminatos, videt & admiratur magnitudinem DEI totam integram in minimâ Creaturarum.

Quomodò totam integram? inter-

interpellat philosophus attonitus ad hanc propositionem. Quâ ratione magnitudo DEI inclusa esse possit in spatio tam arcto? Nonnè DEUS est immensus? Nonnè cœlum & terram ipse implet? Nonnè etiam infinities major est cœlis? Absque dubio respondet alter; sed totus immensus, uti est, necessariò dici debet totus integer esse in minimâ Creaturarum, vel omninò ibi non esse. Dicere, quod omninò ibi non sit, hoc esset negare immmensitatem ejus, quæ ipsum præsentissimum reddit omnibus creaturis: Dicere, quod ibi tantùm sit ex parte, innueret, DEUM constare ex partibus se componentibus, adeoque divisibilem esse, & perire posse, & consequenter DEUM non esse. Dicendum igitur est, ipsum esse ibi totum integrum, cùm ipse sit magnum totum, quod est maximè simplex, maximè unum, maximè indivisibile. Et ecce id, quod præbuit mihi aliquam facilitatem ipsum concipiendi.

Immensitas Dei est respectu loci id, quod est ipsius æternitas respectu temporis.

Non est judicandum de magnitudine DEI ex spatiis locorum, si de illius duratione judicandum non est ex longitudine temporum. Quod est æternitas DEI respectu temporum, hoc est immensitas DEI respectu locorum. Dimetiri non posses longitudinem æternitatis DEI adjiciendo millonum milliones sæculorum, unum millionem post alterum, cùm tempus non sit nisi duratio composita ex partibus, quæ omnes finitæ sunt: & æternitas est infinitum quoddam non habens partes se componentes; Est instans quoddam invariabile, totum integrum respondet singulis momentis temporum, omnemque horum infinito modo transcendens durationem: ita ut tota æternitas DEI præsens sit unico instanti indivisibili nostri temporis; Et tamen ipsius æternitas includi non potest intra omnem temporum durationem. Sic metiri quoque nunquam poteris immensam magnitudinem essentiæ DEI, adjiciendo magnitudinem unius loci loco alteri, nec maximum spatium spatio adhuc majori, nec quidquam aliud, quodcunque facere poteris, faciendo ad concipiendam ipsius magnitudinem. Ratio est, quod totus locus necessariò habeat suam circumferentiam, quâ constringatur & terminetur; immensitas autem DEI essentialiter sit absque circumferentiâ, fine, & termino. Nullus igitur locus est, qui continere ipsum possit, cùm infinito modo sit magnus: & tamen magnitudo hæc tam est simplex,

ut

ut absolutè sit indivisibilis; & consequenter verum est, ipsam totam unitam & totam præsentem esse in quâlibet loci parte, quàm parva & quàm indivisibilis hæc etiam sit, quantumvis illa se extendat abs aliquâ extensione locali ultra omnia loca actualia vel possibilia, vera vel imaginaria.

Deus infinito modo distat à nobis, & infinito modo est proximus nobis.

Dici igitur potest, DEUM esse ubique, & tamen nullo esse loco. Ipse est ubique, quia nulla est creatura, quantumvis minima, quando etiam non foret, nisi aëris atomus, in quâ non sit totus integer: Et tamen nullo est loco, id est, quod non habeat aliquem locum, quo constringatur & includatur, eoquod infinito modo omnem locorum transcendat amplitudinem; Et consequenter verum est dicere, ipsum infinito modo esse nobis proximum, & infinito modo à nobis elongatum. Est infinito modo remotus à nobis per suam immensitatem, si consideretur, quod magnitudo ipsius sit infinita, nosque non simus, nisi levis & tenuis atomus, & veluti parvulum frumentum nihili: Sic namque finitum est infinito modo remotum & distans ab infinito. Verùm, est quoque infinito modo nobis per suam immensitatem proximus, si consideretur ipsius præsentia; Siquidem ipse includit nos in semetipso, ipse nos circumdat, nos penetrat, nos replet, est nobis magis intimus, quàm nos simus nobismetipsis. Hæc sublimis Theologia est, quam edocuit Sanctus Paulus sapientes Areopagi, quæque convertit magnum Sanctum Dionysium; quod licet DEUS nobis sit absconditus, nosque nullibi ipsum videamus, ipse tamen tam vicinus sit nobis, ut simus in ipso, vivamus in ipso, & omnia agamus in ipso: *In ipso enim vivimus, movemur & sumus.*

Gaudium animæ ex eo, quod immensitas Dei replet at nostrum cor.

Philosophus, qui arrectis auribus ipsum audiebat, continere non poterat vehementem motum ac impetum, quem Deus in ipsius excitaverat corde, considerante & gustante hanc veritatem. Itanè mi DEUS, dicebat, sublatis in cœlum oculis, & totus ardore divino etiam faciem ipsius inflammante succensus: Itanè mi DEUS, tu es in me & ego sum in te, & nihil potest me rapere extra te, eoquod immensitas tua, tam continuò tamque necessariò te reddit præsentem cordi meo, ut annihilari deberet, ne amplius divinâ tuâ frueretur præsentiâ! Et tu ignis consumens es; Ecur ergò non totus exardesco,

& ex tuâ succendor præsentiâ? An circumferre quis possit tam ingentem ignem in pectore & non succendi? *Habitare cum igne devorante?* Tu es bonum infinitum & ingens æternorum gaudiorum oceanus, totum tuâ præsentiâ beatificans Cœlum; quid ergò mihi amplius desiderandum in mundo, dum summum ac supremum te bonum possideo? Ita, possideo illud, si illud amem: Novi enim, amorem esse vinculum sacrum, quod non solùm ligat & constringit amantes, sed etiam unum transfert in possessionem alterius: Certus igitur sum, quod non solùm ipsum totum habeam præsentem, sed ipsum possideam, si ipsum amem; Ipse mihi & ego illi; ipse dat se mihi velut thesaurum inalienabilem; Ipse spectat ad me jure tam certo, quod mihi ipsius tribuit gratia, ut non solùm nulla potentia creata in cœlo, nec in terrâ, nec in inferno eundem mihi tollere possit: Sed nec DEUS sibi ipsi relinquere voluerit libertatem, ut privare me posset charâ possessione suâ, nisi aliquo me peccato indignum reddere voluero. O solatium omnium solatiorum maximum! Cœtera omnia auferri mihi possunt; Sed hæc omnia non difficulter relinquam, ut perfectè beatus semper sim, si DEUS mihi maneat.

Admiror quidem, sed capere satis non possum, quod modò dixisti, nempè quod DEUS totus integer habitet in corde meo. Itanè verum est, DEUM totum immensum, sicuti est, totum integrum esse in corde meo, tantundem sicut in toto universo & etiam ultra cœlos, sed modo quodam, qui incomparabiliter beatiorem me reddit, quàm universam naturam corporalem, cùm alligatus sit cordi meo æternis gratiæ & amoris sui vinculis, quæ nullâ vi poterunt rumpi, si fidelis & constans in ipso amando perseveraverim. Eheu! Non agnovi hucusque felicitatem meam; nunquam enim, sicut oportet, rimatus sum pretiosum hunc Thesaurum, quem mecum circumfero, quique reverà meus est, cujus non æstimavi, nec consideratè enumeravi omnes, quas in se continet, divitias. Ingrediamur anima mea huc, & videamus pretiositatem & abundantiam divitiarum tuarum. Si voluptas avari cujusdam magna est, si aperiens suas cistas inveniat, divitias suas multò majores esse, quàm crediderat; gaudium tuum longè adhuc majus erit, si exactè enumeres & accuratè perpendas divitias thesauri tui; cùm hæ infinitò modo pretiosiores & abundantiores sint, quàm cogitare, tibique imaginari possis. Vide-

Divitiæ alicujus animæ, quæ totum Deum excipit hospitio cordis sui

Valor amoris, quo Deus nos prosequitur.

Videbis ibi aurum accensum infiniti amoris, replentis cor ipsius DEI: amoris illius, quo amat se tantum, quantum est amabilis; amoris illius, quo summè gaudet & delectatur, ita hic amor est præsens cordi tuo, ipse id replet & penetrat, eoquod sit DEUS ipse: Tu ipsum possides velut thesaurum tuum, cùm verum sit, possidere te Deum, qui magis ad te pertinet, quàm esse tuum proprium & vita tua naturalis, cùm mille accidentia tibi etiam invito illam possint auferre, pretiosum autem amorem hunc, quamdiuillum conservare volueris, tibi è corde tuo eripere possit nemo. Ecce particulam quandam thesauri tui: Sed an nôsti, quanti sit valoris? considera attentè, perpende solicitè, arripe libram manibus, & colloca in unam lancem mundum universum, si velis, & omnia, quæ extracta sunt è nihilo per omnipotentem manum DEI; adjunge illa omnia, quæ inde adhuc extrahi possent, quo ad exhausissset omnes illas profundas abyssos, si possibile foret: Videbis hæc omnia in comparatione nihil esse, teque solum possidendo amorem infinitum DEI in corde tuo ditiorem esse, quàm si omnia illa simul in unum coacervata possideres; quid enim sunt creata omnia, tam actualia, quàm possibilia in comparatione cum Deo?

Longitudo amoris Dei erga nos.

Sed an nôsti, quod pretiosum hoc donum amoris sui, jam fecerit tibi ab æterno? Tu nondum eras, & ipse jam amabat te: In Charitate perpetuâ dilexi te. Ab æterno momento, quo amavit seipsum, effudit speciali ex bonitate cor suum erga te, ad amandum quoque te, cùm tibi jam tunc voluerit omne bonum, quod tibi posteà exhibuit in tempore, quodque tibi præparaverat ab æternitate: Et perfectus hic amor nunquam destitit amare te vel unico momento. Vide an dignè æstimare poteris durationem infinitam & constantiam invariabilem amoris hujus, quo te beavit. Si ponderare non potueris hujus valorem an metiri poteris ejus longitudinem? Accipe durationem omnium sæculorum, & adjunge tot milliones sæculorum, quot sunt momenta in omnibus sæculis, nondum inveniisti ejusdem longitudinem: Incipe de novo duplicare hæc omnia, sicque continuum per totum defluxum vitæ tuæ, nunquam dimetiri poteris ipsius longitudinem, eoquod infinita sit: Cùm ergò jam possederis totum hunc pretiosum thesaurum, infinito modò jam dives eras ab æterno. Quamvis

vis enim, cùm tunc nondum habueris esse, DEUS illum non incluserit in corde tuo, incluſit tamen illum in corde ſuo, jam cogitavit de te, benè tibi voluit, præparavit jam tibi abundantiam miserationum ſuarum, quibus replere te voluit tam in tempore, quàm æternitate; ſicque tu jam eras in theſauro tuo, id eſt, in amore illo infinito DEI tui, quamvis theſaurus tuus nondum fuerit in te; & jam dum dedit tibi, dedit quoque poſſeſſionem illius.

Liberalitas amoris Dei erga nos.

O quàm dives es anima mea, ſi tuas cognoſceres divitias! Sed quia illas non cernis oculis tuis corporeis, illas non tangis tuis manibus, ſicut avarus ſuum dinumerans aurum, ideo credis illas non eſſe, niſi bona imaginaria, & forſan hæc omnia nonniſi figmento attribuis. Sed die mihi: ſitne amor imaginarius, dum cernis, te innumeris ab eo mactari beneficiis: *Quid enim habes, quod non accepiſti?* Sitne amor imaginarius ille, qui tantæ virtutis fuit, ut unigenitum DEI Filium è ſinu patris ſui traxerit in terram, ad illum tibi donandum; quod idem fuit, ac ſi proprium cor ſuum è pectore ſuo eruiſſet, illudque inſeruiſſet tuo? Et ut ſcias hanc prodigalitatem fuiſſe divini ſui Amoris, id expreſſis verbis Evangelium explanare voluit: *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Sitne amor imaginarius ille, qui tantæ fuit fortitudinis, ut prævaluerit ipſi Deo, ipſum humiliaverit, proſtraverit, ſacrificaverit pro te in cruce? Hinc Sanctus Apoſtolus hunc videſ exceſſum, præ admiratione deficiens, totus corde accendebatur, dum cernebat ipſum pro ſe immolatum, dum dixit: *Dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me.* Quis dicere poſſet, hunc imaginarium eſſe amorem?

Eſt igitur hic amor infinito modo pretioſus in ſuo valore, æternus in ſuâ duratione, omnipotens in ſuâ fortitudine, inexhauſtus in ſuâ liberalitate, immenſus in ſuâ magnitudine: Et totus hic amor eſt actualiter præſens in corde tuo, tu poſſides ipſum velut theſaurum ad te ſpectantem, illo veluti tuo tibi licet uti, & ex illo tua ſolvere debita. Mi DEUS, non habeo in proprio corde meo amorem, qui tantum amare te poſſit, quantum es amabilis; ſed tuum donâſti mihi; cùm ergò meus ſit, accipio ipſum, eundemque tibi offero, teque amo eodem amore æterno, omnipotente, & immenſo, quo amas temetipſum. O quàm benè intelligo, immergen-

Solvere poſſumus cuncta debita noſtro theſauro noſtro.

gendam mihi esse continuò voluntatem meam in tuam, & amorem meum in tuum amorem! Nihil in me relinquatur mei, sed totus transeam in te, tanquam inflammatus à te. Mi DEUS, quantâ fruerer consolatione, si forem semper solicitus mecum ipse dinumerare sigillatim divitias thesauri mei? Cùm firmissima sit veritas, possidere me DEUM totum integrum in corde meo, qui mihi præsens est, & qui meus est.

Cum amore Dei, habemus omnes perfectiones Dei in cor de nostro.

Nihil ominus hæc nonnisi unica est Thesauri mei portio; infinitas in ipso conspicio alias eiusdem omninò valoris, omnesque pariter ad me pertinentes: ipsius omnipotentiam, quæ facit omnia & conservat omnia; ipsius sapientiam, quæ regit omnia; ipsius bonitatem, quæ attrahit omnia; ipsius providentiam, quæ nutrit omnia; ipsius misericordiam, quæ subvenit omnibus; & omnes cæteras perfectiones ipsius infinitas, quæ non solùm sunt inseparabiles ab ipso, sed quæ idem omninò sunt cum essentiâ ipsius. Et hæc omnia sunt actualiter in corde meo, & pertinent ad me tanquam verus thesaurus meus; illa possideo fortius & arctius mihi affixa, quàm mea sit anima meo unita corpori. Si tota æternitas non sufficeret mihi ad dinumerandam unicam Thesauri mei portionem, quando & quomodò aliarum inire potero rationem? O quàm copiosam inveniret materiam anima intus in corde loquendi cum DEO, quàmque longè alias gustaret ibi delicias, quàm totus simul mundus propinare ipsi posset, si sciret, sicut oportet, Thesauri sui divitias dispensare? Exploratam habere præsentiam DEI in corde suo, ô DEUS amoris! quantum bonæ animæ hic aspectus affert gaudii ac jubili? Ecce ergò te, mi DEUS! te habeo, te circumfero, te possideo intra memetipsum; Et id non advertebam. Ah! postquàm aliquando te inveni, satis est, abundè est. Apage vobiscum creaturæ omnes, ne ultra deinceps interpellate me, nil amplius vobiscum mihi negotii, inclusum me deinceps servabit me thesaurus meus, ut cùm voluptate omnes meas aspiciam divitias. Te igitur habeo, te possideo in arcano cordis mei; ô pretiosissime mi Thesaure! nunquam amplius in perpetuum te deseram.

ARGUMENTUM.

1. *Egregius modus formandi nobis perquàm magnam idæam & imaginem immensitatis DEI.*

2. *Quantùm admirari debeamus, tam magnum DEUM se demittere ad nos, qui nihil sumus.*

Articulus II.

Hic mundus nihil est respectu magnitudinis Dei

PErquàm pius & prudens Ecclesiasticus, qui societati comitem se adjunxit, cùm illam hoc detentam inveniret colloquio, ita nos affatus est. Quid diceretis ergò, si aliquam formaretis idæam circa immensam magnitudinem optimi hujus DEI, qui tali ratione totus integer habitare dignatur in corde nostro? putamus, nos aliquid dixisse de eo, quando cum Sacrâ Scripturâ dicimus, quod cœli cœlorum ipsum capere non possint; & tamen hoc nihil est dicere; Siquidem universa hæc mundi machina non est tantæ magnitudinis, respectu ipsius immensitatis, quantæ est granulum arenæ respectu amplitudinis cœlorum. Non absque dubio, non est tantæ, nam licet videatur nobis enormis improportio inter granulum arenæ & universum cœlum; nihilominus accumulari & coacervari possent tot arenæ granula, ut tandem fieret acervus magnitudine cœlis non impar. Sed in unum coge acervum tot mundos, quot volueris, accumula plures, quàm necessaria forent arenæ granula, ad assequendam parem magnitudinem, quæ æqualis sit magnitudini DEI, cùm hæc sit infinita.

Cogitationes nostræ nil comprehendere possunt de immensitate Dei.

Contendebam olim intendere cogitationes meas, illasque inferre in magna illa spatia, quæ extra cœlos & mundum concipimus, ubi DEUS solus habitat in seipso, viqúe factâ & nisu adhibito, illas adhuc altius & altius evibrare & abripere, ut viderem, an addiscere quid possem de immensâ magnitudine DEI, sed invanum laborabam, & omnis meus conatus erat inutilis: hinc alium excogitabam modum, novum aliquid circa hoc addiscendi, qui & facilior est, meque in majorem ducit cognitionem: non quod per hunc concipere valeam totam DEI immensitatem; sed saltem videam clarè, quàm hæc sit incomprehensibilis. Intu-

Deus est ultra mundum.

Intueor totum hoc universum velut globum, suspensum in medio spatiorum valdè magnorum, ipsum undequaque circumdantium. In his spatiis, quæ sunt extra mundum, verum est, nullas adesse creaturas; sed tamen dici etiam non potest, ibi non esse, nisi purum nihil. Siquidem si esse DEI non esset magis extensum magnitudine mundi, & extra hunc nihil esset, nisi nihilum universale; clarè inde deduceretur, quod imperium hujus nihili infinito modo majus & amplius esset imperio essentiæ DEI; Et DEUS immensus non esset, sed hoc nihilum esset immensum. Quis non videt, hoc absque blasphemiâ dici non posse, adeoque dicendum, essentiam DEI esse immensam in suâ magnitudine, & consequenter esse in omnibus illis infinitis spatiis, quæ nobis extra cœlum imaginamur? Sed quis explicare nobis potest, quousque hæc immensitas se explicet & extendat?

Pulcher modus formandi sibi bonam idæam de immensitate Dei.

Exinde, ut novi quid addiscam, impono vertici hujus globi aquilam, ut inde liberrimè & lineâ directâ avolet in magna illa spatia, quæ sunt extra cœlos; Et ut tantò velociùs, feliciùs ac faciliùs volet, appendo ipsi alam tam fortem, ut nunquam sit lassanda, volatumque tam celerem, ut tam velociter sit suum emensura iter, uti primum mobile, quod juxta supputationem Astrologorum, viginti milliones leucarum conficit intra horæ spatium. Ita leviter citoque volantem ipsam ablego, ut ultimum mihi inquirat terminum magnitudinis DEI. Anima, cui plus, quàm mihi fuisset pietatis, misisset illam nuntiatum nova dilecto suo, eique congredidisset schedam illis Sacræ Sponsæ verbis ex Epithalamio sacro notatam: *Dicite dilecto meo, quia amore langueo*; adjunxisset his ipsa millenos bonos affectus adorationis, laudis, gratiarum actionis, fidelitatis, obedientiæ & amoris, dixissetque ipsi: Vade, vola & dic dilecto meo, vota mea esse, ut crescam incessanter, tamque velociter excurram in omnes hos bonos affectus erga ipsum, tantâque promptitudine proficiam in ipsis, quantâ tu excurris & proficis in volatu tuo. Ne fatigeris, nec redeas apportatum mihi nova, de non invento termino magnitudinis ejus.

An volitabit ipsa extra DEUM? Non, quia DEUS secundùm divinam suam essentiam est in omnibus illis ingentibus spatiis mundum circumcingentibus,

bus, aliàs immensus non esset. Si concipi animo posset locus, ubi non esset, sique immensus non esset in suâ magnitudine, esset finitus, & si finitus esset, non esset DEUS. Verùm si tantâ volaret velocitate, ut intra horam viginti milliones leucarum conficeret, an brevi excursura esset extra DEUM? Non, si enim ultimum ipsius inveniret, intra aliquot annos, terminum, ipse hoc termino finiretur, adeoque non esset immensus. Jam à decem annis meam avolare feci aquilam, & ipsa ex hoc tempore, ne momento quidem quievit unico, & cùm singulis conficiat horis viginti milliones leucarum, dicere non possem, ubi modò sit. Quando concipere volo aliquam immensitatis DEI idæam, aliud non ago, nisi quod ipsam interrogem: ubi modò es, aquila mea? An vota cordis mei nuntiâsti dilecto meo? & mox permitto ipsam prosequi volatum suũ & millena intra memetipsum ardentissima efformo desideria, ut meus erga ipsum amor eâ excrescat velocitate, quâ volatus mei ad ipsum nuntii.

Prodigiosa magnitudo immensitatis Dei.

Postquàm hæc aquila eâdem omninò velocitate per centenos mille annos, absque interruptione vel unico momento factâ, suum prosecuta fuerit volatum, nonne extra vel ultra DEUM tum evolaverit? Non: quamvis enim hæc spatium, quod intra tam longum tempus tantâ celeritate percurreret, confundat animum, & omnes tum hominum, tum Angelorum absorbeat cogitationes, nihilominus tamen infinitum non esset, quia haberet terminum, quem immensitas DEI non habet. Fac illam suum prosequi volatum eâdem omninò celeritate per alios centies millenos milliones annorum; adjunge his quoque tot milliones sæculorum, quot minuta complexi fuerint omnes hi anni; nunquam eò deveniet, ut inveniat ultimum terminum immensæ magnitudinis DEI: *Et magnitudinis ejus non est finis.* O magnitudo DEI quàm es incomprehensibilis? O immensitas essentiæ DEI quàm es admirabilis! Tu omnes absorbes cogitationes, tu omnia obtundis lumina, tu confundis, tu attonitum reddis animum te considerantem.

Interim optarem te eo esse loco, quo aquila mea esse posset, postquàm unico duntaxat die suum prosecuta fuisset volatum, & exinde mundi aspiceres globum: quis & quantus ille tibi videretur? Heu! forsan non tantus

tantus, quantus est pilus. Sed quære teipsum in parvo hoc globo, & vide, quo ibidem fueris loco, quantæque futurus magnitudinis; an ansam fortassis habebis sapiendi altùm, & magni faciendi tuæ splendorem ac Majestatem existentiæ. Ah! quàm citò fateri cogêris, te non esse, nisi minimum quoddam nihilum! Compara te cum totâ mundi magnitudine, nonne minus es, quàm centesima pars alicujus atomi? Sed compara te cum immensâ magnitudine Dei, quid eris? purum quoddam nihilum, aliquod archinihilum, mala quædam nihili umbra; & minus adhuc, si dici posset. Verùm si paulisper duntaxat nihilum tuum consideres coram immensitate DEI, nonne in profundam rapiêris admirationem? nonne extra temetipsum te ferri oportet, si consideres immensas tanti tamque magni DEI erga te bonitates, erga te creaturam perversam, quæ toties ipsum offendis? Erga te, dico, contemptibilem nihili umbram, quæ ipsius obliviscèris, quæ ipsum negligis, quæ ipsum contemnis.

Stupenda parvitas hominis comparata cum magnitudine Dei.

An verum ergò sit mi DEUS, te tam immensum, uti es, non contemnere parvum hoc nihilum, quod tui obliviscitur, quod te contemnit? Itane tam magnus es DEUS, ut, postquàm omnes tum Angelorum tum hominum mentes, cunctos per omnem æternitatem intenderint nervos ad te comprehendendum, nunquam assecuturæ sint ultimum magnitudinis tuæ terminum? Et tantus, tamque magnus, ubi es, tuos demittis oculos super hominem, qui minus est atomo? *Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos?* Itane ipsi intendis, tu, qui infinitam invehis voluptatem in contemplando divinas tuas magnitudines? Itane aperis super ipsum bonitatis tuæ oculos, quasi tuo foret dignus aspectu? æstimas ipsum, quæris ipsum, apponis erga ipsum cor tuum, penes ipsum & cum ipso habitas, ipsum amas, ipsi blandiris, & vis ab ipso amari? plura adhuc facis, siquidem assecurare ipsum dignaris, quod tuas cum ipso capias delicias, maximumque tuum sit desiderium benevolam & cordialem cum ipso contrahendi amicitiam, quin & familiaritatem amici intimi, haud aliter, ac si esset tibi æqualis. O prodigium bonitatum tuarum! quomodò possibile est, omnium hominum corda dulcore tuo non allici? O amoris & incomprehensibilium miserationum tuarum excessum! Quid futurum

Bonitas tanti Dei, se demittentis ad nos, qui nihil sumus,

est cordi attentè te consideranti? ubi est animus, qui hisce non absorbeatur abyssis.

Deus se annihilat, ut parvo nostro nihilo se accommodet.

Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Quid est ergò anima mea, quam tanti facis, ut non solùm ipsam ames, sed tanto bonitatis excessu erga ipsam feraris, ut volueris humiliari, omnibus tuis exspoliari excellentiis, & quasi annihilari pro illâ; eo nomine formâ indui humanâ, ut illi te assimilares & tam stupendâ familiaritate lucrareris ipsam; laborare pro ipsâ, pati pro ipsa, mori pro ipsâ, & perdere te ipsum, ut ipsam servares. O prodigium Charitatis! quæ possibilis non erat, nisi DEO infinitæ bonitatis! Itane ô Divine Elia, abbrevias & contrahis te super parvulum infantem mortuum, accommodas te ipsius parvitati ad illum recalefaciendum, sicque resuscitandum; sed plus adhuc facis, quàm Elias; accipis namque ipsius mortem in te, ut ipsi propriam tuam tribuas vitam. Si judicem de eo, quod facis animæ meæ intus, ex eo, quod facis exterius oculis meis: Video, quod Verbum Caro factum sit, & immensa magnitudo tua reclinata sit in præsepio; Video, quod verbum incarnatum se totum integrum mihi largiatur in Sanctissimâ Eucharistiâ; Video etiam, quod abbreviet & contrahat se usque ad minimum consecratæ hostiæ fragmentum. Quanta prodigia potentiæ & amoris ipsius, ut totum integrum se donet mihi.

Miraculum amoris Dei erga nos.

Quid agis, mi DEUS, in hoc amoris excessu pro me, qui totum te trahit & rapit extra te? Infinita bonitas! Tu confundis omnia, non novi amplius te, non novi amplius meipsum. Tune ipse es, magnitudo immensa, quem video in hoc præsepi, quem contemplor super hanc crucem, quem adoro sub exiguis his panis speciebus? Itane? hæc aquila, quæ evolavit & alarum remigio immensa illa diffidit spatia, tanto jam tempore, tamque celeri volatu, non potuit nobis referre nova de immensitate tuâ, nisi quod nullam habeat metam, nullos limites? Et ecce te totum coram oculis meis in præsepio supra linguam meam, in corde meo, quando te in augustissimo recepi Sacramento. Quis eò deduxit te, Majestas infinita, nisi potentia infiniti amoris, qui de tuâ triumphavit magnitudine? Ah! immeritò dixi, quod non noverim te amplius in hoc statu: imò, amabilissime Domine, novi te

benè,

benè, Ah! magis quàm unquam in hoc statu es cognoscibilis; dum enim me tuam celas immensitatem, immensum tuum amorem revelas mihi.

Quanti æstimare debemus animam nostram.

Verùm meam non amplius novi animam; ipsam nihil esse credebam, & contemnebam ipsam: Sed dum video, quod maximi ipsam facias, tu, qui sapientia es infinita, qui æquum nôsti rerum valorem, qui totum te integrum dedisti pro ipsâ, qui tui pretio sanguinis & propriæ vitæ emisti ipsam ad æternaliter te possidendum. Quid concludere ex hoc possum, nisi, cùm impossibile sit, te in æquâ rerum æstimatione falli, quod necessariò tanti ipsa valeat, quantum pro ipsâ comparandâ dare voluisti? O Admiratio transcendens omnem admirationem! DEUS immensus tradit se totum æternum, meam ut habeat & possideat animam! An, dum ipsam tanti facit, decipitur? hoc est impossibile. Ego igitur deceptus sum, nec competentem ipsius agnovi valorem, dum ipsam hucusque tam parvi feci. Quænam hæc cœcitas! tanti æstimare res externas, quæ nihil sunt, quasque deserere oportet; his omnem impendere curam, his me totum invigilare, & propriam meam negligere animam, quæ sola est, quam DEUS æstimat, pro quâ descendit de cœlo in terram: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Matth. 16. O mi DEUS, ignosce præteritæ ignorantiæ meæ, firmiter in sculpe menti meæ hasce veritates, quæ maximi sunt ponderis, ut deinceps nil æstimem, nisi solum te, & animam meam. *DEUS & anima mea.* Ecce totum, cui invigilandum est mihi, aufer cætera omnia, quæ nonnisi sunt crepundia.

ARGUMENTUM.

1. Discrimen inter immensitatem & præsentiam Dei.

2. Quod tam absolutè dependeamus à præsentia DEI, ut absque illâ omnes redigerentur in nihilum.

Articulus III.

Differentia inter immensitatem & præsentiam Dei.

TOta societas, quæ plurimùm oblectabatur Colioquio Doctoris hujus, majori adhuc accendebatur desiderio proficiendi ex doctrinâ & scientiâ ejus, quâ circa argumentum hoc haud mediocriter excellere videbatur. Quærebatur ex eo, an idem omninò

mninò sit dicere, quod DEUS sit immensus, & dicere, quod in omnibus locis sit præsens. Non, inquit, non est idem; sed observamus hanc notabilem differentiam inter immensitatem & præsentiam DEI, quod immensitas sit perfectio absoluta, essentialis & necessaria in DEO, per quam concipimus, essentiam DEI non habere limites in magnitudine suâ; Sed præsentia non est perfectio absoluta in Deo, cùm sit relativa ad creaturas: ipsa non est perfectio æterna, eò quod DEUS præsens non sit creaturis, nisi postquàm hæ sum esse acceperunt; non est ergò ipsa perfectio necessaria, cùm absolutè necessarium non fuerit, ut daret esse creaturis, & consequenter illas suâ honoraret præsentiâ; & ùt verum fatear, præsentia DEI non tam est perfectio DEI, quàm origo ac principium omnis perfectionis Creaturarum.

Concipitur essentia Dei duobus modis.

Quando fit sermo de præsentiâ DEI, potest hæc concipi duobus modis; primus, quod Deus nobis sit præsens, id est, quod cogitemus de ipso & divinum ipsius esse aspiciamus velut præsentissimum loco, ubi sumus, vel oculis fidei. Secundus, quod DEO præsentes simus, id est, quod ipse nos semper & perpetuò aspiciat oculis suis Divinis. Optandum, & quantum possibile, adnitendum est nobis, ut DEUS nobis semper sit præsens, & nostra anima continuò ipsi intendat, ipso occupetur, si acquirere perfectionem velimus, cùm hoc sit efficax ad illam obtinendam remedium: Sed tam est necessarium nobis, ut semper simus præsentes DEO, ut, si ipse unico momento nos aspicere cessaret, quantocyùs omnes annihilaremur. Id forsan stupendum tibi videtur, cuique vix fidem adhibeas; Sed ut clarè hanc veritatem aspicias, eamquè probè in animum inducas.

Si Deus cessaret nos intueri annihilaremur.

Considera benè, quid sit universus hic mundus? quomodò DEUS produxerit ipsum? Non id factum est brachiis carneis, sicut opifex exstrueret palatium. DEUS est purus intellectus, & omne, quod facit, divino facit intellectu: Certum igitur est, totum hunc mundum factum ab ipso, esse opus intellectûs ipsius. Jam intellectus ex propriâ suâ naturâ non producit, nisi cogitationes; Cùm ergò tota hæc mundi machina producta sit ab intellectu DEI, verum est dicere, quod aliud non sit nisi magna cogitatio DEI; Sed intellectus DEI, qui est omnipotens, non producit cogitationes leves & mutabiles, sicut illæ sunt nostri intellectûs, quæ nonnisi sunt valdè infirmæ. Cogitationes intellectûs DEI sunt substantiæ solidæ, firmæ & constantes. In

Mundus non est, nisi cogitatio Dei.

In æternitate non producit nisi unicam grandem & admirabilem cogitationem, quâ perfectè cognoscit & comprehendit seipsum, & hæc cogitatio est divina quædam substantia : ipse hanc producit per unicum solum verbum ; Et hoc verbum totum spirituale sicut ipse, est Deus sicut ipse, & est Filius ipsius unigenitus. In creatione mundi produxit illam alteram cogitationem, quam nos videmus, quæ quidem, sicuti prima, non est substantia divina, quam eduxit è propriâ suâ essentiâ, est tamen substantia, quam extraxit è nihilo ; & licet secunda hæc cogitatio sit quasi nihil, si comparetur cum primâ, nihil ominus dicendum est, quod non mediocri sit digna admiratione. Ipsius tam ampla magnitudo, diversitas illa innumerarum quasi partium ipsam componentium, ille tam pulcher ordo, illa tam benè ordinata directio, illa tam accepta omnium partium inter se correspondentia, ille tam splendidus decor, inexhaustæ ipsius divitiæ, illa tam justa & infallibilis motuum ipsius periodus ac proportio ; omnia hæc, quantò magis considerantur, tantò majorem pariunt admirationem. Quis diffitebitur hanc pulchram esse cogitationem, nullumque alium intellectum nisi Divinum hanc concipere potuisse vel producere ? Veruntamen pensatis omnibus aliud non est, nisi cogitatio Dei.

Jam quæso te considera, quæ sit natura cogitationum, & quâ ratione conserventur in esse suo. Nonne verum est, hoc fieri in tantum, quantum intellectus, qui ipsas formavit, ipsas quoque studet conservare ? Si enim unico tantùm momento se ab illis divertit, ipsius cogitationes in instanti diffugiunt & evanescunt. Cùm ergò totus hic mundus aliud non sit, nisi cogitatio intellectus Dei, nonne vides, quod impossibile sit, ipsum subsistere in esse suo, nisi is continuò ipsi sit præsens, & continuò actualiter aspiciatur ab omnipotente illo intellectu, qui ipsum formavit, quique ipsum nonnisi cogitando de illo conservat ? nonne rectè judices, quod si unico tantùm momento, suos ab illo diverteret oculos, non tam citò intellectûs distracti evanesceret cogitatio, quàm ingens machina hæc quantocyùs in nihilum reverteretur ?

Dependentia nostra ab oculis Dei.

Itanè mi Deus dependeo ab augustissimâ Majestate tuâ, nec esse, nec vitam habeo, nisi quia continuò me aspicis, & aspectus tuus mihi dat vitam ? *Oculi Domini dant vitam.* Et si unico momento desisteres cogitare de me, amplius non essem ; Et ego ingratus totos dies obliviscor tui ?

Eheu! nihil sum, nisi cogitatio intellectûs tui, & magis dependeo à te, quàm cogitatio mea à meo dependeat capite. Ah! quàm facilè tibi esset annihilare me, si velles, dum eò insolentiæ procedo, ut offendere te audeam! Non opus foret intendere robur omnipotentis brachii tui, sicut dum extrahis creaturas è fundo nihil; solùm si unico momento cessares cogitare de me & de illis, continuò omnes reverteremur in nihilum primæ nostræ originis. Ah! si homines benè comprehenderent magnam hanc & admirabilem veritatem, illamque benè cordi insculperent; an committere peccatum auderent, quod tam horrendum est divinis ipsius oculis, ut timendum sit, quod illos avertat, ipsique in instanti pereant? Nonne semper in debitâ viverent submissione & reverentiâ coram oculis Dei, nunquam non intuentibus se?

Infans in utero matris suæ.

Continua hæc Dei oblivio, in quâ vivimus, servissimas mereretur pœnas abs dubio, nihil ominus contentus est amicabili calamo alicujus vatis sui eandem nobis exprobrare, & erroris emendandi admonere: *Audite me, qui portamini* ab utero meo: Auscultate me, cogitate saltem de me, vos, quos porto & circumfero in sinu meo. Si parvul⁹ infans, quem portat mater, quemque totum adhuc non efformavit in utero

Isa. 46.

suo, haberet usum rationis; quantâ obligatione devinctum se censeret Matri se portanti, seque producenti? Nonne videret, se taliter omninò dependere ab illâ, ut abs illâ non esset? Ex ipsius formatus est substantiâ, ipsius nutritur alimentis, ipsius respirat respiratione, quin & vivere nisi ipsius vitâ non videtur: siquidem si mors feriat matrem, ferit & infantem, & unico ictu duas resecat vitas, ac si unum quid fuissent; & infelix infans jam exit è mundo, antequàm illum intraverit; & abs eo, quod prodierit è domo, aggreditur maximum, quod confici possit, iter, dum è tempore transit ad æternitatem.

Verùm hoc nihil est, respectu dependentiæ infinito modo majoris, quâ dependemus à DEO. Nam si infans est in matre, mater non est in infante. Opus autem est, ut essentia Dei intimo modo sit præsens essentiæ nostræ, ut illam penetret, illam animet, illamque conservet, opus est, ut ipsi det vitam & operationem, ac omnia, quæ habet. Divinus Areopagita mirè hoc quatuor verbis exprimit, dum dicit: *Collocat, fundat, & constringit omnia in seipso.* Si ambules, ambulas in Deo; si aspicias, aspicis in Deo, & aspectus tui transeunt per Deum; si respires, attrahis Deum versùs regionem cordis tui, multò melius quàm aërem, quo se refrigerat:

Hierarch. 13.

Unico

Unico verbo, Deus est centrum tuum, est elementum tuum, extra quem vivere non posses.

Terra est elementum nostri corporis, sed Deus est elementum nostræ animæ.

Totus hic mundus materialis est elementum corporis tui, nec unica illius pars est, quæ huic non serviat, ipsique non sit necessaria. Illius cœlum huic suas effundit influentias, illius sol hoc illuminat, illius aër hoc refrigerat, illius ignis hoc calefacit, illius terra hoc conservat, illius animalia huic serviunt; illius flores hoc recreant, illius fructus hoc nutriunt; denique is omnia ad hujus conservationem contribuit. Sed elementum animæ tuæ est Deus solus, qui omnia illi suppeditat; ita ut videatur, quod omnes adorandæ ipsius perfectiones certatim se impendant ad hujus non tantú conservationem, sed etiam perfectionem. Ipsius immensitas est cœlum, quod hanc circumdat & cingit; Divina ipsius sapientia est sol, qui hanc illuminat; ipsius amor est ignis, qui hanc calefacit, ipsius bonitas est aër, quem hæc respirat; ipsius omnipotentia est terra, quæ hanc conservat; ipsius providentia est mater, quæ hanc nutrit; ipsius gratiæ & consolationes divinæ sunt fructus, qui huic tribuũt vitam; ita ut verum sit, potius corpus tuum carere posse omnibus partibus hujus mundi sensibilis, quàm anima tua carere possit Deo. Et nihil ominus, dum quasi toti occupamur colendâ terrâ & quærendo subsidium ab omnibus creaturis mundi hujus materialis pro necessitatibus corporis, anima nostra tam parùm cogitat de Deo, qui est divinus hic mundus omnia illi suppeditans, & sine quo vivere non posset, quasi ipsius omninò non indigeret.

Deus nos adhortatur, ut ad ipsum redeamus. Isa. 46.

Hinc est, quod suam concludat querimoniam, affectuosâ hâc & efficaci exhortatione: *Mementote istud & confundamini, & redite prævaricatores ad cor.* Ponite nobis ob oculos omnia hæc & confundimini; considerate magnam, quam habetis, præsentiæ meæ indigentiam; aspicite continuas, quibus vos prosequor, curas, nunquam meos à vobis avertens oculos, nunquam non meis vos beneficiis accumulans, quasi vos soli meam sollicitam haberetis providentiam. Ponderate benè hæc omnia, vosque pudeat ingratitudinis vestræ. Meum semper vobiscum est cor, & vestrum sæpè sæpius procul est à me. Redite prævaricatores, recedite à vestris erroribus, revertimini ad cor. Verùm ad quod redibitis cor? si redeatis ad vestrum, insignem vobis faciet exprobrationem magnæ infidelitatis vestræ: sed redite ad cor meum, quod amat vos, dicit nobis misericors Deus: invenietis id semper mirâ erga vos plenum bonitate. Revertere ad hocce

cor,

cor, quod te portavit ab æterno in seipso, amando te amore constante & fideli, nec unico momento tui deponens memoriam. Revertere ad cor hoc, quod tui flagrat desiderio, quodque non cessat te inquirere per suam gratiam, dum tu non cessas illud fugere per tuam offensam. Revertere ad cor hoc, quod post omnes injurias à te sibi factas, tibi infinita præparat bona in æternitate, si redire volueris ad ipsum: *Redite prævaricatores ad cor.* Ad cor hoc redeundum est; venite, exspectans exspectat vos, cum ardentissimo affectuosè recipiendi vos desiderio. Ex omni parte redeundum est vobis ad illud, velut ad vestrum centrum, ad vestram requiem, ad vestram felicitatem, aperit se vobis, vocat vos, invitat vos, totum paratum ad recipiendum vos, redite, redite ad illud.

O bonitas infinita! nonne oportet esse cor durius ære, ferocius tygride, nisi paternâ hâc flectatur bonitate? Ita, mi Deus, revertar ab erroribus meis; abstraham animum meum ab omnibus inutilibus creaturarum obstaculis, quæ tui oblivionem menti inducunt; Eruam è corde meo omnes alios affectus, qui ab eo me abstrahunt: Video enim, me nunquam nec contentum nec beatum fore, nisi redeam ad cor Patris mei. Hic vivam, hîc moriar, ab hoc nunquam separabor in æternum: *Hæc requies* Psal. 131. *mea in sæculum sæculi, hîc habitabo, quoniam elegi eam.* Ecce requiem meam pro tempore & æternitate; Ecce securum habitaculum meum, hoc elegi, hîc figam animam meam, hîc votum clausuræ faciam, ut adimam mihi libertatem, nunquam amplius inde exeundi.

ARGUMENTUM.

. Quomodò videri possit immensitas & præsentia Dei in omnibus rebus creatis.

1. Præsentia ipsius manifestata replet amore omnes Sanctos in cœlo, & præsentia ipsius abscondita accendit Sanctos in terrâ ardenti desiderio videndi ipsũ.

Articulus IV.

REquiritur magna fides, dicebat quispiam è societate, non admodùm spiritualis & cœteris impar pietate, ad credendum omnia ea, quæ nobis dicuntur de immensitate & præsentiâ Dei: Nam quis capere possit, quod omnes repleat creaturas, & tamen nulla id ipsum percipiat? quod sit ubivis, & tamen nemo illum ali-

alicubi videat? Dicitur nostros sensus, nobis potius esse obstaculo, quàm subsidio ad videndum illum, eoquod sit Spiritus, sensus autem nostri non nisi res materiales cognoscere possint. Dicitur etiam nostrum intellectum nullam habere capacitatem ad cognoscendum illum, eoquod sit finitus, Deus autem sit ens infinitum. Nil ergò aliud restat, quod Deum cognoscat, nisi sola fides: Interim tamen dicitur, quod fides tota sit in tenebris: quomodò ergò demonstrare & ostendere nobis posset Deum immensum & ubiqúe præsentem? Imò sacer codex expresè nobis dicit *Deum nemo vidit unquam.* Si fecit hunc mundum, uti dicitur, eo nomine, ut se extra semetipsum manifestet; unde venit, quod ita se abscondat omnibus rebus creatis, & nemo ipsum videre possit?

Quomodo oculi nostri servire nobis possint ad videndum Deum.

Quid inquis, respõdit ipsi Theologus, magno cum fervore? Cœcus is sit oportet, qui Deum non videt; nihil visibilius est in mundo, omnia nobis loquũntur de ipso, omnia nobis inserviunt ad acquirẽdam ipsius cognitionem: sensus nostri inserviunt nobis ad ipsum quærendum, intellectus noster nobis servit, ad ipsum paulisper jam videndum; Sed fides largitur nobis perfectam de ipso cognitionem, qualem habere possumus in terris. Ablego meos oculos ad quærendum illum ubivis, & referunt mihi, quod viderint aliquod lumen, colores ac pulchritudines ubivis locorum dispersas: hâc super re intellectus meus discurrit & secum argumentatur: quod si datur lumen tam gratum, tam jucundum pro sensibus; si dantur colores eximiâ pulchritudine insignes pro oculis corporis, necessariò dari debent & aliud lumen pro intellectu, & aliæ pulchritudines pro animâ, quæ superent tantum illas, quantum superat & excellit anima corpus: Ah! quodnam est hoc lumen super omne lumen, est quænã hæc pulchritudo super omnem pulchritudinem, nisi Deus ipse? Jam intellectus cognoscit ex eo quendam radium, sed fides altius ipsum elevat, omnesque illius splendores ipsi detegit, dum docet & dicit: *Quoniam Deus lux est, & in eo tenebræ non sunt ullæ.* Qui est lumen infinitum, æternum, tamque purum, ut nullis omninò involvatur tenebris. Et quod solidum animæ affert solatium, est, quod nobis promissum sit, visuros nos aliquando admirabile hoc lumen in pleno æternæ splendore gloriæ: Et manifestabo ei meipsum. Ecce quomodò oculi mei, intellectus meus, fides mea videre me faciant præsentiã Dei manifestè in lumine suo.

Aures nostræ nobis manifestãt Deum præsentem.

Ablego similiter aures meas ad quærendum Deum meum: hæ mihi referunt, audivisse se aliquem

quem sonum, harmoniam, modulos musicos, quibus delectatæ fuerint; mox desuper meus ratiocinatur intellectus, & apud se inquit: unde oritur admirabilis hic concentus? quis gratiosam hanc instituit harmoniam, quæ similiter demulcet aures per universum orbem? Non videtur oculis, non tangitur manibus: interim invisibiliter intrat in aures corporis, & delectat animos proportione quâdam vocum dissimilium, & certâ quâdam diversorum concordiâ tonorum, qui dum inter se pugnant, pacem ineunt, & pacificè componunt eos, qui fuerant irritati. Quis iste Musicorum peritus Magister componere potuit universalem hanc harmoniam, quis illam dirigit ubique? quis illam ubivis reddit acceptam? Concipit exin jam aliquid Divinum, intelligentiam quandam universalem, aliquem spiritum, melodiam illâ, quæ sensus tangit, multò sublimiorem. Sed fides lumen hoc inceptum perficit, illique declarat, hunc esse Deum: *Qui facit concordiam in sublimibus suis.* Ipse est, qui infinitum æternæ hujus musicæ componit dulcorem, quo omnes beatos in cœlo delectat. O harmonia cœlestis, quàm incomprehensibilis es nobis! omnia, quæ aures nostras hìc demulcent in terris, in comparatione cum illâ non sunt, nisi triste quoddam ac molestum silentium. Nôstis historiam de illo, cui, cùm in sylvam concessisset solus, dulcorem hujus melodiæ mente revolvens, incassumque illam comprehendere adnitens, genium cœlestem Deus submisit sub specie parvæ cujusdam aviculæ, quæ tam suave resonabat melos, ut manserit totus illectus & extra semetipsũ raptus, ita ut non tantùm plures dies, sed & plures annos illo audiendo consumpserit, abs eo, quod adverterit; vel unicum transiisse momentum. Ah! quid erit hoc mi Deus, si plenam cœli audiemus melodiam?

Eâdem ratione ablego alios meos sensus, meum odoratum, meam linguam, meas manus, ad inquirendum Deum meum in creaturis. Verum quidem est, illos aliud mihi non referre, nisi quod perceperint odores, sapores, res palpabiles. Sed quàm parùm etiam habeam rationis, judicare exin mihi licet, quod, cùm omnia hæc habeant auctorem se se producentem, is debeat esse odor super omnes odores, sapor super omnes sapores, ens infinito modo perfectum, super omnia entia sensibus nostris perceptibilia. Siquidem quâ ratione dare potuisset aliquam perfectionem creaturis, si ipsam modo excellentissimo non possedisset? Video ergò ipsum ubique, si considerare ipsum voluero; nec unica quidem est creatura, quæ non

Omnes sensus nostri ostendere nobis possunt Deum præsentem.

non aliquod relinquat vestigium excellentiarum ipsius, quæ visibiles non sunt, nisi animabus, quæ sese supra sensus attollunt.

Deus depictus est in omnibus creaturis.

Nonne tenuis quidam gloriæ ipsius apparet radius in fulgentissimo solis splendore? nonne conspicitur immensitatis ejus imago quædam, in vastissimâ Cœlorum amplitudine? Nonne observamus umbram quandam æternitatis ipsius in longitudine temporum & perpetuo fluviorum decursu? Nonne deprehendimus quædam pulchritudinis ipsius lineamenta in decore florum, in fulgore margaritarum, in humanæ faciei majestate, tamque gratâ varietate colorum, quibus pennas distinxit & depinxit avium? Nonne similitudo quædam divinæ ipsius sapientiæ agnoscitur in naturali animalium instinctu, quo semetipsa gubernant & in mirabili illâ dexteritate, quâ locupletavit illa, tum ad se conservandum, tum ad se defendendum contra inimicos? Nonne quandam intuemur imitationem liberalissimæ ipsius bonitatis in inexhaustâ fœcunditate, quam impertitus est terræ, virtute cujus nobis progignere non cessat omnis generis fructus, naturâ, gustu, colore & figurâ diversos? denique nec unica quidem è Creaturis est, quæ aliquâ ratione non portet characterem Creatoris sui; & omnes totidem sunt voces, quæ tam sublimi nobis tono inclamant, ut surdum esse oporteat, si quis non audiat, illud: *Ipse fecit nos & non ipsi nos.* Nosmetipsi non fecimus nos; est nobis auctor, qui nos per suam creavit potentiam, qui nos per suam conservat præsentiam, qui nos per suam gubernat sapientiam, quique omnibus nostris prospicit necessitatibus, per suam providentiam. Verum quidem est, nihil magis Deo esse invisibile illis, qui nonnisi oculos habent corporis; Sed nihil magis visibile illis, qui sese supra sensus attollunt, ipsumque oculis fidei intuentur.

Sed tandem quid mihi prodest obscurus hic infinitæ pulchritudinis Dei mei intuitus, nisi ut languere faciat animam meam pertædio, dum tempore tam diuturno se hisce tenebris videt involutam? procul abest, ut satiata sit, intuendo ipsum tam imperfectè, sed hanc luminis scintillam recipit eâ ferè ratione, quâ fornax fabri ferrarii reciperet guttam aquæ, quæ ad aliud non servit, nisi ad magis ipsum accendendum. Anima mea augeri sentit desiderium suum, quod ardet clarè videndi pulchritudinem hanc æternam, cujus perfecta fruitio solum bonum est, quo effici potest beata. Frustrà mihi dicitur: Deus tuus ubique præsens est; quocunque voles, tuos verte oculos, & videbis ipsum se

in omnibus visibilem reddere creaturis, probè novi, ibi ipsum esse, sed est absconditus; Id, quod oculi mei vident, non est, quod cor meum desiderat.

Quomodo anima accendatur desiderio videndi Deum, dū videt creaturas.

Si videam solem manè è sinu auroræ prodeuntem, totum velut diademate suis coronatum radiis, ex auro & lapidibus pretiosis contexto, ad lætificandam denuò universam naturam, aspiciendo ipsam bono, ut ajunt, oculo, hæc pulchritudo creata mihi non satisfacit, libenter diceret ipsi cor meum: speciosum astrum, revertere & redux dic ei, qui creavit te, quod non lumen tuum, sed infinitæ pulchritudinis ipsius splendorem anhelet & desideret anima mea.

Audiendo cantus avium.

Si audiam jucundum canentium avicularum murmur, quæ velut tot periti musici, in scholâ naturæ instructi, sese congregant super collis alicujus floribus ornati arbores atque plantas, faciuntque gratissimâ vocum suarum varietate concentum omninò suavissimum, quasi salutaturæ auroram, ipsique apprecaturæ bonæ ortum diei. Terrestris hæc symphonia tantum abest, ut mihi satisfaciat, ut faciat aliud nihil, nisi quod desideria mea magis accendat erga symphoniam illam æternam, quam cum omnibus Angelis cuncti beati suavissimo concentu modulabuntur in Cœlis. Mallem potius silentium imponere avibus, & profundam quærere solitudinem, ad experiendum an liceat hîc in terris percipere dulcorem melodiæ istius cœlestis; quod dum impossibile esse video, dicam ingemiscens: quando ergò erit, ô mi Deus, ut partes quoque meas agam in gratioso hoc concentu?

Aspiciendo astra tempore noctis.

Quando nox emergens ex abyssis tegit & abscondit nobis totum hunc mundum inferiorem velo nigro, nobisque subtrahit pulchritudines terræ, video eodem tempore illas cœli sese nobis detegere, innumerabilem thesaurum stellarum, quæ cæruleo illi fundo insertæ velut totidem videntur rubini, carbunculi, adamantes. Ex hoc intelligo quidem & arguo immensos illic latitantes thesauros; aspectus autem hic mea accendit vota, & anhelare me facit ad auspicatum illum diem, qui illius mihi consignabit possessionem, & alloquor cor meum: ô Mors, quæ prodis ex abyssis inscrutabilium judiciorum Dei, ut id facias *circa* vitam nostram terrestrem, quod tenebræ circa diem faciunt naturalem; quando venies, ut claudas oculos meos rebus omnib⁹ mundi hujus inferioris, ut rebus cœlestibus mihi aperias illos? Ah! ergò citò videam rara prodigia in speciosò & spatioso illo palatio!

Quando contemplor nunquam intermissum & perpetuum decur-

Intuendo cursum fluminum.

cursum fluviorum, interrogo illos: quò vos tam citò, dies noctesque currendo, abs ullâ intercapedine quietis. Non sistunt cursum, ut mihi loquantur; sed video illos liberiore fluxu decurrere, quò suâ rapiuntur inclinatione, ad præcipitandum se in sinum maris, velut in centrum suum, sine quo nihil illos remoratur, nec alteri se rei immiscent, nisi quod suum semper prosequãtur finem & scopum præfixum. Et ego meam deploro miseriam. Itanè ergò hæc mihi libertas non erit diffluendi ac dimanandi in sinum DEI mei, qui centrum est felicitatis meæ & æternæ meæ quietis? omnia me remorantur & ab eo me divertunt: usquequò hæc mea perdurabit captivitas? Et quando accurrere video Cervum & Cervam, ut deliciosè se refrigerent & plenè suam extinguant sitim in aquis fluminum, augetur sitis mea, & suspiro ad torrentem illarum voluptatum æternarum, quæ solæ satiare & restinguere possunt sitim animæ meæ, & totus extra me positus ingemisco cum

Psal. 41.

sancto Vate: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum; Quãdo veniam & apparebo ante faciem Domini?*

Requiruntur alæ amoris ad extollendum se ad Deum per creaturas.

Novi probè, animam nonnisi creaturis affixam, nec suo adhærentem creatori, animam amori mundano totam immersam & rebus præsentibus absorptam, non capere hoc idioma. Sed dicam ipsi cum Sancto Augustino, cujus cor Dei sui amore totum flabrabat: *Da amantem, da desiderantem, da ferventem, da in istâ solitudine peregrinantem atq; sitientem, & fontem aternæ vitæ suspirantem; Da talem, & scit, quid dicam; Si autem frigido loquor, nescit, quid loquor.* Da mihi animam, quæ amet Deum suum, anima, quæ ardenter desideret possessionem illius; animam, quæ cum fervore quærat illum, animam, quæ se in hoc mundo intueatur velut in exilio, quod tædium sibi pariat, & aspiret ad Cœlum velut dilectam sibi patriam; animam, quæ sitiat refrigerium aquæ istius vivæ, deliciosè scaturientis è fontibus æternis, qui sunt in Domo Dei; da mihi animam talem, & sciet, hunc raptum amoris esse avidè desiderantis videre quod amat; adeoque & benè idioma hoc intelliget. Verùm si loquar tibi, anima tepida, negligens, nauseabunda, quæ divinis rebus haud afficeris, nihil ex hoc nec capies, nec sapies.

S. August. tract. 26. in Joan.

Lucrum animæ, quæ contemplari novit immensitatem Dei.

O quàm specialis est gratia, si assuescat anima contemplari immensitatem Dei! ô quàm admirabiles quandoque exin recipit effectus! modò enim se ita elevatam & dilatatam experitur, ut videatur sibi amor suus quasi fieri immensus, nec ullos habere li-

mites, quales non habet magnitudo Dei: modò se absorptam & immersam, ac quasi totam annihilatam advertit in magno hoc *omni*, respectu cujus ipsa non est, nisi umbra atomi: modò relinquit se totam arbitrio magni hujus oceani perfectionum infinitarum, in cujus medio transigere vult totum curriculum vitæ, sicut alcyones relinquũt se arbitrio maris ad deducendum se, quò cunque voluerit; semperque pacifica ipsa commoratur in magnæ hujus immensitatis sinu, unde se nunquam egredi posse novit, tranquillè requiescens sub curâ & protectione amabilis hujus providentiæ, quæ ne capillum capitis nostri perire sinet, absque speciali suâ ordinatione.

O Beatam & millies beatam animam, quæ firmiter stabilita est in vivâ hâc fide Dei immensi, & ubique præsentis! adhuc magis beatam, si noverit se benè, omni cum fiduciâ relinquere directioni paternæ ipsius providentiæ. Tam ingens est ipsius pax, tamque solatium ipsius solidum, ut jam in præsenti vitâ gustare incipiat felicitates & delicias vitæ æternæ.

Consultatio XIV.

De Omnipotentia DEI in Creatione mundi magni.

Mundus magna est Thesis disputationi exposita.

Eccles. 3.

SUppedicavit Deus cunctis hominibus argumentum magnæ & diuturnæ disputationis, quando oculis ipsorum totum hunc mundum materialem expositi, velut thesim decumanam, paradoxis & mysteriis refertam, ut in eorum eruendis & detegendis arcanis luderent, suamque navarent operam: *Mundum tradidit Disputationi eorum.* Innumerabilis numerus ingeniorum sciendi avidorum huic se operæ impendebant, omnesque intendebant nervos, per omnes sæculorum decursus, sicut & in omnibus mundi plagis. Fateri equidem oportet, ipsos discursum suorum acumine admirabiles eruisse & detexisse veritates; sed earum, quas non eruerunt nec comprehenderunt, numerus abs comparatione adhuc est major: Certum namque est, neminem ex illis in particulari, nec omnes simul cum totâ suâ philosophiâ cognovisse minimam prodigiorum partem, quæ supremus creator inclusit speciosо huic operi divinæ potentiæ ac sapientiæ suæ.

Vanitas scientiarũ naturaliũ.

Experimur quidem intellectũ hominis oblectari discurrendo circa veritates naturales, & indagando illas. Nihilominus hominũ sapientissimus vocavit idipsum *occupationem pessimã*, non quod vitio-

vitiosa sit: Sed pessima est, quia est infidelis, promittens intellectui satisfactionem, quam tamen non præstat, cùm ipsum vacuum relinquat & magis avidum novæ cognitionis: pessima est, quia quantò magis homo studuerit, pro eo, quod acquirat scientiam, tantò plus videt, se nihil scire: pessima est tandem, quia non est, nisi tormentum intellectûs & propriæ curiositatis carcer, nisi conservetur libertas per hanc cognitionem naturalem se elevandi ad Deum; Et nisi attingat cognitionem primæ veritatis, quæ nostram deprimit & humiliat arrogantiam, non implet animum, nisi ridiculâ vanitate, quæ inflat superbiâ: *Scientia inflat.* An causa, quæ tam malos producit effectus, non sit pessima?

1. Cor. 8.

Oportet fieri discipulum divinæ sapientiæ.

Non igitur intendo moliri disputationem, vel inducere vos in pessimam hanc occupationem, dum contemplari hìc omnipotentiam Dei in mundi hujus magni creatione, nobis est animus: Sed omnem disputationem, ac omne curiositatis genus seponentes, in spiritu humili ac docili, committemus nos velut tyrones divinæ sapientiæ, quæ ipsamet nobis dicit: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio; cum eo cuncta componens.* Plerique; hujus loci interpretes intellexerunt per hanc sapientiam unigenitum DEI Filium, quem Sanctus Paulus nominat sapientiam Dei Patris sui. In ipso is videbat ab æterno perfectam magni hujus mundi idæam, quam cùm in ipsum opus deducere complacuit, omnia per ipsum composuit & direxit; nunquam alius, nisi divina hæc sapientia, in consilia divinæ ipsius providentiæ fuerat evocatus; nemo alius hæc plenè cognovit, nec quisquam iis in opus deducendis collaboravit.

Prov. 8.

Ipsa ingentis hujus machinæ videbat jaci fundamenta, ipsa in altum attolli fabricam; ipsa totius operis disposuit Oeconomiam; ipsa tandem illud deduxit ad eam, quam modò habemus præ oculis, perfectionem. Ipsa igitur hâc super re perfectam nobis dare poterit cognitionem; cum ipsâ ergò solâ totam hanc nostram instituemus consultationem. Ipsa nos informabit: 1. Quâ ratione Deus magnum hunc ædificaverit mundum. 2. Quo consilio augustum hoc erexerit palatium. 3. Deducet nos in diversa ejusdem habitacula, ad considerandas cum admiratione cuncta omnipotentiæ divinæ prodigia.

AR-

ARGUMENTUM.

Quod Deus ædificaverit totum hunc mundum ex quinque nihilis, unde mirificè elucet ipsius Omnipotentia.

Articulus I.

Volentes ædificare, requirunt quinque res.

LUbens congregarem hìc omnes & peritissimos quosque totius mundi architectos, ipsosque interrogarem, quid necessariò requirerent ad exstruendum aliquod magnificum palatium: responderent mihi, requiri ad minimum quinque. Primò requirerent pulchram situationem & fundum solidũ pro jaciendo fundamento. Secundò expeterent selectorum materialium abundantiam, juxta proportionem & magnitudinem ædificii. Tertiò provideri se vellent magnâ copiâ instrumentorum & peritorum opificum, quorum opera huic serviret fabricæ. Quartò sufficiens efflagitarent tempus ad laborandum, manusque operi admovendas. Quintò denique multi & magni illis exantlandi forent labores, donec operi colophonem imponerent: & hæc omnia tam absolutè necessaria esse dicerent, ut uno solo deficiente, impossibile sit prosequi structuram. Sed venite, videte & admiramini cunctipotentiam magni architecti mundi hujus, qui erigere & exstruere potuit omnem hanc tam enormis magnitudinis machinam, adeò solidam in suo robore, adeò firmam in suâ duratione, tam admirabilem in suis divitiis, tam splẽdidam in suo decore, abs eo, quod vel unicâ indiguerit re ex præfatis; nec spatio ad locandum, nec materiâ ad componendum, nec instrumentis & opificibus ad ædificandum; nec tempore ad laborandum illi ultimã perfectionem, quam ipsi dare sibi complacuit.

Deus ædificat cum quinque nihilis.

Inprimis quæro, ubi erat spatium, quo locare poterat tam prodigiosa magnitudinis machinam, & video nihilum. Quæro, ubi erat fundus solidus, in quo illius jacere poterat fundamenta, & video nihilum; quia certum est, quod ante creationem mundi extra Deum non fuerit, nisi purum & merum nihilum. Cùi ergò superimponere cogitas omnem immensi hujus ædificii molem ô divina sapientia? *Qui appendit terram super nihilum.* Ego benè (respondet ipsa) super nihilum novero ædificare: Ego mandabo nihilo, ut illud sustineat, idque super infinitam suam infirmitatem tantâ portet cũ firmitate, ut inconcussum

Primum nihilum Loci.

Job. 26.

Mundus non est absque loco aliquo.

sum semper mansurum sit ac stabile. Sed quo in loco collocabis illud? siquidem nec spatium, nec locus, nec aliquid est extra te, ubi cuncti potentia tum angelorum, tum hominum collocare duntaxat posset unicum atomum. Quò collocabis ergò omnia hæc ingentia, quæ facis, Elementorum & Cœlorum Corpora? nullo mihi opus est loco, nam cùm locus sit superficies alicujus Corporis, aliud corpus circumdantis, corpus maximum quod omnia alia includet, quod erit velut ultima membrana enorme hoc mundi Corpus circumdans, non habebit aliud Corpus, quo circumdetur? sicque non habebit locum, nisi dicere volueris, quod totum & integrum involutum & circumdatum sit nihilo. Aspice benè, quid illud sustineat, considera, quid omni ex parte id circumcingat, & nonnisi purum invenies nihilum.

Si igitur quæram: ubi est mundus? respondere mihi poterit: non est in aliquo loco, sed totus locatus est in nihilo. Etsi quæram: Cui ergò innititur totum hoc ingens & enorme mundi palatium? dicetur mihi: Innititur nihilo & sustinetur à nihilo, & ædificatum est supra nihilum. O admirabilis potentia creatoris! An nemo sit, qui te consideret? an nemo sit, qui te adoret, teque amet? hoc unicum si attentè perpenderetur, nonne sufficeret, ut omnes tum Angelorum tum hominum animos in æternâ admiratione teneret defixos?

Secundò divinam hanc quæro sapientiam: unde cuncta desumes materialia tibi ad erigendum tam ingens palatium necessaria? siquidem horum prodigiosa requiritur quantitas & varietas innumerabilis ad ædificandum ex uno terram, ex alio aërem, ex altero mare, ex alio Cœlos, ex alio sidera, ex alio plantas, arbores, flores & fructus, ex alio pisces, aves & cuncta animantia super terram. Unde omnia hæc accipies? Accipiam inde, dicit nobis ipsa, ubi nihil est. Mandabo profundis abyssis nihili, quæ nihil habent in semetipsis, & in instanti suppedita bunt mihi, quodcunque voluero. Deprædicata adeò fuit sapientia Salomonis, quod ædificare potuerit nominatissimum illud templum, quod podigiis mundi fuit accensitum, abs eo, quod auditus fuerit ictus mallei. Sed ego ædificare noverim universum hunc mundum, non solùm absque ullo strepitu, sed etiam abs eo, quod aliquod è loco suo amoveatur materiale; abs eo, quod horum aliquod dividatur in partes, ut harum una accommodetur vel superimponatur alteri; & abs eo, quod illic vel adjungatur, vel inde resecetur minimus duntaxat atomus; & omnia hæc in per-

Secundum nihilum materiæ.

fectione suâ facta erunt, quando cunque voluero.

Omnes Angeli simul non possent creare herbulam vel minimum.

Ubi est ergò axioma illud, quod tam infallibile credimus in naturali nostrâ philosophiâ? *Ex Nihilo Nihil fit*? Imaginare tibi, omnes Angelos fuisse creatos ante naturam corporalem (Sicuti fuit aliquorum antiquorum Ecclesiæ Patrum opinio) Deumque dixisse omnibus his tantæ potentiæ spiritibus: tentate, an producere mihi poteritis vel unicum arenæ granulum, abs eo, quod vobis suppeditem materiam, supra quam possitis agere. Adunate omnes vires vestras, & contendite, ut progignere possitis vel unicum herbæ ramusculum, aut unicum saltem atomum è sinu nihili: & postquàm omnem suam collocaverint industriam, omnes suos intenderint nervos, omnesque suas incassùm exhauserint vires, fatendam illis tandem fuisse suam infirmitatem & veritatem asserendam, quod omnes simul creaturæ non habeant brachium adeò potens, nec manum adeò longam, ut extendere hanc possent in profundas nihili abyssos, ad extrahendum inde vel unicum arenæ granulũ.

Post hæc imaginare tibi, te unicam solam audivisse vocem, dicentem *Fiat*; & in instanti conspexisses ante oculos tuos compactæ ingentem hanc terræ molem innumerabili plantarum, arborum, ac diversissimorum animalium confertam numero; aërem subtilem & diaphanum omni ex parte illam circumdantem, unà cum turmis avium in vasto illo camporum fluidorum sinu liberrimè perambulantium; vidisses mare spumans, suosque circumgyrans & agglomerans fluctus murmure cum continuo, quasi minitans, deglutire se velle terram: & super omnia vidisses Cœlos ad tantam altitudinem nostris imminentes capitibus, nihil ominus velut tentorium regale in rotunditatem formatos ad operiendam terram, insuper tot præditos oculis ad illam contuendam, quot ostendunt & ostentant sidera cæruleis illis fornicibus inserta; vidisses solem speciosissimum, velut inexhaustum luminis, quod torrentis effundit more, fontem ac scaturiginem, ad impertiendum omnibus rebus corporeis jubar ac splendorem.

Si omnia hæc vidisses tuis coram oculis in instanti, quo pronuntiari audisses unicum hoc Verbum *Fiat*; quanta te quæso percelluisset admiratio? Nonnè dixisses intra temetipsum? quodnam prodigium est hoc? vidi, qui tot annorum millionibus omnes suas inpenderint vires, intenderint nervos, & nunquam nec atomum quidem progignere potuerunt è sinu nihili: quæ est igitur hæc tam prodigiosa potentia, quæ aperto dũ axat ore, & unico

Deus extrahit omnia è nihilo per Verbum suum.

solum

ſolum prolato verbo, in inſtanti eduxit inde tot ac tanta eximii decoris opera? O Sume mundi Creator, quàm infinito modo ſe tua extendit potentia ultra omne id, quod imaginari nobis poſſumus! O quàm incomprehenſibilis eſt ipſa! tu ſolus, tu ſolus, o magne Deus, è nihilo nôſti facere omnia. Dicendum igitur eſt, quod in manu tuæ omnipotentiæ nihilum ſit omnia, & abſque ipſius virtute omnia nil ſint, niſi merum & purum nihilum.

Tertium nihilum artificum & inſtrumentorum

Interrogâſſem tertiò, quanto opificum indiguiſſes munera ô divina Sapientia, & quàm portentoſâ diverſiſſimorum inſtrumentorum multitudine tibi opus fuiſſet, ad exſtruendum ingens hoc palatium? Nam ſi innumerabilis hominum requiratur numerus, ad exſtruendam duntaxat unicam Civitatem, velut Romam aut Lutetiam, quot & quanti illorum forent neceſſarii ad ædificandum orbem vniverſum? et deinde, quis artifex potuiſſet ſuas extendere manus uſque in Cœlum, ad fornices ipſius in formam rotundam cogendos? Quis pictor, qui dare potuiſſet colorem hunc tam vivum Soli ac aſtris? Quis architectus, qui objicere potuiſſet aggeres univerſo mari, ad impediendum, ne totam diffluendo invaderet & occuparet ſuperficiem terræ Quænam illæ manus, quæ ſuam tibi collocârunt operam, ad conficienda omnia hæc tam ſtupenda prodigia? Sed jam informâſti me, neminem alium manum adjeciſſe tuo operi: tu ſolus, tu ſolus ſufficis tibi ipſi, & omni ei, quod eſt extra te: *Solus DEus nullius indiget, ſolus ſibi & omnibus, de ſolâ Omnipotentis Volũtate ſufficiens.* S. Bernardus ſerm. 5 in cant.

Omnipotentia Dei eſt voluntas ipſius

Non eſt magnum quid dicere, quod Deus omnipotens nullius ſit indigus auxilii? ſi namque auxilio alterius indigeret, non eſſet omnipotens. Sed magnum & mirum eſt, quod ipſius Omnipotentia conſiſtat abſolutè in ſolâ ipſius voluntate, quodque ad producendum mundum è nihilo illi ſufficiat, dixiſſe: *Volo, Satis illi ad Omnia fuerat Voluiſſe.* Quid dico, ad producendum mundum? Unicus voluntatis ſuæ actus ſufficit ipſi ad producendos centies millenos & poſt hoſcenties millenos milliones mundorum aliorum, majorum, ditiorum, pulchriorum, cum potentia ipſius ſit infinita. Et cùm hæc nullis coarctata ſit limitibus, non poſſes unquam talem deſignare numerum, nec magnitudinem mendorum, quin illa producere ſemper poſſet & horum numerũ maiorem & hos maiores. Hinc quia verum eſt, conſiſtere omnipotentiam ipſius in voluntate ſuâ, ad hæc omnia ipſi opus non foret, niſi unico voluntatis ſuæ actu. S. Chryſoſt hom. 2. cont. Anom. Vide conſult. 8. Artic. 4.

O adoranda voluntas Dei, quàm infinita igitur eſt virtus tua? Magna teritas

Opponere se voluntati DEI

tua? quantò plus intellectus hanc penetrare contendet, tanto plus in profundis ipsius abyssis sese perdet, & tandem ex eâ aliud non cognoscet, nisi quod sit incomprehensibilis. Quid igitur sumus miselli nos fœtus nihili, ut oppugnare audeamus infinitam divinæ hujus voluntatis potentiam? Ecce dum imperat nihilo, ut suppeditet sibi & ad manus porrigat centum milliones mundorum, quamvis illos non habeat, mox tamen in instanti producet illos per obedientiam omninò prodigiosam. Et si ipsa misello meo imperet cordi, ut sibi det amorem suum, quantumvis plenum sit illo, hunc{que} creaturis prodigaliter impendat, rebelle & refractarium haudquaquam obtemperabit. An igitur tu fortius eris omnipotentiâ Dei, ut dicere audeas: Ego nolo, quod tu vis? Ita, propè novi, quod insigni hâc nos decoraverit prærogativâ, quâ ut plurimum ipsius imitamur similitudinem, quod tam absolutè nostram posuerit potentiam in nostrâ voluntate, & nostram voluntatem in nostrâ potentiâ, ut nobis permittat liberè velle omne id, quod nobis placet, quando etiam esset divinæ suæ contrarium voluntati. Sed faciamus, quidquid voluerimus, omnipotens voluntas Dei tandem dominabitur, & sua super nos adimplebit consilia: nam si ipsi obtemperabimus, coronabit nos ex misericordiâ; si ipsam oppugnabimus, castigabit nos ex justitiâ; & semper serviemus, unde exinde ipsius resplendeat gloria, sive in Cœlo, sive in inferno.

Sextum nihilum temporis.

Sed revertamur ad considerandum quartum prodigium Omnipotentiæ Dei in mundi creatione. Et est, quod ingens hoc manuum suarum opus, cujus prodigiis duntaxat aspiciendis & perlustrandis, non tantum non sufficiunt lustra cunctis hominibus, sed nec omnia hucusque elapsa sæcula, in unico produxerit momento. Nam quamvis verum sit, quòd sacra adnotavit Scriptura, Deum Creationi mundi sex impendisse dies; hoc tamen est, ut nostro se accommodet intelligendi modo, non autem, quod dicat; Omnipotentem hunc totius Universi Auctorem indiguisse tam longo tempore ad perficiendum opus suum; cùm alibi nobis dicat: *Creavit omne simul.* Eccles. 18

Lingua Dei scripsit totum hoc ingens volumen mundi in momento.

Quod si peritissimus artifex exquisitum aliquod opus, quantumvis parvum, moliri cogitet, illi tamen conficiendo multum temporis requiret. quòt dilabuntur dies & menses ad componendum unicum duntaxat librum; quot ad illum exarandum? quot ad ipsum imprimendum? Et totum hunc magnum naturæ librum, qui tot profundas com-

complectitur veritates, quot Charecteres, totque Characteres, quot continet creaturas, lingua Dei velut calamus descripsit, sed totum integrum descripsit tam citò, ut tam citè ferri non posset aspectus noster ab oriente in occidentem: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Nostra lingua longum requirit tempus, ut aliquem verborum numerum describat in aëre, quæ ubi primùm fuerit producta, mox denuò evanescunt. Lingua Dei non scribit, nisi unicum verbum, unicum *Fiat* supra nihilum, & impressum id manet inter innumerabilem hanc multitudinem Characterum tam grandium, tam mysterioforum, tamque resplendentium, ut omnes creaturarum oculi non sufficiant ad illos legendos, & legere non possint absque admiratione: nihilominus maximum hoc immensæ magnitudinis & amplitudinis volumen absolutum est, impressum est, expositum est, ubi primum apertum est os Dei, unicum solummodò enuntians verbum: *Ipse dixit & facta sunt*: mox dictum, mox factum. Quis tuas non admirabitur excellentias, ô Omnipotentia Dei?

Psal. 44.

Nihil um laboris.

Denique quintum & ultimum prodigium omnipotentiæ Dei in mundi creatione est consecutio & effectus omnium aliorum: Et est, quod ingens hoc opus confecerit absque fatigatione & absque ullo labore, quod illud in suo esse conservet absque ullâ contentione; quod illud gubernet sapientiâ tam admirabili, ut ne unica quidem aquæ guttula caderet de cœlo, nec minimus atomus se moveret in aëre, nec unica sola cogitatio formaretur in capite omnium hominum, qui sunt in mundo, absque speciali providentiæ suæ directione, quasi aliud extra se agendum non haberet, abs eo tamen, quod vel minimùm id ipsum habeat solicitum: *Tale namq; tantumq; pondus creaturarum adeò citra negotium portat Deus, ut nihil bajulare videatur.* Totius hujus universi gubernatio, tota hæc omnium creatorum Entium moles tam levis est ipsi ad portandum, quasi nihil haberet, quod portet; quin & nec minimum quid perdit ex altissimâ hâc pace, quâ fruitur in seipso, & attentione infinitâ, quâ defigitur contemplandis Divinis suis Excellentiis in æternum.

Theophil. in cap. 1. ad Heber.

Quid ergò restat, nisi ut concludamus illis Ecclesiastici verbis: *Terribilis Dominus, magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius.* Quàm terribilis est Deus in suâ Majestate, incomprehensibilis in suâ magnitudine, maximè admirabilis in suâ potentiâ! Nam quis poterit unquam satis admirari fortitudinem omnipotentis hujus architecti, qui pro

Eccl. 43.

magnâ hâc mundi fabricâ nonnisi quina adhibuit nihila. 1. Extraxit illum totum è nihilo. 2. Collocavit illum totum in nihilo. 3. Nullo usus est auxilio, nisi solius nihili. 4 Nullum impendit tempus pro exquisito hoc opere, adeoque & ulus est temporis nihilo 5. Cùm nil laboris adhibuerit, in eo condendo, adjunxit & cæteris laboris nihilum: unum duntaxat ejusmodi nihilum cumulatè satis fuisset ad declarandum luculentissimè omnipotentiam Dei; sed omnia quinque simul componunt admirabilem melodiam ad concinendam & deprædicandam gloriam ipsius per cuncta sæcula, quam & cantabunt abs intermissione in omnem æternitatem.

Tria alia nihila stupenda.

Sed quod admirationem nostram augeret plurimum, est, si consideremus alia tria nihila, quæ prioribus se adjungunt. Primum est, quod omnes creaturæ, quas extraxit è nihilo, nihil sint comparatæ cum illis, quas inde extrahere potest; primæ enim finitæ, aliæ numero sunt infinitæ. Secundum, quod omnes creaturæ, quas posset è nihilo extrahere, *nihil* sint respectu ipsius omnipotentiæ; hæ enim non sunt nisi purum non Ens & infinita miseria; Et Deus est ens infinito modo perfectum. Et tertium est, quod quando haberes omne id, quod Deus jam creavit, & etiam, quod unquam creare potest magnitudine omnipotentiæ suæ, non haberes in manibus tuis, nisi res *nihili*, quæ te nec satiare, nec beatum reddere possent, nisi Deum ipsum possideas. Tanta est magnitudo animæ tuæ; tam admiranda ipsius capacitas, ut nemo, nisi ipse solus illam implere & contentare possit. Eheu! cur igitur adeò inhiamus parvis hisce nihilis, quæ habere nobis non licet; Et illa si haberemus, nequaquam satisfacerent nobis. Et Deus se nobis offert, quem maximâ facilitate habere possumus; ut quid ergò abnuimus possessionem boni hujus infiniti, quod solum nos reddere potest beatos? ô mi Deus! inhiet, qui volet, creaturarum nihilo; Tu solus es, quem desiderat, quem quærit anima mea: *pars mea*, *Dominus*, *dicit anima mea*. Tu solus es, quem volo, & non opera tua, ô omnipotens mundi creator. Nihilum est thesaurus tuus, unde trahis omnia, quæ tibi placent: Sed ego, qui non nisi purum sum nihilum, te aspicio velut unicum thesaurum meum unde traham omnia bona mea pro tempore & æternitate. Thren. 3.

ARGU-

ARGUMENTUM.

1. Quod Deus creans mundum ædificaverit palatium pro habitatione hominis.

2. Reliquæ omnes creaturæ sunt Domestici ipsius & servi.

Articulus. II.

Quàm pulchrum spectaculum, si quis Deum vidisset ædificantem mundum.

QUid dixisses, si divinam vidisses sapientiam dirigentem totum opus omnipotentiæ creatoris, primis illis quinque creationis mundi diebus, sicut ipsamet nobis dixit? Quando præparabat cœlos, aderam, quando certâ lege & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum & librabat fontes aquarum; quando circumdabat mari terminum suum, quando appendebat fundamenta terræ *super nihilum*, cum eo eram cuncta componens. Admirabilem hanc sapientiam ædificare magnum hoc naturæ palatium, modo naturæ ordini prorsus opposito; cùm ædificare incipiam à tecto, & posteà modò ponat fundamenta: *In principio creavit cœlum & terram.* Videre omnia ipsam suspendere in medio magni hujus terræ globi, qui naturâ suâ tanti est ponderis, & nulli alteri nisi innixus nihilo; nihil omin⁹ reddidisse ipsum in situ suo immobilem, tot diversis regionibus distinctum, tot arboribus, floribus & fructibus confertum; tot amnibus ac fluviis velut totidem gutturniis ad illam refrigerandam interpunctum; circumcingere ipsum totum decumano mari velut cingulo crystallino liquido; extendere super hæc omnia, vastam regionem aëris tam puri, tam fluidi, tamque transparentis ac diaphani; & exin omnia hæc diversa habitacula velut supellectili instruere innumerabili multitudine animalium, quorum alia volant in aëre, alia currunt in terrâ, alia natant in aquâ. Impertiri tecto totum hoc ingens palatium coöperienti celsitudinem tam sublimem ac Majestate plenam, illudque illustrare tam eximio splendore, affigendo ejusdem laqueari lampadem splendidissimam, nempè solem omnium luminum fontem, qui nunquam extinguitur, ad totius domûs illuminationem.

Prov. 8.

Quid agis, ô Sapientia infinita? pro quo præparas tam ingentem fabricam? Illa tibi respondisset: exstruo augustum & magnificum palatium; instruo illud

Pro quo ædificavit ingens hoc palatium Deus.

lud supellectili omnium rerum necessariarum ad tribuendam illi omnem commoditatem; accerso illi splendorem pretiosissimis quibusque ornamentis; Noe lo hìc aliquid deesse, ut tantæ evadat magnificentiæ ac pulchritudinis, quæ nulli sit secunda, paremque non habeat. Sed pro quo hæc omnia? An forsan pro te ipsâ? Non, dixisset tibi, non est habitatio me digna, nisi propria mea essentia. Sed habitationem hìc præparo creaturæ, quam mente meâ molior, quamque propriis meis formabo manibus, si domus ad ipsam recipiendam fuerit absoluta.

Quantum Deus amet, quantique æstimet hominem, dum ei tam pulchrum palatium exstruxit.

Dic mihi, quanti æstimâsses in mente tuâ eximiam hanc creaturam, quam adeò sublimi loco esse conspexisses apud Deum? Nonne dixisses? procul dubio hæc erit supremus quispiam Monarcha, cujus excellentia & dignitas omnem meam transcendit imaginationem, cùm ipsi ejusmodi præparetur habitatio? Sapientia enim infinita est, quæ dirigit hæc omnia; sapientissimè igitur ædificat, & consequenter recommendabit magnitudinem & divitias palatii dignitati & nobilitati hospitis. O Deus! quantum hunc oportet esse principem, pro quo tam splendidum erigitur palatium! Sed quid cogitâsses de consiliis Dei; super felicissimam hanc creaturam! ô quanti debet illam æstimâsse! quantum debet illam adamâsse, dum ipsi hâc ratione recluśit Thesauros omnipotentiæ suæ, ut præpararet ipsi munera tam pretiosa, antequam in statu esset illa recipiendi; dum uno eodemque tempore induxit ipsum in possessionem omnium illorum bonorum, quæ non nisi pro ipsâ erant condita, cùm omnes aliæ creaturæ eo duntaxat nomine suum acceperint esse, ut ipsi servirent? Ah! quid poterit ipsa facere in recognitionem obligationis, quâ supremo huic obstringetur creatori mundi, dum tanto cum honore, tantâ cum bonitate, tantâ cum magnificentiâ & munificentiâ ipsam voluit excipere. Si centies & iterum centies millena haberet ora, non sufficerent hæc ad ipsum laudandum, ad grates debitas ipsi persolvendum; Et si cor dahaberet innumera, hæc tamen minora essent, ut ipsum condignè amarent.

Totus hic mundus non est, nisi diversorium pro viatore.

Sed admiratio tua major adhuc fuisset, si Divina sapientia dixisset tibi: Tu admiraris Majestatem ac pompam palatii hujus, quod ipsi præparo; nihilominus hoc non est, nisi ut serviat ipsi pro diversorio in viâ, eâ ferè ratione, quâ alicui principi itineranti extrueretur propè viam regiam conclave aliquod è frondibus, ut unicâ tantùm ibi nocte, non absque incommoditate suâ mo-

moraretur; abs morâ mox iter suum ad regiam suam acceleraturus. Creatura, pro quâ totum hoc universum ædifico, talis est conditionis, ut omnia hæc, quamvis maxima videantur & pretiosissima, digna tamen non sint illius excellentiâ; Cùm eo condecoranda sit honore, ut meam sit portatura imaginem, ac glorioſos ſimilitudinis meæ characteres. Habebit quidem, ut verum dicam, corpus ſenſibile ac materiale, ſicut aliæ creaturæ; dabo tamen ipſi animam ſpiritalem ac incorruptibilem, intellectum tantæ capacitatis, tantæque latitudinis, ut aptitudinem habiturus ſit poſſidendi me ipſum in omnem æternitatem. Totus hic mundus materialis tam parùm adimplere poterit immenſam hujus animæ amplitudinem, ut illo contentari ipſi futurum ſit impoſſibile; continuam paſſura famem bonorum longè majorum, eòusque ſua provehet deſideria, ut, cum contentari non poſſit omni eo, quod ipſi dedero in terris, aſpirare non ceſſabit ad bonum quoddam infinitum, nec ſatiabitur unquam, quo ad poſſideat meipſum.

Pulchritudines palatii æternitatis noſtræ.

Verum quoque eſt, non eſſe hìc domum æternitatis ſuæ; non eſt viſibilis hic mundus, quem tranſit, niſi tenue quoddam hoſpitium pro tempore peregrinationis ſuæ: *Hoſpites & peregrini ſuper terram.*

Ibi ſupra exſtruo ipſi palatia, quæ digna ſint ipsâ; ibi tales intuebitur magnificentias, quales oculus non vidit, nec auris audivit, nec cor humanum concipere poteſt: aliam non habebit domum æternitatis ſuæ, niſi propriam meam eſſentiam; non alios cœlos, qui conſtituant tectum palatii ſui, niſi meam immenſitatem; non aliam terram, quæ velut baſis ſit & fundamentum, niſi inmutabilitatem meam æternam; non alium ſolem, qui ipſam illuminet, niſi meæ lumen gloriæ; non alium ignem, qui ipſam calefaciat, niſi illum amoris mei Divini; non alium aërem, quem reſpiret, niſi illum Spiritûs mei Sancti; non aliud mare, quo cingatur, niſi vaſtum infinitarum mearum perfectionum oceanum; non alium panem, quem manducet, niſi illum vitæ meæ Divinæ; non aliam ſcientiam, quâ ſuum occupet intellectum, ſuæque ſatisfaciat curioſitati, niſi illam verbi mei adorandi; non alias voluptates, quibus ſe recreet, niſi torrentem voluptatis meæ, quâ nunquam non erit ebria; non alia Exercitia, niſi illa me contemplandi, æternumque amandi; & tandem non alium terminum commorandi in auguſtiſſimo hoc palatio, niſi quem ipſi deſigna-

vero, nempe illum æternitatis perpetuæ. *Ibit homo in Domum æternitatis suæ.* Et tale est palatium, quod ipsi præparo. Eccl. 12.

Si omnia hæc intellexisses è proprio infinitæ sapientiæ ore, disponente adhuc magnam hanc mundi fabricam, nondum edoctus, quænam hæc tam felix esse debeat creatura, ipsaque adjunxisset: Tu es, ô Homo, tu es creatura hæc, pro quâ molior & meditor hæc omnia; tu ipse es, cum quo loquor; tu ipse es, quem eò usque amo ac diligo; Tu es, super quem tantâ cum munificentiâ effundere cogito, pretiosissimos hos bonitatis meæ thesauros. Nonne totus hæsisses attonitus præ gaudio, admiratione & amore; præ gaudio, admiratione & amore; præ gaudio felicitatis tuæ; præ admiratione & amore tantæ bonitatis Dei super te?

Quanti homo æstimare & admirari debeat felicitatem suam.

Ah! quomodò superabundanti non colliquescès gaudio, considerans felicitatem tuam? Itane, mi Deus, è nihilo, ubi per omnem æternitatem languebam, me elevatum videam ad tam sublimem felicitatis ac beatitudinis apicem, ex unico bonitatis tuæ excessu? Itane non contentus dedisse mihi esse tam nobile, insuper tot aliis tã speciosis creaturis esse dedisti ex amore erga me, ut illas omnes meo devoveres obsequio? Itane conservas illas, nutris illas, remuneras illas, eo duntaxat nomine, ut mihi obediant, mihi famulentur? quid ergò habueram meriti apud te, ut tanto me obrueres favore? undæ hæc tanta mihi oritur felicitas, tanta mihi proficiscitur beatitudo? Et non contentus misisse me in possessionem eorum bonorum omnium, quæ eduxeras è thesauris potentiæ tuæ, meque stabilisse ceu Dominum, imò veluti Deum hujus mundi inferioris visibilem; ac si omnia hæc forent exigua, adhuc promittis mihi aliam habitationem æternam, infinito modo magis jucundã, magis speciosam, magis pretiosam; meq; ita de intentione ac voluntate tuâ, ut illã possideam, assecuras, certumq; facis, ut non alio, nisi ad hunc effectum, creaveris me consilio? ô mi Deus! misericordia mea! Eccur tantum bonitatis pro me? Eccur potius pro me, quàm tot millionibus aliarum possibilium creaturarum, quæ non minus me dignæ erant, quasque tu aspicere non est dignatus in vilitate sui nihili, unde nunquam emergent? quàm alta tua sunt consilia Domine! adoro illa, admiror illa, nec comprehendo illa.

Quàm amabilis sit Dei bonitas erga homines.

Sed quâ ratione cor possit esse, quod non accendatur amore, dum ineffabilẽ hanc intuetur bonitatem, quæ tantis nos cumulat beneficiis? quænam tam indurata glacies, quæ non colliquescat

circumdata innumeris tædis ardentibus, quæ ad ipsa penetrent ipsius viscera? Ah! quid aliud sunt innumeræ hæ creaturæ, quas Deus extraxit è nihilo, eo duntaxat consilio, ut nostro illas deputaret servitio, nisi tot faces accensæ, quæ mediante cognitionis suæ lumine accendunt in nobis divini sui amoris ardorem? cùm enim omnes sint divinæ ipsius liberalitatis eximia munera, manifestant nobis luculenter ipsius erga nos amorem: Et cor nostrum omnibus his ardentibus tædis non incalesceret, non arderet?

Itane? Exiguum beneficium ab æquali quopiam nobis exhibitum, nos lucratur; si multiplicetur, nos urget; si absque intermissione & absque numerò fiat, nos stringit, nos devincit, nos rapit; & fatemur, impossibile esse, quin cor nostrum contineamus ab amore. An igitur nobis amor non sit erga amabilem hunc benefactorem, à quo omnia habemus, â quo incessanter dona accipimus, abs eo, quod hæc ab ipso efflagitemus? An ergà ipsum duntaxat corda nostra frigida manebunt & insensibilia? Nonne ergò hæc glacie septentrionali oporteat esse duriora? Nonne suos occludant tantis beneficiis oculos & miserimâ infeliciter tabescantt ingratitudine?

Sed circumeamus ubique, invisamus paulisper præcipua magni hujus palatii cubilia & conclavia, quod supremus creator ædificavit nobis pro tempore peregrinationis nostræ super terram, quodque parvum duntaxat appellat hospitium ac diversorum in viâ: *Non habemus hîc civitatem permanentem;* Et videamus cum voluptate divitias infinitæ bonitatis ipsius, in abundantiâ, in valore, in pulchritudine suppellectilis, quâ illud ornare ac instruere voluit: vix fieri poterit, quin cor nostrum emolliatur ac vehementissimo erga Deum succendatur amore.

ARGUMENTUM.

Prodigia terræ, quæ manifestant & deprædicant Omnipotentiam Dei.

Articulus III.

Fundamēa mundi suspensa è nihilo.

INgredere conclave primum, & videbis terram, quæ velut basis immobilis esse videtur, magnæ hujus mundi machinæ. Ipsa tanti est ponderis ex naturâ suâ, ut omnes vires humanæ ejus nec millesimam partem portare possent super humeros suos; Et admira-

mirabilis hic architectꝰ ipsam totam inniti facit nihilo: *qui appendit terram super nihilum.* Voca mihi peritissimos quosque totius mundi architectos, qui omnes contendant ædificare in aëre nidum parvæ aviculæ, abs aliquo sustentaculo, vide an efficere id poterint, & ipso opere complere. Et nos videmus gravissimam hanc massam super nihilum appensam, ubi inconcussa, stabilis ac firma permanet, innixa tamen omnipotentiæ magni hujus Architecti ipsam ita conservantis, & in eâdem semper firmitate conservaturi: *Terra autem in æternum stat.* Eccles. 1.

Antipodes

Quàm gratum spectaculum videre, quod terra, cùm tota rotunda sit in suâ figurâ, & quasi in totâ suâ superficie ab hominibus habitata, homines habeat in altero hemisphærio nobis prorsꝰ oppositos, qui suos pedes habent contra pedes nostros; & nihilominus sint in situatione suâ naturali æquè ac nos, cùm habeant caput erectum versùs cœlum, & pedes super terram. Eadem terra nos portat, idem cœlum nos tegit, idem sol utrosque illuminat, quamvis videatur, nos invicem omninò esse oppositos.

Terra rudis & ingeniosa, pauper & dives.

Quod spectaculum, videre, quomodò sapientia infinita creatoris facere potuerit hoc elementum stupidissimum & ingeniosissimum, pauperrimum & ditissimum ex omnibus elementis. Videtur pauperrimum, quid enim vilius & abjectius est terrâ, quam calcamus pedibus nostris, & ne quidem manibus dignamur attingere? Et tamen suo includit sinu aurum & argentum, lapides pretiosos, ac omne id, quod potentissimi orbis Monarchæ ditissimum, pretiosissimum & rarissimum numerant in thesauris suis, aliud non est, nisi quod factâ vi ex ipsius eruerunt visceribus. Videtur ipsa rudis ac stupida: non enim habet nec mentem nec intelligentiam, nec ullum ex sensibus, qui communes sunt omnibus animalibus; Et nihil ominus, cùm vitam non habeat, vitam dat innumeris plantis, herbis, arboribus ac insectis. Non habet ipsa gustum, & tamen producit fructus innumeros, qui habent gustus tam diversos, tam delicios, & saporis tam exquisiti, ut sumptuosissimis hominum epulis subministret ea, quæ hominum omnium industria illis suppeditare non posset. Non habet ipsa intellectum, & facit opera tam ingeniosa tamque elegantia; ut omnis peritissimorum artificum dexteritas ipsorum perfectionem haud possit attingere. Non habet alias qualitates naturales, nisi frigus & siccitatem, quæ sterilitatis sunt principia, & tamen ex omnibus elementis est fœcundissima, cùm tam diversa producat

crea-

creaturarum genera; & licet hisce inceſſanter exſpolietur, progignit tamen ſemper iterum aliquid novi, abs eo, quod unquam exhauriatur. O creator infinito modo ſapiens, quis alius præter te tantis prodigiis locupletare poſſet creaturarum tuarum infimam & abjectiſſimam?

Ex eodem ſucco terræ maximè inſipida dat ſaporem cunctis fructibus.

Quantum ſpectaculum, quod omnes homines reddere deberet attonitos, ſi conſiderarent, quod, cùm terra, cui incumbit nutrire tot pignora, id eſt, tot radices, tot herbas, tot plantas, tot arbores, tot fructus, non habeat niſi unicum uber, illisque omnibus nonniſi unicum ſubminiſtret alimentum, & hoc quidem naturâ ſuâ valdè inſipidum; omnia tamen habeant naturas tam diverſas, omnia inde trahant vitam, virtutem, ſaporem, formam, figuram, colorem, qualitates denique tam diverſas, tamque oppoſitas, ut illorum iniri numerus non poſſit, nec omnis illorum cognoſci varietas. An unica & ſola terra rudis ac inſipida producat è ſinu ſuo cuncta hæc prodigia! unde accipit hæc omnia? quomodò dare poteſt, quod non habet? quæ admirabilis ſapientia totum hoc opus dirigit in univerſo mundo? Unus idemque terræ liquor, qui non niſi valde craſſus eſt, prodit à principio è viſceribus univerſalis hujus Matris, & licet naturâ ſua gravis deberet tendere in imum, attollit ſe tamen in altum, induratur in lignum ſeu truncum, mutatur in corticem, dividitur in ramos, diffunditur in folia, protruditur in flores formatur in fructus; & quælibet natura habet ſuam formam, ſuam figuram, ſuam magnitudinem, ſuum colorem, ſuum guſtum, ſuam virtutem ab aliâ diverſam; & omnia hæc producuntur ab uno eodemque ſucco inſipido è ſinu terræ prodeunte. Ubi es, ô Salomon, cum omni tuâ ſapientiâ? Dicitur quidem, ſuper omnia naturæ opera philoſophatum te fuiſſe, à Cedro Libani, usque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete; certum tamen eſt, neque te, neque omnes alios, qui unà tecum ingeniorum fuêre prodigia, ac profundis ſpeculationibus illa rimati ſunt, nec minimam pulchritudinum, portentorumvè in illis incluſorum partem cognitione fuiſſe aſſecutos.

Opera terræ ſunt inimitabilia.

Accipe manu ſimplicem florem, & vide, quàm vario ornatu condecoratum ſeſe exhibeat ab infinitâ ſapientiâ Auctoris ſui: quàm benè digeſtum foliorum numerum, quàm vivaces & gratos colores, qualem figuram, quàm proportionatam magnitu-

dinem, qualem odorem, quantam virtutem, quantum splendorem? Et non videbis nequidem unicum ex omni multitudine florum, quos genuerit terra, huic in omnibus similem: Contendant quantum potuerint, expertissimi quique mundi artifices huic similem unicum conficere; laborabunt in vanum: omne quod facere poterunt, erit ejusdem imitari figuram & colorem; Sed odorem ipsi non conferent, & licet etiam odorem imitari possent; conferre tamen non poterunt illum tam vinidum & radiantem splendorem, qui est velut acris ille sanæ faciei color, quem nec ægroti, nec mortui habere possunt: dato etiam, eos illuc pertingere, ut hanc ipsi coloris conferant acrimoniam, quâ veluti vivus reddatur, nunquam tamen largari poterunt secretam illam virtutem, ab auctore in essentiâ ipsius absconditam & ab eo inseparabilem.

Ars tàm benè imitatur naturam, ut Salomon discernere illam non potuerit.

Verum quidem est, artem, quæ simia est naturæ, dum studet imitari ipsam, post tot sæculorum decursum, factam esse tam peritam & expeditam, ut quandoque prudentissimos quosque in fraudem inducat. Dicitur, quod Regina Saba, quæ venerat invisum Salomonem ut experimentum caperet admirandæ ipsius sapientiæ, quâ famosissimus erat per universum orbem, præsentaverit ipsi duos florum fasciculos, unum è floribus artificialibus, alterum è naturalibus confectum tam similes in omnibus, ut stupenda ipsi sapientia discernere inter illos non potuerit; hinc ad ipsum naturæ Auctorem confugere necessum habuit, ut ipsius cognosceret opus: Exposuit namque ambos soli, & musca sapientior ipso, postquam circa ambos volitâdo se circumegerat, flori naturali insedit, sicque hunc ipsi manifestum fecit: sicut postea Spiritus Sanctus in formâ columbæ, cum videret Christum JEsum & Sanctum Joannem Baptistam apud Jordanem, qui tam similes erant, ut unus pro altero acciperetur insedit Capiti Christi JEsu, ad designandum, quis è duobus esset Messias.

Exibimus ex infimo hoc mundi conclavi, quod est terra, postquàm inspexerimus unum adhuc illius prodigium omninò stupendum; innumerabilem nempe animalium multitudinem, quæ sapientia creatoris eduxit è sinu nihili, velut tot militum turmas, quarum quævis sua gerit arma; hæc in pedibus, alia in dentibus, hæc in capite, alia in fronte, hæc in dorso, alia in toto corpore; Et hæ omnes tam benè sunt instruc-

ctæ

ctæ in bello, ut omnes requisitâ cum industriâ congredi nôrint cum hoste, ipsum vel oppugnando, vel contra ipsum se defendendo.

Terra ferè & nutrit infinita animalia, quæcuncta sunt ad nostra Servitia.

Quàm accepta varietas in vestibus tesserariis, quas Magnus hic Monarcha ipsos in campum producens, dorso ipsorum iniecit, hasque ab illis portari mandavit. Aliqua enim vestiuntur pilis, alia amicire placuit lana, & alia simplicem gerunt pellem, & unam quidem hujus & alteram alterius Coloris; in his est color unicus per omnia æqualis, in aliis est è pluribus diversis commixtus, in his sunt plures distincti, hinc inde in diversas corporis partes quasi incuriè proiecti ac dispersi, tam pulchrâ cum varietate, ut videatur datâ operâ id factum tum ad recreandos aspicientium oculos, tum ad attollendum animum in admirationem Auctoris tantorum prodigiorum.

Sed quod singulariter nos magis officere debet, nobisque addere stimulum ad cognoscendam & amandam providentiam Auctoris horum omnium? est, quod animalia omnia ad nostra destinaverit obsequia: *Jumenta quasi adiumenta infirmitatis nostræ* Et cum pluribus magnis premamur necessitatibus, magno numero hæc voluit esse, ut omnia concurrerent, unum quodque pro modulo suo ad nostra servitia hæc ad nos alendos, illa ad nos vestendos, ista ad nos defendendos, alia ad conficiendos nostros labores, alia ad portanda onera, alia ad nos recreandos, & omnia ad declarandam nobis infinitam obligationem, quâ obstringimur tam magnificæ liberalitati Universalis nostri Creatoris.

S. August serm. 4. de verb. Domin.

Libentèr scirem, quid respondere poterimus cunctis hisce vocibus, quæ coram severo Dei judicio, maximam nostram ingratitudinem ex probrabunt nobis: Non est hæc vana imaginatio, cùm sacra scriptura verbis expressis dicat: pugnabit cum illo orbis terrarum contra in sensatos, quâ ratione tam fuisti socors, quod singulis saltem Diebus grates non rependeris Deo tuo pro beneficiis milleniis, quæ recepisti ab eo in horas singulas? quomodò obliviscì poteras tanti benefactoris, cùm omnia ipsius dona in tuis portares manibus, quæ de ipsius amore loquebantur tibi? Quomodò videre poteras tam exacta tibi ad mandatum ipsius, ab omnibus Creaturis præstita servitia, & non suffundi pudore quod ipsi tua non exhibeas? Tolerandam adhuc, si servire duntaxat ipsi neglexisses: sed con-

contêpsisti ipsum, insolentissimè oppugnasti ipsum, quotidie ad iram concitâsti ipsum: vade in grate, elevatus eras super omnes creaturas, quæ subjectæ erant subpedibus tuis, ut tibi obtemperarent tibi servirent, sed hujus te honoris indignum reddens promeritus es, ut humilieris & prosternaris sub pedibus omnium creaturarum in omnem æternitatem.

ARGUMENTUM.

Prodigia maris, quæ demonstrant Omnipotentiam DEI.

Articulus IV.

E primo hoc conclavi magni naturæ palatii, quod est terra, transire placeat in alterum, pleno decurrens pede, quod est mare. An conclavis hujus intueris magnificentiam? Quis est cujus animus non percellatur admiratione maximâ magnitudinis Dei, ubi primum suos conjecerit oculos in vastam & fluidam illam camporum amplitudinem, quorum nullos intuebitur limites, nisi ipsos Cœlos, quasi impossibile foret aspicere mare, abs eo, quod in Cœlos attollantur oculi, ad adorandum tanti hujus prodigii auctorem. Si Moyses ex eo, quod semel tantum è petrâ, percutiendo ipsam virgâ, pauxillum extraxerit aquæ, toti mundo admirationi fuit: quid cogitandum erit de omnipotente hoc creatore, qui totum hoc ingens aquarum Elementum, unico duntaxat verbo eduxit è nihilo? Non admiramur amplius hoc prodigium, eo quod quotidianus ipsius aspectus nobis illud jam reddidit familiare ac nimis quàm usitatum. Non tanti æstimamus illud, quod tantùm superficie ipsius aspectâ contenti, non penetremas usque ad ingentes Thesauros viscеribus ipsius inclusos. Sed da mihi, qui mente attentâ quatuor maris prodigia, quæ suo complectitur sinu, sedulò revolavat; necessariò animus ipsius non tantum admiratione implebitur, sed prodigiis, quæ comprehendere non poterit, obruetur: *Da qui primùm videat hæc, Hebescit, obruiturque miraculis.* S. August. de utilit. credendi c. 16.

Quatuor mira in mari considerandæ occurrunt.

1. Quàm

1. Primum mirabile naturæ maris.

1. Quàm admirabilis est Sapientia Creatoris, quod formare noverit ingens hoc corpus è materiâ omninò liquidâ, abs eo tamen, quod confecerit pro ipsâ vas aliquod solidum, quo contineatur? Siquidem tenendum non est, quod mare includatur in tetrâ, cùm hoc ipsâ terrâ longè sit majus universâ: Sed terra potius inclusa est in mari; & quia ipsa est ex elementis infimum, & globus longè minor illo aquarum, quæ sunt elementum superius terrâ, hinc illa tota obvolvi & operiri deberet aquis maris in superficie suâ, & consequenter fieri inhabilis ad habitationem tam hominum, quàm animalium. Sed supremus Creator leges volebat statuere mari, ipsique inhibere, ne certas terræ obvolveret & operiret regiones: *Legem ponebat Aquis, ne transirent fines suos.* Et hanc partem, quam exoneravit aquarum pondere, pedibus subjecit humanis, ita ut dici posset, homines tenere locum & vices aquarum: *Aquæ multæ, populi multi.* An mirum igitur sit, quod tempestates concitent, & in continuâ sint agitatione, sicuti fluctus & procellæ maris?

Prov. 8.

Non crederemus, ingens hoc Elementum pace gaudere & concordiâ, eò quod in continuâ videatur esse confusione & inconstantiâ perpetuâ: Et nihilominus in hâc inordinatione, tam ordinatum, firmum ac constans est, ut astra Cœli non magis exactè & ad amussim suum perficiant cursum, quàm faciat illud influxu & refluxu suo. Quandóque tam subitaneâ & furibundâ exasperatur iracundiâ, ut disrumpatur & spumet præ rabie: diceres ipsum quantocyùs absorpturum terram & fluctuum suorum cuspide ipsi minitari Cœlo: & paulò exin tantam præsefert pacem & malaciam, ut, dum suavi ac leni zephyro crispantur ipsius undæ, ipsemet ad suæ impetum iræ ridere videatur. Quis est Omnipotens iste Dominus, qui furiosum hunc ita sub suis constrictum tenet manibus, illúmque quando voluerit, tranquillitati restituit? O magne Deus, quàm admirabilis es in tuâ potentiâ: *Mirabiles Elationes Maris, Mirabilis in Altis Dominus.* Psal. 92.

Et iterum non absque prodigio, quod condierit aquas ipsius amaritudine & sale quodam, quo præservetur à corruptione, & reddatur fœcundum piscibus, quibus largiuntur saporem & dulcorem, quem ipsæmet non habent. Unde desumpsit tantam salis abundantiam, quanta sufficit ad satiendam tantam aquarum copiam? Alio non indiguit sale, nisi illo divinæ suæ sapien-

tiæ, quæ temperare & condire novit, si voluerit, omnes cordis afflicti amaritudines, etsi ipsum solum haberet tantas, quantas habet simul pelagus universum. O Bone Deus, quàm admirabilis es in operibus tuis! quàm amabilis es in tuâ ordinatione!

2. Mare conservat ubique commercia.

2. Alterum prodigium providentiæ Creatoris est, si consideretur, quod formare tot brachia voluerit magno huic Elemento ad complectendam universam terram, & facilitandum commercium cum hominibus, ab uno extremo mundi usque ad alterum; quod destinare illi voluerit ventos velut totidem veredarios æthereos, qui velociores cursore portarent naves, fluctuantes hasce domos, quòcunque voluerint; quod omnes ipsius abyssus, ubivis locorum tantis conseverit & imbreverit insulis, quæ essent velut tot hospitia, à divinâ providentiâ pro itinerantibus in mari præparata, ad capiendam ibi, si vellent, quietem & quandam refocillationem; vel quæ essent velut tot arbores ad certa intervalla plantatæ in amplissimis illis campis, quorum trajectus nimiùm laboriosus foret, ut volucribus annuatim ab uno climate ad alterum transmeantibus præstarent locum quietis ac refugii.

3. Aliud prodigium admirandæ Sapientiæ Omnipotentis hujus creatoris est, quod ingens hoc corpus dispoſuerit velut inversam cucumellam distillatoriâ, ad distillandas exin pluvias super universam terram, cùm voluerit illud calefieri supernè ab igne solari, & non infernè, sicut artificiatæ nostræ cucumellæ calefieri solent; à quo calore solari postquam multi vapores fuissent sursum attracti & per frigus mediæ regionis aëris condensati velut operculum chrystallinum, quod datâ operâ universali huic mundi cucumellæ distillatoriæ super imposuit, format exinde copiosas ac fertiles pluvias, quæ blandè ac leniter distillantur super universam terram: sicque quasi hortulanus, quem providentia divina suis conduxit stipendiis, statutis temporibus irrigatum venit hortos nostros ac campos, abs eo, quod necesse nobis sit hic manum apponere. O Sapientia! O Bonitas! O admiranda providentia Creatoris! Si nonnisi rarissimè ejusmodi nobis concederes favores, & quidem diuturno tempore ac ferventibus votis à te postulatos, redderemus tibi grates; sed quia sæpius iisdem nos accumulas, abs eo, quod à nobis efflagitentur, non magni æstimamus, persuasi nos propterea tibi parum obligari.

3. Mare irrigat totam terram per pluvias & flumina.

Sed non contentus distillare sic nobis favores suos guttatim & cer-

& certis temporibus per pluvias, continuò & abundanter illos in nos diffundit per magnos hos fluvios, qui prodeunt è sinu maris, ac sinuosis flexibus velut magnas arterias sese dispergunt per universum corpus terræ, ut ipsam irrigent ac refrigerent, & aquarum suarum dulcedine vitam communicent tum plantis, tum animalibus. O Deus! Si ad dulcorandum parvum vas aquæ marinæ, centum sacchari vel mellis libræ non sufficerent, unde sûremus Creator desumit, quo addulcoret omnes aquas ingentium fluviorum, qui prodeunt è sinu amaritudinis pleniſſimo? Tu sola es, O Sapientia iufinita! quæ omnia hæc modo nobis incomprehensibili operari nôsti prodigia: *Ego Sapientia effudi flumina.* Ah! Domine, nos transigimus hîc vitam noſtram velut in mari tempestatibus & amaritudinibus nunquam non referto; sed tu omnia, si volueris, convertere nôsti in dulcorem & pacem! omnes terræ consolationes sunt minores, quàm tollere ut possint omnem è corde afflicto amaritudinem; Et tu solus, O inexhauste æternarum fons deliciarum id gaudio reples, nonnisi unicâ dulcedinis tuæ guttâ.

Eccli. 24.

4. Mare nutrit totam terram suis piscibus.

4. Post considerata omnia prodigia oculis noſtris in maris superficie expoſita, cogitationibus tuis excurre in sinum ac profundas abyssos ipsius: Bone Deus! quanta prodigia magis adhuc stupenda tuum rapiant animum, ad extollendam & adorandam magnitudinem Dei? Innumerabiles hæ Creaturarum legiones, quibus repletum est; prodigiosa hæc piscium varietas, quibus scatet, quibusque multò magis locupletatur, quàm terra; ubi nescias, quid magis admireris, vel illorum multitudinem velut infinitam, vel tam portentosam varietatem in ipsorum naturâ, in ipsorum formâ, figurâ, magnitudine, colore, robore, industriâ.

Quàm admirabilis industria Creatoris, qui providit ipsis de modo vivendi absque respiratione, volandi absque alis, currendi absque pedibus, colloquendi, seque invicem intelligendi absque verbis, inveniendi alimenta tot diversa, juxta gustum & appetitum suum, & quidem in elemento, cui nullus colonus ullum commisit semen, ad colligendam inde messem, quæ ad ipsorum serviat alimentationem: habent quidem abundè, quod bibant, sed non videtur, tam inusitatam animalium copiam invenire posse, quod manducent, in aquis, quarum totum Elementum non sufficeret pro uno homine solo, si illud totum integrum absorberet; Et nihilo-

minus vivunt, crescunt, impinguantur; & providentia Patris cœlestis prospicit illis de omnibus, quibus indigent. Et iterum an absque stupore aspici possit tam prodigiosa, quam ipsis largitus est, fœcunditas, quæ eòusque omnium animalium terrestrium transcendit fœcunditatem, ut quandoque unicus piscis decies millenos producat? Nonne his universum mare ita impleri mox posset, ut sinu suo nil amplius caperet, nisi providentia de remedio prospexisset, ut seipsos depopularentur, unusque alterum devoraret

Providentia Dei gubernat pisces in profundo maris.

Verùm si cogitationes tuas profundius adhuc dimitteres in vastas illas abyssos, quæ sunt sub aquis, quàm copiosum admirandi Dei magnitudinem, invenies argumentum? Imaginare tibi, manum ipsius te immersisse ac conservâsse, sicut olim Apostolum suum sanctum Paulum, die ac nocte integrâ in profundo pelagi: *Nocte & die in profundo maris fui*; tibique dedisse libertatem toto tempore illo, tuos conjiciendi oculos in omnem, quò libuerit, partem. Quanta admiratio, videre multitudinem illam populi muti in motu continuo, qui incessanter sese mox uniunt, mox ab invicem separantur, qui veniunt & redeunt, singuli per viam sibi à providentiâ Patris sui Cœlestis præscriptam, & singuli per motus innumeros, qui ab omni ordine deflectere videntur, abs eo tamen, quod vel unicum faciant, qui non dirigatur ordinatione infallibili divinæ ipsius Sapientiæ? Quanta admiratio, ibidem secundùm apparentiam, non videre nisi perturbationem & confusionem universalem animalium diversæ naturæ, hæc unius, alia alterius figuræ; hæc valdè parva, illa mediocria, alia tantæ magnitudinis, ut Insulæ fluctuantes, vel montes circumvagantes credi possent: Et tamen verum esse, quod in hâc confusione & perturbatione apparente, habeant reipublicæ suæ administrationem tam ordinatam & exactam, ut inter ipsa nil eveniat unquam nisi juxta leges sibi à Creatore suo præfixas?

2. Cor. 11.

Admirabilis Oeconomia admirabilis hujus populi.

Quanta admiratio, videre, quod cùm priventur ratione, nihilominus tantum habeant intelligentiæ, ut unumquodque cognoscat amicos & inimicos suos, quodlibet cognoscat & amet patriam & regionem suam: Noverunt ipsa tempus transitûs sui ab unâ regione in aliam; habent provincias & regna sua separata, in quæ se recipiunt; & ut illorum conservent possessionem, gerunt bella & sæva ineunt prælia; hinc est, quod sua habeant arma tum offensiva, tum

tum defensiva; aliqua gladium gerunt in dentibus, alia venenatos gerunt aculeos, aliqua in capite, alia in dorsi medio; alia dentes habent tam acutos velut rasoria, alia sunt armata forcipibus, alia fortissimas induuntur loricas; alia ubivis locorum sua secum portant domicilia, quibus inclusa sunt velut portatilibus propugnaculis, ubi capi non possint. Et licet pleraque tam parva sint atque debilia, ut facile majorum evadant spolia, nunquam tamen nec omninò vincuntur, nec prorsus exterminantur, ita ut non semper suam conservent & tueantur speciem: & admirabilis providentia patris cœlestis dirigit hæc omnia, tantam curam gerens pisciculi vel minimi, quasi ipse solus in universo esset mari.

O Sapientia infinita, quàm es admirabilis? quàm es incomprehensibilis! Sanctus Job, magnus hic contemplativus, suadet nobis, ut sæpè colloquium instituamus cum terrâ & mari: Job. 12. *Loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris.* Ambo tam altè loquentur nobis de Deo, ut edoctura nos sint & cognoscere & amare Deum: quin & pisces ipsi, qui muti sunt & absque verbis, tantæ sunt facundiæ, ad enuntianda prodigia Creatoris sui, ut unicus solus è tot millionum millionibus, quos omni fruentes libertate Crystallinus ille carcer includit, sufficeret ad occupandum & exercendum animum curiosissimorum quorumcunq; hujus mundi, si ipsum perfectè cognoscere attentaret.

Exprobratio à mac facta hominibus.

Sed antequam mare deseramus, audiamus, quomodò nos arguat & reprehendat per os magni cujusdam vatis! *Erubesce Sidon*, ait mare. O homo, an non erubescis, quod non obedias Deo tuo. Tu vides, me ingens esse Elementum, ubi venti contrarii sæpius excitant tempestates; sed dum maximâ succendor irâ, quantocyùs desservesco ad minimum voluntatis suæ nutum, & tu terræ vermiculus flecti noles sub legibus ejus? Ego facilè invadere & occupare possem totum orbem terrarum; sed is tribus arenæ granulis, meos mihi præfixit limites, quos dum attingo, revereor, & ultra non progredior: Et tu invadere & occupare velles omnia, quæ tua non sunt, nec ad te pertinent. Et licet pulverem tui aspicias tumuli, quem is tibi ponit ob oculos ad continendam ac repellendam tuam avaritiam, tuæ tamen concupiscentiæ nullam nec metam ponis, nec limites. Ego nonnisi amaritudo sum in meipso, & nihilominus retinens in me, quod amarum est, nonnisi dul-

cedinem impertior hominibus tum in meis piscibus, tum in aquis fluminum, quæ è meo prodeunt sinu velut totidem fœcunda ubera, ad propinandum illis potum, cùm id mandati à meo acceperim Creatore: Et tu, cui incumberet nonnisi dulcedinem ac benevolentiam esse pro omnibus, retines tibi quidem dulcedinem, sed proximo tuo, quem tibi Deus diligendum præcipit sicut teipsum, non nisi amaritudinem propinas & rigorem? Considera hoc benè, & morere præ pudore. *Erubesce Sidon, ait mare.*

ARGUMENTUM.

Prodigia aëris, quæ nobis declarant Omnipotentiam Dei.

ARTICULUS V.

Natura aëris,

ASCende è secundo hoc conclavi in aliud sublimius, & videbis aërem multò pulchriorem, adeoque & invenies prodigia longè prioribus jucundiora, quæ etiam in majorem te adducent admirationem magnitudinis Dei. Aër est tertium Elementum, quod solum & unicum cœteris ambobus majus est, magisque extensum. Sed Sapientia Creatoris facit illud è materiâ tam tenerâ & subtili, ut videatur ratione quâdam accedere ad rem spiritalem: Nam quamvis corpus sit, ipsum tamen non vides, cùm nullum habeat colorem; ipsum non tangis, cùm nihil in se habeat soliditatis; ipsum non gustas, nec olfacis, cùm non habeat nec odorem, nec saporem, ipsum non audis, quia nullum concitat tumultum. Quantum prodigium, quod ita sit in omnibus sensibus tuis, & à nullo tamen sensu tuo percipiatur.

Necessitas aëris,

Nihilominus verum est, ex omnibus elementis nullum tibi magis esse necessarium, eoquod absque illo vivere non possis: Aër est amicus tam fidelis, tamque constans, ut nunquam te deserat, probè gnarus, te abs ipso subsistere non posse, & si ad momentum duntaxat te derelinqueret, te quantocyùs suffocandum, vitâque privandum fore. Hinc est, quod ipsum continuò invites in domum tuam, singulis momentis respires ipsum, seu vigilans seu dormiens, sive laborans, sive quiescens, non cesses ubivis ipsius requirere præsentiam; & ille ex parte suâ tantam erga te gerit inclinationem, ut velut intimus amicus cordis

tui

tui non cessit illud visitare, illud refrigerare, illud consolari, licet toties rejiciatur & expellatur, quoties illuc intraverit. O amantissime Deus, nonntam necessarius es animæ meæ, sicut est aër cordi meo, ut illud vivificet? ut quid ergò non habet respirationem suam & continuas aspirationes suas erga te, ut attrahat te in intimũ voluntatis suæ, quæ est velut cor ipsius? Volo, volo id, o mi Deus! *Te magis, quàm aërem spiro*; & intentio mea est, ut omnes respirationes corporis mei sint tot affectuosæ ac amorosæ aspirationes animæ meæ erga infinitam bonitatem tuam.

Aër ingens theatrum est mirabilium omnipotentiæ Dei.

Nihil magis secundùm speciem videtur esse nudum, vel magis vacuum, quàm Elementum aëris, cum nihil ipsius videamus; nihilominus est ipse ingens theatrum, ubi providentia Creatoris ostendere sibi complacet maxima potentiæ suæ miracula. Ipse est, qui dum è terrâ attolli facit vaporem tam subtilem, ut non advertatur, utitur ipsò ceu materiâ universali ad formanda ex eo diversa meteora, mox nubes volantes, tantis distinctas coloribus, tantis indutas figuris, mox pluvias, mox nives, modò tonitrua, modò grandines, modò fulgura, & modò thesauros roris; & dum ventorum alas pretioso hoc onerat liquore, occultam fœcunditatis virtutem, quam ex influentiâ astrorum accepit, secum circumferente, imperat illis, ut in diversa portent ipsum mundi climata, ac prudenti œconomia distribuant ipsum, more fidelis hortulani, ad irrigandam universam terram.

Quàm potens is Monarcha, qui non utitur, nisi solo hoc vapore, vel exhalatione mixtâ cum ipso, ad fabricanda exin detonantia illa Cœli tormenta, quæ præcipitat, quando vult, super capita nostra, velut tormenta bellica extracta ex armentario Domini Dei exercituum; ad formandum ignem illum, quem includit in sinu nubis, parientis mortem, quando disrumpitur; ad conficiendum fulmen illud, quod tam horrendum excitat fragorem, fœtum illum prorsus ardentem, conceptum & natum è sinu, qui nonnisi totus est glacies; tonitru illud, quod tremore milliones percellit hominum, quamvis ex illis quandoq; nonnisi unicum feriat! & sæpius nullum? Quis flectetur sub omnipotenti hâc manu, quæ conservat totam hanc formidandam machinam super nihilum, quæque dum voluerit, ferit & percutit ictibus, quos à se potentissimi Mundi Monarchæ avertere non possent?

Sed!

Prodigium incomprehensibile ventorum.

Sed quis intellectus penetrare posset divinæ hujus Sapientiæ arcana, dum continet alligatos in thesauris suis ventos, velut parvos lemures circumvagari cupidos in aëre? Dimittit illos, quando sibi placuerit, qui autem jam soluti, quasi vindicare se vellent de captivitate suâ, fœdas ubique invehunt clades, evertunt arbores, demoliuntur domos, concitant tempestates horrendas, & dum magis debachari videntur, mox illos inhibet, & includit, quo autem carcere, dici non posset. Quandoque concedit illis nonnisi semilibertatem, unde leniter quasi zephyri sufflando refrigerant aërem nimium ab igne solis calefactum; insinuant se inter sylvarum & nemorum folia, & dulce efficiunt murmur, quod est velut arborum colloquium; blandè invitant volucres, ut volatu liberiore apertum diffindant aërem, sese offerendo ad portandum ipsas quasi in manibus suis, quocunque voluerint per latè patentes totius aëris campos. Nonnunquam nostris abblandiuntur vultibus, nobisque inserviunt velut sudariolum ad abstergendum sudorem, quo madent, & temperando nimium ardorem, quo flagrant, nonnisi gratum relinquunt ruborem, quo decorantur. Quis effari potest, quænam sint incunabula tot invisibilium veredariorum per aërem discurrentium? ipsos audis, percipis ipsorum voces, quandoque tumultantes & clamorosas, quandoque blandas & gratiosas; sed nescis, neque unde veniam, neque quò vadant, nec quo regantur duce per motus tot inordinatos, quos faciunt, abs eo, quod unquam vel puncto minimo deflectant à viâ rectâ sibi à Creatore suo præfixâ. Nunquam sapientissimi quique totius mundi Philosophi certam nôsse poterant informationem, nec de ipsorum ortu, nec de tumulo, quo se confecto suo cursu sepellant. Hæc prodigia sunt abscondita in arcanis thesauris Dei: *Qui educit ventos de thesauris suis.* Psal. 134.

Pulchra varietas avium.

Id quod summè enuntiat divitias potentiæ ipsius, est, quod conclave hoc magni naturæ palatii, modo quodam magis jucundo ac festivo instruere voluerit, quàm priora duo. Mare totum repletum est piscibus; terra tota conferta est animalibus, arboribus, plantis, floribus & fructibus; sed totus aër instructus est innumerabili multitudine avium diversæ naturæ, quæ omnes tam pomposè, tamque pretiosè induuntur amictu, ut Regum ostia ac murices longo post se relinquant intervallo, nec ulla ars omni suâ industriâ eò unquam sit accessura.

Accipe

Accipe manu unicam pavonis plumam, & considera pulchram illam dispositionem tot tenuium filamentorum, quorum singula colore suo cœruleo & aureo tam gratiosè sunt instructa, singula in ordine ac serie suâ tam benè disposita, ut nullus Apelles penicillo peritissimo tantâ cum vivacitate illa potuisset oculis objicere, quantum sapientia tua, quæ totum hoc opus deduxit: O Deus optime, in minimis quibusque sese ostendit admirabilem! *Interroga volatilia Cæli, & indicabunt tibi.* Nihil tam luculenter nobis loquitur de Deo, quàm parvi hi visibiles cœlorum Genii. Istorum figuræ, ipsorum colores, ipsorum volatus, ipsorum industriæ nos mirè alliciunt, ipsorum cantus & recreationes prorsus innoxiæ nos summâ afficiunt voluptate: nec unicum eorum, quæ observas in illis capere aut animo comprehendere poteris prodigium. Philosophi unica sola ipsorum penna omnes scriptorum, quos totus enumerat mundus, fatigabit pennas.

Job. 12.

Suavis avium harmonia.

Quis est, quem non alliciat dulcis harmonia tam numerosæ hujus phalangis parvulorum Musicorum in aëre, qui sese congregant, abs eo, quod mittantur, seque ipsos in aëre sustentant, alarum suarum pondere, quibus, cùm semper aliquid mollis habeant, potius ad ima detrahi deberent? Et nihilominus illæ sunt; quibus tenentur in sublimi, quæque impediunt, ne cadant, ne labantur. Illorum nemo alio instructus est instrumento musico, nisi parvulo suo pulmone, suo gutture, suo rostro, suâ linguâ; nec eorum quispiam frequentavit Scholas ad addiscendum reddere tonos, cognoscere notas, facere fugas, suspiria, pausas, symphoniam & consonantiam melodiæ; Et tamen omnes sigillatim partes suas agunt, tenentque tonos tam exactos, modulosque tam accuratos & particulares, ut nullus cantet sicut alter; nihilominus ita benè consonant, ut nec unicus à suâ aberret notâ, & omnes simul modulantur carmen tam acceptum, ut peritissimi quique musici harmoniam tam suavem componere vix possent.

Quis es tu O Magne Chorage, hujusque Musices præfecte, qui parvulos hosce dirigis cantores, qui modulos moderaris, qui tribuis illis tonum, quique tam scitè ipsorum temperas cantum. O Magna Dei Sapientia, quàm es admirabilis! An soli nos simus, qui non canamus laudes tuas juxta præfixas nobis leges? O quàm facilè invenit anima magnitudinem tuam in Creaturis tuis contemplari assueta, ubivis locorum ansam & materiam, se-

se ad te elevandi, te cognoscendi, te laudandi, teque amandi!

Sanctus Franciscus laudabat Deum cum avibus.

Quoties avicularum cantus inserviit ceu monitorium beatis illis Eremi cultoribus, quemadmodum hodie inserviunt nobis Campanæ ad denotandam horam cantandis laudibus divinis præfixam? Quis non dulcedine & divinâ consolatione colliqueſceret; dum videt, quâ ratione Seraphicus meus Pater Franciscus certamen aliquando inierit cum philomelâ, quis melius ex ipsis laudes resonaret Creatoris? Incipiebat philomela versiculum sono tam dulci, sed tam vivaci, ut magnum Sanctum maximâ afficeret voluptate, ac simul ad respondendum alliceret, quod tanto cum ardore fecit, ut diffindendum sibi in duas partes videretur cor, & anima corporis ergastulo dissolvenda, ut seipsam totam converteret in laudes Dei. Resumebat partes suas philomela, & alium iteratò incipiebat versiculum; Et Franciscus respondebat tono tam sublimi, suoque carmini immiscebat tot suspiria, tot languores, tot pectoris amore succensi flammas, ut ipsas emollire potuisset petras: tamdiu duravit certamen, quoad tandem se devictum fateretur Franciscus. Ita, procul dubio devictus erat, dum succubuit ignis illius cœlestis ardoribus sese devorantibus, & facientibus ex se Martyrem Charitatis. ô Mi Deus! quid sumus, nisi stupor & glacies ac mera insensibilitas in comparationem adducti cum bonis servis tuis te cognoscentibus, teque amantibus?

ARGUMENTUM.

Prodigia Cœlorum, qui enarrant gloriam Dei, ipsiusq; demonstrant Omnipotentiam.

Articulus VI.

Hic desideranda est terra, & dimittendus aspectus omnium rerum mundi hujus inferioris: Opus autem nobis foret pennis columbarum, quales desiderabat Propheta, ad nosmet ipsos sursum elevandos, & invisendum maximè sublime palatii nostri habitaculum. Nihil hucusque vidimus in omnibus aliis, quod æquiparari possit decori, quo insignire supremo placuit Creatori tectum hoc tam magnificum, tam splendidum, tamque pomposum, quod superimposuit toti huic ingenti ædificio, ut ejusdem esset complementum & ultimata perfectio. In hoc præcipuè ostendere voluit

luit divitias gloriæ suæ, & omnes Creaturas suas in continuâ & maximâ tenere admiratione intuentes magnificentiam suam.

Pulchritudo duarum facularum in mundo.

Sed quia nimiùm distamus à Cœlis, utpote tam prodigiosæ celsitudinis, ut vix oculorum acie nobis illuc pertingere liceat, ad conspiciendas divitias ipsius ac pulchritudines; hinc duas nobis deditâ operâ nunquam non accensas servat faces, ad illuminandum nobis tum diem, tum noctem. Illa diei, augustus hic Sol, inexhaustus ille fons luminis tantæ est magnitudinis, ut, si accuratiori Astrologorum supputationi fidem damus, transcendat centies, sexagies sexies magnitudinem universæ terræ; licet maxima & stupenda ipsius altitudo ipsum oculis nostris, ad rationem diametri, unius vix pedis exhibeat. Illa noctis, Luna æqualis nobis videtur magnitudinis, nihilominus ipsi luculentis suis demonstrationibus nobis ostendunt, hanc non solùm non esse paris magnitudinis cum sole, sed longè minorem toto terræ globo, & non majorem quartâ hujus parte; unde manifestum nobis fit, quod illa multò magis nobis esse debeat vicina, & maximo intervallo à Sole remota. Hæc est velut magnifica lampas argentea, quam magnus Paterfamilias in noctis caligine nobis servat accensam, & quidem absque oleo, quæ cùm ex seipsâ nihil habeat luminis, accipit id, quod nobis impertitur, mutuum ex oculis ceu loculis, & aspectu Solis.

Cujus natura sit Cœlum.

Magnorum igitur luminum horum favori attribuendum, quod liceat nobis aspicere Cœlum. Sed quid ibi cognoscere possumus, è tam loginquo aspicientes ipsum? Vides magnificos illos mundi fornices. Omnia hîc sunt admirabilia & incomprehensibilia omninò. Ex quâ constant materiâ cœlestia illa corpora? An ex materiâ æquali, quâ constant elementa nostra? an ex aliâ, quæ nobilior sit & naturâ suâ incomprehensibilis? An ingentes hi globi solidi sunt, velut æs, an liquidi velut aër? an infixa ibi sunt sidera, velut rubini fundo auri solidi, vel an fluctuant ibi, sicut pisces in mari? an singuli gubernantur & reguntur in motu suo ab intelligentiâ suâ particulari? dicite mihi, Philosophi, post mille annorum studia & continuam hâc super re disputationem, an unquam sentietis idem, ejusdem eritis opinionis?

Cœlum est ingens liber exaratus characteribus lucis.

Quando cernimus in Cœlo innumerabilem multitudinem stellarum, magnitudinis tam diversæ & claritatis tam inæqualis, quæ quidem confusè illic nobis videntur collocatæ, ab infinitâ autem sapientiâ Creatoris, datâ operâ, incerto ordine nobis in-

comprehensibili sic dispositæ: Dici potest, eas magnum esse librum, litteris aureis â digito Dei exaratum, quem nostris exposuit oculis, in quo sublimes ac stupendas legeremus veritates, si illas cognoscere & intelligere nobis liceret. Quid insinuare nobis splendidi hi volunt characteres? Conantur ibi legere Astrologi eventus hominum futuros; sed sæpius hos magis in suâ legunt imaginatione, quàm in Cœlesti hâc Scripturâ, cujus omnem intelligentiam sibi Deus solus reservavit, concedendo nobis duntaxat illam nostrâ prosequi admiratione, vel ad summum permittens illam legere, & divinas suas revereri excellentias.

Prodigiosa magnitudo & diversitas stellarum,

Sed omnes hæ splendidæ Creaturæ, quæ nobis tam parvæ videntur ob maximam ipsarum distantiam, tam magnæ sunt, ut illæ, quæ primæ sunt magnitudinis, centies septies majores sint universâ terrâ, secundæ magnitudinis nonagies, tertiæ septuagies, quartæ quinquagies quater; quintæ quadragies sexies: & tandem illæ magnitudinis sextæ, quæ omnium sunt minimæ, superent saltem tricies novies universam magnitudinem terræ. Omnes hæ ingentes, lucentes ac refulgentes Creaturæ sunt illic duntaxat, ut sint velut oculi Cœlorum, semper aperti ad aspiciendam terram, nec alio negotio distenti; nisi ut benignis suis influentiis velut totidem eximiis favoribus ipsam continuò prosequantur. Quis novit, an peramplæ hæ luminis regiones, non æquè suos habeant inquilinos & habitatores sicut terra? fortassis esse poterunt aliquæ Creaturæ intellectivæ, quæ absintermissione laudent Deum, sicut ipsemet insinuare nobis videtur, in libro Job: *Cùm me laudarent astra matutina*; & sicut postea Regius cecinit vates Psalmo decimo octavo; Cœli enarrant gloriam Dei. Job. 38.

Defixâ mente velim consideres stellam minimam, quam videbis in Cœlo; videbitur tibi hæc non major extremitate digiti. Si quis tibi diceret, quod in parvo hoc luminis puncto reperire sit regna, provincias, Civitates, nonne judicares, hæc omnia modica & valdè parva esse debere? Sed qui diceret tibi, hæc omnia conferta esse infinitâ multitudine hominum, qui sibi invicem bella moveant, se invicem occidant, mactent, ad obtinendam solummodò centesimam millesimam partem centesimæ millesimæ partis hujus puncti, contemnentes interim omnem amplissimam Cœlorum latitudinem sibi liberaliter oblatam, quamque possidere

possent

possent in pace. Quæ tibi de hominibus ejusmodi mens, quæ sententia? Nonne diceres, plurimùm ipsas desipere, dum rei tam parvæ adeò sollicitè inhiantes, majora abs comparatione contemnant, despicatui habeant.

Magna stultitia hominum, quod ita laborent pro terrâ.

Sed quid diceres tunc, si loco mutato tu in parvo isto luminis puncto collocatus, aspiceres terram, quæ trigesies novies minor est minimâ stellâ? an videre illam posses, quæ non est nisi obscuritas, quæque in comparatione hujus astri non appareret, nisi instar puncti? Sed posito, quod ipsam fortassis observare & percipere posses veluti parvum arenæ granulum, quid diceres, si videres labores & tormenta, quibus se onerant homines, ad dividendam illam in regna ac provincias, ad ædificandas Civitates, acquirendas sibi amplas ditiones, comparandum sibi Nomen Magnatûm atque Principum, divitûm atque locupletûm, si possessionem obtinere potuerint duorum vel trium agrorum, qui non sunt nisi centesima millesima pars centesimæ millesimæ partis parvi hujus nihili: *O punctum terræ! Quot mortales pro te digladiantur!* Et negligere interim possessionem totius Cœli, quod facilius acquirere possent. O vanas occupationes! ô stolidatem! O Cœcitatem hominum!

Tria mirabilia consideranda in cœlis.

Attollamus in Cœlum oculos, & tria præcipuè videbimus prorsus admiranda. Primum, incredibilem ipsius altitudinem ac amplitudinem immensam. Secundum, motus ipsius tam veloces, tam diversos, tam oppositos, nihilominus tamen tam ordinatos. Tertium, quod hæc Cœlorum velocitas motus causet lentissimos, quos hìc peragimus in terrâ.

1. Magnitudo & altitudo cœlorum.

Inprimis, quis perticam apprehendere posset manu ad dimetiendam altitudinem tecti admirabilis hujus palatii, nobisque ad amussim dicere, quanto intervallo Cœlum ascendat supra terram, & in quantum sese extendat ipsius amplitudo? Si de hoc referre volumus, quod sapientissimi quique Astrologi omnibus suis studiis cognoscere potuerunt, credemus ab initio, ipsos nobis non nisi meras enarrare fabulas; Sed demum luculenter & manifestè ostendent nobis, certissimas id esse veritates clarissimis demonstrationibus desuper factis inventas. Affirmant hi nobis firmamentum, ubi sunt stellæ, quod tamen non est è Cœlis maximum, minus habere non posse quàm quadringentos milliones leucarum in circuitu, ipsumque nihilominus intra viginti quatuor horas suum circa mundum perfi-

cere cursum: asserunt quoque tam enormem esse ipsius altitudinem, & elevationem à terrâ, ut, si lapis molaris projiceretur cum impetu è concavo firmamenti, licet incredibili cum celeritate præceps in imum rueret, lapsu suo consumpturus foret quadraginta quinque circiter annos, quis mente concipere possit, quanta intercapedo hìc terminum à quo dividat terminum ad quem?

O Magne mundi Architecte, quantam ædificio tuo contulisti altitudinem? Et tamen adhuc id nihil est; siquidem tuæ thronum gloriæ, ubi teipsum manifestare tibi complacet animabus beatis, altius adhuc collocâsti usque in Cœlum Empyreum, quod magis adhuc elevatum est supra Cœlum stellatum, quàm hoc elevatum sit supra inferiorem hunc mundum. Ah! Itane adoranda Majestas, eò usque ascendendum nobis est ad aspiciendam faciem tuam? Ah! quando & quomodo hoc erit, ut illic pertingamus? Sed quia Lucifer Angelorum primas in ictu oculi, è vertice Cœlorum præceps est actus in barathrum inferni, ob unicum peccatum superbiæ, probè agnosco verum ad thronum gloriæ tuæ ascendendi modum esse, humiliare nos ex toto corde & animo, & in ipsâ rei veritate usque ad profundissimam nihili nostri abyssum; siquidem ipsemet id nos docuisti sicut facto, ita & effato, dum dixisti; *Qui se humiliat, exaltabitur.* Luc. 14. O quàm verum est, quòd, si unica duntaxat cogitatio superba præcipitem in momento egit Angelum è fastigio Cœlorum in abyssum averni; unicus quoque tantùm sanctæ & sinceræ humilitatis actus, ex opposito attollere hominem possit è miseriarum suarum abysso, usque ad Thronum Dei?

2. Motus Cœlorum.

Alterum, quod non minus admirabile videtur, est motus Cœlorum. Quis intellectus non hærebit totus hebes & attonitus, si attentè consideret omnes motus ingentium harum machinarum, globorum horum Cœlestium, tam diversos, ut Astrologi illorum numerent aliqui quinquaginta quinos, alii quadraginta septenos; eorum aliquos tam rapidos, ut omnem propemodum effugiant imaginationè, alios autem tardiores; hos qui tendunt ab oriente in occidentem; alios, qui viam tenent oppositam, quorum unus tamen alteri non est impedimento; cùm infinita sapientia Creatoris omnes hos ingentes globos in se invicem immiserit, veluti rotas magni alicujus horologii ad dimetiendos nostros annos, nostros dies, & nostras horas, & omnes

omnes alias temporis noſtri particulas ac differentias; Et hoc tam accuratè, ut, licet tota hæc machina abs intermiſſione, incredibili cum celeritate currat, nihil tamen unquam fuerit vel perturbatum, vel diſſolutum, poſt plures, quàm ſexies millenos octingentos annos, à quibus currere & circumagi incepit; ſed & nec unicum deprehenſum fuerit momentum vel retardationis vel præcipitationis in exactâ ipſius circumrotatione. Quis comprehendere poterit mente magni hujus ſcientiam artificis, qui tam accuratè dirigit totam prodigioſam machinam, quam omnia creata ſimul in minimam redigere non poſſent perturbationem? *Concentum Cœli quis dormire faciet?* O Amabilis mi Creator, quàm fortunata foret anima mea, ſi hâc ratione quóq; dirigeres ipſam! Nunquam enim ſic vel momento deviaret à Divinâ voluntate tuâ.

Job. 38.

3. Omnia in in terra lentè incedant, ſub motuum cœleſtium celeritate.

Tertium & ultimum, quod admirabile videtur in Cœlis, eſt, quod ipſorum motus tam veloces nobis producant diverſas anni tempeſtates, ver, æſtatem, autumnum & hyemem tantâ cum lentitudine, ut quaſi nihil advertatur, quod adveniant. Unde oritur, quod incedant gradu tam moderato, cùm tamen urgeantur & impellantur à motibus tam rapidis, ſicuti ſunt motus Cœlorum? unde venit, quod, cùm alternatim renaſci faciant diem ac noctem, inclinent ad quietem, quantumvis ipſi nullam unquam habeant? Unde proficiſcitur, quod progignant nobis flores innumeros, fructus diverſos, & continuas temporum mutationes, quamvis illi ſemper maneant iidem, & nonniſi idem ſemper faciant, & nunquam mutentur? Ipſi dimetiuntur vitam hominum, illamq; inſenſibiliter deducunt per diverſas ætatis ſemitas ad tumbam; ab infantiâ ad adoleſcentiam, ab hâc ad ætatem virilem & ad ſenectutem; tribuunt inſuper his vitam breviorem, ajiis longiorem; licet ipſi in ſeipſis nunquam mutentur, & ejuſdem ſemper ætatis ſint, ſemper in vigore, ſemper in eodem robore.

Verùm ſi penitus divinæ hujus Sapientiæ arcana rimemur, ampliora inveniemus argumenta admirandi ſtupendam providentiæ ipſius directionem; quæ cùm probè videret, commercium & ſocietatem hominum requirere, ne omnes ſint ejuſdem ingenii, ejuſdem indolis, ejuſdem temperamenti, voluit, ut diverſi Cœlorum motus facerent concurrentiam, conjunctionem & aſpectum diverſum aſtrorum, quæ per diverſas influentias in inferiora hæc immiſſas, vimque habentes in ortum & nativitatem

tem hominum, componerent ipsis temperamenta diversa, faciendo, ut bilis dominetur in his, in illis phlegma, in aliis sanguis, & iterum in aliis melancholia; & inde fieret, ut pleriqúe sentiant inclinationes tam contrarias, quarum virtute hic amet id, quod alter odit; hic eligat genus vitæ, quod alter summè abhorret; hic sectetur conversationem, alter præferat silentium ac solitudinem: Et quia innumeras invenire est diversas occupationes in vitâ Civili, quæ omnes requirunt, ut quisquam illas sectetur; hinc sapientissimæ dispositioni magni hujus patrisfamilias adscribendum est, quod tam diversis dotaverit homines ingeniis, quibus impellerentur ad eligendum illas ex inclinatione.

In quo fundetur scientia horoscoporum.

Tam fortis, tamqúe continua atque robusta est inclinatio naturalis, ut homines pleriqúe fermè non alios, nisi hujus sequantur impulsus. Videre est, qui se regant nonnisi proprio genio sibi ab humore prædominante & ab astris impresso; nihilominus nec coguntur, nec necessitantur, cùm omnes liberum habeant arbitrium, quod mirabilis est radius à summâ Dei libertate dimanans, quo elevantur super astra & omnes inclinationes naturales, ad tribuendũ sibi tam absolutè dominium sui ipsorum, ut facere possint, quodcunqúe voluerint. Et quia gratia Christi JESU libertati huic naturali, supernaturales largitur vires, non solùm dominatur astris, quando vult, sed etiam passionibus, vitiis, mundo, legibus naturæ, dæmonibus & toti inferno.

Auspicatò concludimus per Cœlos visitationem omnium conclavium magni hujus Universi: quid amplius facere possumus? Commoremur in Cœlo, & nunquam inde exeamus; cùm speremus, quod nostra futura sit habitatio in omnem æternitatem, magnusqúe nos moneat Apostolus, ut, dum manemus in terrâ, nostra conversatio sit in Cœlis. Inde facillimè poterimus contemplari magnum hoc opus Omnipotentis manus Dei; videbimus ubiqúe ipsius excellentias, videbimus ubiqúe ipsius beneficia, cùm verum sit, quod omnia creata sint pro nobis, quodq; centies milleni milliones vocum tot creaturarum, quot sunt in mundo, nobis enuntient obligationes innumeras, quibus unicè illius esse tenemur, qui omnia fecit pro nobis: *Ut totus tibi servirem, omnia in meum servitium tradidisti.* S. August. in meditat.

CON-

CONSULTATIO XV.

De Bonitate infinitâ Dei in Creatione mundi Parvi, nempe Hominis

Omnes potentiæ nostræ feruntur in objecta sua cum voluptate.

QUàm amabilem oportet esse hanc consultationem cùm fructus, quem infalliblliter producet, sit ipse amor, & quidem amor omnium nobilissimus, qui est amor infinitæ bonitatis Dei. Bonitas tam blanda in se complectitur illicia, ut sufficiant monstrari, ad faciendum se amari. Non opus est exhortari oculos ad amandam lucem, quamprimùm ipsi hanc vident, mox in eam inferuntur, ipsique adhærent cum delectatione. Non opus est exstimulare aures ad amandam suavem harmoniam, ubi primùm hæc resonat, jam illæ arriguntur. Non opus est calcar addere intellectui ad amandam veritatem, mox ubi pulchritudinis ejus conspexerit radium, illicò allicitur, & cum voluptate volat post ipsam. Non opus est etiam urgere cor ad amandam bonitatem, cùm hanc velut pretiosum sectetur thesaurum, velut suas amplectatur delicias; mox ubi hanc percipit, jam capitur illâ, rapitur in illam, effundit se, totum se illi devovet, colliquescit dulcore & totum accenditur amore. O infinita Bonitas Dei, monstra solùm te nobis, & omnia mox nostra ad te rapies corda.

Deus exponit bonitatem suam ut illi amorem conciliet.

Ecce tibi magnum Dei opus, non facit aliud in æternitate, nisi quod bonitatem suam exponat conspectui & faciat illam amari. Ecce tibi infinitas has bonitatis effusiones, quibus se totum consecrat & occupat in semetipso, ubi Pater totus plenus & totus superabundans ac diffluens, si ita loqui licet, perfectionibus infinitis, sese totum integrum effundit in Filium suum unigenitum. Ecce tibi Bonitatem infinitam Dei expositam oculis Patris & Filii, & in ipso instanti ex communicatâ hâc bonitate procedit amor infinitus, qui est Spiritus Sanctus: impossibile enim est, ut bonitas videatur, quin ametur. Quando post æternas hasce effusiones, quibus exhauriuntur omnes fontes infinitæ bonitatis Dei, cùm se semper adhuc æqualiter inexhaustum inveniat, effundere ulterius sese vult extra semetipsum supra creaturas; magnum ipsius opus est, monstrare se nobis, ut à nobis se faciat amari. Hinc est, quod tot bonitatis suæ effundat radios, quod oculis nostris

ſtris exponit Creaturas: aſpice illas omnes, non erit illarum vel unica, quæ ſuam non habeat bonitatem, ipſarum eſſe eſt bonum, naturales ipſarum qualitates ſunt bonæ, nihil prodiit è manibus Dei, quod non ſit valdè bonum: *Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Sed unde traxerunt hanc ſibi communicatam Bonitatem, niſi ab inexhauſto Bonitatis fonte, qui ſibi complacet, ſe noſtris exponere oculis, ut noſtra lucretur corda ſuis illecebris.

Gen. 1.

Creator Deus quieſcit invento corde, â quo amatur.

Videtur benè, conſilium ipſius fuiſſe, exponendi Bonitatē ſuam conſpectui, extra ſemetipſum, ut faceret ſe amari, dum videmus ipſum inceſſanter operatum fuiſſe ad perficiendam ingentem hanc mundi fabricam, abs eo, quod requieſceret, quoad invenerat cor, quod ſe amaret. In principio creavit Cœlum & terram, & eodem tempore produxit lucem ſuam, quaſi ad illuſtrandam primam hanc bonitatis ſuæ effuſionem, illamque viſibilem reddendam, ſed non requievit, quia bonitas illius extra ipſum expoſita nondum amabatur: produxit exin firmamentum, & diviſit aquas ab aquis, præfixit limites mari, dedit leges terræ, mandans illi, ut germinaret herbam virentem, progigneret fructus in abundantiâ, alias adhuc novas Bonitatis ſuæ effuſiones exhibens; ſed nondum requievit, quia bonitas ipſius nondum invenit ſe amantem. Poſthæc appendit Cœlo duo hæc magna luminaria, Solem & lunam, condecoravit firmamentum innumerabili ſtellarum copiâ, mandavit mari producere & conſervare piſces in ampliſſimo ſinu ſuo, terræ omnia producere animantia, illisque alimenta præbere: Diſpoſuit denique omnia magni hujus naturæ palatii habitacula, illâque munificâ inſtruxit ſuppellectili ex infinitæ Bonitatis ſuæ theſauris: poſthæc tamen omnia non dicitur requieviſſe, quia tam liberaliter extra ipſum effuſa ipſius Bonitas nondum amabatur.

Accedit igitur ad producendum hominem, præparat ipſi corpus, format ipſum propriis ſuis manibus, ſpiritualem ipſius creat animam, quam locupletat intellectu & voluntate, facultatibus in latitudine ſuâ immenſis: largitur ipſi mentem ad contemplanda tot opera ſpecioſa, quorum ipſi tribuit dominium ac poſſeſſionem, in quibus etiam reſplendere videbat tot infinitæ bonitatis ſuæ radios; ſed nondum requieſcendi tempus eſt; quia conſilium ipſius nondum mandatum eſt executioni. Tandem divinum amorem ſuum collocat in cor hominis, d eſt,

in vo-

in voluntatem ipsius, veluti Thronum suum, ipsi suam dans gratiam, ipsique mandans amare se ex totâ animâ suâ: *Et tunc requievit ab omni opere.* Jam satis est, abundè est, habet jam omnia, quæ volebat, bonitas ipsius extra ipsum exposita jam amatur, Consilia ipsius adimpleta. Hoc enim totum erat, quod in magno hoc mundi opere quærebat.

Efficax motivum amandi Deum.

O Deus amoris! bonitas infinita, an igitur verum sit, tanta feciſſe te, ut amari te faceres á corde meo? videbaris abs quiete operari sex diebus, nunquam non prosequens opus tuum, nec quidquam capiens quietis, quo ad inveneras cor amans te; Et mox hoc invento cessas ab omni opere, aliud deinceps non agendo nisi fruendo in quiete amoris hujus dulcore, quasi contentus fores, & digna labori tuo reddita merces, modò ameris. O Anima mea, quantæ ergò sunt tuæ divitiæ, dum possides pretiosum amoris Dei tui thesaurum! possides in corde tuo pretium & æquum valorem omnium operum magni hujus mundi Architecti: Salario ipsum suo solve; nil aliud à te petit, pro omni eo, quod pro te fecit, nisi ut ames ipsum. Quis famulus laborare vellet Domino, pro tam levi pretio? An supremus mundi Monarcha tantum laboraverit pro te, & adhuc incessanter omnium operum suorum tibi destinet ac ordinet servitia, tantummodò ut tuum lucretur amorem? Et hunc à te obtinere non possit? quâ ratione videri possit bonitas ipsius, & non amari?

Tu vides ipsam ubivis liberaliter effusam in omnes res creatas, ubi ipsa invitat te, ad amandum se; sed ipsam magis specialiter velim consideres in te ipso, in propriâ tuâ personâ, ubi tota collecta, tota simul unita esse videtur, ut urgeat te vehementius, ad amandum ipsam ardentius. Quomodò ab ipsâ continere te poteris, si quinas bonitatis suæ in te consideraveris profusiones, in quibus admirabilis omninò videtur. Prima est, esse tam nobile, tamque excellens, quod tibi donavit. Secunda est Corpus hoc humanum, quod propriis suis manibus tibi voluit formare. Tertia est, anima hæc spiritualis & immortalis, quam traxisse videtur è regione cordis sui, ut illam tibi donaret. Quarta est, hæc conservatio esse tui, quæ est velut continuata quædam Creatio. Quinta est, assiduitas hæc, quâ in omnibus tibi servit secundùm voluntatem tuam, ubi concursum suum & potentiam suam tuis consignat manibus, ad faciendum semper liberè, quod-

cunque volueris. Ponderemus in Consultatione hâc quinque hæc Bonitatis suæ ergà nos prodigia, & inveniemus in omnibus vehementes stimulos ad amandam ipsam ex toto corde nostro.

ARGUMENTUM.

1. *Quanta sit Bonitas Dei, dum dedit nobis esse.*

2. *Quàm amabilis hæc nobis esse debeat, cùm dederit nobis esse nobilissimum.*

ARTICULUS I.

Quomodo nos Deus traxerit è nihilo.

UBI eras ante centum annos? Sepultus eras in profundo barathro nihili, ubi nihil eras, nihil ibi tunc cogitabas. Sed conjice modò oculos tuos super immensum illud chaos, & aspice te ibi permixtum cum infinitis aliis Creaturis possibilibus, quæ ibidem permanserunt, & nunquam inde exibunt. Deus transiit illas & transibit in omnem æternitatem, & nihilominus erit Deus: Ejusdem cum illis eras conditionis, transierat te Deus per omnem æternitatem, quæ tuum antecesserat esse, & poterat transire te in æternum. Eccur ergò extraxit te è fuliginoso hoc carcere, virtute omnipotentis Brachii sui, ut produceret te in lucem? An pretiosas Bonitatis ejus erga te divitias condignè poteris æstimare? Reliquisse ibi infinitas alias Creaturas possibiles, quæ deterioris non erant conditionis, quàm tu, & dignatum esse eligere te inter omnes, & te ab illis separare, te in particulari, ab infinità illâ confusione, ut suos super te firmaret oculos, ut te amaret, ut tibi benè vellet, ut tibi daret esse, quod est prima basis & fundamentum, cui omnia alia bona innituntur, quæ tibi jam fecit, quæ tibi adhuc facit quotidiè, & quæ tibi facere cogitat in æternum? Eccur tibi potius, quàm tot aliis?

Quantum obligamur Deo, quod nos creaverit è nihilo.

O Bonitas ineffabilis! Si animi nostri penetrare benè possent ingens hoc lumen primæ veritatis, quæ nobis hic exhibetur, quis non semper extra se raptus & totus hæreret attonitus? Eccur tu potius, quàm tot alii? quid feciſti, ut merereris esse, tunc dum non eras? Forsitan exorâsti Deum, ut eximeret te è confusâ illâ entium possibilium massâ, daretque tibi existentiam? sed quia sepultus fueras in nihilo, eras quoque in silentio. Forsitan conatum adhibuisti ipsemet, ut hoc te carcere liberares: vel saltem ejusdem apud te

conce-

concepisti votum ac desiderium? Sed quia nihil eras, nec robur, nec cor, nec cogitationem habebas. Quis ergò extraxit te è profundo hoc barathro, quando id nec poteras mereri, nec petere, nec desiderare, nec unicam, duntaxat de ipso formare cogitationem? Quis selegit te in particulari, dum nihil habebas, quod te distingueret ab infinitis aliis Creaturis possibilibus, quæ ibi permanserunt & permanebunt in æternum? unde tibi hæc tam bona sors? quis ingenti te hoc favore beavit? O mi DEUS amabilissime mi Creator! Tu solus es, cui debitor sum; agnosco & confiteor, id esse non posse nisi effectum purissimæ Bonitatis tuæ erga me; omnia à te habeo, omnia tibi debeo, nullius etiam, nisi tuus esse volo.

Quod nobis dederit esse nobilissimum,

Quando tibi dedisset non nisi simplicissimum essendi genus, quando nonnnisi atomum aëris, vel granulum arenæ maris fecisset te, maximo semper tibi cessisset honori, opus esse auctoris tam nobilis, & quidpiam ab ipso possidere collatum: Elevâsset namque te ad statum infinito modo excellentiorem, quàm fuerit ille tuæ originis, cùm verum sit, à nihilo ad esse distantiam intercedere infinitam, Sed dedisse tibi esse nobilissimum, faciendo te hominem; Congregâsse in te omne id, quod inter cœteras omnes creaturas fuerat partitus; dedisse tibi esse, cum Cœlo, astris & elementis; vitam cum plantis & arboribus, sensum cum animalibus; & super omnia dedisse tibi animam spiritualem ac immortalem, quam honoraverit charactere suæ similitudinis; nobilitaverit intellectu idoneo ad ipsum cognoscendum, ac speciale commercium cum ipso habendum; ditaverit voluntate, quæ facultatem habeat ipsum amandi, ipsi adhærendi, fruendi cum ipso amicitiâ familiarissimâ, cordialissimâ, affectuosissimâ, qualis esse solet Filii cum Patre, amici cum amico suo; denique locupletâsse te libertate, quæ imperium tibi tribuat super omnes reliquas creaturas, imò & Dominium tui ipsius; hoc est, quod omnem nostrum excedit captum; hoc est, quod omnem fandi adimit ori facultatem, hoc est, quod ad oculum demonstrat, infinitam ipsius bonitatem non contentam esse tam liberalem sese exhibere erga te solum, sicut erga mundum hunc magnum simul, eoquod supra ipsum donaverit tibi hanc animam spiritualem, quæ tantæ nobilitatis, tantique pretii est in suo esse, ut totam simul naturam corporalem longo post se

Quod concesserit nobis libertatem,

intervallo relinquat. Hæc nondum sunt omnia.

Quare nos Deus creaverit,

Sed insuper, quod verum sit, ipsum eo nomine tibi dedisse hanc animam spiritualem, ut cum ipsâ suas capiat delicias, ut ipsa sit centrum favorum ac divinæ liberalitatis suæ, ut præcipua sit cura paternæ suæ providentiæ; & demum, ut facultate gaudeat sese olim æternaliter possidendi, infinitis deliciis secum perfruendi, & propriâ suâ vivendi vitâ; te, qui nihil eras, consultò extraxisse è nihilo, ut ipsum in æternum possideas; ipsum, qui bonum est infinitum, & infinitæ Majestatis Deus: quis capere hoc potest? quis defixâ mente meditari prodigia bonitatis ipsius, quin cor suum rapi sentiat extra pectus suum, ut in sinum tam admirandæ avolet bonitatis? Ah! moreremur præ amore, toti conflagraremus vivi, sanctis consumeremur ardoribus, quos solus ipsius aspectus in nostris accenderet animabus, si ipsam cognoscere, si ipsam capere possemus.

Recognitio ejus, quod creati simus ad ipsum possidendum.

Interim, mi Deus, ecce extractum me è nihilo ab infinitâ bonitate tuâ! nunquam amplius revertar illuc: Tu me nobilissimam fecisti ex Creaturis, quæ è divinis tuis prodiêrunt manibus; Tu animam mihi dedisti immortalem; eâ me sorte beâsti, ut cognoscere te, amare te, in æternum possidere te mihi sit concessum. Et infinitus mei similium numerus, Creaturæ, inquam, possibiles, quæ erant velut fratres mei & sorores meæ, quia nos omnes simul ejusdem nihili sinus per omnem æternitatem servaverat sibi inclusos, nunquam in æternum hoc potientur favore, quo non magis me fuerant indigni; Ego hoc potior in æternum, & ipsi in æternum eodem manebunt privati. Quantus invidiæ hic illis foret stimulus, si meam cognoscerent felicitatem. Tribuamus ipsis intellectum, quamvis hujus non sint capaces, cum Scriptura etiam verba attribuat lapidibus, quorum capaces non sunt: *Lapis de pariete clamabit*; & cogitemus eas è profundo barathro, ubi tabescunt, nos videre in statu, quem tenemus, & in illo, quem aliquando tenere possumus, nempe in statu æternæ Beatitudinis, in ineffabilibus, quibus olim frui licebit, deliciis. Ponamus ipsas concipere inperceptibilem differentiam tum sui, tum statûs nostri; Ecquid dicerent nobis? Habac. 1.

Exprobratio creaturarum quæ sunt in nihilo, factis illis jam creatis.

O Homo, opus pulcherrimum manuum Dei, ad imaginem Dei creatus, ad fruendum æternaliter Deo destinatus, an probè cognoscis, inæstimabilem, quam possides, felicitatem? Requieces olim in sinu Dei, fruêris dulcoribus

coribus ipsius Divinis, possidebis ipsum totum integrum in omnem æternitatem: Et nos in sempiternum privabimur eo, & nihil unquam ipsius possidebimus. Non majora nostris tua erant merita, ut tantam acciperes felicitatem; Et tamen, dum illam nobis denegat, sola ipsius Bonitas, & ille, quo erga te fertur, amor, ejus tibi tribuit possessionem. Quid tibi faciendum in beneficii tanti recognitionem? an tota & integra æternitas sufficeret ad exsolvendas condignas Deo grates? Nonne oporteret te absintermissione hanc ob causam gratitudinem fovere in corde, memoriam & recognitionem servare in animo, laudes & gratiarum actiones resonare in ore vestro? quomodo possibile est, illius vos oblivisci, illius vos negligere servitium, illum vos offendere Deum, qui adeò vos amat? Eccur vos ille præposuit nobis? Eccur is vobis contulit intellectum, qui sit capax ad ipsum cognoscendum; Cor, quod sit aptum ad ipsum amandum, nisi ut ipsum contemplemini, adoretis & ametis in perpetuum?

Quid respondebimus omnib⁹ hisce vocibus è profundo nihili ad nos clamantibus, nostramq; nobis exprobrantibus ingratitudinem? nisi quod humiliemus nos coram Deo, profundo absorpti silentio, velut suspensi admiratione ineffabilium bonitatum, magni hujus mundi Monarchæ erga tam ingratas suas Creaturas. Transigamus ergò dies atque noctes dicendo cum Sancto Brunone, qui totus extra se raptus identidem & iteratis vicibus repetiit: O Bonitas! O Bonitas! O Bonitas! quam adoro, quam admiror, quam comprehendere nequeo. Dic ergò mihi, quis obstrinxit te, ut ita amares me, méque haberes tam magnificè tam munificè. Ah! quis dabit mihi cor immensum in suâ magnitudine & accensum in suo ardore, ut tantum te amem, quantum debeo, quantumque desidero.

ARGUMENTUM.

1. *Corpus humanum extollit hominem supra omnia animalia.*
2. *Imò etiam supra Angelos, qui Corpus non habent.*
3. *Tribuit ipsi Commercium speciale cum Deo, qui purus est Spiritus.*

ARTICULUS II.

Tres prærogativæ, quibus fruimur ex eo quod corpore constemus

SI alius tibi codex non esset, ubi legere posses divitem ac largam munificentiam Bonitatis Dei erga te, nisi Corpus hoc humanum, quod tibi dedit; nonne abundè sat esset ad innuendum tibi,

tibi, te abs comparatione magis ipsi obligatum esse omnibus Creaturis ? Videtur enimverò cedere ad humiliationem hominis, habere corpus materiale ac sensibile more bestiarum. Sed admirabilis hæc est dispositio divinæ Sapientiæ Creatoris sui, dum erigere ipsi noverat thronum gloriæ super apparentem hanc despicabilitatem, quâ ita attollitur in sublime, ut non solùm sit nobilior omnibus reliquis animantibus, quæ sicut ipse Corpus habent, sed etiam ratione quâdam beatior Angelis, qui corpore carent : Et quod admirabilius est, Corpus ipsius totum materiale communicat ipsi commercium prorsus speciale cum Deo ipso, quamvis hic purissimus sit Spiritus : Dico autem Commercium, cujus altissimi in Cœlo Seraphini non sunt capaces.

Quanta abundantia Bonitatis Dei, dum demittere se voluit usque ad lutum, ut propriis suis manibus mihi corpus formaret ? *Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me.* Cœli, astra, elementa, aurũ, & omnia metalla sunt corpora quidem nobilia ; non tamen scriptum est, quod Deus illa creando suas impenderit manus, sed unico usus verbo fecit omnia, sicut voluit. Sed ad formandum Corpus humanum, Deus adjicit manus operi, & ipsemet accipiens terram in divinas manus suas, sicut faceret sculptor, qui exprimere vellet imaginem in argillâ, quam conceperat in capite, illam ordinat, expolit, figurat, quoad perfectam hominis statuam efformet. Et quod magis operis hujus Excellentiam declarat, magnumq; ipsius Auctoris Consilium, est, quod sacra Scriptura de nostro intelligendi modo accommodans nobis expressis verbis dicat, quod omnes tres divinæ Personæ vocatæ fuerint in Consilium, quasi ad deliberandum circa exquisitum hoc opus manuum Dei : *faciamus Hominem ad imaginem nostram.* Quam ex omnibus Creaturis maximo hoc insignivit honore? Gen. 1.

Hoc est, quod demulcebat Sanctum Ambrosium, & Cor ipsius voluptate implebat & gratitudinis affectu, dum dixit : *Bestias non fecerunt manus tuæ, Domine ; sed dixisti, & produxit terra Quadrupedia : Me autem fecisti, Manus tuæ paraverunt me ; Non mediocre opus est quod paratum est.* Quanta hujus dignitas operis, quod reliquas omnes tuas transcendit Creaturas ! siquidem non solùm hic tuas adhibuisti manus, sed dedita id operâ fecisti & attentione singulari. Tertullianus admirabilis vir ingenii, admirari satis non poterat industriam, quâ Deus huic Serm. 10. in psal. 110

huic incubuit operi : *Recogito totum illic Deum occupatum ac deditum, Manu Sensu Opere, Consilio & Affectione, quæ lineamenta dictabat.* Sic omnia, quæ hìc sunt, admirabilia sunt & digna manu tanti Artificis. Quanta hujus pulchritudo faciei? quanta hujus Majestas frontis? quanta horum vivacitas oculorum? quanta horum gratia labiorum? quanta hujus suavitas Coloris? Nonne videtur tibi, omnia pulchritudinis lineamenta, quæ parcâ velut manu non solùm liberali, sed prodigâ, simul unita & quasi insculpta esse in solâ hominis facie? quo pretio omnes hasce comparavit divitias? Nonne ingratissimus foret, si illas quasi in triumpho circumferret; séque glorioſius jactaret, quasi ipse sibi contulisset hæc omnia, pro eo, quod oculis in Cœlum sublatis agnosceret, hæc munera solùm esse à Bonitate Creatoris sui sibi collata, quibus urgeatur, quibus stimuletur ad ipsum affectuosissimè amandum.

De Resurrect. carnis, c. 6.

Deus totus occupatus in formando corpore nostro.

Sed nihil est videre duntaxat exteriora pulcherrimi hujus operis manuum Dei : Oportet videre interiora, illorumque considerare compositionem, innumerabilem partium hìc concurrentium multitudinem ad formandam inde perfectam œconomiam, ipsarum observare dispositionem, usum, teneritudinem, conjunctionem, correspondentiam, & accuratam industriam, quâ quælibet suo fungitur officio. Omnia hìc tam admiranda sunt, ut innumera ingenia curiosa, cùm facerent anatomiam alicujus corporis, ad intuenda machinæ hujus arcana organa extra semetipsa præ stupore abrepta, arripuerint pennam, & circa hæc tota exarârint volumina, loquendo semper de illis velut maximis naturæ prodigiis, licet minimam eorum partem vel viderint vel cognoverint, cùm corpus mortuum respectu viventis quasi nihil sit amplius; sed nihilominus parum hoc, quod manet residuum, postquam jam mors suam intulit cladem ad destruendum exquisitum hoc opus, tam est incomprehensibile, ut quidam è maximis medicinæ oraculis, attentè considerans dispositionem & usum partium internarum corporis humani, quamvis illas tantùm aspexerit lumine cognitionis naturalis, non illo fidei divinæ, quo carebat, totus hæserit attonitus, & extra se ipsum in profundam raptus admirationem. Quàm incomprehensibilis es, o divina Sapientia, quæ concinnare noveras opus tam eximium, quod omne nostrum superat ingenium? Quænam es tu, manus munifica, quæ intra nos

Galenus.

Dispositio corporis humani ostendit magnitudinem Dei.

tantos concluſiſti theſauros, quos ipſi non videmus, ſummè proficuos, licet non conſpicuos nobis? quis es tu, ubi habitas, O Magne Architecte, tantorum auctor prodigiorum? Ah! Si cognoſcerem te!

Noſtrum corpus extollit nos ſuper beſtias.

Si Corpus humanum aliâ non gauderet prærogativâ, niſi quod formatum fuerit ab ipſis manibus divinis, abundè ſat eſſet, nè accenſeretur beſtiarum albo, quæ tam inſigni caruerunt honore. Sed eximiam hanc prærogativam Deus aliâ adhuc non minus conſiderabili voluit accumulare; Et eſt, quod cùm cœtera animantia Corpus habeant verſùs terram declive, homo ſolus erecto ſit corpore, & capite verſùs Cœlum ſublato, in quo velut in triumpho & throno ſuo circumfert dominatricem hanc intelligentiam & rationem, communicatam ſibi, ut ſemetipſum regeret & dominaretur omnibus, quæ mundus hic inferior complectitur. Dicendum igitur non eſt, dejici hominem ad ordinem beſtiarum ratione corporis ſui, cùm ipſius diſpoſitio & ſituatio ſatis declarent, ipſum has longè excellere, illasque ſub ſuis tenere pedibus. Sed tertia prærogativa hæc omnia excedens, & mediante corpore ſuo hominem extra omnem comparationem cum beſtiis collocans, eſt; quod omnium animalium corpora deſtruantur per mortem, abſque ullâ ſpe unquam reviviſcendi; ſolum autem corpus humanum incomparabili hoc dotetur privilegio, quod aliquando è mortis manibus ſit eruendum, primæque ſuæ vitæ ac omnimodæ integritati reſtituendum, adeoque ad ſimilitudinem animæ ſuæ, quæ Spiritus eſt, licet hoc totum materiale ſit, evaſurum immortale, impaſſibile, æternum. Quis igitur effari poſſit, ad quem honoris & dignitatis apicem per corpus ſuum attollatur homo ſupra conditionem beſtiarum?

Idem ſuper Angelos.

Sed parum eſſet, dicere ſolummodò, quod corpus humanum nobis à Deo datum, mirè attollat nos ſupra conditionem; beſtiarum; Cùm verum quoque ſit, hominem carne hâc corruptibili indutum, non tantùm non inferiorem eſſe Angelis, qui puri ſunt Spiritus, ſed certâ quâdam ratione etiam hos antecellere. Et hoc admirabile prorſus eſt; quodque luculenter nobis declarat maximam Dei erga nos bonitatis abundantiam. Quot virtutes heroicas, quot actiones ſanctas, quot pugnas generoſas, quot victorias inſignes, quot gloriæ coronas poteſt homo Deo fidelis per corpus ſuum tum agere, tum reportare, quod Angelis omninò non

non licet ? An enim hi possunt mortificationem Christi Jesu portare jugiter in corporibus suis; sicut faciendum nobis suadet magnus Apostolus? An possunt jejunare ? an portare cilicia & horrentia setis induſia ? An suos mortificare sensus ? An pati dolores, recipere plagas, effundere sanguinem, profundere vitam pro gloriâ Creatoris sui ? Et homo præstare potest hæc omnia & millena alia bona, amplificandæ Deo gloriæ vel maximè idonea, ex eo, quod corpus habeat humanum.

Sæpius corpora nostra deprimunt nos infra bestias.

Verum quidem est, hominem ratione quâdam se reddere posse superiorem Angelis, sui bono usu Corporis; sed similitèr inferiorem se reddere potest bestiis, si carnis & sensuum inhiet & adhæreat desideriis. Si abripi se sinat vitio gulæ, inferior est bestiis; sed si jejunet & vitam sectetur austeram, superior est Angelis: Si vinci se permittat probrosis voluptatum lenociniis, infra bruta sese demittit animantia; sed si puritatem inviolabilè conservet ac integram, oblu-ctantibus fruſtrà carnis celebris, jam cœlestes supergreditur genios. Si vitam ducat omninò sensualè, fugiendo crucem ac mortificationem, & quidquid afflictionum fuerit, sectando duntaxat sensuum voluptates, se infra jumentorum dejicit vestigia; sed si vitam agat spiritualem, cruciformem, amando mortificationem, & fugiendo sensuum voluptates, se supra Angelorum attollit fastigia; unico verbo, si animam suam faciat servire suo corpori, reddens immortalem hunc spiritum sibi à Creatore suo donatum, Carnis brutalis infame mancipium, satisfaciendo in omnibus ejusdem desideriis, procul dubio multò inferior est bestiis; sed si corpus suum subjiciat servitio animæ, jubeatque id obtemperare huic in omnibus, quæ Dei concernunt gloriam & salutis suæ negotium, superior est Angelis, & poteritq; ipsi servire Corpus ad conscendendum beatitudinis gradum, qui supergrediatur illum plurimorum Angelorum.

Nostrum corpus speciale nobis commercium affert cum Deo.

Sed nondum satis est dixisse, quod Corpus humanum nos attollat ad Conditionem ratione quâdam excellentiorem, quàm sit illa Angelorum corpore carentium. Inæstimabilis Creatoris nostri bonitas, evehere nos voluit ad altissimum hunc inenarrabilis felicitatis apicem, ut mediante corpore nostro, speciale commercium habere possemus cum Deo ipso, qui purus est Spiritus, quod Angelis non conceditur: Enimverò non Angeli sunt, qui stupendâ hâc insigniuntur gloriâ, ut inter fratres suos numerent Deum, eum-

que & fratrem habeant, & ejusdem secum naturæ personam. O prodigium divinarum bonitatum, quod anteferre carnem meam voluit universæ Angelorum naturæ! *Verbum Caro factum est*, verum quidem est, eâdem ratione ipsum assumpsisse Spiritum humanum, quâ carnem humanam, dum homo factus est; nihilominus Spiritus Sanctus, qui dilecti Discipuli Evangelium scribentis direxit pennam, noluit ut diceret: Verbum anima factum est; sed ut scriberet, *Verbum Caro factum est*; ad insinuandum nobis, quanto in pretio nobis esse debeat Corpus nostrum humanum, ab ipso nobis donatum: per hoc fieri voluit frater noster, nobiscum iniens societatem ejusdem naturæ; per hoc adorari vult & præcipuâ admiratione honorari in Incarnationis Mysterio: Eandem accipit carnem, quam mihi donavit, & ex eâ facit eandem secum divinam personam; elevat ipsam ad thronum suæ gloriæ, ipsam omnibus Angelis reddit adorandam, & eosdem supremos honores adornat illi, qui ipsimet summæ debentur divinitati. Quid dicitis ad hoc Angeli beati? An cernitis gloriam, ad quam Corpus nostrum humanum attollit & elevat Deus? An aspicitis infinitum, quem possidet honorem, quemque tota vestra natura Angelica nunquam recipiet?

Et non contentus ita exaltâsse humanitatem hanc particularem Divinam reddendo hanc carnem, quàm tam arctè propriæ suæ unierat divinitati; vult maximum hunc honorem ad nos quóque omnes miseros mortales extendere. Ipse nos nutrit eâdem hâc carne, commiscet ipsam cum nostrâ, seminat ipsam, si ita loqui licet, super terram nostram, velut germen immortalitatis, quam nobis carnem suam in sacrâ Communione manducantibus promittit: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: Non solùm igitur anima mea spiritualis, sed etiam corpus materiale & corruptibile beatâ fruetur immortalitate, quam acquisivit mihi per carnem meam, postquam ipsam in personâ suâ reddidit divinam, ipsamq; pro me immolavit in cruce; mors Corporis ipsius immortalitatem tribuit Corpori meo, & in eâdem hâc carne, quâ induor, videbo Deum meum, Salvatorem meum; hæc spes mea reposita est in sinu meo, quæ me corroborat. O Deus amoris! Deus Bonitatis! quàm admirabiles sunt divitiæ bonitatum tuarum erga me, quibus recipiendis omnes simul Angeli in Cœlo non sunt capaces! omnes reliquæ Creaturæ magnum

Nostra corpora fruentur immortalitate.

gnum hunc mundum componentes nihil ejusmodi receperunt favoris. Eccur mi Deus majori me tum amoris, tum benevolentiæ prosequeris affectu, quàm universum hunc mundum materialem? nisi ut obliges me ad te adorandum, ad te laudandum, ad te amandum ex totâ animâ meâ, largire mihi, mi Deus, omnem, quem à me requiris amorem, ut eundem reddam tibi; cùm eum sine te habere non possim.

ARGUMENTUM.

1. *Anima abs comparatione nobilior est Corpore.*
2. *Est extracta velut è regione Cordis Dei.*
3. *Habet specialem connexionem cum Sancto Spiritu.*

Articulus III.

Anima nostra est facta ad imaginem Dei.

SEd quid immoramur considerationi Corporis, quod est nonnisi minima pars, & fermè nihil respectu animæ? Si Corpus humanum usque adeo transcendit creaturas reliquas, quas Omnipotens Dei manus è fundo nihili extraxit; anima tam mirificè attollitur supra conditionem corporis, ut diceres, ipsam magis appropinquare Deo, qui ipsam creavit, quàm corpori, cui ipsam adjunxit, ut verum fatear, non est nisi ipsa sola ex omnibus inferioris hujus mundi Creaturis, in quâ observari possent aliquæ notæ, vel visibilia quædam lineamenta infinitarum perfectionum Dei. Ipsa est spiritualis sicut Deus, incorruptibilis & æterna sicut Deus, intellectiva sicut Deus, ipsa est libera, habet suam providentiam, habet suam voluntatem, quâ disponit ac ordinat. Nonne potiri tibi videtur prærogativis æternitatis, dum anticipat futura, revivisçere facit præterita, constituit & decernit præsentia, percurrit, involvit & transgreditur omnia tempora. Diceret quis, illam habere aliquid immensitatis Dei, dum sese extendit & dilatat ultra Cœlorum ambitum & altissimam mundi sphæram, ut videat & cognoscat, quid rei agatur in infinitis illis spatiis, quæ ultra Cœlos concipit, sibique imaginatur? Adhæc penetrat ipsa usque ad abyssos nihili, unde extrahit mundos, quorum sibi efformat imagines, quasi ipsa esset Exemplar aliquod verbi æterni, portantis mundum Exemplarem in idæis suis, antequam illum extra semetipsum produceret. Illa rimatur & indagat omnia opera Dei, quæ etiam imitari contendit; & ut consilia sua in ipsum deducat opus,

excogitavit & excogitat adhuc quotidie artes ac scientias infinitas.

Sed nunquam magis accedere videtur ad similitudinem Dei, quàm quando se elevans super omnia creata, se immergit in vastissimam illam infinitarũ ipsius perfectionum abyssum; videnscque se illas comprehendre non posse ipsas admiratur, ipsas adorat, & exoptat in æternum sic se immersam, sic se absorptam manere posse, abs eo, quod amplius velit unquam inde recedere, inde divelli: Nam qui videret ipsam in hoc statu, diceret, ipsam potius Deum esse, quàm Creaturam. Quando inde revertitur, videtur ipsi, se perditam esse, eò quod non amplius sit in amabili suo centro; non quærit aliud, nisi Deum, in omnibus rebus creatis; omnia ipsam afficiunt tædio, omnia displicent ipsi, eo quod nihil suis dignum videat oculis, cùm jam semel Deum fuerit intuita. Deniqúe hæc anima est aliquid tam magnum, tamque admirabile, ut ipsamet seipsam non cognoscat, nec capiat; unde Sanctus Augustinus, cui maxima fuerat anima, maximo vir ingenio, qualem vix mundus habuit, hâc super re velut totus extra se raptus, exclamavit: *Nec ego ipse capio totum, quod sum.* Ipsemet nescio quid mihi dederis, o mi Deus, Creator mi, dum ejusmodi naturæ dedisti mihi animam: Ipsa est prodigium, quod tu solus cognoscis, nemo id præter te comprehendere potest; Et si id comprehendere possem, manifestè viderem, post te & extra te, nihil majus, nihil pro me spectabilius esse animâ meâ.

S. August. lib. 10. confess. c. 8.

Sex prodigia in creatione animæ.

Nunquam cognoscere potuissemus ingentem valorem ac pretium divini hujus muneris, animæ nempe humanæ, aut æstimationem, quâ est apud Deum, vel discrimen ipsam inter & alias Creaturas; nisi Sacra Scriptura, ut se nostro accommodaret intelligendi modo, usa fuisset metaphorâ, ubi sub velamine sex verborum sat brevium abscondit nobis & paulisper videre nos sinit sex magna prodigia Creationem animæ nostræ concomitantia, quæ sufficiens argumentum præberent omnium hominum studiis toto curriculo vitæ suæ: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Pondera benè hæc verba, & videbis mirabilia. Gen. 2.

Inprimis dicit nobis Sacra Scriptura, quod Deus produxerit nostram animam mediante aliquâ respiratione seu halitu: non quod Deus reipsâ habeat os vel pulmones ad respirationem formandam more hominum; Sed ad declarandum nobis, quod ipsam

ipsam tanti æstimet, tantóque in pretio habeat, quasi respirationem propriæ vitæ suæ. Est quidem verum, quod extraxerit ipsam è nihilo, sicut alias omnes Creaturas; sed dum nobis dicit, quod sit aliqua respiratio prodiens è pectore suo, vult nobis declarare, quod produxerit ipsam affectu tam singulari, tamq; tenero, quasi traxisset ipsam è regione Cordis sui: *Inspiravit.*

Ulterius sacra Scriptura non dicit nobis, quod Deus produxerit animam nostram manibus suis, sicut Corpus nostrum, nec quod creaverit ipsam loquendo, sicut alias res creatas, respirando vel suspirando, ut nobis innueret, hoc ita esse, quasi tandem pepererit fœtum sibi charissimum, quem per totam æternitatem in suis portaverit visceribus; hoc est, quasi diceret, ipsam processisse ex intimis DEI penetralibus, eâ prorsus ratione, quâ procedit respiratio ex intimo humani corporis; Et quod, sicut halitus & respiratio non est, nisi exitus vel reditus continuus aëris cor visitantis, non nisi unico momento illud deserentis, & statim iterum revertentis ad illud refrigerandum, vitamque ipsi conservandum, sic anima nostra non exeat à Deo, nisi ut illuc redeat, non respiret is ipsam, nisi ut denuò aspiret. Quod si ipsa consolata est Cor ipsius, quando ab ipso exiit, videtur, quod illud aliquo modo refrigeret ac consoletur, quando per affectuosam aliquam aspirationem redit ad ipsum. O si sciremus, quid anima nostra sit cordi Dei! Illa vivere non posset absque hoc, & hoc non contentari absque illâ: hoc incomparabiliter plus est, quàm respiratio Cordi meo; qui mihi interciperet respirationem, suffocaret Cor meum: Nonne credam facere me violentiam Cordi Dei, quando anima mea non sequitur divinas ipsius inspirationes, ipsam affectuosissimè ad se attrahentes, ad requiescendum in sinu ipsius? *Redite Prævaricatores ad Cor.*

His omnibus autem non penetramus profunditatem mysteriorum, quæ sub verbis hisce latent abscondita, quibusque ortus nobilissimus & sublimis Genealogia animæ nostræ declaratur. *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Probè intelligo, verba hæc magna quâdam veritate esse gravida, quam progignere vellent in mentibus nostris, si eidem recipiendæ capaces forent: Siquidem videntur nobis dicere velle, quod anima nostra sit Spiritus, quem Deus in nobis collocat & producit

Deus producit omnia in semetipso suspirando & loquendo.

cit per modum respirationis; Quantum est hìc prodigium? Memineris, Deum nonnisi duos modos habere producendi omnia intra seipsum: Unus est, quo loquitur & producit filium suum unigenitum, quem ideò ipsius nuncupamus Verbum; alter est, quo non loquitur, sed suspirat, & producit è Corde suo, id est, è voluntate suâ, givinum amorem suum, quem appellamus ipsius Spiritum Sanctum: Et adorandus hic Spiritus est conclusio & ultimum complementum eorum omnium, quæ producit intra seipsum. Quod si perpendimus, an non simile quid faciat Deus extra seipsum, videtur ipsum pariter producere voluisse omnes Creaturas duobus modis loquendo & suspirando.

Inprimis produxit omnes Creaturas universum hoc componentes haud aliter, nisi loquendo: *Fiat Lux*, *fiat Firmamentum*; quando autem devenit ad Creationem nostræ animæ, non produxit illam amplius loquendo, sed quasi suspirando; sic enim Sacra Scriptura de hoc nobis loquitur: *Inspiravit spiraculum vitæ.* Exinde adjungit, ultimam hanc hujus Spiritûs productionem fuisse conclusionem & complementum omnium Operum Dei ad extra, ipsumque in pulchro hoc opere requievisse, & velut suam habuisse complacentiam, suasque ex ipso haurire voluisse delicias: *Requievit ab omni Opere.*

Mira conjunctio inter Spiritum Sanctum & animam nostram.

Ubi est anima tam parvi luminis illustrata fulgore, quæ non summo afficiatur gaudio, dum hìc considerat admirabilem congruentiam & connexionẽ, quam Deus collocare voluit inter suum Spiritum & Spiritum nostrũ? Spiritus Sanctus est sacrum suspirium Cordis Dei, infinito ipsum afficiens gaudio intra seipsum; Et anima nostra est suspirium cordis Dei, afferens illi voluptatem & complacentiam extra seipsum. Spiritus Sanctus est ultimum ex ineffabilibus Dei operibus intra seipsum; Et anima nostra est ultimum ex admirandis Dei operibus extra seipsum. Spiritus Sanctus est sola è divinis personis, quæ non producit aliam personam: & anima nostra est sola è viventibus Creaturis, quæ similem sibi animam non potest producere. Si per impossibile aliqua inter divinas personas esset subordinatio, tunc Pater esset Altissimus, sub Patre esset Filius, & Spiritus Sanctus esset ultimus, nobisque magis vicinus: In omnibus operibus Dei ad extra productis verissima datur subordinatio; Nam illa, quæ tantummodò habent esse, sunt in ordine ultimo; illa, quæ habent vitam & sensum, imminent & eminent his ultimis;

sed

sed anima nostra, quæ habet esse, vitam & intellectum, excellit omnibus, & nihil ipsam transcendit nisi Deus solus, ita ut inter Spiritum Sanctum & animam nostram sit maxima propinquitas & connexio quædam immediata; hi duo Spiritus conjunguntur, sibique invicem adhærent, sicque admirabilem inter Creatorem & Creaturas faciunt connexionem.

Aspiratio animæ ad Spiritum Sanctum. Meditat. 6, 3.

O Deus amoris, quàm stupenda videretur nobis hæc veritas, si ipsam benè capere, ac animo comprehendere possemus! quis est, qui non uteretur tum verbis, tum affectibus Sancti Augustini, & Sancti Bernardi? *O Anima mea, Dei insignita imagine, decorata similitudine, dotata Spiritu, dilige illum, à quo sic dilecta es.* O anima mea, quæ maximo insignita es honore, ut Spiritus sis Spiritûs sui, ut ex ipsius quasi prodîeris pectore, ut suspirium sis amantissimi cordis ipsius, quod erga te omni plenum est bonitate! Ama igitur tantæ bonitatis Deum, qui usque adeò te amavit; ama ipsum unicè, ama ardentèr, teque flammis divini amoris sui consume. Nunquam, quidquid feceris, nunquam amare ipsum potes, quantum te amat. Sed quia verum est, te Spiritum esse eo nomine creatum, ut uniaris spiritui sancto, firmiter conjunge te ipsi, conserva fideliter sacratum hoc vinculum, tibi adeò glorioſum: & invenies, Spiritum Sanctum amorem esse infinitum, qui se tibi uniat, seque cum tuo conjungat: Ama Deum tuum amore hoc, & tantum amabis illum, quantum meretur, tuumq; exigit debitum.

Semen Dei projectum in animam nostram. 1. Joan. 3.

Dum concludere volebam hunc articulum concernentem animam nostram, reduxit mihi in mentem Deus effatum illud dilecti discipuli, quod tanti pro nobis est solatii, ut taceri non debeat: *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, quia semen ejus in eo manet, & peccare non potest*: Divinum hoc semen, quod nasci nos facit ex Deo, quodque manet in nobis, est gratia Spiritûs Sancti. Jam gratia, quæ est semen Dei, nunquam progignit peccatum, Sicut enim terra benè culta, quæ bonum frumenti recepit semen, Exempli gratiâ, non producet urticas nec spinas, sed bonum frumentum, quia naturaliter omne semen producit sibi simile; Sic anima, quæ gratiam recepit Spiritûs Sancti non producet peccata; sed producet Deum, quia gratia est semen Dei, & omne semen sibi simile producit. O Anima, quæ conservare te studes in gratiâ Dei, quantus est

honor tuus, quanta gloria, quanta felicitas tua!

Semen Dei producit Deum.

Recepisti gratiam Dei, ergò semen ipsius habes in te, virtute cujus produces ipsi simile; verè ergò dici potest, te jam esse Deum in semine: Conserva divinum hoc semen, & permitte illud operari in te, & affirmari poterit, futurum te esse velut Deum in terrâ: persevera & cura ut perficiatur, & evades velut Deus in flore; & tandem tempore messis invenies te Deum in fructu, & ex illorum numero, de quibus Regius Vates dixit: *Ego dixi, Dij estis.* Macte o anima Deo fidelis, conserva solicitè gratiam, quæ est semen ipsius, & evades Deus in æternitate beatâ; sed exspectare oportet tempus maturitatis; quandiu granum est in herbâ vel flore, non videtur esse granum: sed quando moritur & à falce messoris resecatur à terrâ, exit è spicâ, evolvitur è paleâ, & tale, quale est, apparet, videturque bonum esse granum simile omninò semini, quod mandatum fuerat terræ. Sic omninò bonus Dei servus, qui recepit & conservat gratiam divinam in animâ suâ, non videtur adhuc esse Deus, quia adhuc est quasi in suâ glumâ, est Deus quidem absconditus, non cognoscitur, non æstimatur; imò nec ipse novit, quis & qualis & quantus sit, quoad ad integram deductus sit maturitatem; morsque ipsum demetat & tollat è mundo, & tunc è suâ evolutus paleâ, carnis mortalis abjiciet corticem, & videbitur esse Deus in fructu, similis divino semini, quod recepit: *Cùm apparuerit, similes ei erimus.* Tota terra non est capax recipiendo pretioso huic semini ad producendum Deum per germen divinitatis, quod complectitur in se; requiritur ad hoc anima spiritualis & immortalis, sicut tua. Probè perpende tecum gloriam tuam, beatitudinem tuam, infinitam obligationem tuam, quâ divinæ obstringeris bonitati, quod largita tibi fuerit animam tantæ felicitatis capacem. Non nisi unicam hanc veritatem optarem sibi ob oculos poneret anima, ad implendam se gaudio & consolatione per omne tempus vitæ suæ.

Psal. 81.

1. Joan. 3.

ARGU-

ARGUMENTUM.

1. *Quod Deus semper conservet esse, semel nobis concessum.*

2. *Et quomodo hæc Conservatio nos obliget ad ipsum amandum.*

ARTICULUS IV.

Indigemus continuò produci à Deo.

NOn totum est, quod Deus concesserit nobis esse tam nobile, corpus tam eximium, & tam ingentis pretii animam; sed insuper is omnia hæc conservat nobis, quod idem est, ac si momentis singulis illa de novo nobis daret: Siquidem non eadem nobiscum est ratio, quæ cum imagine; hæc dum semel absoluta ac perfecta manûs pictoris evasit, non amplius indiget auctore suo; sufficit illam semel fecisse, exinde conservatur seipsâ abs eo, quod quisquam de ipsâ cogitet: Sed nos sumus velut radius Solis, velut cogitatio intellectûs, velut aspectus oculorum. Non sufficit, solem semel duntaxat suum evibrâsse radium; nam si unico solùm momento diffundere illum desinat ex inhausto luminum fonte, quem suo concludit sinu, illicò disparet, & eodem annihilatur momento: Non sufficit, semel duntaxat formâsse intellectum cogitationem suam; sed si unico momento ab illâ desistat; illamque conservare intermittat, quantocyùs dissipatur & evanescit. Non sufficit, semel se oculum aperuisse & objectum suum aspexisse; sed si palpebris se contegat, & ingressum deneget in angustum hoc potentiæ visivæ palatium, speciebus objecti visibilis, aspectus quoque eodem perit momento.

Magis obligamur Deo pro conservatione, quàm creatione.

Eheu! Si divinus hic Sol, fœcundus hic omnium rerum creatarum fons, nobis suam denegaret influentiam. Si adorandus hic intellectus, qui producit & portat omnes creaturas potentiâ Verbi sui, nobis vel minimùm suam subtraheret virtutem; Si magnus hic providentiæ oculus, qui nobis dat esse & vitam aspectu suo, unico tantùm momento, suum à nobis averteret intuitum, eodem instanti cecideremus in nihilum primæ nostræ Originis. Itane ergò, mi Deus, ita semper indigeo tui omnibus momentis vitæ meæ, sicut indigebam primo instanti, quo dedisti mihi esse? Opusque mihi est, ut idem omnipotentiæ tuæ brachium, quod fortiter me eruit, & extraxit è profundâ abysso nihili mei, me eâdem fortitudine semper sustentet & conservet, ne immensum naturalis mei nihili pondus continuò me illuc iterum dilabi ac

reverti faciat. Verum ergò, est, quod, si primum instans, quo dedisti mihi, me æternâ tibi devinciat obligatione; instans secundum, quo me conservas, quod idem est, ac si de novo id mihi dares, hanc meam duplicet obligationem; Et tertium instans conduplicet illam adhuc magis; & tot vitæ meæ instantia, quibus esse meum conservas, quod est ac si semper de novo toties idipsum mihi dares, cùm absque te necessariò id perderem, tot novæ in unum cumulum coacervatæ sint obligationes, quæ semper me magis ac magis obstringant ad te cognoscendum, gratias tibi agendum, te laudandum atque amandum: Et ingratus ego hâc de re vix unquam cogito.

Ob quam causam beneficia DEI non agnoscamus.

Numerare est paucos, qui benè cognoscere & debitâ gratitudine agnoscere nôrint divitias bonitatis Dei erga nos, quâ conservat nobis esse, quod dedit nobis: Et hoc exinde proficiscitur, quod res, quæ frequentes nobis sunt, quæ parvi nos constant; quæ usitatæ sunt nobis cum omnibus, quas quotidie eâdem ratione videmus, parùm nos commoveant, nósque illas flocci pendamus & cordi neutiquam sumamus: Itane ergò tu velles, ut virtute lachrymarum, precum, jejuniorum, & austeritatum, emere te cogeret conservationem vitæ tuæ? magni æstimares ipsam, si tam caro tibi ipsam venderet pretio. Verùm cùm tibi favorem exhibeat, illamque conservet ex solâ bonitate suâ, abs eo, quod id ab ipso efflagites, & adhuc non æstimes, adhuc te ipsi obligatum non credas? Nonne hæc ingratitudinum omnium foret maxima & enormissima.

Beneficium universale obligat magis.

Itane ergò velles, ut nemo esset in mundo, nisi tu solus, cui conservaret oculos, brachia, Corpus & animam, usum rationis? Et tunc confitereris & agnoscerès exhibitum tibi ab eo favorem? sed quia hunc ipsum favorem exhibet omnibus hominibus, quia hâc ratione conservat omnes res creatas, quia tibi hoc commune est cum universo mundo, id nihil esse tibi persuades, id animo non ponderes, nec ingrate te ipsi obstrictum esse agnoscis. Nonne cernis contrarium, quod tantò magis obligeris ipsi, quantò magis universalis ipsius est conservatio? quid enim faceres, si solus esses in mundo, quem is conservaret in esse, quod tibi concessit? Quid faceres, nisi etiam conservaret alios homines, quorum Societate & auxilio indiges! nisi conservaret animalia, quorum Servitia tibi sunt adeò proficua; nisi conservaret solem, non solùm ad te illuminandum,

sed

sed etiam illuminandam universam naturam ; nisi conservaret terram & aërem, & omnia elementa, quibus carere non posses ? Si non haberes aërem, ad respirandum, quanti ipsum emeres ? Si non haberes lumen, vel si tu solus esses in mundo, qui illius potireris usu, quid non faceres ad obtinendum, ut conservarentur res in eodem statu, in quo modò sunt, tibi tam commodo, tibi tam necessario ? Non igitur dicendum est : Si conservato mei esse, mihi esset quid speciale, specialiter me Deo obligatum agnoscerem ; sed quia mihi est quid commune cum omnibus, parùm hâc moveor obligatione.

Deber Deus nobis facere mala, ut in cognitionem nos ducat, quando faciat nobis bona.

Eheu ! quàm stupidi sumus, quàmque deploranda est nostra ignorantia ? vellemus obligare Deum, ut faciat nobis mala ad declarandum nobis, quod faciat nobis bona. Dum versamur in periculo perdendi oculos, quot fundimus preces ad obtinendum à bonitate illius, ut hos nobis conservet ! Et si nobis hanc elargiatur gratiam, reddimus ipsi vota nostra, & fatemur ; nos summè obligatos esse ad rependendas ipsi grates ; & dum illos nobis conservavit sanos ac incolumes per viginti aut triginta annos, an summè debitores ipsi nos esse diffitebimur ! Si perdidimus brachium, prô quanti dolores ! quantæ medicaminum inquisitiones ! quamdiu reconvalescentiæ spes affulget, nullis parcitur impensis, erigitur animus ad millenos subeundos dolores, quos sævum artis medicæ propinaverit poculum ; Et si virtute medicaminum, dolorum ac patientiæ obtineatur ipsa, summè nos ipsis obstrictos credimus, qui tam carò nobis illam vendiderunt. Quod si Deus nobis ambos conservet & oculos & brachia in incolumitate perfectâ, sicut & cætera omnia corporis nostri membra, abs eo quod vel minimi steterit nobis, de nullâ erga ipsum obligatigne quid nôsse volumus, multò minus in grates debitas resolvimus ora ; Eò quod hæc res sit frequens & usitata. Ex eo igitur, quod bonitates ipsius nimiùm sint magnæ, nimiùm frequentes, & nimis quàm universales erga nos, non amplius à nobis æstimantur ? O portentosa ingratitudo ! Oportet ergò, o summæ Bonitatis Deus, ut tua suspendas nobis beneficia, ut illa tandem agnoscere addiscamus.

Quàm admirabili modo Deus nos conservet.

Sed quod idoneum magis & aptum ad emolliendum cor durissimum est, si videatur, quâ ratione nos conservet. Postquàm per potentiam suam eduxit nos è fundo nihili, infinito modo à se remotos conservat nos ex bonitate suâ in sinu suo proprio, ubi nos abs intermis-

sione portat majori cum amoris affectu, quàm amantissima parens in suis portaret brachiis filium suum unigenitum: Enimverò hic infans blanditur matri suæ & agnoscit saltem, meliori, quo potest, modo amorem, quo erga se fertur, sed nos ingrati quid facimus? diebus integris obliviscimur Deum, qui tam ingenti nos prosequitur bonitate, negligimus omninò ipsum, imò adhuc deterius facimus, dum ipsum contemnimus, & indies offendimus. Si quispiam te suspensum teneret à tenui filo, supra aliquam abyssum, tuque videres, tuam ab ipso dependere vitam, quid faceres, nisi quod incessanter rogares ipsum, ut te servaret? an offendere ipsum auderes, sicque ipsius provocare iracundiam ad te perpendum? Jam per quodlibet peccatum à te commissum, quando etiam non nisi veniale foret, merereris æquissimè, ut permitteret te labi in profundam abyssum nihili, supra quam Job ait, suspensam teneat universam terram: *Qui appendit terram super Nihilum.* Et nihilominus conservat & sustinet te semper ex magnâ pietatis suæ abundantiâ. Quantum patientiæ & misericordiæ prodigium, quo omnes in admirationem raperemur, si comprehendere illud possemus!

Job. 16.

Sacra Scriptura observavit velut magnum prodigium, quod, dum Core, Dathan & Abiron vivi præcipitati sunt in infernum, dum nimirum terra sub ipsorum pedibus aperuit abyssos, ad deglutiendum ipsos, cum totâ suâ supellectili ac tentoriis; non absque magno miraculo contigerit, quod ipsorum filii, qui innoxii erant à Crimine Patrum, suspensi manserint in aëre super terribile illud ingentis hujus barathri guttur apertum: *Et factum est grande miraculum, ut pereunte Core, Filii ejus non perirent.* Non creditur esse tam ingens miraculum punitio parentum, sicut conservatio filiorum. Verùm si magnum prodigium est, videre innocentes conservatos à manu Dei super apertas abyssi fauces; quis diffitebitur majus adhuc miraculum esse, quod infinita ipsius bonitas innumeram conservet hominum sceleratorum multitudinem, dum ipso actu ipsam offendere non verentur. Quando hi tam insolenter provocant ipsius omnipotentiam execrandis suis blashemiis, quando non cessant, sed contendunt ipsius contra se exstimulare iracundiam, & ipse, obluctante etiam omni eorum malitiâ, invincibili bonitate suâ conservat illos velut suspensos super abyssum nihili, quò omnes Creaturæ judicarent ipsos esse præcipitandos:

Quantum prodigium, quod Deus conservet peccatores.

Num. 16.

dos : nonne hoc ingens sit miraculum?

Et nonne miraculum quoque sit, quod admirabilis hæc DEI tui bonitas tuam non confundat ingratudinem ; quod paterna hæc creatoris tui benignitas, quæ rapit Angelos, tuam non flectat cordis malitiam? Itane non moveris, nec emolliaris, dum intra temetipsum dicis : Ego non cesso ipsum offendere, & ipse non cessat mihi benè facere; terra se aperit, ut me deglutiat, nihilum se offert, ut denuò me recipiat, ipse me omni momento posset destruere retrahendo duntaxat manum suam : toties æquisimè id promereor, quoties peccatum committere non vereor, & ipse me sustinet, me conservat, me defendit, in sinu suo affectuosissimè me portat, quasi ipsum nunquam offendissem : O Bonitas ineffabilis ! O patientia Dei, quàm es admirabilis ! Ubi mea est ratio ? ubi mei sunt oculi? An igitur mihi est anima ære fusa ? Nonne tygridis mihi sit Cor & rabies plus quàm brutalis, nisi mutem consilium, ipsum semper offendendi?

ARGUMENTUM.

1. *Quod Deus concurrat nobiscum ad faciendum universaliter omnia, quæ voluerimus.*
2. *Quod concursus hic declaret admirandam Dei bonitatem.*
3. *Quod inde trahere possimus tria egregia documenta pro salute & perfectione nostrâ.*

ARTICULUS V.

Deus concurrit nobiscum ad omnia nostra opera.

QUando Philosophi ceu inducbitatam statuunt regulam: *Operari sequitur esse* ; Verisimiliter aliam non habent intentionem, nisi quod dicere nobis velint; omnem causam producere effectum conformem propriæ suæ naturæ ; vel quod necessario prius res debeat esse, quàm incipiat operari. Sed detegunt nobis, forsan de hoc nil cogitando, sublimem Theologicam veritatem. Christiane memineris, quod operatio sequatur esse, quod de utroque idem faciendum sit judicium; hinc sicut impossibile tibi est, ut habeas esse, vel conservationem tui esse nisi ab Omnipotentiâ Dei, sic quoq; verum est, quod minimum quid operari non possis, nisi per actulem concursum Dei. Ipse nihil tibi debet, & sola ipsius bonitas, solicitat ipsum, ut tibi det omnia. Non contentus dedisse tibi esse tam nobile, non contentus conservare te tanto cum amore, imposuit sibi ipsi juxta leges paternæ suæ providentiæ, obligationem,

tionem, qua semper paratus esse velit ad adjuvandum te operari illa omnia, quæcunque volueris, & concursum tibi præstandum in omnibus actionibus tuis.

Magnum prodigium concursus Dei.

Ipse relinquit tibi libertatem integram te ipsum determinandi, & faciendi, quidquid placuerit; Et ipse velut causa prima se obligat ad adjuvandum te in omnibus, & concurrendum, ita ut nunquam in minimo deficiat, tecum ad omnia Opera tua, tantâ cum fidelitate ac industriâ, ut absque comparatione sit major hæc industriâ famuli promptissimi ad serviendum suo Domino: quasi fieri voluisset famulus mercenarius voluntatis tuæ, tradit concursum suum in manus tuas, ut eo utaris pro omni arbitrio tuo, abs eo, quod consilium duntaxat eb eo exquirere necesse habeas, abs eo, quod minimam cogitationum tuarum, actionum, aut verborum tuorum elabi permittat, cujus productioni ipse suum non adjiciat auxilium, tantâ cum vigilantiâ, solicitudine ac curâ, quasi nulli, quàm tibi soli in mundo suam haberet impendendam opem, & abs eo, quod vel unico momento succursum suum te exspectare permittat.

Quid hoc est, mi Deus? ad quid te obligas Majestas infinita? ad faciendum in omnib° omnia, quæ mihi placuerint? Relinquis me in libertate meâ faciendi bonum vel malum; Et quasi essem supremus Monarcha, cui perpetuam præstaere voluisses obedientiam, facultatem habeo memetipsum determinandi ad eas, quas voluero, actiones, teque obligo, ut illas omnes mecum facias, ex eo, quod ipsas facere velim. Eheu! faciam ex illis tot indecentes & oculis tuis indignas; faciam ex illis tot frivolas ac inutiles, faciam ex illis tot sceleratas & criminosas: an facere mecum voles tot res tibi displicituras: Et quidem tunc, dum te offendo, adjuvabis me, ut te offendam? Nulla refert, inquit Deus, relinquo tibi libertatem tuam, ut facias, quidquid tibi placuerit, nec unquam desinam tibi meum exhibere concursum, licet mihi displiceat, licet me offendat.

Quare Deus nullâ concursu suo notetur maculâ.

Sed dicetur, o Domine, te complicem fore peccatorũ meorum, eoquod in committendis illis me adjuves? Non, peccatum enim non est, nisi privatio quædam rectitudinis, & aliquod non Ens, ad quod non concurro; sed solummodò ad id, quod reale & positivum est in actione tuâ: Et hoc malum non est, cùm sit aliquod Ens, & omne Ens suam habeat bonitatem. Sed saltem dici poterit, coinquinare te manus tuas, & tuum profa-

profanare concursum, dum illum tot abjectis immisces actionibus, magnitudine ac excellentiâ tuâ prorsus indignis? Non; si enim non coinquinat sol sui puritatem luminis, ex eo, quod illuminet lutum ac cœnum, haud magis, quàm si illuminaret vel flores, vel lapides pretiosos, infinito modo longius absum, ut meas coinquinem manus, ex eo quod meum exhibeam concursum actionibus, quas Creaturæ facere poterant, abjectissimis.

Sanctum animæ desiderium circa concursum Dei.

Sed quænam hæc æquitas, quod ita concursus tuus à meâ dependeat voluntate, ut illo mihi uti liceat penes arbitrium meum, teque hâc ratione servire faciam libertati meæ? Non ego sum supremus Princeps tuus, sed tu es meus. Mutemus Domine, dependeam potius ego in omnibus à concursu tuo; sequatur potius voluntas mea in omnibus tuam, ut exequi me faciat semper & ubique illa omnia, quæ tibi placuerint; cùm hoc & æquitas postulet & ratio. Verum est, hæc omnia æquitati esse consentanea: Sic omnes bonæ animæ DEO specialiter deditæ, dum magnam nanc advertunt æquitatem, ut Creatura in omnibus dependeat, à Creatore suo, tam in operibus suis, quàm in esse suo, omnes intendunt nervos, ut ita se Deo submittant in omnibus actionibus suis, ut nec ad minimam earum ex se ipsis se velint determinare; sed in omnibus sequuntur ductum & motum divini ipsius Spiritus, non volentes suâ uti libertate, nisi ut illam voluntati submittant divinæ, dicentes ipsi nunquam non in corde suo: *Domine quid me vis facere?* determina me, dirige me, præcede me, & in omnibus sequar te: Cùm enim concurrere tecum debeam, & tu mecum in omnibus operibus meis, æquum non est, ut mea determinet voluntas tuam; sed oportet, ut tua in omnibus actionibus deducat, dirigatque meam.

Utendum cum Reverentia concursu Dei.

Si esset maximæ Vir dignitatis, Princeps vel Monarcha quispiam, qui faceret tibi honorem, sese individuum tibi adjungendo Comitem, ut nunquam te deserens, ex condicto omnia tecum perficeret opera, nonne ipsi deferre, & primas concedere velles? Nonne te obligatum saltem crederes ad ipsum consulendum & interrogandum: An vis, ut hac faciamus o us? An id ipsum tibi arridet? Jam quis Major Monarcha quàm Deus, qui dignatus est se nobis adjungere comitem, qui nunquam nos derelinquit, qui secum tibi concursum largitur ad omnia, ut faciat tecum, quodcunque facis? Ubi est tua erga eum reverentia, si nunquam ipsi defe-

ras, nec interroges quidem: an placeat hoc opus, quod facis, quodque tecum facere obstringis ipsum? Sed abs eo, quod memor ipsius, ac si nil esset, nec ipsius indigeres, uteris potentiâ ipsius ac concursu, pro ut tibi placuerit; sic agis in omnibus, quasi tu solus esses, teque juxta proprium tuum moderaris genium, qui nonnisi nox est & ignorantia; non nisi viribus tuis & propriæ confidis dexteritati, quæ non est nisi infirmitas; Et inde oritur, te ignavè adeò minimæ succumbere difficultati, teque tam malo suffultum consilio in fœdos sæpius delabi errores.

Robur animæ observantis concursum Dei.

Sed bonæ animæ, quæ oculos fidei servant apertos, & probè illuminatos ad intuendam veritatem, conspiciendamque velut certissimam continuam Dei præsentiam illiusque concursum in omnibus suis operibus; maximâ commotæ reverentiâ erga divinum hunc Comitem, nunquam se deserentem, nec in actione vel minimâ suam subtrahendem manum, ipsum in omnibus consulunt, ipsius directionem exquirunt, unde & fit, ut in omnibus sapienter se guburnent ac moderentur: ipsius confidunt auxilio, non ignaræ se omnipotenti inniti brachio, quo sustententur, quodque virtutem ac robur sibi tribuat operandi: unde contingit, ipsas esse generosas, intrepidas, infatigabiles, non aspicientes infirmitatem suam; sed confisæ & concursui & succursui omnipotentis Dei, qui nunquam ipsis deerit: præcipuè, quando operantur sub ipsius directione, & ad exequendam divinam ipsius voluntatem. Fatentur quidem, nihil se posse; sed simul nôrunt, nihil impossibile esse Deo, quodque; dum ita ad omnia opera nostra concurrit, eâdem mediocre, eâdem promptitudine miraculum, quâ opus usitatum.

Quidnam confulerit Sanctis confidentiam patrandi miracula?

Quot Sancti vivâ hâc fide concursûs Dei animati, experti insuper impulsum Spiritûs Sancti, quo certificabantur de voluntate ipsius, ambulârunt super aquas velut super terram? Alij sese obtulerunt sed conjiciendum se pro veritatis defensione in magnum ignem, sicut seraphicus meus Pater Franciscus. Alii imperârunt mortuis, ut è suis egrederentur sepulchris, ad confundendum mendacium, sicut Sanctus Stanislaus. Et quot alii aggressi sunt & aggrediuntur adhuc quotidie, vitæ tam austeræ exercitia, quæ longè ipsorum exsuperant vires, sicut Sanctus Simeon stylita, qui quadraginta annos Stans in Columnâ transegit, cunctis expositus tempestatibus Cœli: Sicut Magdalena, quæ triginta consumpsit

sumpsit annos in spelunca, absque alio alimento, nisi illo, quod ministrabant lachrymæ, quæ erant panis illius die ac nocte, Et patratis tot mirandis actionibus, haud difficile erat magnis hisce animabus se in profundissimâ conservare humilitate, ex eo, quod cuncta attribuerint concursui Dei, qui, cum dederit ipsis esse, talem quoque, qualem volebat, tribuebat ipsis operationem: hinc in omni eo, quod suum esse poterat, nil aspiciebant, nisi defectus, si qui intercedebant.

Utilitas ex eo, quod nobis firmiter persuasum habeamus concursum Dei.

Antiquorum quidam dicebat: Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistas. Sed certum est, animam fieri quasi impeccabilem, si profundè hanc animo veritatem insculptam circumferat, quod Deus non solùm sit præsens, sed quod ipsa nullum faciat opus, quod secum non faciat Deus. Certum est, ipsam fore invincibilem in omnibus difficultatibus, quæ in virtutis viâ occurre possunt; dicet namque intra se: si infirma sum, is qui me adjuvat, est omnipotens, ut vires mihi præbeat, quibus indiguero. Certum est, ipsam consolatam nunquam non victuram, semperque sancto accensam zelo, qui ad volandum alas illi addet in via Dei; quantum enim gaudium, certum aliquem esse: Ego semper ambulo cum Deo; non solùm videt me, quid faciam, & quid patiar inservitio suo, sed & suas ipse partes agit, manu me tenet, quidquid facio, & ipse facit; Et postquam compleverit in me omnes voluntates sanctas suas dubitare non possum, quin æternaliter me sit coronaturus. O quam ingentem Divini annis ignem accenderet in corde, sola & unica amabilis hujus veritatis recordatio!

Seneca.

Creatio, conservatio & concursus sunt in ordine naturæ.

Forsitan dices, omnia hucusque á nobis in hâc consultatione dicta ad magnum producendum effectum apta non esse: Eo quod Creatio, quæ nobis dat esse, conservatio, quæ abs intermissione id nobis dare continuat, concursus ad omnia opera nostra, res sint, quæ non transcendant ordinem naturæ, & probè constet omnes res naturales multò inferiores esse perfectione animæ, quæ tota supernaturalis est. Si quæstio foret de gratiâ, si loquereris de magno illo amore, quem demonstravit nobis Christus Jesus, moriens pro nobis in cruce; Si considerandum mihi proponeres amorem illum plusquam naturalem, quo proprium suum Corpus manducandum nobis porrigere voluit in sanctissimâ Eucharistiâ; fateor, me efficacia hic inventurum motiva, ad in-

flammandum me divino amore; sed respectu horum parvi æstimo omnia naturæ dona ac munera.

Dona naturæ sunt tam necessaria, quàm gratia.

Quid inquis? quo tam magni non facias omnia naturæ dona, fateor & ego, illa gratiæ longè majora ac excellentiora esse; sed quid hæc tibi proderint, nisi prius acceperis illa naturæ? Nonne hæc sunt basis & primum fundamentum, cui Deus adjunxit & accumulavit omnia reliqua sua beneficia? Interroga infinitas creaturas possibiles, quæ remanserunt in nihilo, nec beneficio creationis unquam exibunt inde, quid prosit illis, quod detur gratia, quod habeatur Redemptor, quod inveniantur Sacramenta, quod extet paradisus; Et quid prodessent tibi hæc omnia, si non accepisses à Deo esse hoc naturale, quod tam parvi æstimas? probè novi, nihil profuturum mihi fuisse, esse creatum, uisi etiam fuissem redemptus; sed probè quoque novi, minus adhuc profuturum mihi fuisse Redemptorem, & Redemptionem tam copiosam, nisi fuissem creatus. Probè novi, omnia me debere Redemptori meo, &, si mille mihi corda essent, me illum, sicut debeo, non amaturum; sed probè quoque novi, omnia me debere Creatori meo, &, si totum me sacrificarem pro ipso, & totus amoris sui flammis conflagrarem, me quantum debeo, nondum reddidisse.

Duplex obligatio amandi Deum, velut Creatorem & velut Redemptorem.

Quid faciam ergo, ut meis me exsolvam debitis? debeo totum cor meum Deo Creatori meo; debeo quoque totum cor meum Deo Redemptori meo: Cui è duobus donabo illud? Cui è duobus denegare possum id, quod debeo ambobus? Ah! Si duo essent Dij quorum me unus creâsset, & alter redemisset, in auspicatâ me obrutum viderem impossibilitate satisfaciendi ambobus. Sed magna hæc mihi felicitas, quod unicus & idem sit Deus, qui est Creator ac Redemptor meus. Sic omnis in hoc mea sistit & stringitur obligatio, ut amem ipsum solum, ipsique tradam ac donem totum cor meum. Nonne ingratissimus forem, si vel minimam hujus partem denegarem ipsi? An unquam dicatur, me non amare ex toto corde meo, quod quatuor digitorum latitudinem non excedit, Deum infinito modo bonum, qui me amat ex totâ latitudine cordis sui, quæ immensa est? Non, mi Deus: *in toto Corde meo exquisivi te*, Totum tuum est Cor, quod dedisti mihi; reddo id tibi, ut illud possideas totum integrum, irrevocabiliter & in perpetuum. Ah si scirem, unicum duntaxat in illo toto esse atomum, qui tuus non

non esset, eruerem illud ex pectore meo: unico namque verbo, non novi, nec volo illud, nisi totum sit tuum.

Recogitemus & sæpius revolvamus mente veritates in hâc consultatione nobis expositas: difficile erit aspicere hìc tantas divinæ bonitatis erga nos, munificè & magnificè effusas divitias; quin vehementissimos experturi simus stimulos nos unicè Deo devovendi, ipsi fideliter serviendi, ipsum ex toto corde nostro amandi. Amen.

CONSULTATIO XVI.

De Providentia DEI.

Quatuor personarum genera indigens consideratione providentiæ Dei.

LUbens universum invitarem mundum ad hanc consultationem; sed præcipuè quatuor hominum genera, quibus omninò necessaria foret ad stabilendam in mentibus ipsorum pacem, bonumq; ordinem. Primi sunt, qui vivunt semper in timore, quasi obsessi toto adversitatum exercitu, quibus obrui debeant, dum minus de ipsis cogitant; sicque imaginatione malorum, quæ non tolerant, sed quæ tolerare possent, dum cruciantur, nullâ fruuntur pace, nec aliquâ vitæ hujus dulcedine. Secundi sunt, qui prorsus ex adverso millenas spes vanas alunt, hisque inaniter se pascunt, qui magna animo meditantur, qui sibi ipsis cuncta ad votum successura promittunt, quasi omnia à suâ deenderent dexteritate, nullaque supra se foret potestas, quæ sua, quæ moliuntur, consilia posset demoliri. Tertii sunt Critici, qui ubivis inveniunt, quod carpant, omniaque, quæ in mundi Oeconomiâ non juxta suum vel eveniunt, vel diriguntur genium, notâ censoriâ perstringunt, quasi cuncta juxta suam moderanda & gubernanda forent Aristarchicam sententiam. Et quarti sunt animi illi elati, melius dicerem, stolidi, qui sibi imaginantur nescio quod fatum, quo omnia in hoc mundo ejusmodi regantur & gubernentur necessitate, ut aliter evenire non possint; cùm sibi persuadere non valeant, inveniri sapientiam quandam infinitam, quæ cuncta regat in mundo, eò quod in capite suo habeant nullam, quâ regant seipsos.

Viva fides providentiæ divinæ est remedium erroris nostrorum.

Omnes hi non sunt in errore, nisi ex eo, quod ignorent veritatem providentiæ Dei. Si hujus pulchri-

pulchritudinem in hâc consultatione, ubi clarè videbitur, intueri possent, efficacissimum omnes malis suis invenirent remedium. Illi, quos excogitat inanis timor aspectu tot phanthasmatum, quæ sibi fabricantur, ad incutientum sibi ipsis terrorem, videbunt, se esse in securitate sub directione paternæ hujus super se vigilantis providentiæ. Illi, qui se tot vanis ac manibus pascunt promissis & exspectationibus, perspicient, quod incassum sibi ipsis abblandiantur; quodque, nisi Dominus codificaverit domum, in vanum laborent, qui ædificant eam. Illi, qui Aristarchos agunt, & gubernationem magnæ hujus reipublicæ totius mundi, dente mordaci carpere non abhorrent, fateri cogentur, prudentiam suam non esse, nisi stultitiam, & sapientiam quandam infinito modo suâ magis illuminatam, ad ejus sedere clavum, hancq; ab illâ gubernari. Et illi deniq; ue, qui cuncta attribuunt fato, vel fatali cuidam necessitati luculenter observabunt, aliam non dari necessitatem, nisi decreta æterna Dei, quæ liberrima sunt, nec destinationem aliam, nisi ipsius providentiam, quæ cuncta cum infinitâ moderatur sapientiâ.

Sed ut luci exponamus manifestam hanc de Dei providentiâ veritatem, quæ non solùm maximæ est consolationis inter omnes, quas Christiana complectitur Religio, sed & ponderis maximi, cùm assecuret animas in viâ salutis suæ, illas quóque conducat & evehat ad altissimam, quam in hâc vitâ conscendere possit, perfectionem: imprimis exponendum est, quid sit hæc providentia in quo consistat, quàmque firma fide nobis sit credenda; Et exin desuper discurremus cum quatuor istis hominum generibus, quorum jam fecimus mentionem; videbimúsque an resistere poterint evidentiæ & firmitati rationum, quibus persuasissimi deberent esse circa veritatem de providentiâ Dei, & sub ejus regimine suavissimâ frui quiete.

ARGUMENTUM.

1. *Quàm necessarium sit, esse providentiam Dei.*
2. *In quo consistat.*
3. *Quanti sit momenti illam firmiter credere.*

ARTICULUS I.

Omnipotentia & providentia sunt inseparabiles.

TAm ingens est inter omnipotentiam & providentiam Dei connexio, ut una sine alterâ perfectè cognosci ac intelligi non possit.

possit. Omnipotentia apparet in rerum omnium creatione, & providentia mirificè resplendet in earundem regimine; ita ut, sicut nihil productum est sine omnipotentiâ, ita nihil regatur sine providentiâ. Nonne fateris impossibile esse, quod aliqua Creatura acceperit esse in Creatione, si omnipotentia Dei id ipsi non dederit? Nam quia à nihilo ad esse, est distantia infinita, hinc facere ex nihilo aliquid, est opus, non conveniens, nisi omnipotenti brachio Dei. An unicam ex omnibus Creaturis monstrare mihi posses, licet omnium esset minima, licet duntaxat esset minimæ aëris atomus, quæ esse suum non receperit ab omnipotentiâ Dei? An esse suum haberet à seipsâ? vel an alius, quàm Deus ipsam creâsset? hoc dici non potest, & hinc asserendum, omnipotentiam Dei produxisse omnes indifferenter tam maximas, quàm minimas.

Nihil fieri potest absque concursu Dei.

Nonne fateberis etiam, impossibile esse, quod Creatura aliqua suum conservet esse, vel aliquod perficiat opus, velut esse sui fructum, absque actuali concursu Dei? Nonne is semper est præsens? Nonne is velut causa prima influxum suum tribuit omnibus causis secundis, sine quo nihil agerent? An monstrare mihi posses unicam solam actionem alicujus Creaturæ, quando etiam alia non esset, nisi minimus motus guttulæ aquæ decidentis è Cœlo, de quâ dicere posses: hæc actio est facta independenter à concursu Dei? Hoc est impossibile; nam eâdem ratione, quâ dat esse omnibus Creaturis tam minimis indifferenter, dat etiam & tribuit illis concursum suum pro omnibus operibus indiscriminatim, tam pro minimis, quàm etiam pro maximis.

In quo consistat providentia Dei.

Jam interrogo: Omnipotens hic Creator, qui producit, & qui conservat omnia entia, omnes res creatas; prima hæc causa, quæ concurrit ad omnes illarum actiones, & ad omnes ipsarum motus; quantumvis minimos; nonne est intelligentia quædam, quæ probè sciat, quid faciat? Nonne est magna quædam ratio, quæ dirigat sapientissimè omnia? Nonne est suprema quædam potentia, quæ postquam omnia produxit, & omnia disposuit pro suo arbitrio, illa quoque ad certum dirigit scopum juxta regulam Consiliorum suorum? Et ecce tibi id, quod nos appellamus providentiam Dei: providentia est ratio ordinandorum ad finem. Itane nec unica Creaturarum vel esse vel conservari posset absque omnipotentiâ, nec unica vel minimam actionem perficere posset absque actuali concursu Dei;

ſu Dei; & dirigere ſe poſſent ad finem ſuum, abs eo, quod ab ipſius dependeant providentiâ? quis non videt, hoc nec dici nec cogitari poſſe, ſed neceſſariò confitendum eſſe, omni otentiam & providentiam DEI, æquali modo ſe ubivis extendere, defectu omni & diſcrimine remoto? vel non aſſerendus eſt Deus, vel neceſſariò aſſerenda eſt illius providentia.

Tres perfectiones Dei reſplendent in ipſius providentia.

Sed in quo providentia hæc conſiſtit? præcipuè tres ſunt adorandæ perfectiones, quæ conſtituant totam hujus rei Oeconomiam: Sapientia, Bonitas, Juſtitia. Sapientia, quæ cognoſcit omnia, Bonitas, quæ ſuppeditat omnia; Juſtitia, quæ dirigit omnia. Cùm ergò tota providentiæ divinæ directio plena ſit ſapientiâ, bonitate, & juſtitiâ; quomodo poſſibile ſit, ut anima ſuper ipſam ſuos figens oculos, ipſam cognoſcens, ipſam firmiſſimè credens, non experiatur Spiritum ſuum conſolatum, mentem ſuam animatam, fiduciam ſuam roboratam, & præcipuè cor ſuum exſtimulatum, ad amandum ipſam ex totis viribus ſuis, velut fœcundiſſimam ſcaturiginem, unde bona cuncta, quæ deſiderare poſſit, debeat exſpectare? Nihilominus difficulter vel diſcerni vel dici poteſt, quænam è tribus his perfectionibus magis reſplendeat in providentiâ Dei.

Sapientia Dei reſplendet in illâ.

Si intuear ſapientiam, eſt hæc admirabilis, ſive penes ſuam latitudinem, ſive penes ſuam exactitudinem, ſive penes conſtantiam aſpectuum ſuorum. Ipſa admirabilis eſt in latitudine ſuâ, eò quod univerſim cognoſcat omnes res creatas ab altiſſimo Cœli Seraphino, usque ad ultimum aeris atomum: ipſa enucleatè novit, quot ſint Angeli in Cœlo, quot cogitationes in eorum intellectu, quot affectus in ipſorum voluntate; quot homines in toto terrarum orbe per omnem ſæculorũ decurſum, quot cogitationes in ipſorum mente; quot actiones diverſæ, quot verba, quot herbarum ramuſculi ſuper terram, quot folia in cunctis nemoribus, quot arenæ granula in omnibus æquoribus, quot piſces in totâ Elementi hujus latitudine, quotque diverſos & inordinatos motus hi fecerint, & faciant etiamnum abſque intermiſſione, quot aquarum guttæ deciderint ex axe, quot atomi in univerſo aëre, & quot circuitus ac revolutiones quilibet illorum fecerit à mundi creatione. Si particulatim deſcendendum foret ad omnes diverſarum creaturarum ſpecies, procederetur in infinitum, & confunderet animum id conſiderantem.

Et

Prodigia sapientiæ, quæ apparet in providentia.

Et divina Sapientia cognoscit omnia hæc tam distinctè, ac si unica tantùm res foret, abs eo, quod hæc ipsum occupent, aut unico duntaxat momento distrahant à contemplatione divinarum excellentiarum suarum, aut fruitione æternæ quietis suæ. Et posito, quod centies adhuc millenos alios creâsset mundos, illosque omnes sicut hunc regeret, non tamen plus iis occuparetur, ac si extra se nil prorsus agendum haberet. Hoc videtur nobis incomprehensibile, eoquòd nos parvi homunciones cum intellectu hoc tam vasto & amplo, quem dedit nobis, occupati sumus nihilo. Nos defixâ mente cogitare eodem tempore non possemus de rebus duabus; ratio est, quia requiruntur apud nos tot parvi actus diversi, quot sunt res frivolæ ac minutiæ diversæ, quibus nos occupamus: unde oritur, ut, dum finitur illorum actuum unus, ad incipiendum alterum, obliviscamur rei unius ad cogitandum de alterâ. Sed Deus videt omnia unico ac simplicissimo actu, eò quod ipse sit intellectus infinito modo magnus, & infinito modo illuminatus: *Attingens à Fine usque in Finem fortiter.* Et divinus Areopagita explicat hæc verba, ut nobis declaret infinitam amplitudinem hujus actûs intelligentiæ divinæ omnia tam distinctè comprehendentis, hæc alia verba, quæ admirabilia sunt, nobis scripto reliquit: *Quia Causas omnium in se æquabiliter anticipatas habet*; quia videt omnia æqualiter in seipso. Hic non est, nisi idem actus, per quem contemplans ab æterno seipsum, producit verbum suum, & distinctè videt in ipso omnes Creaturas; unde fit, quod aspectus hic ipsum non avertat, nec distrahat à contemplatione suâ divinâ. Adjunge centies millenos alios mundos, nihil adjicis ipsius cognitioni; tolle hæc omnia nihil imminuisti ex ipsius cognitione, quia hæc omnia sunt nihil respectu cognitionis infinitæ, quam habet in verbo suo. O Adorande intellectus, o intelligentia infinita, quàm es incomprehensibilis! Aspiciamus parvulum nostrum intellectum, qui occupatur & implicatur re minimâ, respectu illius, quem centeni mundorum milliones non occuparent. Nonne causam nos humiliandi habebimus, sicut & agnoscendi, nos in comparatione aliud non esse, nisi parva & exilia, & vilia nihila. Ecce sapientiam Dei admirabilem in suâ latitudine.

De divin. nomin. c. 7.

Sed vide, an minor sit in suâ exactitudine; siquidem non solùm cognoscit universim & speciatim omnes Creaturas, sed

Providentia Dei cognoscit omnia figil. latim.

cognoscit particulatim omnes cujuslibet & uniuscujusque circumstantias, ac si non alia, quàm ipsa sola foret in mundo, omnia illarum accidentia, omnes illarum modos, omnes illarum contingentias, non solùm omnia hæc, quæ ipsis eveniunt in statu, in quo modò sunt, sed & ea, quæ contingere ipsis poterant in omni alio statu, quem poterant amplecti. O Deus! quantum hoc prodigium, si comprehendi posset. Omnes Angeli in Cœlo, & omnes homines in terrâ, si simul unirentur, ad constituendum nonnisi unicum intellectum, an cognoscere possent omnes diversas dispositiones, in quibus collocavit Deus infinitam hanc multitudinem creaturarum, quæ universum hunc formant ac constituunt mundum? hoc foret impossibile. Et quantò minus cognoscere possent omnes diversas contingentias uniuscujusque in circumstantiis & dispositionibus suis possibilibus? Nam quis non videt, id omnem Creaturæ transcendere captum? Considera, nos non habere nisi viginti quatuor litteras in toto Alphabeto, & diversæ harum dispositiones sufficiunt, ad componenda ingentia illa volumina, quæ nostras adimplent Bibliothecas. Quò se extenderent ergò connexiones vel diversæ situationes, in quibus collocare posset Deus tot millenos milliones Creaturarum, quæ sunt in mundo? Et Deus distinctissimè cognoscit omnia hæc, ac si non essent, nisi una eademque res simplicissima. Ratio est, quod impossibile sit, aliquam rem cognoscibilem effugere cognitionem, quæ sit infinita. Ecce tibi exactitudinem Sapientiæ divinæ omninò incomprehensibilem.

Cognoscit omnia per unicum solum actum.

Quod concernit constantiam aspectuum ejus, cognitio ipsius semper est actualis, semper eadem, & semper invariabilis, ab instanti æternitatis suæ. Non potest dici, quod cognoverit omnes Creaturas, quia nihil præteritum est in ipsius cognitione; Non potest dici, quod cognituras sit illas, quia nihil futurum est in ipsius cognitione: sed dicendum est, quod illas cognoscat cognitione actuali, actu uno simplicissimo, aspectu semper tam fixo, tam constanti, ut oculos suos nunquam avertat ab illis, nec unico momento. Et hoc facilè intelligitur, cùm verum sit, quod cognoscat illas per eundem actû divini sui intellectus, quo contemplatur seipsum, & suum producit verbum in æternitate, qui est actus tam necessarius, ut nunquam nec unico instanti possit interrumpi. Tam admirabilis est divina ipsius Sapientia in sua latitudine, tam admirabilis

lis in suâ exactitudine, tam admirabilis in constantia suorum aspectuum: Et hæc prima perfectio Dei est velut fax accensa, illuminans omnem providentiæ suæ directionem.

Bonitas Providentiæ Dei.

Huic adjungitur ipsius bonitas, quæ prospicit omnibus, quæ videt necessaria esse vel congrua creaturis suis. Ad illam omnes Creaturæ suos convertunt oculos, uti dicit Scriptura, & sperant in illâ: Et ipsa dat omnibus alimenta & escam in tempore opportuno, & implet omne animal benedictione, dum aperit manum suam. Ipsa est, quæ singulis annis ex inexhaustâ omnipotentiæ suæ annonâ extrahit ea omnia, quæ necessaria sunt ad nutriendas omnes plantas, omnia animalia, omnes homines, universim omnia, quæ vitam habent in magno hoc mundo, abs eo, quod vel minimo culici in aëre deesse patiatur, quod ipsi est necessarium. Ipsa est, quæ omnia nostra arva quotannis tam copiosâ locupletat cerere; nostra vineta, tam liberali & munificâ ditat generosi lyæi exuberantiâ, abs eo, quod ad illam continendam vel doliis indigeat, aut cellis vinariis; ipsa est, quæ arbores nostras dum onerat, adornat fructibus suavissimis, quos ipsamet exquisitissimo condit sapore velut munera inæstimabilia; quæ nobis elargiri non desinit; Ipsa deniqúe est, quæ omnibus suis creaturis juxta locorum ac temporum exigentiam ac naturæ diversitatem, omnem necessariam suppeditat provisionem, velut Sapientissima Materfamilias, vel provida Oeconoma ad hoc mercede conducta, abs eo, quod necesse duntaxat habeant hanc ab ipsâ efflagitare.

Facit omnia per semetipsum.

Quod autem admiratione dignum est, Deus facit hæc omnia immediatè per seipsum, abs eo, quod aliis det desuper mandatum omnium rerum necessariarum faciendi distributionem inter innumeros magni hujus naturæ palatii inquilinos. Quot videmus Ministros & præcipuos, & subordinatos, & inferiores in domibus Magnatum, quorum quilibet speciali suo fungitur munere? Et omni adhibita solicitudine, videntur tamen sæpius deficere in multis. Quanta igitur est sapientia, quanta bonitas, quàm admiranda prudentia amicabilis providentiæ, magni hujus Patris Familias, qui curam suscipere ipsemet dignatur tam vermiculorum, qui reptant super solum, quàm Monacharum, qui sedent super solium: non quod omnes res creatas eâdem tractet ratione, cùm omnes ejusdem non sint capaces; sed quod omnia faciat convenienter, id est, quod curas suas

impendat, & favores suos dispertiatur, juxta regulas justitiæ distributivæ, quæ vult, ut unicuique detur, quod ipsi est necessarium, juxta naturam, capacitatem & necessitatem suam.

Providentia justè moderatur omnia.

Et hæc est magna illa justitia, ceu tertia perfectio, absolvens & ad colophonem deducens pulcherrimam hanc Oeconomiam providentiæ Dei. Omne, quod facit suprema hæc intelligentia in gubernatione mundi, non potest esse, nisi infinito modo justum, quia Deus est justitia ipsa. Si quæras, ubi est lex, quæ ipsum obliget ad hanc justitiam, ipsumque determinet ad faciendum, quomodò facit, & non aliter, respondebo tibi, quod ipsemet sit sua propria lex, cùm & ipse sit sua propria justitia. Ipse scit & vult omne, quod justum est; ipse est fidelis, & non potest denegare sibi ipsi, quod est essentialiter: *Ipse fidelis permanet, seipsum negare non potest.* 2. Tim. 2. Non ita verum est dicere, quod omne, quod sol producit, esse non possit nisi lumen, eo quod hujus ipse purissimus fons sit, nullâ prorsus commixtus caligine; sicut verum est dicere, quod omne, quod Deus facit, esse non possit nisi justitia, eo quod purissima sit ipse justitia, nullam omninò admittens injustitiam: Et hoc solum omninò sufficeret ad inhibendas omnes querelas, quas facere possemus, dum videre nos credimus inordinationem ac errorem in regimine magnæ hujus providentiæ, cui cura de omnibus est, rebus etiam minimis ac viliſſimis; videaturque aliquando ipsa nobis omnia negligere, & cuncta susque deque verti. Tace, obmutesce prudentia carnis; submitte & in captivitatem te redige paupercula ratio humana; nihil comprehendes è Consiliis magnæ hujus & infinitæ rationis omnia gubernantis. Quando credis, omnia esse in perturbatione maximâ, tunc inprimis sunt optimè ordinata: impossibile namque est, quin æquissimum sit id, quod ab ipsâ fit, cùm Deus id faciat. Adora humiliter, quod capere non potes.

Quam admirandam justitiam providentia servet in omnibus.

Interim nonne observas, quantâ cum justitia, admirabilis hæc providentia cuncta moderetur & regat entia? Æquum est, ut creaturæ rationis expertes, cùm abripiantur legibus necessitatis cujusdam, quam evitare non possunt, gubernentur per rationem quandam, quæ suppleat ipsarum defectum, illasque dirigat ad finem suum; quam rationem videmus esse sapientissimam Dei providentiam, quæ illas tam accuratè & exactè moderatur, ut nunquam in aliquo deficiant, sed perficiant res adeò stupendas, ut indies admiremur solertias.

tias ac industrias minimorum animalium, quæ longè nostrum superant & excedunt captum. Æquum pariter est, ut homo, dum fruitur inæstimabili prærogativâ libertatis suæ, ad nihil omninò necessitetur: ille semetipsum determinat, sicut ipsi placuerit; ipse facere potest, bonum vel malum; & sapientissima providentia ipsi subministrat media exercendi unum & evitandi alterum. Sed quia ipse frequentius sequitur falsa rationis humanæ lumina, & malas propriæ voluntatis inclinationes, quàm lumina Cœli & regulam voluntatis Dei. Hinc providentia Creatoris, ipsum velut agens liberum dirigens, permittit, ut sæpius in maxima corruat peccata. Et hoc ipsum justum & æquum est.

Æquum deniqúe est, ut omnibus entibus naturalibus, cùm creata sint ob fines naturales, providentia suppeditet media naturalia ad illos pertingendi: æquum etiam est, ut, cùm homo creatus sit ad ipsius imaginem, ob finem supernaturalem, providentia ipsi subministret media supernaturalia, eundem assequendi, quæ etiam illis non denegat. Deus amat universim omnia opera manuum suarum, quia bona sunt; sed hominem abs comparatione magis amat, quàm cætera omnia opera sua, eoquod velit ipsum esse optimum, ipsumque consultò creaverit, ut boni infiniti faceret ipsum possessorem: hinc & præcipuâ providentiæ suæ curâ prosequitur eundem. Si dat esse omnibus aliis Creaturis, hoc non est propter ipsas, sed propter hominem; si illas conservat, si illas regit, si cum illis operatur, hoc non est ipsarum bono, sed pro bono & obsequio hominis. Nec sufficit, quod omnes Creaturas corporales ipsius deputet servitio, sed & Angelis suis mandat, ut curam ipsius suscipiant, nondù id satis suo satiando amori, quo fertur in ipsum; semetipsum is sacrificat, semetipsum in personâ vult impendere, vult laborare, vult pati, vult mori pro salute hujus hominis, usque adeò ipsum amat. Ipsemet nobis dicit, quod descriptos nos circumferat in manibus suis, quod affectuosè nos semper foveat in sinu suo, velut amantissima nutrix mater suum portat filium. *Ego quasi Nutritius Ephraim portabam eos in sinu meo.* Os. 11. O amabilissima Creatoris mei providentia, an dubitare possim de curâ tuâ, cùm certus sim de tanto amore tuo, quo me prosequeris? An insensibilis esse potero tantæ bonitati tuæ? An adeò usque esse ingratus, ut non amem te, nec directioni tuæ magnâ cum cordis & animi simplicitate totum configuem ac tradam me?

ARGUMENTUM.

1. *Animæ, quæ firmiter credit providentiam Dei, nihil est timendum.*
2. *Beata esse potest in mediis adversitatibus vitæ præsentis.*
3. *Bonum Remedium semper vivendi in pace & quiete.*

Articulus II.

Anima timida confidere debet providentiæ Dei.

QUid dicitis ad hoc animæ timidæ & inquietæ? quæ nunquam vos creditis positas in tuto, sed millenis semper expositas adversitatibus superventuris, quasi creata omnia in vestram conjurassent ruinam, & omne vos destitueret & consilium & auxilium & præsidium & subsidium. Quid timetis? An ideò, quia non est Deus pro vobis? quis est igitur, qui dedit vobis hoc esse, quod habetis? hæc anima, quæ suis vos terroribus ita affligit, nonne prodiit è regione cordis ipsius, quod non est, nisi tota bonitas? An ideò, quia putatis, quod nullâ vestri tangatur reminiscentia? quis est ergò, qui vos conservat, qui ad omnes vestras concurrit actiones & opera? An ideò, quia persuasum habetis, quod ignoret ea, quæ vobis eveniunt aut evenire possunt? ubi esset ergò sapientia ipsius infinita, & quomodò esset, si quidpiam posset ignorare? An ideò forrassis, quia timetis, ne satis vos amet, ut velut charos suos filios custodire vos velit à malis omnibus, quæ nocere vobis potérunt? Ubi esset ergò infinita ipsius bonitas, quæ tibi benè facere nunquam cessat, & maxima in æternitate tibi præparat bona? An tandem ideò, quia nescitis, quod infinito modo sit bonus, & infinito modo sit justus in gubernatione suâ, quod nunquam, quamvis omnipotens sit, facere possit, quod non sit optimum?

Omnia hæc scio; sed ipse non indies patrat miracula ad impediendum cursum ordinarium ac naturalem rerum humanarum, quæ millenis obruere me possunt adversitatibus: ipse non semper continet in frœno perversas hominum voluntates, quæ mala mihi fabricari & volunt & nôrunt. Video funestos eventus me sæpius incessere, & incessanter incessere posse. Fateor: Est verum, quod fecerit te arbitrum tui ipsius, sed arbitrum non fecit te eventuum rerum humanarum, quas sapientissimi quique prævidere non nôrunt, nec evitare; sed nec ipse viâ ordinariâ impedit, ne eveniant. Verum est etiam, quod dederit tibi libertatem tuam, sed dominium

nium tibi non tradidit libertatis aliorum, qui malis te afficere possunt; sed nec ipse obstat, ne afficiant: rem unicam tuæ reliquit potestati, quæ inæstimabilis est, si illius cognosceres valorem: Et est, quod benè uti valeas omnibus vitæ præsentis accidentibus, adeóque fortunatè vivere in medio adversitatum, quas infortunium mundus appellat.

Magna pax animæ ex viva fide providentiæ.

Incassum ab omni casu adverso te custodire attentabis; impossibile enim est evitare omnes vitæ hujus molestias, quæ tuo non subsunt imperio: In vanum his tuam interturbas quietem, imaginando tibi, quod adventuræ sint; nam hoc ad aliud non prodest, nisi ut ipse tibi fias carnifex, teque affligas, antequam te affligant alii. An contentus ac beatus vivere desideras? intende fidei oculos, illósque firmiter fige in providentiam Patris tui Cœlestis, & memento id, quod respectu tui est accidens, qui illud nec prævidisti, nec voluisti, accidens non esse respectu infinitæ ipsius sapientiæ, quæ nostræ invigilat curæ ac directioni. Ipse ab æterno jam vidit omnia, quæ tibi evenerunt, omnia, quæ evenient adhuc, abs eo, quod vel minimum ex iis, quæ tibi accidunt, ipsius effugiat cognitionem. Non solùm autem scivit, sed etiam voluit hæc ita esse, sive voluntate sic ordinante, sive duntaxat sic permittente: ipse amat te infinito modo magis, quàm ames teipsum, ipse melius teipso novit, quo indigeas; divina ejus adimplebitur voluntas, quidquid contigerit: Omnes simul Creaturæ ipsius non obstabunt consiliis; nec quidquam evenire tibi poterit, quod contraveniat beneplacito Dei. Juxta nostram Philosophiam huic semper inhærendum est: Deus est supremus noster Dominus, qui cuncta gubernat providentiâ infinito modo sapiente, infinito modo bonâ, infinito modo justâ, & omne, quod facit, est benè factum: æquum est, ut Creatura ipsius submittat seipsi; néque invenit unquam, vel quietem vel pacem, qui restitit illi.

Omnia quæ nobis providentia Dei immittit, bona sunt.

Benè stabilias firmam hanc fidem in animâ tuâ, & indubitato intuere oculo adorandam hanc Dei providentiam, & hæc recipiet illa, quæ vocare solemus casus vel infortunia, non velut inopinatos eventus, sed velut prævisas dispositiones ac ordinationes, ab infinitâ quâdam sapientiâ ita volente profectas, quas è paternâ ipsius voluntate suscipit gratantèr, sicut hæc illas dat & largitur permanenter. Videbis animam tranquillam & contentam in mediis quibusque desolationibus amarissimis,,

rissimis, quæ in desperationem agerent alium, qui nonnisi humano aspectu intueretur illas: noverit namque ipsa, melius cuncta succedere non posse, nisi juxta arbitrium ac placitum providentiæ Dei, cujus directioni probè novit non resistendum, sed acquiescendũ esse, neq; unquam se melius fore contentam nisi contentetur eo, quo contentatur ipse Deus. In hâc ergò firmâ fide & fideli hâc submissione suam invenit beatitudinem; & vera est parœmia dicens: *Qui contentatur, beatificatur.*

Vera pax animæ non consistit in eo, ut nihil patiatur.

Benè novi obstaculo id non futurum, quin sensus tolerando malum affligantur, conqueratur natura, & forsitan ipsa ratio humana reluctetur, seque opponat; sed omnibus his frustra reluctantibus, anima, quæ humiliter se submiserit ordinationi divinæ providentiæ, contenta manebit ac beata. Ratio est, quod perfecta beatitudo animæ Christianæ non consistat in eo, quod suo vivat commodo, nihilque patiatur juxta dictamen carnis & sanguinis; sed in eo, quod perfectâ fruatur quiete in centro suo, quod est voluntas Dei. Nonne hæc perfecta sit beatitudo, quand cuncta animæ adimpleta fuerint desideria? Nonne contenta sit, quando non agitatur ad inquirendum aliud, quam quod jam possidet? Ipsa tantum observat decorem in dispositione divinæ providentiæ, ut hic suum inveniat paradisum, omnesque suas delicias: Cùm id delectet te Deus, idipsum delectat & me: nec aliam ipsa unquam exoptat delectationem. Dum se obrutam videt paupertate, non desiderat divitias; dum afflictam se cernit infirmitate, non expetit sanitatem; dum persecutione & contemptu se lacessitam intuetur, non concupiscit nec applausus nec honores: innititur enim infallibili huic veritati: nihil contingere mihi potest nisi ex dispositione providentiæ Patris mei cœlestis; ipse novit, quid opus sit mihi; is plura mihi vult bona, quàm velim mihi ipsi: impossibile est, melius mihi esse, quàm in statu, quò placuerit ipsi me collocare.

Relinquere se providentiæ Dei conservat animam semper consolatam.

Interroga illam, quid desideret, dicet tibi: Nihil, nisi quod placuerit Deo. Sed si libertas tibi foret in alio te statu collocandi? Nollem collocari in alio, nisi quem destinâsset mihi Deus, quem etiam præferrem cuicunque alteri, quantumvis mihi amaro, eò quod sciam hoc contentari Deum, unde & ego contentor, hicque vivo pacificè! Ecce igitur tibi animam in omnibus contentam, cùm omnia ipsius vota sint adimpleta, & consequenter beatissimam. Dices,

ces, quietem hujus animæ fore quandoque satis amaram, quando sese aggravatam videbit cruce. Fateor equidem, idipsum tamen erit pro ipsa quies, cùm laboratura non sit, ut illo se liberet statu: eâ ferè ratione sicut aliquis ægrotus, qui requiescit in lecto suo, & quidem ibi patitur, non tamen enititur inde exire, exspectans auxilium Dei, & efflagitans sibi dari patientiam. Et tandem putandum non est, hanc quietem animæ, quâ fruitur in perfectâ submissione, quam exhibet ordinationi providentiæ Dei sui, non esse, nisi meram amaritudinem: siquidem in medio pœnosissimarum afflictionum, quibus se circumdatam cernit, ubi primùm vibrat oculos in pulchritudinem infinitam voluntatis divinæ, quæ omnes beatos summâ afficit voluptate, experitur & degustat in seipsâ, certam pacem, certumque dulcorem, qui longè omnes exuperet sensus, tantâ tamen exuberet suavitate, tamq; solido afficiat ipsam solatio, ut omnes terrenæ delectationes simul in unam coacervatæ, nihil ejusmodi ipsi vel afferre vel conferre valerent: Et juxta proportionem fidei magis vivæ & fiduciæ magis firmæ, & ipsius consolatio majora capiet incrementa.

Pati ab omnibus, & nemi.

O quàm procul abest anima, quæ semel altè insculpsit animo suavissimam directionem amorosissimæ providentiæ Dei super se, ab eo, ut turbetur vel inquietetur ex timore molestissimorum eventuũ vitæ præsentis! Nam ultra quod benè novit, nihil sibi evenire posse nisi ex ipsius ordinatione, firmissimè credit, sibique persuadet, malum non esse, mala pati; eos, qui mala tolerant, infelices non esse, sed eos, qui his afficiunt; non mandâsse nobis Deum, ut mala non patiamur, sed ut illa non inferamus; ipsumque nostræ libertati non reliquisse pati vel non pati mala, sed vel agere vel non agere illa. Ad stabiliendam pacem in animâ nostrâ, illamq; conservandam cum proximis opere exercenda nobis est illa Sanctorum Patrum parœmia *Quod oporteat mala tolerare ab omnibus, & Nemini illa inferre.* Quàm pulchrum de se spectaculum præberet anima, quæ huic se regulæ conformaret! Ipsius providentia in terris imitaretur illam Patris sui Cœlestis, qui sæpius suos tolerare facit mala, non tamen vult hæc inferre ipsos. Quàm admiranda tranquillitas foret in hâc animâ! quia non metuens pati mala, sed duntaxat inferre illa, non turbaretur malis sibi ab extra advenientibus, cùm illa veluti bona reciperet, nec à malis profiscentibus ab intra, cùm ejusmodi nun-

nem offendere affert pacem.

quam vellet committere. Pone tibi ob oculos horologium pugillare sive solarium; hoc abs eo, quod moveat se loco suo, accuratissimè tamen sequitur motus solis, illosque tuâ tibi annotat umbrâ: talis omninò esset anima, quæ nihil internæ suæ amittens tranquillitatis per omnes adversitatum externarum agitationes, firmiter inhærendo dispositioni providentiæ Dei super se, sequeretur, abs eo, quod se commoveat, motum illum permagnum, qui abs intermissione continuatur in rerum humanarum revolutione, sub regimine ac directione Patris Cœlestis, diceretque apud seipsam: Omnia sunt valde bona, quia Dei mei sic voluit providentia. Hoc unicum, si benè ponderetur, abundè sat erit ad conferendam animabus timidis securitatem & pacem.

ARGUMENTUM.

1. *Omnis hominum prudentia sua non posset in opus deducere Consilia, absq; Dei providentiâ.*

2. *Deus sæpius confundit illa, ut magis suam faciat exinde resplendere gloriam.*

ARTICULUS III.

Ambitiosus attribuit omnia propriæ suæ providentiæ.

VEnio jam ad vos, qui pro eo, quod timeatis præcedentium more, ex diffidentiâ auxilii præstandi à providentiâ Dei, ex adverso præsumptuosâ plenitis confidentiâ in vobismetipsis, quasi non indigeretis illius, solaque vestra sufficeret vobis prudentia humana, ad exoptatum effectum vestra perducendi consilia. Quandoquidem homo videt, se creatum esse à Deo, datum glorioso hoc privilegio libertatis suæ, nihil tanto anhelat affectu, quàm independenter ex se ipso, prout sibi placuerit, in omnibus agere. Diceres ipsum clam persuadere sibi, magnum Deum Cœli res superiores sibi reservâsse gubernandas, se autem Deum esse hujus mundi, & omnia inferiora gubernanda sibi juxta suam prudentiam vel providentiam, sicut Deus cuncta superiora moderatur juxta suam: putat ipse magnam hanc rotam, quâ dirigitur continua rerum humanarum devolutio, à nullo alio circumagi, quàm à solo genio & ingenio hominum; horum fortiores ac prudentiores dominium obtinere super alios, illos, qui magis ardua moliuntur consilia, majori cum constantiâ hæc prosequuntur, efficaciora adinveniunt remedia, majori utuntur dexteritate illa

illa in opus deducendi, ipsos esse, qui cuncta faciant, prout volunt, & omnia trahant post seipsos; & abs eo, quod alibi inquirant, omnia hæc attribuant soli industriæ humanæ.

Providentia humana nihil potest absque illa Dei.

Miseri terræ vermiculi, quid agere possetis, nisi ab omnipotente suffulti manu, quæ in vestro vos esse conservat, & ad omnia vestra concurrit opera? Et unde luminis acciperetis scintillam, nisi illuminaret vos magnus hic divinæ Sapientiæ sol, omnium infinita scaturigo & fons intelligentiarum? Nos æstimamus acutam, vim ingenii, si quis est, qui hoc polleat super alios; magni pendimus ipsius scientiam, hâc, si alios antecellat, & credimus nihil ipso eminere, nihil esse excellentius; & non videmus, hæc omnia nil esse, nisi parvos luminum atomos, respectu magni hujus solis, res omnes creatas illuminantis. Æstimamus ipsorum prudentiam, quod tractare noverint negotia fortitèr, prudentèr, dexterè, constantèr, quò alii pertingere non possent: Sed omnia hæc, quæ semper non nisi parva sunt, quid sint in comparationem adducta, cum infinitâ hâc providentiæ sapientiâ, quæ creata omnia tantâ gubernat cum dexteritate, ut in nullo unquam deficiat, & tantâ cum quieta, quasi nihil omninò haberet, quod ageret?

Mundus est Cythara.

Nonne ridiculum foret, si Chordæ alicujus Cytharæ seseja-ctarent, quod pulchram reddant harmoniam, abs eo, quod indigeant scientiâ vel digitis alicujus Magistri se perstringentis? Synesius appellabat totum hunc mundum Cytharam Dei, dicere volens, quod omnes Creaturæ, quæ sunt velut ejusdem Chordæ, ad concinnandam gratam hanc harmoniam, quam in ipsius gubernatione aspicimus, aliter non concurrant, nisi in quantum tanguntur à Digitis Dei, & in omnibus, quæ faciunt, diriguntur ab illius sapientiâ. Hoc bonum est, inquies, pro omnibus creaturis ratione privatis. Sed nobis quid ergò prodest hic intellectus, hæc libertas, quibus ditavit nos, nisi ut nosmetipsos regamus, sicut placuerit nobis? Respondeo primò, libertatem nostram nobis non esse datam, ad faciendum universim, quod nobis placuerit, sed tantumodò ad universim faciendum, quod placuerit Deo. Et quando vel minimùm aberramus à legibus ab adoranda ipsius providentiâ nobis præfixis, non utimur nostrâ libertate, sed abutimur.

Synesius hym. 4.

Aberramus sequendo proprium nostrum genium.

Respondeo secundò, quod nunquam non versemur in periculo errandi, quando sequimur proprium nostrum genium, propriam nostram voluntatem, abs eo, quod consulamus voluntatem,

tem DEI : quod semper labamur in errorem, quando agere volumus independenter ab illâ; quodque perdamus nos omninò, quando capimus consilia consiliis ipsius contraria. An igitur consilium sit aliquod capiendum ? An prudentia sit aliqua consulenda adversus Dominum ? Nonne ipsemet dixit : perdam sapientiam sapientium secundùm mundum & prudentiam prudentium reprobabo ? Nonne scriptum est, quod adducet Consiliarios in stultum finem, & indices in stuporem ? Nonne sæpius videmus, sapientissima hominum consilia potenti deducta manu, & singulari directa per longum tempus prudentiâ, momento citius, operâ & consilio providentiæ DEI susque deque verti ? Vidi impium exaltatum & elevatum quasi cedros Libani, dicebat Sanctus Rex David ; & transivi, & ecce non erat; quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.

Prov. 21.

1. Cor. 1.

Job. 12.

Quantos vidimus omni refertos fortunâ, minimo temporis spatio evasisse in maximos, velut fungos unius noctis; & paululùm post veluti vaporem rursus vidimus dissipatos? Ipsi ædificabunt, dicit Deus, & ego destruam, ipsi coacervabunt, & ego dispergam, ipsi credent se stare firmos, & ego omnes ipsorum fiducias subvertam : Siquidem nisi dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. Vade jam & crede, omnia evincere posse tui vim ingenii, tuamque sufficere prudentiam, ad tua exoptato eventu felicitanda consilia, abs eo, quod indigeas directione providentiæ Dei, quæ cuncta regat, ac omnibus benedicat. Ipsemet tibi dicit in scripturâ : *Sine me nihil potestis facere* : Et tu credas, te omnia posse sine illo ? Nonne timeas, unicam hanc cogitationem, maximam fore blasphemiam ? An dubites, quin jure meritissimo disperdat Deus omnia illa consilia, quæ inconsultâ adorandâ ipsius providentiâ fueris molitus ?

Quod Deus non gubernat, non potest subsistere.

Si mercenarius fores alicujus domini, nihil in domo ipsius faceres, nisi exspectatâ aut expetitâ ipsius ordinatione. Tu es in domo Dei, quæ est magnus hic mundus; tu es mercenarius, quia promittit tibi bona infinita pro mercede tua. An ergò facias, quodcunque volueris ? An potius facere studeas, quod voluerit ipse ? An præsumere audeas ? Sat mihi ingenii est, sat prudentiæ, ut meipsum in meis dirigam negotiis, non indigeo ipsius Consilio, nec directione providentiæ ipsius ; ne quidem de illo subeat mentem cogitatio. Nonne potius ipsius tibi

Faciendum nobis non est, nisi quod placuerit Deo; nam ipse est Dominus animæ nostræ.

tibi in omnibus exquirendum esset Consilium? Nonne interrogandus, an id, quod moliris, sanctissimæ suæ conforme sit voluntati? nonne efflagitandus, ut illi suam impertiatur benedictionem, illud amorosissimâ providentiæ suæ moderetur curâ? Nonne profundissima cum humilitate contestandum coram ipso? Mi Deus, ego nihil sum, nihil possum sine te, totus à tuâ dependeo potentiâ, totus à bonitate tuâ. O quàm auspicato eventu omnia tua agerentur consilia, si hâc procederes ratione! pro eo, quod de te ipso præsumens & sapientissimam providentiæ ipsius directionem contemnens, quasi ipsius non indigeres, usque adeò, ut ne quidem cogites de ipsâ, sæpius cum maximo tuo videre debeas damno ac fastidio, omnia ex adverso, quàm speraveras, evenire.

Occupatio formicarum.

Quanto compassionis affectu videatur, quâ ratione omnes penè homines se ipsos dirigant ac moderentur, toto vitæ suæ decursu? Regius Vates dicit, quod Deus prospexerit de Cœlis in terram, ut videret, an esset, qui sit intelligens aut requirens Deum; & ipse eos vidit eâ ferè ratione, quâ nos videmus innumeras parvas formicas, quæ mirum in modum laborant, ut annonarias suas domos prospiciant victu, conditioni parvuli istius popelli congruo. Vadunt & veniunt absque intermissione; vadit una, quæsitura è longinquo paleam, venit altera & mortuum apportat culicem, incedit alia parvulo onusta vermiculo, alia putridi ligni affert particulam; Et videmus omnes ita suo intentas operi, ut credere videantur nullam suâ in mundo vel majorem, vel majoris momenti inveniri occupationem. Non cogitant ipsæ de eo, quid tractetur in Consiliis principum, vel gubernatione provinciarum: nihili pendunt ipsæ omnes scientiarum quæstiones, quæ disceptantur in Scholis; non indagant ipsæ quâ ratione negotia agantur mercaturæ, vel perfectiones acquirantur artium pro reipublicæ bono; nulla ipsarum desuper discurrit, nec illas propterea arguimus, cùm nullam ejusmodi quid moliendi habeant capacitatem.

Vanæ occupationes hominum.

Sed quod videat Deus, omnes penè homines super faciem terræ dispersos, eâdem ferè ratione vivere? Si uno intuitu videre ipsos posses è loco quodam eminenti, nonne diceres, ipsos esse velut acervum parvularum formicarum, quæ in motu sint continuo, euntes & redeuntes, sese agitantes & abs intermissione laborantes circa res terrenas? inhiant hi bonis temporalibus,

magna aggrediuntur terrâ mariqúe itinera, ut eminus illa inquirant, súasqúe in domos inferant; sectantur alij honores, seqúe affligunt ad funera, ut acquirant munera; alii nonnisi voluptatum anhelant & ubivis ambiunt ille cebras; hic noctes diesque insúdat libris; alius laborat impigrè colendo terram; iste huic, alter alteri vacat & incumbit opificio; nihilominus sibi invicem conjuncti & associati negotiantur, tam circa id, quod habent; quàm quod non habent: hi decipiunt, alii datam servant fidem, & quilibet suo scopo, suo commodo invigilat, & omnes sic eo, quod agunt, occupantur, ut alteri non intendant, credantque, non esse in mundo negotium majus eo, quod tractant.

Homo terrenus non cogitat de eo, quod est supra se.

Interim non indagant, quid agant operis Angeli in Cœlo, vel Sancti, qui potiuntur jam gloriâ? non sumunt cordi, quid suæ eventurum sit animæ post hanc vitam; an immortalis hæc sit, an futura sit æternitas, vel alia vita post vitam præsentem: Contemplativis expendendum relinquunt, quid sit Deus, quidque statuendum de infinitis & adorandis ipsius perfectionibus: hæc omnia nonnisi crepundia æstimant respectu magnorum, quibus insúdant, negotiorum; quibusque totus ipsorum absorbetur animus. Et Deus, qui respicit illos è fastigio Cœlorum, videtque innumeram hanc hominum, velut formicarum incessanter se moventium, laborantium, seque pro obtentu festucæ torquentium multitudinem: Itane, inquit, hæ sint immortales animæ illæ, quas ad meam creavi imaginem, ut capaces illas redderem capiendæ Cœlorum amplitudini ac magnificentiæ? sintne hæ spirituales animæ, quas ditavi ratione, fide & tantis luminibus divinis, ut horum ductu bona inquirerent & indigarent æterna? sintne hæ excellentes illæ Creaturæ, quarum amore factus sum homo, tradidi meum sanguinem, & mortem sustinui in Cruce? an illæ hæ sint, quibus absque intermissione invigilo, providentiæ meæ nunquam non cura præcipua. Et nulla ex illis mihi intendit, nec animæ suæ, nec æternitati súæ, sed omnes reptant super terram, velut animantia bruta, quibus jus ad Cœlos sit nullum.

Exhortatio animans ad fiduciam in Dei providentia collocandam.

Gens absque Consilio & ratione, an ignoras ortam te esse conditione ac prosapiâ proximè ad illam Angelorum accedente, ut bestiarum ducas vitam, & alia in Cœlis esse bona, infinito modo terrenis illis nobiliora, quibus possidendis sis creata? Usquequò cor plumbi more tibi grave erit, ut nunquam non deorsum tendens, immergat se in terram?

terram ? usquequò non quæres, nisi vanitatem & mendacium ? Gens absque fide & absque religione, an non credis habere te Patrem Cœlestem, qui omnes tuas noverit necessitates, illisque tantâ intendat ac invigilet solicitudine, ita ut, si omnes homines, qui sunt in terrâ, alio non destinarentur negotio, nisi cogitandi de te, non ita certus fores, nihil tibi defuturum, sicut es sub suavissimâ providentiæ ipsius curâ. Itane ob oculos videas prospicere ipsum necessitatibus vilissimarum quarumvis Creaturarum, nutrire ipsum volucres Cœli, quæ nec serunt, neque metunt ;, non deserere ipsum ferocissimas in sylvis bestias, nec suis in specubus angues? Et tu metuas, ne derelinquat te in necessitate tuâ ; tu quæ perdilecta ipsius es soboles, quam solam plus amat, quam omnem simul mundum materialem ? Eccur igitur ita angeris, quasi nulla alia foret, quæ tui curam agat, providentia, nisi tua ?

Oportet rationabiliter rebus invigilare.

Non dicitur, otiandum esse, nec contemplanda semper Cœlorum sidera. Graius ille sapiens acutè satis respondit plaustrario illi, qui cum cœno se immersum videret, altâ clamavit voce : *Minerva, Minerva,* interim autem totus hæsit immobilis : Amice mi, nihil efficis, nam cum Minervâ & manum te adjicere oportet. Constat laborandum esse, & rationabilem negotiorum tuorum suscipiendam curam ; Verùm si vis omnia benè auspicatum sortiri eventum, quærito primùm Regnum Dei, & justitiam ejus, sicut mandatum est Evangelium, & hæc omnia adjicientur tibi ; Deus enim mentiri non potest, qui proprio id ore asseverat. An certus vis esse & securus, ut nihil tibi desit ex omni eo, cujus indiges ? Nec ulli ex iis tu desis, quæ DEUS tibi præcipit. Ama ipsius servitium, promove ipsius gloriam, præcipuam in providentiâ ipsius colloca fiduciam ; fidelis is amicus est, qui confidentem in se deseruit nunquam. Eheu? An nunquam capiemus, unicam cogitationem de Deo, unicum actum amoris ipsius, unicum horæ quadrantem curæ salutis nostræ impensum incomparabiter præstare omni eo, quod omnes simul homines, totius vitæ suæ decursu peragere possent, abs eo, quod Deum quærant ac respiciant.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Quod nihil censoriâ notâ perstringendum nobis in gubernatione providentiæ Dei, quamvis rationes nos lateant, ob quas hoc vel illud faciat.

Articulus IV.

Stultitia eorum, qui volunt censores agere providentiæ.

QUi magis indignè tractant & excipiunt adorandam Dei providentiam, infinitus insensatorum est numerus, qui dum nimium sibi Sapientiæ arrogant, erigunt tribunalia, seque constituendo judices, ipsius redarguunt dispositiones. Nunquam desinunt percontari illa, quæ evenire vident in mundo sensui suo contraria, & interrogant absque intermissione, Eccur hoc, & Eccur illud? Ita verò benè factum à te judicas, qui tam acuto polles judicio! suadeo tibi, ut meliore, pulchriore ac prudentiore quodam ordine disponas mundum, quàm dispositus sit; Clavum illius majori moderare Sapientiâ, quàm moderetur ipsum Dei Providentia; magis accuratè circumage Cœlorum rotas; melius ordina omnes anni tempestates; majori curâ prospice cunctis creaturarum necessitatibus, ad ipsas & alendas & conservandas; inhibe morbos, ne accedant tuam violaturæ valetudinem; Cohibe senectutem, ne corruget frontem tuam, tuasque imminuat vires; & molestis ac infestis vitæ accidentibus obsta, ne molestent ac infestent quietem ac pacem tuam. Ut quid hæc omnia non facis, cùm tantæ sis sapientiæ, tantæ in rebus agendis dexteritatis, utpote qui jus tibi assumas perstringendi sapientiam Dei in gubernatione mundi?

Imperfectiones sunt umbræ in pictura & imagine naturæ.

Interrogas, ad quid res tot inutiles, tot malæ, tot imperfectæ? An velles decumanam hanc totius naturæ imaginem suis carere umbris, quasi hæ non essent, quæ maximum decorem adjiciant picturis? An ideò in mundo rem judicas inutilem, quod nescias, cui præstet utilitatem; vel malam esse credis, quod ignores, cui serviat bono? An tuum est omnes nôsse intentiones magni hujus mundi Architecti? Et si nescias, cur hanc vel illam rem suæ inserat machinæ, an potius ipsius Sapientia, quàm tua arguenda sit ignorantia?

Quidquid providentia ordinat, est justum.

Si quæras, cur Deus nasci faciat hunc pauperem & alium divitem; Cur hunc in hoc potius loco & tempore, quàm in alio; Et cur largitur tam præclara huic dona & munera, quæ negat aliis; cur permittit tot adversitates accidere his, tot prosperitates

sperites evenire illis. Omnibus his quæstionibus,& pluribus ejusmodi, quas facere posses, nonnisi unicum habeo reponendum. Est sapientia, est justitia infinita, quæ sic disponit omnia; Et consequenter & sapientissima sunt & justissima: Sed illorum te latent rationes, cùm arcana Dei Consilia tuam prætereant cognitionem ac notitiam.

Non est ignorantium judicare libros.

Si aliquis illiteratus, nec ullius peritus characteris magnum aperiret volumen, quique cernens tot sibi incognitos characteres tali disposito ordine, literam unius figuræ, esse junctam alter alterius figuræ, esse quandoque sex simul quandoq; quatuor, quandoq; duas ad componendú aliquod verbum; insuper plures esse lineas, quarum una sequatur alteram; has esse in principio alicujus paginæ, alias in ejusdem fine. Plura ibidem esse folia, quorum hæc præcedant alia, & singula illorum particulares suos sibi impressos gerere & circumferre characteres; Si, inquam, cernens hæc omnia, ubi nihil comprehenderet omninò, interrogaret, cur posita est hæc litera in hoc loco & non in alio; quare hæc est rotunda, & altera longa; quare hæc linea, quæ est in principio paginæ, non est in ejusdem fine, & quare vigesimum folium non est quinquagesimum, diceretur illi: Amice mi, hæc ita disposita sunt ab ingenio alicujus docti hominis, & ita ab eo in ordinem hunc redacta, ut internos animi sui declararet conceptus; quod si unicam duntaxat paginam transponeres in locum alterius; quid dico paginam? unicam solummodò lineam, aut lineæ verbum, aut verbi literam, jam lituram, maculam & perturbationem ipsius adsciscerés operi: hæc omnia ita disposita esse oportet, ut serviant intentioni ejus, qui hoc contexuit volumen.

Et si is attentare auderet, & sese hujus operis constituere censorem, dicendo: videtur mihi, multò melius futurum fuisse, si omnes literæ huc collocatæ ejusdem omninò fuissent figuræ; vel saltem illæ, quæ ejusdem figuræ sunt, simul conjunctæ & unâ serie collocatæ, abs eo, quod ita inter se fuissent commixtæ; melior hic fuisset ordo, si omnia verba ejusdem fuissent magnitudinis, & singula æquales numero in se continuissent litteras, quot apices hoc, totidem & illud; ut quid hæc sunt tam parva, alia tam magna? Nulla in hoc apparet justitia. Responderetur illi. Stupide, nihil intelligis: Si dispositæ essent res, uti dicis, & sensu & ratione careret totum hoc opus, totum uti est, est bonum: ingenium abs comparatione tuo excellentius tam sapienter id

disposuit; & hujus rationem si nescias, tuæ attribuendum ignorantiæ, quæ tanta est, ut id capere non valeas.

Mundus est magnus liber Dei.

Magnum volumen Dei est is, quem aspicis & consideras, mundus; Omnia sæcula sunt velut illius paginæ, quorum unum sequitur alterum; omnes anni sunt velut ejusdem lineæ; & omnes diversæ creaturæ, quas in ordine, serie & connexione, uti cernuntur, dispositas vides, sunt velut illius literæ, quæ per expertam magni hujus Auctoris manum, exactè eo sunt loco ac ordine collocatæ, quem tenere debent, ad significandos æternos ipsius conceptus, & promovenda Consilia prudentiæ ipsius. Si quæras, quare una Creatura perfectior sit alterâ, & quare hæc posita sit prior alterâ; & quam ob causam hic natus sit in hoc loco, & non ducentis milliaribus abhinc; cur tali tempore, & non duobus sæculis vel ante vel post: hoc idem est, ac si quæreres, quare talis linea in libro aliquo posita sit in tali paginâ, & non in aliâ; respondebitur enim tibi, hæc omnia ita composita esse ab intellectu infinito modo sapiente, & ipsummet omnes Creaturas, proprio suo loco, quem occupare debent, collocâsse; eisdem suum, quem servare debent, assignâsse ordinem, ordinâsse connexionem, quam custodire debent, cum aliis, velut totidem alicujus libri characteribus, ad significandum id, quod in divino suo concepit intellectu.

Quis es tu, qui ipsius audeas corrigere opus, vel qui attentes unicum tantùm verbum vel literam mutare è loco & ordine, quo illam collocavit? An Consiliorum suorum æternorum te fecit participem, ut omnes ipsius cognoscas cogitationes, meliusque illas exprimere valeas, quàm fecerit ipse per hanc Scripturam? quod si comprehendere nescias omnium, quæ ordinavit providentia ipsius, rationem, nonnisi ignorantiæ tuæ attribuas, nec illius fugillare audeas Sapientiam.

Quare Deus permittat peccata.

Dum velles, ut non permitteret tot peccata, quot quotidie committuntur in terrâ; idem est, ac si velles, quod Deus non creâsset homines liberos, quod maximum omninò ornamentum tolleret è mundo: dum velles saltem, ut quantocyus illa severissimè puniret; idem est, ac si nolles, quod misericordiæ, & patientiæ suæ splendorem effunderet super indignos, quo spoliaretur uno è pulcherrimis & gratiosissimis Divinitatis suæ lineamentis. Sed quod magis te offendit, quodque capere non potes, est, quod sæpius malos repleat prosperis, & plerumque bonos affligi permittat: quæ enim in hoc providentiæ cura?

Et

Et quæ justitia bona malis, & mala facere bonis?

Cur Deus benè faciat malis & malè bonis.

Respondeo tibi, providentiam Dei ita procedere, quia justa est: Et mirum videri non debet, quod maximi quandoque peccatores fruantur prosperitate, sanctissimi quique homines adversitatibus obruantur innumeris; Sed potius admirandum est, quod amici Dei unquam vel minimâ potiantur consolatione, vel inimici ipsius leviſſimâ infestentur molestiâ toto vitæ suæ curriculo. Quare hæc omnia? quia Deus est justus, quod que, cùm verum sit, ipsum nullam relinquere culpam absque punitione, nullumq; bonũ opus absq; præmio, nullus sit tam justus, qui non commiserit aliquod malum in vitâ suâ, quod pœnam non mereatur: Et quia pro illo nullam habet pœnam post hanc vitam, sed ipsi præparat bona omninò pura absque alicujus admixtione mali, videtur ipsius requirere justitiam, ut providentia nonnisi malis ipsum obruat in hâc vitâ, quasi absque ullâ admixtione boni. Ex adverso certum omninò est, neminem tam esse perversum in mundo, qui non quandóque aliquid præstet boni, quod suum mereatur præmium; Cùm autem præmium post hanc vitam exspectandum non habeat, sed ipsi præparata sint mala absque ullius admixtione boni: æquum est, ut providentia ipsum bonis repleat tempore vitæ suæ, abs eo, quod ullo ipsum aggravet & premat malo. Ecce quare dixerim, mirum esse, quod non nunquam videantur justi prosperitate & consolatione frui in vitâ; & econrra malis & adversitatibus impleri vitam peccatorum; & hoc ex eo, quia Deus justus est. Non est perstringenda dispositio providentiæ in prosperitate malorum & adversitate bonorum, cùm exinde resplendeat & magis & magis stupenda.

Timere debet peccator videns se beatum.

Quantam timendi tu ansam habes, qui Deum non times, abundans nihilominus benedictione dexteræ ipsius? An quidpiam sit, quod magis affligere te debeat, quàm consolationes tuæ', aut magis te contristrare, quàm gaudia tua? Dum nimirum ita tecum discurris. Ego reum me novi plurium magnarum noxarum, bonum autem, quod operor, quasi nihil est: nihilominus parum hoc, quod boni facio, abundanter remuneratur mihi Deus in hâc vitâ, & abs pœnâ mea abire permittit peccata. An dubitandi locus est, quod, dum adeò liberaliter recompensat parum quod facio boni, severissimè quoq; mulctaturus sit multa & magna, quorum reus sum, crimina, ex eo, quod infinito modo sit justus? Et si me non puniat in præsenti

vitâ : infallibilis est nota, ipsum omnem, quam promerui, pœnam, mihi reservare pro æternitate. Quis est, qui attentè considerans hanc veritatem non contremiscat, qui peccatorem se novit, & beatum?

Justo lætandum in cruce suâ.

Sed quanta vobis consolatio fideles Deo animæ, quæ in vestrâ vos innocentiâ continuis afflictionibus oppressas videtis ab ipsius providentiâ, quasi multis criminibus essetis obnoxiæ? Et si magnam vestram possetis capere felicitatem, cum magno Apostolo vobis foret dicendum: Superabundo gaudio in omni tribulatione meâ. Siquidem cogitate vobiscum: verum est, vitam meam à pluribus peccatis non esse illimem ac liberam; opitulante tamen gratiâ Dei malum odi, ipsique placere studeo. Video justitiam ipsius, pluribus virgarum ictibus, quos sentio, mea mulctare peccata; bonum hoc mihi, quia bis non puniet in idipsum: interim mercedis nihil recipio pro bonis operibus, suffragante ipsius adjutorio à me factis: an dubitare possim, quin pari utatur justitiâ, vi cujus sicut non relinquit malum sine pœnâ, sic nec relicturus sit bonum sine præmio? Nullum mihi exsolvit stipendium ob impensa mea obsequia in hâc vitâ: evidens ergò hæc nota est, ipsum omnia bona, quæ dare mihi vult, reservare pro æternitate. O quàm ingens solatium animabus bonis, dum immersas se vident amaritudine Crucis, quâ scatet vita ipsorum! O quàm longè absunt, ut moveantur invidiâ ex prosperitate aliorum! Sed potius adorant providentiam, tam severè secum agentem, benedicunt manum se percutientem, & ex toto corde dicunt ipsi cum Sancto Augustino: percute domine, seca, scinde in frusta, crema, puni me in hâc vitâ, modò misericordiam mihi exhibeas in æternitate: *Hic ure, hic seca, modò in æternum parcas.*

ARGUMENTUM.

1. *Illi, qui omnia attribuunt fato vel fortunæ, agnoscunt providentiam Dei, quam aliis nominibus involvunt.*

2. *Omnis nostra in eo consistit felicitas, si nos relinquamus providentiæ Dei.*

ARTICULUS V.

Nomen Factum indignum est ore Christiano.

Est aliud adhuc genus hominum, qui cæteris omnibus tractant indignius providentiam DEI; siquidem cùm ipsam omninò negare non possint, sicut vellent,

vellent, eam sub profanis abscondunt nominibus, necessitatis, fortunæ, fati, quæ verba Christiano prorsus indigna sunt ore. Ad hæc dicunt, quod in mundo non sit, nisi fortuna & infortunium; quod nolens volens quilibet debeat sequi necessitatem fati sui, cujus nos dominium non habeamus. Quod fortuna rideat his, aliis obvertat dorsum, cujus alia ratio dari non possit, nisi quod unus bono, alter malo stringatur fato. Ejusmodi discursus plerumque formant homines & ratione & moribus perditi, qui nec vivendo, nec judicando ullis subsunt legibus, æqualiter in hoc & ignari & malitiosi.

Explicari non potest, quid sit harum vel fortuna.

Inprimis sunt supra omnem modum ignari, si enim interrogentur, quid intelligant per hanc necessitatem, hanc fortunam, hanc fatalitatem omnia gubernantem, aliud respondere nesciunt, nisi quod sit nescio quid, quod potestatem habeat super nos, quod disponat ac ordinet nostros eventus, quod illos vel bonos reddat vel malos, prout sibi placuerit, quodque nos pro arbitrio suo gubernet, abs eo, quod ipsi resistere possimus; sed dicere quid sit, hoc arcanum esse omnem nostrum excedens captum. Ecce ergò ipsorum ignorantiam, quam fatentur.

Sed major adhuc ipsorum est malitia: siquidem cùm volentes nolentes nunquam non in fundo cordis sui insculptam circumferant, illam malitiosè captivam detinent, tanquam ream injustitiæ: si ipsos urgeas ad respondendum, necessariò tria fateri coges, quibus deducantur ad cognoscendam in veritate providentiam Dei. Inprimis nescio, an id, quod plenam in nos habet potestatem, quodq; fatum tu appellas, esse debeat potentia quædam suprema & independens? oportet, quod ita, eò quod ipsa imperium teneat & legem det omnibus, abs eo, quod ullam ab altero recipiat. Ergò est verus Deus, cùm nullum Ens sit supremum ac independens, nisi solus Deus. Secundò hæc potentia suprema, estne intellectiva & sapiens? Necessariò sic dici debet, cùm ipsa sit, quæ gubernet omnia, gubernatio autē nullius est, quod careat ratione & prudentiâ. Sed non solùm debet esse intellectiva & ratione prædita; sed omnem alium transcendere debet intellectum, cùm ipsa sit, quæ gubernet omnia tam admirandâ industriâ ac dexteritate, omnem ut nostrum effugiat captum. Ergò providentia hæc est, quæ congrua novit adhibere media, deducendi cuncta ad præfixum sibi finem. Tertiò hæc potentia suprema &

Negantes Providentiam, fatentur ipsam se, invitis.

intellectiva, habetne libertatem integram faciendi id omne, quod voluerit? hìc nullus dubio locus, cùm sit illa, quæ omnia disponat, prout sibi placuerit; Est igitur hæc providentia divina; cùm Deus solus sit, cujus voluntas tam absolutum habeat pimerium, ut nihil ipsi resistere possit.

Providentia obvelata aliis nominibus.

Cùm ergò agnoscas potentiam aliquam absolutam, intellectivam & liberam, confiteris veritatem providentiæ Dei; sed malitiosè nuncupas illam nomine necessariæ cujusdam ordinationis, quasi ulciſci de illâ te velles, quod credas ipsam abstulisse tibi libertatem tuam, teque absolutâ necessitate eò cogere, ubi resistere non possit: injuriosè ipsam appellas fatalitatem, eò quod videas, quod aliquos tractet lenitèr, alios severè, cujus nesciens rationem dicis, non dari in mundo nisi felicitatem vel infelicitatem, & quemlibet sequi debere bonam vel malam sortem fati sui: ignoranter insignis illam nomine fortunæ, cùm sæpius evenire videas accidentia improvisa & successus prorsus inopinatos, susque deque vertentes consilia hominum; & cùm hujus te lateat ratio, affirmas, hanc esse fortunam cœcam, quæ sæpè sæpius totum contrarium faciat rem sortiri eventum. Sed melus consule propriam rationem tuam, & luculenter videbis, in admirandâ dispositione & gubernatione providentiæ Dei, nec necessitatem dari, nec fatalitatem, nec fortunam: nihil est hìc necessitatis, cùm libertas tua tota persistat integra; nihil est hìc fatalitatis, cùm ex æquo dispensentur tibi & bona & mala; nihil hìc est fortunæ, quia nullus unquam contingit casus, qui non fuerit & prævisus & sapienter directus à Providentiâ Dei.

Providentia non tollit libertatem.

Quantùm concernit necessitatem, quomodò non vides, errorem esse, quod tibi persuadeas, providentiam Dei ordinationem esse, quæ te necessitet, tuamque tibi tollat libertatem? Nam si necessiteris inevitabili quâdam ordinatione, unde venit, reliquos homines, qui ejusdem tecum naturæ sunt, non pari ratione necessitari? probè videmus omnes lapides deorsum tendere, omnia flumina devolvi in mare, omnes lampades & faces illuminare, & universim omnes Creaturas ratione privatas ita dirigi & gubernari per leges æternas Creatoris sui, ut necessariò illas sequantur, cùm libertatem non habeant aliâ ratione se dirigendi. Sed omnes homines non eandem sequuntur inclinationem, vix videas duos, qui in omnibus eundem vivendi modum teneant; videntur facere liberè omne, quod volunt: non ergò datur necessaria

saria quædam ordinatio pro ipsis.

Peccatum ostendit, providentiam relinquere libertatem.

Si providentia esset necessaria quædam ordinatio, quæ necessariò impulerit te eò, quò vellet, an permitteret te unquam quidquam facere contra voluntatem suam? An patrare te sineret tot peccata, tot actiones inordinatas sibi displicentes, quasque condemnat? Nonne tot habes experientias, tantum abesse, quod voluntas Dei impellat & cogat voluntatem tuam quâdam necessitate, ut potius contrarium sit verum, quod tua nimirum sæpè ipsius trahat voluntatem, hæcque si illi accommodet, quod tibi placuerit, dumque ipsum oraveris, tuæ annuat petitioni? hoc est, quod tibi promittit in Evangelio: quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis. Quoties visa est suum interrupisse cursum providentia ipsius in gubernatione rerum naturalium, ut sese accommodaret voluntati hominum? Interrupit cursum solis ad orationem Josuë; interrupit activitatem ignis ad preces trium puerorum in fornace Babylonis; interrumpit & nunc cursum infirmitatis, quæ rapiebat te ad limen mortis, quia rogas illam. Tandem infinitus ille miraculorum numerus, quæ in vitis Sanctorum recensentur, nonne sunt totidem Experientiæ, quæ voluntatem Dei flectunt ad illam hominum contra assuetas providentiæ suæ leges? Et tu dices, hanc esse necessariam quandam ordinationem, officientem libertati nostræ, illamque inevitabiliter trahentem, quòcunque voluerit?

Cur aliqui justorum habeant cruces, alíqui consolationes.

Verùm si admittenda non est necessitas hæc, vel necessaria ordinatio loco divinæ providentiæ, multò minus admittenda erit fatalitas quædam, vel nescio quæ bona aut mala sors, quæ constituat omnem felicitatem vel infelicitatem mundi. Verum est, inveniri quosdam, quorum tota vita repletur & abundat adversitatibus; & alios, qui suaviter quiescere semper videntur, in continuâ quâdam prosperitatum successione ac serie. Sed hæ amabilissimæ sunt dispositiones providentiæ Patris Cœlestis, deducentis ambos ad fines suos per media, quæ videntur sibi magis congrua ac idonea. Aliqui flectuntur beneficiis & in fideli Dei servitio conservantur, sicut filii Israelis in deserto, quamdiu deliciosè per manna fuerant nutriti; Alii, qui abuterentur fortassis hoc dulcore, conservantur velut mare, agitationibus, amaritudine salis & acrimoniâ.

Vel fortassis illi, qui tot abundant prosperitatibus, quosque mundus

mundus felices arbitratur, sunt infelices illi, quos remuneratur Deus in vitâ hâc mortali, ob præstita quædam parva bona opera, ut in omnem æternitatem ob magna sua peccata puniat ipsos. Et illi, qui tot obruuntur adversitatibus, quorumque malam sortem deplorat mundus velut miserorum ac infelicium, sunt econtra felices ac beati, quibus Deus in hoc mundo infligit pœnam aliquorum, quorum rei sunt, peccatorum, ut infinitis in omnem æternitatem ipsos afficiat & repleat bonis; in quo Deus mirum in modum resplendere facit justitiam providentiæ suæ, sicut jam diximus.

Nihil fortuitum est respectu Dei.

Adhæc manifestum omninò est, quod nulla facienda sit mentio fortunæ inter Christianos, qui nôrunt omnia tam accuratè gubernari ab ordinatione providentiæ divinæ, ut ne quidem absque hujus nutu, unicus capitis nostri capillus periret, aut decideret :|: Id, quod nos arbitramur inopinatum quendam eventum, & opus bonæ vel malæ fortunæ, potest reipsâ esse casus fortuitus intuitu hominum, qui ipsum non poterant nec prævidere, nec exspectare; sed respectu Dei talis non est, sed est dispositio providentiæ ipsius, quia omnia hæc scivit & voluit ab æterno. Homo ille desperabundus, cùm amplius portare non posset molem miseriarum, quibus ob paupertatem suam obruebatur, quærebat funem ad se suspendio necandum; sed loco hujus invenit thesaurum, qui ipsum illicò & à morte & à vitæ miseriis liberavit. Nos judicaremus hoc esse accidens, casum fortuitum & bonæ ipsius fortunæ effectum; sed reipsâ fuit misericors & benigna dispositio providentiæ Dei impedire volentis ipsius interitum, efficiendo, ut ibi inveniret vitam, ubi inquirebat mortem.

Fatum peccatorum ipsorum sunt passiones.

Ita, fateor esse speciem quandam necessitatis & fatalitatis pro certis personis, quæ trahuntur, quò ire nollent, quibus nulla quasi amplius superstes est libertas in actionibus suis: Sed hæc concupiscentia vestra est, cui laxâstis frœnum & tale ipsi in vos concessistis imperium, ut ad necessitatem quandam ipsi obtemperandi deducat vos, & vivendi more bestiarum: hæc inordinatio vestrarum est passionum, quæ eò usque rationi vestræ dominantur, ut, sicut videtur, vix amplius vobis sit eisdem resistendi potestas: & ne turpissimæ hujus servitutis probro noteris, affirmas, id esse inevitabilem quandam ordinationem, & infelicem fatalitatem, quæ te cogat, te necessitet. Sed miserias tuas non attribue nisi inordinationi vitæ tuæ, nec passiones

nes tuas ulterius tibi dominari permitte, animosè refræna & edoma illas, uti auxilio gratiæ Dei munitus facere potes, quo te spoliari non permittet ipsius providentia; & liber eris ad faciendum, quidquid tibi placuerit.

Votum animæ non habendi amplius libertatem ad offendendum Deum

Eheu! Conqueri non debemus, quod providentia Dei nobis tollat libertatem nostram; Sed potius dolendum nobis foret, quod nimium ejusdem nobis relinquat dominium. Quid facio, mi Deus, libertate hâc, quam dedisti mihi, nisi quod pessimè abutar illâ. Ah! resume illam mi Deus, & ita integram ipsam posside, ut nunquam amplius faciam deinceps, quod voluero, sed semper, quod tibi placuerit. O si nunquam te offendendi habuissem libertatem? O si nunquam libertatem mihi relinqueres, separandi me à te vel momento unico? Itane, Divine mi Pater, non sum filius tuus? Itane amabilis mi Conservator, non semper me portas in sinu tuo? Nonne paternæ tuæ providentiæ præcipua sum cura? An minus me amas vermiculis terræ? Non permittis ipsis liberratem displicendi tibi, ut quid ergò ipsam relinquis mihi? aufer à me, Domine, aufer à me libertatem hanc; resume illam, quia bonum est, quod spectat ad te, quoque ego tam malè abusus sum; volo exspoliare me illâ in perpetuum, totam immergens ipsam unicæ & soli gubernationi adorandæ tuæ providentiæ. Fac ex me, quidquid tibi placuerit, dirige me, quò tibi placuerit, Cœcum in morem ubique sequar te, & aliam deinceps nolo libertatem, nisi illam, quâ liceat mihi dependere in omnibus & per omnia à directione tuâ.

CONSULTATIO XVII.

De Prædestinatione, quæ est præcipua pars providentiæ.

ECce tibi Secretum maximum: hæc ingens est curiositas, quæ nullo non tempore torquebat, nec torpere permisit ingenia. Nosse quid Deus determinaverit nobiscum in æternis providentiæ suæ decretis; an nomina nostra scripta sint in libro vitæ; an reliquerit nos in funestâ exclusione ab hâc felicitate æternâ, quam non præparat nisi electis. Quid faceremus, ut

certò nôssemus, an simus è numero prædestinatorum aut reproborum? Sed hoc ingens secretum Dei est, quod reservavit sibi soli.

Quid sit prædestinatio & reprobatio.

Omnia, quæ cognoscerè nos finit circa prædestinationem, Ecce tibi. Novimus esse decretum quoddam æternum divinæ voluntatis, vi cujus ipsa determinat ante omnia sæcula eligere aliquos, ut sint è numero electorum suorum, relinquens alios hoc numero excluſos. Illi, quos elegit, ut sint è numero prædestinatorum, sunt ipsius dilecti, quibus omnia suppeditat media necessaria ad assequendum finem beatum, pro quo ipsos elegit; & illi, qui non sunt ex hoc numero, ipsimet contra voluntatem illius, damnationis suæ æternæ arripiunt media.

Indifferens est, an prædestinatio supponat vel non peccatum Adæ.

Parvi refert, dicere, prædestinationem hanc supponere vel non supponere totam massam hominum peccato protoparentis nostri infectam. Nam quemadmodum ex universâ naturâ Angelorum, quamvis omnes in statu gratiæ creati fuerint, una solummodò pars fuit prædestinata, quia benè coöperando gratiæ, fideliter & perseveranter adhæserunt Deo, dum alij fuêre reprobati, quia gratiæ non cooperantes, rebellionem moverunt adversus Deum: Sic quando omnes homines non nascerentur cum peccato, sed cum gratiâ, una pars posset esse prædestinata, eò quod fideliter gratiam collatam impendendo perseveraret usque in finem, ut salvaretur; & altera posset etiam esse reprobata, eò quod excidens gratiâ moreretur in peccato. Sed in præsenti rerum statu, ubi universa natura humana inquinata est peccato primi parentis, omnes ipsius filij nascuntur filij iræ, ita ut nec unicus adscribi mereretur libro vitæ, absque inæstimabili beneficio prædestinationis. Hæc est, quæ exinde certum eligit numerum, quem separat à massâ illâ corruptâ, ut vocet ipsos ad cognitionem DEI, ut ipsos justificet gratiâ suâ & tandem ad salutem perducat vigilantiâ paternæ suæ providentiæ. Sanctum Evangelium nobis affirmat, horum numerũ valde esse parvum. *Pauci Electi*, respectu longè majoris numeri eorum, qui inde excluſi sunt, & in æternum privati manebunt ingenti hâc felicitate.

Ne interroges, quare DEUS elegerit potius hos, quàm illos, eò quod omnes eidem miseriæ invenerit obnoxios. O DEUS! Cavesis hanc velle scrutari abyssum, nisi hîc velis perire: Adoranda sunt decreta divinæ ipsius voluntatis, & cum magno dicendum Apostolo: *O Altitudo!* quis es, qui audias interrogare DEUM, quare hoc fecerit?

Nempe

An prædestinatio fiat ex meritis bonorum operum

Nempe an eorum, quos elegit, considerauerit bona opera, prævidensque totam ipsorum vitam usque in finem his fore confertã, ex hâc ratione determinauerit præparare illis coronas gloriæ in æternitate; vel an absque respectu ad illorum bona opera, elegerit ipsos, quos voluit, ex purâ suâ misericordiâ, destinando illas ad vitam æternam, nolens tamen hujus possessionem, dare, nisi eam prius promeruerint per bona sua opera. Hæc est quæstio, Circa quam Theologi non conveniunt. Aliqui, inter 1. p. q. 25. a. 5. quos Sanctus Thomas magnum aliorum, qui Sanctum Augustinum pro se habere contendunt, numerum post se trahens, arbitrantur, quod DEUS aliud motivum non habeat, nisi puram suam misericordiam, in electione prædestinatorum; quodque licet includat reipsâ prævisionem bonorum operum in electis, hæc tamẽ non respiciat velut motiva vel causas, sed velut effectus & consequentia ad prædestinationem, vel velut media ad obtinendas coronas, quas prædestinatio illis præparat: & hi indubitatæ huic regulæ innixi ita argumentantur: In naturali rerum ordine, omne agens rationale vult finem, antequam velit media necessaria ad obtinendum finem: Sed beatitudo est finis ulimus electorum, & bona opera sunt media ad hunc finem obtinendum: ergò DEUS vult illis beatitudinem, antequam respiciat illorum bona operâ.

Alij, uti Sanctus Bonaventura, quem ingens Theologorum Celeberrimorum idem sentientium sequitur numerus, firmiter tenent, quod, cùm prædestinatio sit actus justitiæ non minus, quàm actus misericordiæ, DEUS respexerit merita illorum, quos prædestinavit, sicut respexit demerita illorum, quos reprobavit: ita ut non elegerit ad gloriam illos, quos prævidit se hâc non reddituros per bona opera sua dignos; sicut etiam non reprobavit, nisi eos, quos prævidit se dignos æternâ damnatione reddituros ob magna sua peccata: innixi alteri huic regulæ, quæ non minus præcedente certa est; quod præmium vel pœna necessariò supponat meritum vel demeritum, siquidem nullus unquam justus Judex decernit præmia, nisi his, qui illa promeruerunt, nec pœnam nisi ijs, qui per aliquod Crimen se illâ reddiderunt dignos. Cum ergò gloria sit præmium & recompensatio prædestinatorum, & æterna damnatio pœna & supplicium reproborum; impossibile est, quod, cùm DEUS sit Judex infinito modo justus, prædestinaverit hos ad gloriam, & illos reprobraverit ad infer- 2. p. dist. 41. q. 1.

num nisi intuitu operum ipsorum vel bonorum vel malorum. Fateor, asserere difficile est, quænam è duabus sententijs propius ad veritatem accedat; Securè tamen amplecti licet, quæcunque magis placuerit; Cum certum sit, utramq; esse Catholicam, & utramq; convenire in puncto, ad quod Credendũ nos fides obligat; nempè, quod impossibile sit Christiano, postquàm attigit usum rationis, absque bonis operibus salvari. Sed aliqui dicunt, bona opera esse motiva prædestinationis, alij verè volunt esse prædestinationis remedia. Verum quid interest quod dicatur, prædestinare DEUM electos ob bona sua opera, vel prædestinare illos ex bonis suis operibus, ut sint ex numero Electorum?

Duæ sententiæ conciliari possunt.

Adhæc nonne conciliari inter se possunt, & dici ambos suas habere rationes: Si asseramus, beatitudinem, ad quam omnes electi sunt prædestinati, tribus modis considerari posse, vel tanquam ultimum ipsorum finem, vel tanquam ipsorum recompensationem, vel tanquam ipsorum hæreditatem? Si aspiciamus illam, velut ipsorum ultimum finem, certum est, Deum primitùs illis voluisse hunc finem beatum; & posteà determinâsse ipsis bona opera, velut media, quibus ad ipsum pertingant. Si aspiciamus ipsam, velut ipsorum recompensationem, certum est, Deum primò respexisse ipsorum merita, & posteà decrevisse illis gloriosam hanc recompensationem. Si denique ipsa aspiciatur, velut ipsorum hæreditas, certum est, DEUM nullum habuisse respectum ad proprium ipsorum meritum, sed duntaxat ad eum, quo perfruentur, honorem ac favorem, ut existant filij DEI: & sub hoc titulo omnibus infantibus post Baptismum, per quem adoptantur in filios Dei, morientibus, beatitudinem elargitur.

Ecce paucis tibi verbis doctrinam Catholicam circa prædestinationem; quam videbis copiosam subministrare materiam pro Consultatione maximi ponderis, ad consolationem certæ cujusdam animæ.

AR-

ARGUMENTUM.

Quod incertitudo, an simus è numero prædestinatorum, vel reproborum, neminem debeat inquietare, cùm certum, nos fore salvandos, si velimus.

Articulus. I.

JUcundum erat spectaculum, videre pugnas antiquorum illorum Anachoretarum, concedentium in desertum ad provocandos dæmones, & singulari certamine pugnandum cum illis, velut in amphitheatro, ubi, cùm abscondi ti essent oculis hominum, alios non volebant spectatores, nisi oculos DEI & Angelorum: militaria sæpius tractabant consilia, ubi antiquiores velut magis experti instruebant juniores, detegendo illis dolos inimicorum salutis nostræ.

Duo Eremitæ formant hanc Consultationem.

Refertur in vitis Patrum, duos simul habitantes Eremi cultores, in magnâ vixisse concordiâ & animorum consensu, quorum unus admodùm senex, alter valdè juvenis fuerat. Hic sustinuit à principio vehementes assultus à diabolo, circa argumentum prædestinationis; dicebat namque illi: quid agis hic? Eccur enecare te vis austeritatibus, & tuam consumere juventutem tantis laboribus, quæ nullibi tibi erunt emolumento? An ignoras tuam jam determinatam esse sortem in æternis decretis DEI? Vel es ex numero prædestinatorum, vel es ex numero reproborum? quidquid sit è duobus, jam determinatum est de te, quidquid egeris, infallibiliter eveniet; Et quod decreta DEI nulli subjaceant mutationi. Si es ex numero reproborum, quando solus cunctis sanctorum austeritatibus te afflixeris, reprobatus semper manebis, quia decreta DEI sunt invariabilia. Si es ex numero prædestinatorum, quando commisisses omnia maximorum peccatorum crimina, nunquam non manebis prædestinatus, quia æterna decreta DEI nunquam mutantur, benè ergò vides, quidquid molitus fueris, nulli tibi fore emolumento.

Tentatio ordinaria diaboli circa Prædestinationem.

Hic discursus, qui plausu excipiendus ipsi videbatur, tantâ affecit ipsum inquietudine, ut totus desolatus ac pusillanimis bonum accederet senem: Mi Pater, inquiens, quid facimus hic? An putamus nos immuta turos decreta DEI? Si sumus prædestinati, cur tantis nos exercemus laboribus ad acquiren-

das coronas, quæ certæ sunt nobis, cùm DEO placuerit formare decretum æternum donandi nobis illas; quod decretum, quidquid contigerit, nunquam mutabitur? Et si sumus ex numero reprobòrum, eccur anticipemus infernum nostrum per vitam tam rigidam, & austeritates has, quibus in nosmet ipsos sævimus, eoquod omnibus nostris rigoribus immutaturi non simus decreta DEI, quibus nos perdere se resolvit. Bonus hic pater illicò videns; unde hæc illi periculosa exorta persuasio, amplexans & animans ipsum. Ludibrio habe, inquiebat ipsi, ludibrio habe fili mi hanc illius fraudem, qui pater est mendaciorum, & ut ipsum confundas, propriisque armis ipsum jugules, interroga ipsum.

Repellendus diabolus propriis suis armis.

Quid ergò tu ipsemet hìc facis, ô monstrum infernale? quare venis & inutiliter laboras, ut me seducas, tecumque in tuum præcipitem agas barathrum? An ignoras decreta DEI esse immutabilia? Si sum prædestinatus, frustra agis, incassum contendis & tentas, te etiam invito, te reluctante salvabor; tuque tuo frustraris labore, dum in interitum me trahere conaris contra decreta DEI? Si sum reprobatus, non habes quod labores, non est, quod agas; nam abs eo, quod quidquam ex parte tuâ contribuas, decretum DEI adimplebitur. Quid habes, quod ad hoc respondeas? Cur igitur ita universam perambulas terram, ut homines tentes, cum omnibus tuis dolis ac technis, quas tibi tua suggerere potest malitia, immutaturus non sis decreta DEI? Apage ergò te in ignem infernalem, ubi comburendus exspecta effectum æternorum decretorum DEI super filios hominum, & amplius ad tentandum nos ne redeas. Sed postquam ipsum hâc ratione per seipsum confuderis, interrogabis illum.

Decreta Dei debent impleri per bona nostra opera.

Quare igitur unigenitus Dei Filius è Cœlo descendit in terram, eo fine, ut nos Cœli viam suis doceret exemplis? quid nobis opus est ipsius Evangelio, quid cunctis instructionibus, quibus nos imbuit & docet ambulare viam Cœli, & evitare illam inferni? Quid opus fuerat, ut suos mitteret Apostolos in universum mundum, ad imbuendos idololatras salvificâ fide; velut tot sæculorum decursu animaret Zelum tot prædicatorum Apostolicorum ad excitandos peccatores ad pœnitentiam? Siquidem hæc omnia vana sunt & frustranea, cùm decreta DEI immutabilia sint, omnesque, qui prædestinati sunt, absque his venturi sint in Cœlum, sicut & omnes reprobi, his non obstan-

stantibus detrudendi sint in infernum? quid opus est agere pœnitentiam, exercere bona opera, recipere Sacramenta, & obire omnia Religionis Exercitia, cùm decreta DEI, quia invariabilia sunt, semper suum sint habitura effectum, quidquid contigerit? An ergò ex hoc principio rescindenda forent omnia bona è mundo, & omnibus malis aperienda porta, & perditè omnibus vivendum, abs eo, quod aliud agant, nisi quod Executionem exspectent decretorum DEI, quæ infallibiliter adimplebuntur, quidquid egerimus: Non pudeat te maledictè averni Spiritus, ejusmodi stabilire velle regulam, unde tam abominandæ deducuntur consequentiæ.

Efficax solatium nobis à Deo datum.

Verùm si insolenter approbaverit has ipsas, qui non nisi malis delectatur maximis, pete ab ipso, ut dicat tibi: quare ergò dixit nobis DEUS in Prophetâ Ezechiele: *Si dixero justo, quod vita vivat* (vitâ æternâ, quod idem est ac dicere; tu es prædestinatus) *Et confisus in justitiâ suâ fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, & in iniquitate, quam operatus est, in ipsâ morietur.* Et exin in eodem loco adjungit hæc formalia: *Si autem dixero impio, morte morieris* (morte æternâ, quod idem est ac dicere; tu es reprobatus) *Et egerit pœnitentiam à peccato suo, fecerit-que judicium & justitiam, vitâ vivet & non morietur.* Ah! quomodò hoc dicis Domine, cùm æterna tua decreta omninò nullam admittant variationem, omniaque tua verba sint ipsissima veritas? Id circò asseveró ipsemet tibi, dicit alibi: *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum, adversus eam: Agam & ego pœnitentiam* super malo, quod locutus sum, ut facerem ei. Nonne expressè dixerat Ninivitis; quod ipsorum Civitas intra quadraginta dies sit subvertenda? Et nihilominus, quia pœnitentiam egit, conservata fuit. Nonne dixit Regi Ezechiæ, quod intra paucos dies sit moriturus? Et nihilominus, quia ex contrito lachrymatus est corde, vixit adhuc quindecim annis. Dicamus, quidquid voluerimus de immutabilitate decretorum Dei, unanimiter sentimus, infinito modo vera omnia ipsius esse verba. Sed oraculum Sancti Ambrosii est quoque verissimum: *Novit DEUS mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum.*

Ezech. 33.

Jerem. 18.

Lib. 2. in Luc.

Deus novit mutare sententiam, si mutem meum animum.

Quidquid ergò sit de æternis DEI decretis, quæ adoro, abs eo quod capiam; quidquid mihi dici possit de reprobatione vel prædestinatione meâ; quando

do etiam Angelus è Cœlo loqueretur mihi, & DEUS ipse proprio ore mihi diceret: Tu vives in æternum quia justus es; certissimus tamen semper sum, quod, si lapsus fuero in peccatum, & in illo usque in finem perseveravero, æternâ sim morte periturus: DEUS benè noverit mutare sententiam, si vitæ meæ mutavero rationem. Et quando expressè mihi diceret: Tu morieris in æternum, quia peccator es; semper quoque certissimus sum; quod, si egero pœnitentiam, & perseveravero in abominatione peccatorum meorum usque in finem, sim salvandus. DEUS benè noverit suam mutare sententiam, si noverim ego emendare vitam.

Discursus solidus pro nostra consolatione.

Nec terrorem mihi incutiet, nec confidentiæ meæ stimulum addet fallax iste discursus: si prædestinatus sum, salvus ero, quidquid contigerit; Et si reprobatus sum, damnabor, quidquid fecero, quia decreta DEI sunt immutabilia. Nihil ex hoc concludam, quia incognitum prorsus est, quale sit decretum DEI super me. Sed ecce, cui innitar, de quo certissimus quoque sum: si egero pœnitentiam, & servavero mandata DEI, salvus ero. Hic est articulus fidei, de quo non magis dubitare possim, quàm de eo, an sit DEUS. Jam certum est, si voluero, me acturum pœnitentiam & servaturum mandata DEI, eoquod gratia ipsius mihi nunquam desit nec pro uno, nec pro altero; & hic est alter fidei articulus ejusdem cum primo certitudinis; Ergo conclusio est infallibilis: *Si voluero, salvabor*? quid inquietem me æternis Dei decretis, quæ incognita mihi sunt? non nisi huic innitor & confido veritati, quæ luculenter mihi cognita est & certissima: Si voluero, salvabor; siquidem si voluero, omnia illa possum facere, quæ DEUS mihi mandat, ut faciam ad obtinendam vitam æternam.

Nolo autem per hoc dicere, quod nonnisi à sola voluntate meâ dependeat salus; novi, quod præcipuè dependeat ab adorandâ voluntate DEI; Sed certus sum, quod ipse hanc velit, certus sum, quod haud alio nomine me traxerit è nihilo, nisi ut mihi possessionem sui largiatur æternam: Et quandoquidem hunc finem mihi vult voluntate verâ, vult quoque & porrigit mihi omnia media ad hunc finem necessaria; nihil ergò ampliùs requiritur, nisi cooperatio voluntatis meæ. Et ecce, quare tam confidenter dicam, in meâ esse potestate, meque certò promittere mihi posse, *si voluero, salvus ero.*

Sed quis dixit tibi, mi Pater, interpellat senem, juvenis eremita

mita raptus in admirationem discursu senis sibi valdè consolatorio; quis te assecurat, velle ipsum salutem tuam voluntate verâ. An legisti in arcano cordis ejus, certò te eousque amari ab eo, ut velit tibi vitam æternam? Ipsemet est, qui dixit mihi, respondet senex, & non contentus assecurâsse me de hoc, bis vel ter in divino suo verbo, id ipsum mihi repetit & centies confirmat. Modò dicit, quod nolit quemquam perire, sed ut omnes veniant ad agnitionem veritatis; modò dicit, quod non sit voluntas sua, ut moriatur peccator, sed ut convertatur & vivat; Modò Apostolus ipsius dicit nobis, quod mortuus sit pro omnibus; & velit omnes salvos esse; modò dicit, quod copiosam afferat redemptionem; Et ubi abundavit delictum, superabundet & gratia: modò suavissimè nos invitat, & dicit nobis: venite ad me omnes, qui onerati estis, & ego reficiam vos; venite omnes nemine excepto.

Certum est Deum velle nostram salutem.

Quare ergò dedit legem suam omnibus hominibus? quare consignavit manibus ipsorum hanc legem, quæ via ad Cœlum est? *Hoc fac & vives.* Quare præcipit illis, ut hanc exactè servent, id est, ambulent per viam Cœli; nisi quia vult, ut omnes illuc perveniant? Et si per impossibile vellet, ut aliqui ambularent viam inferni, illic ambulando perficerent voluntatem DEI, & hanc perficiendo forent sancti; sicque manentes in inferno salvi essent ac beati. Et quare tandem omnes edocuit homines, ut se patrem suum nominarent, suumque à se peterent regnum: *Pater noster, adveniat regnum tuum:* nisi quia desiderat illud nobis donare, sicut bonus pater donare vult Filiis hæreditatem suam?

Deus misit nobis verbum suum in terram, ut dicat nobis, se nostram salutem velle.

Quæris ex me, quis mihi dixerit, DEUM velle salutem meam; Ipsemet, qui dicit DEO Patri suo, quod sit DEUS; id est, verbum ipsius æternum, quod eo fine incarnatum est, ut diceret mihi in terrâ, quod desideret me dirigere & deducere in Cœlum; sed non contentus dixisse hoc mihi verbo, luculenter id declaravit omnibus actionibus vitæ suæ, cùm nec unicam operatus fuerit, nisi ad promovendam salutem meam. Nimis ne adhuc parum hoc est? dixit id mihi per omnes labores suos, per omnes cruciatus suos, per omnes lachrymas, quas profudit ex oculis, per omnia suspiria, quæ emisit è corde, per omnes guttas sanguinis sui, quas effudit in passione: dixit id mihi per omnia vulnera sua, quæ velut tot ora aperuit in toto cor-

pore suo. Video apertum ipsius cor, dicens mihi, quod amet me, quodque ardentius desideret salutem meam, quàm conservationem propriæ vitæ suæ. Audio morientem vocem ipsius, quæ fermè exspirando mihi dicit, quod sitiens moriatur; Et ego probè intelligo, quod declarare mihi velit, ardentem salutis meæ sitim esse, ex quâ moriatur. Ah! si tam infelix sim, ut perdere me velim invito ipso, contristo cor ipsius, ipsum crucio, ipsum torqueo, ipsum ardente siti, quam nolo extinguere, mori facio.

Post hæc omnia, ö Amantissime DEUS! An dubitare adhuc possem de verâ voluntate, quâ meam desideras salutem? cùm velut articulum fidei credere tenear, te fecisse & sustinuisse hæc omnia pro me; imò pro me miserabili, imò pro me in particulari, an dubio adhuc restaret locus, te velle salutem meam? Ah! cujus unquam rei majus demonstravit desiderium? Et quid ultra, DEUS licet omnipotens, facere posset ad declarandum mihi, desiderium salutis meæ esse maximum, quod habeat desiderium, quodque unquam affecerit cor DEI, quam mihi dicere. Tam cordi illam habeo, ut illi me totum velim impendere, nec ulli parcere rei, non meo tempori, non meo labori, non meis cruciatibus, non meo sanguini, non propriæ meæ vitæ, & in cruciatibus moriar, ut, quod anhelo, obtineam. Sic loqui, est dubio procul maximi nota desiderii; sed idipsum fecisse, loculentissimè desiderium arguit ardentissimum. Cùm ergò certus sim de voluntate ipsius, quid superest, nisi ut de meâ me quoque certificem? Sic cum certitudine mihi dicere licebit; *Quod si voluero, salvus ero.* Tu id vis, mi DEUS, & ego quoque id volo; imò id volo instanter, id desidero ardentissimè. Ah! quando hoc erit?

Post eximium ac devotum hunc affectum, quo accendebatur cor boni senis, quique lachrymarum torrentes ex ipsius eliciebat oculis, dicit discipulo suo: vade mi fili, vive in pace; relinque DEO cognitionem decretorum suorum, quorum nemo, nisi ipse, habere potest notitiam; sufficiat tibi, certum te esse, quod velit DEUS salutem tuam, quodque, si id etiam volueris verâ voluntate, infallibiliter sis salvandus; animosè persiste in servitio DEI, & hâc te certitudine consolare, posthæc discesserunt ab invicem, & ille, qui venerat totus afflictus, reversus est totus gaudio ac solatio plenus.

AR-

ARGUMENTUM.

1. *Infallibilem quasi certitudinem habere possumus nostræ prædestinationis.*

2. *Bonum est, se confirmare & stabilire, quantum fieri poterit, in hâc certitudine.*

Articulus II.

Quod faceret bona anima de prædestinatione certa, hoc faciat, & certa erit.

ALiquot post dies denuò juvenis Eremita invisit senem suum, non amplius inquietus, nec desolatus, sicut olim, sed valde solicitus quasi homo vehementi inflammatus desiderio novi & magni quid addiscendi ab illo. *Mi Pater*, inquit, maximo affligor & crucior desiderio sciendi, an sim è numero electorum; quæso te, id dicas mihi: sum ne è numero prædestinatorum? Ah! mi DEUS, si certus essem, quod nomen meum scriptum sit in libro vitæ! Ah! bone DEUS, si id scirem! Eja! quid faceres, fili mi, respondet senex, quid faceres, si id scires? Ah! mi Pater? viderem mihi vivere in terris, quasi jam essem in Cœlis: Obliviscivellem omnium rerum mundi hujus inferioris, & non nisi meæ beatitudine æternitatis meum implerem animum; Aliud nil agere vellem in vitâ meâ, nisi laudare DEUM, nisi grates illi agere, ipsum amare, ipsum desiderare, ipse solus tota mea foret occupatio; nihil amplius curarem; nullam amplius invenirem difficultatem in ipsius servitio; nihil amplius me vel mœrore, vel solicitudine, vel ullâ afficeret pusillanimitate. Tandem volaturum me crederem in difficillimis quibusvis virtutum exercitiis, tanto experirer dilatatum cor meum gaudio.

Faceres ne omnia hæc, dilecte fili mi, si certus esses, fore te è numero prædestinatorum? dubio procul illa facerem, & adhuc plura: nihil enim viderem, quo desponderet animus. Ah benè! dicit ipsi desuper bonus pater: *Fac quod faceres, si securus esses, & omninò securus eris*: impossibile enim est, illum, qui viveret in terrâ, quasi jam esset in Cœlo, qui nulli rei mundanæ amplius adhæreret, qui aliud non ageret, nisi laudare DEUM, ipsi grates rependere, ipsum amare, qui magnâ contentione sectaretur virtutes, qui volaret præ gaudio in viâ DEI; impossibile est inquam, illum non esse è numero prædestinatorum: assecura per hoc prædestinationem tuam, id namque potes.

Opórtet certificare prædestinationem suam per bona opera

Et hoc idipsum est, quod Apostolorum Princeps tibi præcipit: Satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis. Contendite, volebat dicere, intendite & attendite, ut prædestinationem vestram assecuretis per bona opera; non potestis majorem hâc circa illam habere certitudinem & securitatem: Sive enim dicatur, illa esse motiva, ob quæ DEUS vos elegerit; sive dicatur, ipsa esse media, per quæ vos DEUS dirigere & ducere velit ad salutem; semper tamen certum est, bona opera inseparabilia esse à prædestinatione. Noli esse è numero ignavorum ac inertium illorum, qui dicunt: modò id agam, ut salver, modò Cœlos ingrediar, quando id foret nonnisi ad januam, sat & abundè mihi esset: Invenio hos, qui ejusmodi sunt, parum securos: quando enim adjicitur animus nonnisi ad ea, quæ præcisè sunt necessaria, potest facilè contingere, ut minus præstetur, quàm fuerit in mente designatum, sicq; omninò nunquàm præfixus obtineatur scopus. Verùm quando quis assecurat & certam facit prædestinationem suam per bona opera, quantò plura horum faciet, tantò certior & securior de illâ erit. Ut ergò tuam adaugeas certitudinem, augere quoque oportet bonorum operum numerum; Et si tam ingenti, uti affirmas, urgeris desiderio, summam de prædestinatione tuâ habendi certitudinem, indefessum te exhibe in exercitiis virtutum, & tam instanter operare, ut nec unicum vitæ tuæ momentum sit, quod aliquo bono opere non sit refertum; Et tunc maximam prædestinationis tuæ certitudinem habebis, quanta haberi potest ab homine in hâc vitâ.

Dubia, quæ renascuntur in anima.

Juvenis DEI famulus, qui omnia hæc tam præclara documenta recipiebat ex ore venerandi senis sui, velut totidem Cœli oracula, sentiebat augeri in corde suo majus adhuc desiderium, quàm unquam certa addiscendi nova circa æternitatem suam. Ah! inquiebat: postquam fecero omnia, quæ potuero, Evangelium me agnoscere & fateri cogit, quod servus sim inutilis; postquam sustinuero plurima, Sanctus Paulus asseverat mihi, quod non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ præparatur nobis in Cœlis: Consecrabo quidè omnes dies, omnes horas, omnia momenta vitæ meæ exercitiis bonorum operum; portabo quidem omnes tam Corporis quàm animæ adversitates: Sed post omnia hæc, nondum quiescit anima mea, sed absque inter-

intermissione interrogat: Sum ne ex numero prædestinatorum? O mi Pater, id charitatis mihi præsta, in hoc duntaxat me puncto consolare, assecura me aliquando, an sim ex prædestinatorum numero.

Cur Deus abscondat nobis arcanum prædestinationis nostræ.

Fili mi, reponit vir Sanctus, DEUS non vult constare nobis profundum hoc providentiæ suæ arcanum, eoquod ad salutem nostram non expediat nobis. An dubitare potes, quod, dum magis amavit nos, quàm propriam suam vitam, dum ex infinitâ bonitate suâ revelare nobis voluit Altissima *Trinitatis*, & divinarum perfectionum suarum mysteria, non etiam revelâsset illud prædestinationis nostræ, nisi sciviſſet, multò magis fore nobis proficuum, si conspicuum id nobis non sit. Quâ ratione sufferre posses vitam temporalem, si certò nôsses, hanc solam esse, quæ tibi subtrahat, teque gustare non sinat dulcores vitæ æternæ? Quâ ratione non sentires elationem animi, quæ impelleret te ad contemptum aliorum, & magnum tui ipsius existimationem, si certus fores, tantas te exspectare excellentias ac dignitates? Quâ ratione cohibere posses certam quandam fiduciam, bonæ sortis tuæ jam in tuto positæ memoriam tibi continuò refricantem, quæ fortassis te traheret ad neglectum bonorum operum ac virtutum, quæ non levem trahunt post se laborem? quâ ratione vivere posses cum reprobis? An amare posses illos? An tolerare posses ipsorum præsentiam? Et illi, qui non haberent certitudinem hanc sicut electi, nonne in continuâ viverent rabie & nunquam intermissâ desperatione, toto tempore vitæ suæ? quot alia ex cognitione hâc sequerentur incommoda?

Utile est nobis nescire, an prædestinati simus.

Sed consultò DEUS subducit nobis certam prædestinationis nostræ cognitionem ex ingenti misericordiâ suâ, ut semper conservet nos in timore & humilitate, ut nemo aliquid præsumat de seipso, quid quid tandem fecerit, cùm nesciat, an amore dignus sit vel odio, an perseveraturus sit usque in finem in bono, aut lapsurus in malum? ut nemo mente concipiat contemptum alterius, quantumvis pessimi, cùm ignoret, an convertendus non sit & evasurus in magnum sanctum, adeoque elevandus in solium gloriæ, dum interim fortassis tu es pervertendus, & in omnem damnandus æternitatem, ut nunquam non vigilemus, nobisque ipsis intendamus, velut homines continuo expositi periculo, semper indefessi in exercitio virtutum, velut illi, quibus occupandum

sit regnum, non ignari illud cœlorum nonnisi vi factâ occupari, & nonnisi illos, qui sibi vim faciunt, id rapere ac obtinere: Deniqúe unico verbo, ut vivamus semper hìc in terris inter spem & metum, quatenus is nos cohibeat à malo, & illa nos impellat ad bonum. Nonne ergò vides, magnam esse bonitatem DEI, quod absconditum nobis servare voluerit arcanum prædestinationis nostræ?

Nihilominus admirare ipsius quoque indulgentiam, quâ se nostræ accommodat infirmitati, cùm electis exhibeat certos quosdam æternæ ipsorum beatitudinis prægustus, quibus plurimum assecurantur, & mirum in modum roborantur. Quam majorem tibi ipsi dare potuisses certitudinem prædestinationis tuæ, quàm illam, quam recipis à DEO? quando vocâsset te in consilium, dum adhuc eras in æternis ipsius idæis, unico momento ante creationem tuam, totumque negotium tuis consignâsset manibus, ad disponendum & dirigendum illud juxta omnia vota tua; interrogatus, quis esse velis? absque dubio dixisses: volo esse prædestinatus. Sed quid feciſſes ad recensendum te in seriem electorum? necessariò tria tibi fuissent facienda.

Deus omnia nobis dat signa, quæ desiderare possumus circa prædestinationem nostram.

Inprimis extrahere te debuisses è sinu nihili, & tibi dare non solùm esse, sed etiam esse idoneum ad possidendum DEUM, id est, animam spiritalem & æternam, formatam ad imaginem DEI. Ecce tibi primum fundamentum, sine quo nunquam recipere potuisses ingens beneficium prædestinationis. Sed hoc non sufficiebat.

Quatuor signa valdè secura prædestinationis.

Debuisses ergò secundò attollere te ad esse quoddam supernaturale, donando tibi fidem, spem, charitatem, veram Religionem cum omnibus virtutibus ipsam comitantibus. Ecce tibi secundum fundamentum, sine quo nunquam aliquis fuisset è numero prædestinatorum. Sed hoc nondum sufficit: Siquidem non omnes, qui insignes has acceperunt prærogativas, ex illorum sunt numero.

Fuisset quoque necessarium, separare te ab innumerabili multitudine eorum, qui ambulant viam latam & facilem, quæ ducit ad perditionem atque ex speciali gratiâ aggredi viam arctam, quæ ducit ad vitam. Paucos invenies, qui huic se viæ dent, cùm difficile ac laboriosum sit incedere per illam. Sed magno ipsis solatio est, quod sciant se per viam Cœli

Cœli incèdere, sicque quasi certi sint, se ex parvo numero prædestinatorum esse.

Nihilominus si dare tibi ipsi voluisses summam & maximam certitudinem, quæ haberi potest in mundo de prædestinatione æternâ, oportuisset te induere Spiritum Christi JESU, qui caput est & exemplar omnium prædestinatorum. Adorandus hic spiritus detestatur omne id, quod mundus adorat, vanos honores, bona caduca ac voluptates; & summè amat omne illud, quod mundus maximè abhorret, contemptum, crucem, paupertatem. Ecce tibi omne illud, quod ipse facere potuisses, ad exhibendas tibi certissimas prædestinationis tuæ notas, quando salutem in propriis tuis manibus habuisses constitutam, & videre te credidisses cum gaudio, nomen tuum scriptum esse in libro vitæ.

Consolatio animæ habentis omnia hæc signa.

Quomodò ergò dubitare potes, quin scriptum ibi sit, cùm videas, quod DEUS tua præoccupans desideria, ex nimiâ bonitate suâ ergâ te, enumerata quatuor requisita, in favorem tuum, ipso complèrit & effecerit opere? Inprimis creavit te ad imaginem suam, donans tibi animam immortalem, quæ capax sit æternaliter possidere DEUM. Secundò donavit tibi fidem suam, divino suo te lumine dirigens, ad profitendam solam veram Religionem, quæ est in orbe terrarum. Tertiò separavit te à mundo, & vocavit te ad servitutem suam, inspirans tibi, ut relinqueres omnia, ad ipsum imitandum. Et tandem accendit te desiderio vivendi juxta divinum spiritum suum, & moriendi prorsus spiritui mundi.

Ad quid tot notas adeò palpabiles & manifestas specialis amoris, quo nonnisi pauciſſimos prosequitur in mundo? nisi ad assecurandũ de te evidentissimâ certitudine, te esse è parvo numero prædestinatorũ? An cogitare auderes, ipsum eòusque infidelem esse, ut tibi ficta pro factis, apparentiam pro veritate consiliis suis omninò contrariam exhibeat & ostendat? An possibile foret, ipsum hâc ratione velle ludos facere animæ, tot luculentas demonstrando ipsi notas, quod velit ipsam salvare, abs eo, quod reverà id intendat?

Non, chare mi Fili, concludit senex, amplexans Juvenem discipulum suum, ne amplius deinceps diffidas, sed pro certo habe, è numero te esse prædestinatorum. Indubitatum tibi sit, DEUM infinito modo plus amare te, quàm ames tu ipsum, & plus, quàm tu temetipsum ames; & consequenter ipsum salutem tuam velle voluntate magis

magis seriâ & efficaci abs comparatione, quàm tumet ipse velis illam. Hinc pari ratione tibi, sicut Apostolis, quorum contendis imitari vitam, illa asserit verba fiduciâ & consolatione
Luc. 10. refertâ: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in libro vitæ.*

Exin Juvenis Eremita totus recessit consolatus, tamque cœlesti superfusus gaudio, ut omnium rerum terrenarum oblitus, volare se crederet in Cœlum, quin & oblitus semetipsum & propriæ salutis curam, nonnisi contemplandis DEI excellentiis intendebat, vivens contentus, utpote tenens non parvam prædestinationis suæ securitatem: nulli vacabat magis, quàm ardenter amando infinitam DEI bonitatem, quæ tam pias ac benignas erga se cogitationes ac consilia ab æterno jam conceperat; & quasi illam jam possideret, aliud non desiderabat, nisi omnibus vitæ momentis, sacrificare ipsi & corpus & animam suam.

Interim dæmon, qui prælio ceciderat contra Juvenem hunc DEI famulum, optimi hujus senis adjutum subsidio, arma sua vertit adversus potentem hunc defensorem, ipsum novo seducere molitus stratagemate, quod intelligetis,

ARGUMENTUM.

1. *Incertitudo, an simus vel non simus è numero prædestinatorum, animare nos debet, ut per bona opera certam nostram Electionem faciamus.*

2. *Etsiamsi certò sciremus, nos reprobatos esse, desistere tamen non deberemus servire DEO, & ipsum ex toto corde amare.*

Articulus III.

Dæmon transformatus in Angelum lucis.

INeffabili fruebatur solatio Sanctissimi senis animus, videntis discipulum suum tam magnis progredi passibus, ac mente tam generosâ in viâ DEI. Exstimulabat semetipsum exemplo ipsius, ad geminandum fervorem suum, ne tandem præverteretur ab eo, quem hucusque trahebat post se: & ambo in magnâ vivebant pace & cœlestium dulcedinum prægustu; tum veterator ille dæmon, se transfigurans in Angelum lucis, apparuit seni ab oratione recedenti, affirmans se missum à DEO, ut ipsi falsam adimeret opinionem, quam de juvene hoc Eremitâ tunc comitem suum agente conceperat, mediante quâ crederet,

ret, ipsum esse è numero prædestinatorum, quod neutiquam esset; quod si cognosceret cordis ipsius intima, nil ibi nisi hypocrisin videret; quodque, si attendisset, benè advertere debuisset, ipsummet apud se intus æternæ damnationis suæ sensisse prægustum, eoquod toties ipsum urserit ad assecurandum se de prædestinatione suâ; quodque DEUS fuerit, qui justum hunc ipsi incusserat timorem: ac proinde cùm ipsi falsæ hujus persuasionis, quod esset è numero Electorum, auctor fuerit, rem conscientiæ esse, ut ipsum denuò hoc errore expediat, ipsique veritatem hanc exponat, quam ex jussu DEI accesserat nuntiatum, ut saltem miser hic Juvenis à tot vanis ac inanibus abstineret laboribus, quibus semetipsum conficiebat. Probè novi, addebat pro Epilogo, hoc novo affligendum te nuntio, eoquod ames ipsum; Verùm is Isaac est, quem oportet sacrificare DEO, quia vult eum; adoranda sunt decreta Omnipotentis hujus, ipse creaturarum suarum absolutum gerit dominium, & facere nobiscum potest, quod sibi placuerit: hæc crux est ab ipso tibi missa ad tentandam patientiam tuam, quæ tantum mihi, quantum tibi conciliat amaritudinis; Sed mutare non possumus sententiam DEI. *Verùm DEI decreta rescindi non possunt.*

Tonitru hoc fuit & fulminis ictus, quatiens constantiam boni hujus senis, maximumque ipsi incutiens terrorem. Ah! Itane, mi DEUS, possibile sit, vitam tam sanctam fine concludendam tam funesto? O quàm judicia tua sunt abyssus multa! quàm formidanda sunt æterna tua, quæ formâsti super nos, decreta, ô mi DEUS! quàmq; parùm specie standum est externâ? Itane? Credebam me Angelum habere penes me, & heu! Est quispiam damnatus. Misera inferni victima, quid proderunt tibi omnes, quos subis, vitæ rigores? quid cuncta virtutum exercitia, austeritates cunctæ, quibus tuâ cogitas consumere vitam in hâc Eremo. Ex hoc tempore videre non erat, nisi dolores, nisi lachrymas, nisi profunda suspiria è meditullio cordis profecta; & quoties aspiciebat ipsum, qui horum causa erat, sublatis in Cœlum oculis lamentabiliter exclamabat. Mutatio erat tam magna, tamque repentina in optimo hoc patre, ut alter illicò advertens, hujus nosse perçuperet causam. Inquietūdo animæ à diabolo deceptæ.

Quid habes, pater mi? unde oritur, quod ab aliquo tempore te ita mutatum videam? non amplius intueor illam faciei serenitatem, hujusque semper individuum comitem, comitatem suavissimam, nunquam non tibi assuetam. Adverto, quoties- Malitia diaboli detecta confunditur.

cunque in mē vertis oculos, te verti animo, mutari totum, mœrere ac contristari, dejicere te lumina, ac si aliquam in me conjiceres indignationem; vel attollere illa in axem ac suspirare, quasi molestus quispiam exasperâsset te Eventus. An fersan infelix ego displicui tibi? an in quopiam te offendi? quæso id innue, & ad nutum satisfaciam. Ah! Fili mi, respondit bonus Pater, ne scire à me velis, quod vellem, ut nunquam scires, quodque scies heu citò nimis maximo damno tuo: sine tacere me, & scito, sine te meam digeram amaritudinem, amoris me tibi præstare obsequium: haud enim illius te possem facere participem, quin præ dolore in fata te agerem præcipitem. Hæc verba magis adhuc exstimulârunt devotam pii hujus Juvenis curiositatem; unde provolutus ad pedes ipsius, eosque amplexans ajebat: Adjuro te, mi chare pater, per amorem Christi JESU, & per omnia, quæ hucusque mihi præstitisti, amoris officia, ne hanc me celes veritatem; dic mihi liberè, quid te affligat, non deseram pedes tuos, nisi id sciam.

Resolutio stupenda, circa dubium de prædestinatione.

Ut quid urges me, fili mi, respondit senex? ut quid impellis me, ut in lethum propellam te, ut fata accelerem tibi? Eheu! credebam, prædestinatum te fore ad vitam æternam; sed ab Angelo heu didici cœlesti, destinatum te esse ad mortem æternam, & incassum laboraturum te, ut acquiras Cœlum, quò nunquam pertinges; Et hoc est, quod mori me facit præ mœrore. Ad hæc Juvenis DEI famulus, totus alacris ab ejus se pedibus erigens, ipsum facie serenâ ac hilari cœpit affari: Benedictus sit DEUS, mi pater, majus hìc malum non subesse. Metuebam super modum, me fortassis aliquod patrâsse peccatum, quod displiceret DEO, tibique mœroris præbuisset ansam, sed cùm aliud non sit, nisi nova de reprobatione meâ, & exclusione à Regno cœlesti afferens Mercurius, sive vera, sive falsa sint, ex parte meâ non inde affligor, nec ulla ex hoc occupat animum tristitia.

Serviendum est Deo pro Deo ipso.

Siquidem, ut meam tibi mentem aperiam, tibique cordis mei patefaciam affectus, quos DEUS largitus est mihi: post parvas quasdam tempestates, quibus agitata est anima mea circa prædestinationem meam, quasque optimas tuis dissipâsti ac sedâsti documentis, benè intellexi, serviendum mihi non esse DEO, sicut mercenarius suo inservit domino, intuitu mercedis; sed sicut filius famulatur & obsequitur patri suo, ex reverentiâ & solo amore erga ipsum:

psum: Sicque non ad adipiscendum Cœlum, sed ex purissimo illius amore, statui mecum servire, ac fideliter adhærere ipsi usque ad ultimum vitæ meæ halitum.

Intellexi benè, quod si omnes Creaturæ carentes ratione ipsi tam fideliter serviant, abs eo quod unquam ipsum offendant per omnẽ sæculorum decursum, sicut & abs ullâ mercedis exspectatione, sed duntaxat, quod ipsarum Creator sit: me, qui plus omnibus creaturis ab eo accepi, cùm me ad suam creaverit imaginem, mihique esse dederit æternum, multò magis obligatum esse, ad serviendum ipsi fidelissimè ex solo intuitu infinitæ bonitatis ipsius. Probè novi, quod si DEUS meus, Redemptor meus, totum se primitus devovere voluit servitio meo, ita ut omne suum sacrificaret esse pro me, omnes suas actiones, omnes suas pœnas, vitam suam & mortem suam, abs eo, quod hìc suam, sed meam duntaxat intenderet utilitatem, æquissimum quoque esse, ut & ego mea propter ipsum deseram commoda, ipsique absque ullius retributionis inserviam respectu. Nimiam quantam, jam anticipatò accepi retributionem, & quidquid servitii præstare potero, etiamsi meam sacrificarem vitam, tantum abest, ut aliquid prœmii promeruisse me credam, ut potius confitear, me nunquam solvendo esse, omnia, quibus ipsi obstringor, debita.

Excellentissimus affectus animæ erga Deum.

Verùm si hæc omnia non essent, probè intelligo, tantum utilitatis, tantum gloriæ, tantum honoris conferri mihi ab ipso, quod possim ipsi famulari, ipsum amare, & me cordialiter ac confidenter cum ipso unire, etiamsi hoc esset unico duntaxat diæ vitæ meæ; ut, quando pretiosus hic thesaurus comparandus mihi foret millenorum annorum laboribus & austeritatibus rigidissimis, me abundè nimis crederem recompensatum. Dicam adhuc quid amplius (& DEUS scit, hunc affectum ab eo insculptum esse cordi meo) quod, quando certus essem, gloriam hanc, quâ liceret mihi amare ipsum perfectè per unicam vitæ horam, totâ constituturam mihi suppliciorum infernalium æternitate, hanc promptissimo animo potius tolerarem, quàm tantâ felicitate carere vellem. Quid inde affligam me, sive transigenda mihi sit æternitas in Cœlo, sive in inferno? Abundè sat, mi pater, abundè sat felicitatis est mihi, si servire mihi liceat DEO meo, & ex toto corde amare ipsum tempore vitæ meæ, faciam id fideliſſimè, & hæc unica mihi sit & erit voluptas; de cætero faciat mecum,

quidquid voluerit: nullatenus moveor nec affligor nuntio, quod attuliſti mihi de prædeſtinatione, ita ut ne quidem libeat indagare, verum ne ſit an falſum: hujus me quidem olim cura tangebat, ſed nonniſi meæ effectus erat ignorantiæ: modò à DEO illuminatus intelligo, ſummum meum eſſe bonum ſervire DEO meo & ipſum amare, & quidquid contigerit, ſuſtinam mihi afferre beatitudinem, ſi dicere poſſim: Amavi DEUM meum, quantum potui, & nunquam à Sancto ipſius amore volui ſeparari.

Verus amor obliviſcitur ſui ipſius.

Bonus ſenex his tam eximiis affectibus, quos in corde magni hujus DEI famuli ardere cernebat, ita rapiebatur, ut illicò omni mœrore diſſipato, impoſſibile crederet, talem animam fore è numero reproborum. Verus Character Electorum eſt Amor DEI, & ſuper omnia amor propria non ſectans commoda, qui ſui ipſius immemor, non niſi Numinis ſe devovet obſequio, ſolamque divinæ ipſius Majeſtatis aucupatur gloriam, abs eo quod in minimo quærat & captet ſuam, ſiquidem hoc verè eſt perdere animam ſuam in DEO, quique illam ſic perdere novit, infalliBiliter ſalvus erit: *qui perdiderit animam ſuam, inveniet eam.* Matth. 10. Incepit ergò aſpicere ipſum non amplius ut reprobum, ſed tanquam verè prædeſtinatum, & non amplius velut diſcipulum, ſed tanquam Magiſtrum ſuum, confitens, ſe ab ipſo didiciſſe arcanum, ad conſervandam animam ſuam in pace & amoris puritate, qualem hucusque nunquam cognoverat. Et DEUS, qui ſuos deſolatos non relinquit, cùm infinitè ſit bonus, miſſo ipſi Angelo, detexit fraudem patris mendacii, aſſecurans, ambos inſcriptos eſſe in libro vitæ.

Deus nunquam eſt cauſa perditionis animarum.

O Amantiſſime DEUS! qui omnes creaturas tuas produxiſti ex amore, cùm illis eſſe dare non poſſis, niſi faciendo ipſis benè, nec benè ipſis facere, niſi id ipſis volendo, nec ipſis hoc velle, niſi ipſas amando, eoquod amare aliud non ſit, quàm velle alicui benè. O DEUS Omnipotens! bonitas infinita! quæ non ſolùm bene voluiſti homini, dum ipſum creâſti, ſed infinitum ipſi voluiſti bonum, nempè te ipſum, dum creâſti ipſum ad imaginem tuam, & capacem ad te poſſidendum: Unde venit, quod infinitum hoc bonum, quod ipſi in Creatione ſuâ voluiſti, non ſemper concedatur ipſi? unde venit, quod tam immenſus numerus ſpolietur iſto in æternum? An ideò, quod nolis ipſos poſſidere bonũ, cujus poſſidendi ipſemet contuliſti

listi eis capacitatem? An contrarius sis tibimet ipsi, nolendo id, quod voluisti? An tantum habeas amoris, tantumque odii erga hominem, imaginem tuam, ut & dare & auferre ipsi velis bonum infinitum? hoc est impossibile.

Tu non es, Domine, qui ex te ipso prives ipsos bono infinito, cùm eo nomine creaveris ipsos, ut illud possiderent: ipsorum hæc est malitia, qui privantur illo, quod tua ipsis concessit bonitas; ipsorum sunt peccata, quæ eripiunt ipsis, quod tua ipsis offerebat gratia. O Bonitas DEI, quàm es amabilis, dum tantum mihi voluisti bonum! O propria mea malitia, quàm es execrabilis, dum infinito me exspolias bono! Nil aliud ergò agendum mihi restat, nisi ut meam deseram malitiam, & infinitæ tuæ adhæream bonitati; & prædestinatio mea mihi tuta atque secura erit. Non multis hìc philosophandum est, relinquamus peccata, deseramus creaturas, abnegemus nosmetipsos, & adhæreamus per amorem DEO; & infallibiliter in omnem æternitatem ipsum possidebimus.

CONSULTATIO XVIII.

De Infinita Scientia DEI.

Intellectus noster amat Scientiam.

SI intellectus noster nostræ est oculus animæ, tum Scientia lux est illuminans ipsum: Nihil tam jucundum est oculis sicut lux cùm mediante hâc intueantur omnem mundi pulchritudinem: nihil etiam ita delectabile est intellectui, sicut scientia, cùm per hanc, quid universus complectitur mundus, contempletur, suásque in aspiciendo ipsius decore, inveniat delicias. Et inde est, quod tanto in scientiam feratur amore, ut ipsam inquirendo defatigetur nunquam, nonnisi ad illam anhelet, nonnisi pro obtentu ipsius laboret, nonnisi cum illâ sese delectet, eoquod hæc & proponat & propinet ipsi delicias, quibus contentetur, maximè innocuas: Unico verbo, eoquod hìc suam invenire se credat felicitatem.

Scientia est sæpius tortura intellectus.

Nihilominus haud rarò contingit, quod hæc vertatur ipsi in tormentum, hicque in illâ pro felicitate, suam inveniat

miseriam, eoquod hæc ipsi non nunquam certam conciliet infirmitatem, non absimilem illi, quam patiuntur hydropici, qui certo quodam ardent & conflagrant igne, sua interius consumente viscera, quem extinguere nullo possunt tempore; quantò plus bibunt, tantò plus accendunt ipsum; Et totum, quod agunt, est, quod magis inflentur. Quot reperire est intellectus, qui, cùm ab initio juxta rationis normam scientias sectarentur, tanto exinde exarserunt illarum desiderio, ut hydropicorum more, quantò plus bibebant, tantò plus sitirent; Et quod pejus est, semper magis magisque inflarentur: *Scientia inflat.* Qui cùm magnos se credant Thrasones, aliis ridiculâ inflati videntur arrogantiâ, omnium despectui expositâ. Inveniuntur namque, quibus cùm plurimùm molestiæ inferat scientia, & ipsi molestiâ afficiunt plurimos; non cessant torquere seipsos, novas semper indagando scientias, & exin torquent & alios, dum has in ipsos diffundere non absque fastidio moliuntur: videntur sibi metuere, ne nimiùm repleti disrumpantur, nisi suâ, quâ turgent, se exonerent abundantiâ.

Quid exâ solvere nos possit falsa imaginatione scientiæ nostræ.

Illorum quispiam, qui semetipsum sapientissimorum sæculi sui accensebat albo, talisque ab omnibus amabat haberi, invisebat amicorum suorum quempiam, qui pariter magnâ pollebat scientiâ, sed illâ, quæ descendit de Cœlo, quæ est *pudica, pacifica, modesta*, quæ, cùm animam dirigat ad virtutem, non ipsi nisi mansuetudinem & humilitatem infundit. Hic quantocyùs agnovit infirmitatem amici sui, & probè advertens, ipsum non venire, nisi ut novos scientiarum thesauros, quos suis interim studiis collegerat, & in quibus plurimùm sibi complacebat, coram se effunderet, compatiebatur infirmitati ipsius; & quia plenus erat charitate, innoxio stratagemate quærebat sanare illum, quod & ad votum successit ipsi, cùm remiserit illum, falsâ illâ, quam de seipso conceperat, exutum opinione, & jam firmissimè animo persuasum, magnum illum scientiarum solem, quem in capite suo se gestare credebat, minorem esse, quàm sint parvuli illi de nocte lucentes vermiculi, quos cicindelas appellant, respectu solis refulgentis in meridie. Ecce quid fecerit.

Habebat animum adhuc refertum profundâ meditatione, quâ eodem die instituerat de infinitâ scientiâ DEI; & totus adhuc divinis illis absorptus luminibus, quæ demonstrabant sibi vilitatem,

tem, confusionem, ignorantiam & turpitudinem intellectus humani, perquàm commodè accepit, amicum suum occasione hâc scientiæ suæ splendorem ostentare ambitiosius, promittens sibi, illam quantocyus propriis ipsius, oculis subducendam, & ab ipsomet contemptui habendam, si id, quod de scientiâ DEI cognoverat, opponeret ipsi. Instituebant ergo consultationem valde seriam, sed non minus jucundam, ubi, cùm uterque magni æstimaret scientiam, quâ imbutum habebat animum, magnam pariebant voluptatem viris doctis non paucis, qui aderant, avidasque facientibus verba aures præbebant. Sed illorum unus, qui Zeno appellabatur, totus erat ebrius æstimatione propriæ suæ scientiæ, & alter, cui nomen Eusebius, totus absorptus erat in admiratione scientiæ DEI, in quâ observaverat præcipuè quatuor prodigia. 1. Ipsius amplitudinem. 2. Ipsius simplicitatem. 3. Ipsius facilitatem. 4. Ipsius certitudinem & constantiam invariabilem. Et hoc Consultationis erat argumentum, quæ, sicut vides, sic suum sumpsit initium.

ARGUMENTUM.

1. *Intellectus humanus capax est omnium scientiarum.*
2. *Nihilominus homo doctissimus infinities plura ignorat, quàm sciat.*
3. *Nonnisi scientia DEI est infinita.*
4. *Quomodò concipere possimus ideam quandam de admirabili ipsius amplitudine.*

Articulus. I.

Ingenium humanum est palatium omnium scientiarum.

FAtendum est, quamprimùm incepit Zeno, magnam adesse rationem quod literati & docti, virorum magnorum glorientur elogiis. Si namque vera æstimanda est magnitudo in homine, non potest esse, nec illa sui corporis, nec illa suorum bonorum, nec omnium eorum, quæ sunt extra ipsum; sed ex ipsius animo, ex ipsius intellectu desumenda est magnitudo illius; & si vera in intellectu ipsius magnitudo est, hæc in alio consistere non potest, nisi in scientiæ luminibus ac thesauris, quos includit in seipso. Et certè nihil majus est intellectu, qui tantæ est amplitudinis, ut omnia includat, quæ sibi præsentan-

tantur; ipse perspicax est in omnibus scientiis, quæ ab hominibus ediscuntur, ipse facilè penetrat omnem profunditatem, ipse eruit omnia arcana naturæ per philosophiam, ipse ascendit usque ad sidera per astrologiam, ipse attollere se novit usque ad DEUM per Theologiam naturalem, ipse referre ac recensere novit, quid omnibus retrò actis actum sit sæculis in toto mundo per historiam universalem. Videre vis ipsius latitudinem? Nonne magnus & amplus est totus hic mundus in seipso? Sed parvus hic est in comparationem adductus cum intellectu hominis, qui non contentus omnes illius perambulâsse partes, & omnia cognovisse illa, quæ de ipso cognosci possunt, sibi ipsi nova format entia, quæ nunquam prodièrunt è manu DEI; ipse excogitat artes, invenit indies nova arcana, rerum omnium reddere novit rationem. Inventi sunt, qui publicas proposuerunt theses *de omni scibili*, id est, de omni eo, quod cognosci ac sciri potest ob hominibus, qui sunt in mundo: provocando tali ratione ad disputandum contra se omnes eruditos homines, quos totus terrarum complectitur orbis. Quid diffitebitur hos fuisse viros magnos, ipsos velut magna prodigia fuisse respiciendos?

Sed magnus ille vir, respondit modestè Eusebius, prodigium illud vivum, cui nihil debebat esse incognitum, an mihi respondere potuisset ad unicam duntaxat è mille quæstionibus, quas ipsi proposuissem, mihi inquam, qui nonnisi mediocri imbutus sum scientiâ? 1. Si duxissem ipsum in magnam quandam Bibliothecam, ubi monstrâssem ipsi duo vel tria millia magnorum voluminum: Dic mihi, quot numerantur cogitationes in omnibus hisce voluminibus, & quænam sunt illæ? quæ ex iis veræ, & quæ ex iis sunt falsæ; quomodò & quando conceptæ sunt in intellectibus, in mentibus Auctorum, qui illas produxerunt; quot verba & quot literæ extant in unoquoq; volumine; & quot illorum aliis potuissent modis imprimi; quantum boni & quantum mali omnes hi codices conciliârunt in mundo? An respondere mihi potuisset ad unicam solummodò ex hisce quæstionibus?

2. Si duxissem illum ad fastigium cujusdam turris, ipsique unico intuitu aspiciendum præbuissem universum populum magnæ alicujus Civitatis, & interrogâssem: quænam sunt cogitationes particulares omnium horum, quos vides, hominum? quænam ipsorum consilia, negotia, cordium affectus? quænam

Sapientissimus hominum ignorat plura, quàm sciat.

nam est ipsorum Nativitas, capacitas, indoles? quænam sunt ipsorũ nomina? quoties ipsorum quilibet respiravit à momento, quo cæpit vivere? quot gressus adhuc facient in terrâ? An eruditus satis fuerit, ad enodandam duntaxat harum quæstionum unicam?

3. Et si duxissem ipsum ad litus maris, ipsique proposuissem: An dicere mihi potes, tu qui nôsti omnia; quot aquæ guttas contineat ingens hoc Elementum; quot quævis gutta habuerit motus in omnibus fluxibus refluxibus liquidi hujus corporis, quod movetur abs intermissione? An dicere mihi posses piscium latitantiũ in hisce abyssis numerũ, ipsorum naturam, ipsorum figuram, ipsorum industrias, ipsorum proprietates, & omnes diversas semitas, quas quilibet eorum tenuit, amplissimos hosce perambulando campos? An probè nôsti locum thesaurorum ejus, ubi absconditæ lateant, uniones, margaritæ, coralliæ, & omnes aliæ divitiæ, quas vastissimus Elementi hujus sinus inclusas servat? Et si omnia hæc arcana, tanquam nimis profunda tuam effugiant cognitionem, dic mihi saltem, quot numerat arenæ grana litus maris: assigna mihi modum discernendi unum ab altero, & de uniuscujusque diversitate numericâ informa me; Recense mihi omnes eventus, qui contigerunt in illo; à creatione mundi. Nonne scientia ipsius limitata est, sicut limites ponuntur furori maris à granulo arenæ? Nonne in omnibus his suam debuisset confiteri ignorantiam?

4. Et tandem si millenas alias quæstiones formâssem ipsi circa alias creaturas, quæ sunt vel in aëre vel in terrâ, circa folia arborum, circa flores pratorum, circa industrias animalium, circa cantum vel volatum avium, & unico verbo, circa omnia ea, quæ cadunt sub sensus: an satisfeciisset uni soli harum quæstionum? Omne, quod sciri potest, est materia scientiæ.

Dices mihi, omnes hasce res parvas non esse argumentum, circa quod versentur scientiæ, non tractari illas in Scholis, nec amittere elogium docti illum, qui ipsas ignoret: Verumtamen veritates hæ sunt, quæ sciri possent, & illas ignorare, non est omnia scire; & magnus ille vir, quem millies fateri coges suam ignorantiam, nonne fateri quoque cogetur, se millies plura nescire, quàm scire?

Quid dico, millies? Eheu! illud, quod scit, non est centesima millesima pars centesimæ millesimæ partis rerum illarum, quas ignorat. Si quidem ad summum, non habes nisi scientiam, quæ in proprio tuo est capite, Scientia unius hominis, non est illa hominum reliquorum.

pite, & non habes illam, quæ est in capite tot millionum aliorum hominum super terram, quorum nec unus est, quamvis indoctissimus, qui multas res non sciat, quas tu ignoras. Magis infra descende, & invenies magis luculenter stupendam doctissimorum hominum, quos mundus alit, ignorantiam. Nec unicum est ex animalibus, quod nesciat id, quod homo ille ignorat; Nonne enim quotidie in stuporem agitur ab industriâ & intelligentiâ ipsis à Creatore suo communicatâ ad se regendum, conservandum, defendendum? Studeat his quantum voluerit, nunquam capiet illa; vadat ad Scholam aranei, unum è minimis & despectissimis animalculis, & addiscere conetur, quomodò suam contexat telam.

Animalia sapientiora hominibus.

Videat, quomodò tã tenuia ducat fila, ut vix oculos nõ effugiãt, nec unquã illis vel minimus observetur nodus, aut minima inæqualitas. Ubi absconditum gerebat magnum illum serici glomum, quem ita evolvit & explicat, ut nunquam vel rumpat, vel misceat & confundat? quâ ratione unam fili sui extremitatem annectere novit arbori ex unâ parte amnis existenti, & exin aliam extremitatem deducere & deductam annectere alteri arbori ex aliâ parte, abs eo, quod aliquid sit in mediò, cujus

Scientia alicujus aranei.

operâ & subsidio in suo adjuvetur & devehatur transitu? Nonne volat in aëre, & alas non habet, suo non carens pondere, semperque suo affixa filo? Nonne natat super aquam, quàm metuit magis, quàm nos metuamus ignem? Addiscat, si potest ipse more illius, formare quantocyùs retia tam accuratè ad circinum exacta, ut trahendo lineas à centro in circumferentiam, illas omnes simul jungat, & liget per alia fila, quæ in orbem deducit ab uno spatio ad aliud; Et hæc omnia tam exactè, tam æqualiter, tam rotundè, ut nullus circinus aut gnome melius suam exæquare ac moderari posset opus; & hoc ex telis tam tenuibus, tam compressis, tam unitis, tam delicatis: ut oculus discernere non possit, quænam sit trama, & quænam textura, videaturque hæc non esse fila simul conjuncta, sed unum tantummodò corpus, veluti formans quandam superficiem, quæ suam habeat & longitudinem & latitudinem; careat autem profunditate.

Et si tantam intelligentiam invenire licet in parvo hoc animali, quæ omnem nostrum transcendit captum, quantam in omnibus aliis nunquam à nobis comprehendendam? Et nihilominus, omnia nos scire persuadebi-

debimus nobis? Ah! quid eſt omnis ſcientia ſapientiſſimorum hominum in mundo? Id quod novit, non eſt plus in comparatione cum eo, quod ignorat, quàm ſit granum arenæ in comparatione cum univerſo terrarum orbe. Et peſſimum eſt, quod ſuam ignorans ignorantiam, adhuc infletur arrogantiâ, omnia præſumat de ſui acrimoniâ Ingenii, perſuaſus ſe omnia ſcire, cùm nihil ſciat.

Noſtræ cognitiones ſunt tenebræ, ſi illas comparemus cum ſcientia Dei,

O ſi oculos attollere nobis liceret, ad intuendum lucidiſſimum ſolem infinitæ ſcientiæ DEI, quàm turpis nobis noſtra videretur ignorantia in comparatione! Sed ſicut nonniſi aquila eſt, ex univerſo pennato grege, cui fixis liceat oculis intueri ſolem, ſic nonniſi ad Angelos in Cœlis pertinet ſuos evibrare oculos in fulgentiſſimam lucem infinitæ ſcientiæ DEI. Nos miſeri mortales nec minimum ex illâ radium portare poſſemus:

1. Joan. 1. *Quoniam DEUS lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ.* Aquila Evangelica aſſerit nobis, DEUM puriſſimam eſſe lucem, quæ nullas patiatur tenebras, id eſt, quod ſciat omnia perfectiſſimè ac impoſſibile ſit, ut aliquam ſive parvam, ſive magnam ignoret veritatem: aliàs DEUS non eſſet, cùm aliquam in ſe haberet imperfectionem.

Primum, quod admirabile eſt in ſcientiâ DEI, eſt ipſius amplitudo infinita. Non eſt veritas nec actualis, nec poſſibilis, quam non, quantum cognoſcibilis eſt, cognoſcat, non ſolùm in univerſali, ſed etiam in particulari & ſigillatim uſque ad minimas circumſtantias; non ſolùm magnas, quas noſtris dignas arbitramur ſtudiis, ſed etiam minimas, quas negligimus: Siquidem tam impoſſibile eſt, ignorare DEUM, Exempli gratiâ, omnes inordinatos motus uniuſcujuſque atomi in aëre, quàm impoſſibile eſt, ipſum ignorare naturam præcipui ex omnibus Seraphinis in Cœlo. Cùm enim nec unica ſit è creaturis, quæ univerſum hunc mundum componunt, quæ non ſit opus manuum ipſius; cùm nihil habeant, quod non acceperint ab eo, cùm nec minimùm quid agant, ad quod cum illis non concurrat; Ah! quomodò ignorare poſſet tum quid ſint, tum quid faciant? Si deſcendas ſingulatim è Cœlo Empyreo uſque ad centrum terræ, cogitatione tuâ perambulans creaturam quamlibet, magnarum, mediocrium, parvarum, uſque ad minimum pulviſculum; quantum portentum videbitur intellectui tuo, aſſerere; ex his omnibus nihil prorſus eſſe, quod DEUS diſtinctiſſimè non cognoſcat.

Amplitudo infinita ſcientiæ Dei.

Deus cognoscit omnes cogitationes hominum.

Sacer codex velut rem specialem & admirabilem annotare nobis voluit, loquens de Deo: *Ipse novit abscondita cordis*; quod non solùm cognoscat omnes homines, sed omnes hominum cogitationes, & omnia arcana, quæ corde suo constringunt. Quàm incomprehensibilis multitudo cogitationum, quæ subiêrunt unquam animos omnium hominum, qui fuerunt, qui sunt & qui erunt in universâ terrâ usque ad finem sæculorum, cùm vix Angelus è Cœlo cognoscere posset numerum cogitationum unius duntaxat hominis! quàmque verum est, nec unicam ex enormi hâc multitudine esse, quam DEUS non æquè distinctè cognoscat, sicut cognosceret, si unicam tantùm illarum cognoscendam haberet! Sed, quod magis stupendum, quodque magnitudine suâ obruit omnem intellectum id considerantem, est, quod DEUS perfectissimè cognoscat omnes alias dispositiones, conditiones, status, in quos collocare potuisset omnes suas creaturas; si voluisset, & omnia ea, quæ egissent, aut quælibet earum in diversis illis statibus & dispositionibus agere potuisset. Et hoc eòusque excurrit, ut excedere quodammodò infinitudinem videatur.

Item omnes res possibiles.

Siquidem nec unica quidem creatura est, quam producere non potuisset cum infinitis aliis circumstantiis & dispositionibus. Tu, exempli gratiâ, potuisses nasci in omnibus momentis diversorum temporum ab eo, quo mundum hunc intrâsti; nasci potuisses in omnibus locis terræ diversis ab eo, quod natus es; nasci potuisses cum omnibus aliis conditionibus, indole, talentis, capacitate, inclinationibus tam totque diversis, quot numerare est homines super terram. Et certum est, quod in omnibus hisce aliis conditionibus, quæ innumerabiles sunt, egisses opera, dixisses verba, formâsses cogitationes omninò diversas ab illis, quas modò formas: Et quod verum est de te, verum quoque est de omnibus creaturis tam rationalibus quàm irrationalibus. Quàm infinita rerum differentium infinitudo! perpende hoc seriò; penticulatius prodigium hoc pondera; & videbis id, quod scivisset de unicâ solâ creaturâ in omnibus diversis dispositionibus, in quibus poterat esse, obruiturum fuisse intellectum alicujus Angeli, huncque habiturum non fuisse capacitatem id comprehendendi. Quid ergò erit de omnibus simul creaturis? Et tu considerans, quod scientia DEI ad omnia hæc tam clarè, tam distinctè, tam speciatim se extenden-

tendat, ut nec minimum quid lateat ipsum; quid facere poteris, nisi extra temetipsum rapi præ admiratione infinitæ magnitudinis scientiæ DEI, ipsamque adorando cum magno Apostolo exclamare, oculis ac manibus in Cœlum sublatis: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ DEI!*

Quantum prodigiū, quod Deus cognoscat omnes res possibiles.

Videtur hoc nobis magnum quid esse; Sed ideò, quia intellectûs nostri tanta est exilitas, dejectio, arctitudo & caligo, ut facillimè minimo magnitudinum & excellentiarum Dei offundatur & offendatur radio. Veruntamen parum, imò nihil est dicere solùm, quod scientia DEI se extendat ad omnia, quæ cognoscibilia sunt in hoc mundo, quem creavit: Si suam hìc metam inveniret, infinita non esset, cùm ingens hic mundus tantum absit & distet ab infinitudine, ut respectu magnitudinis DEI tantus non sit, quantum est arenæ granulum respectu totius universi. Extendit igitur se ultra hæc, usque in infinitum: Siquidem DEUS cognoscit, omnem innumerabilem multudinem rerum possibilium distinctissimè, in quantum nimirùm hæc cognoscibilis est. Ipse novit, quot milliones mundorum extrahere posset è nihilo: ipse cognoscit omnes actiones, omnia verba, omnes cogitationes, quas formarent omnes homines, quibus repleret omnes hos mundos, omnes diversas creaturas, ex quibus componeret ipsum, harumque virtutes, proprietates, dispositiones. Et necessè omninò est, scientiam divinam ad omnia hæc se extendere; Si enim quidpiam ignoraret, DEUS non esset. Integro stude sæculo, quantò magis intellectus suos intendet nervos ad comprehendêdam portentosam magnitudinem scientiæ DEI, tantò obruetur magis & capiet minus.

Deus cognoscit semetipsum, & hoc est ultimum complementum scientiæ ipsius.

Et nihilominus hoc parum adhuc est: Siquidem licet concipiamus speciem quandam immensitatis in stupendâ hâc magnitudine, quam consideravimus in scientiâ DEI, nondum tamen hìc suis constringitur & arctatur limitibus, quod non fit, nisi in perfectissimâ cognitione, quam habet de seipso, & de omnibus infinitis perfectionibus essentiæ suæ divinæ. Hæc est scientia æterna, quæ exhaurit omnem infinitudinem infiniti intellectûs divini. Sed quis hoc comprehendere possit, nisi ipse solus? hìc altum nobis servandum est silentium, dicendumque præ admiratione cum magno Apostolo: O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ DEI! O sapientia! ò scientia infinita DEI mei, quàm ingens es abyssus!

Mana nobis gloria, quod à Deo cognoscantur.

O quanto demulceor gaudio in corde meo, dum infinitam hanc scientiæ tuæ perpendo magnitudinem, ô mi DEUS! inprimis, quod summâ te afficiat voluptate, dum infinitas tuas per illam contemplaris excellentias; deinde, quod tanto me beet, & locupletet honore, ut usque ad me extendere se dignetur. Si quis putet se meritò gloriari, dum dicere potest: honore potior, ut specialiter notus sim Regi; tantâ is erga me fertur benevolentiâ, ut omnium meorum negotiorum, etiam minimorum habere velit cognitionem; Sigillatim novit omnia intima cordis mei arcana, & nihil habere me vult suis absconditum oculis; nonne diceretur: magna hæc est homini huic gloria? Sed quid dicendum de me, qui gloriari possum: tantus mihi affulget honor, ut tam specialiter notus sim DEO, ut nihil sit in me, quod multò melius non sciat me ipso: Ipse novit occultissimas cogitationes cordis mei, ipse scrutatur omnes intentiones meas, nihil ipsi habeo absconditum, tamque è propinquo is omnia illa aspicit, quæ me concernunt, ut nec minimum quid evenire mihi possit, cujus non habeat cognitionem. Si quid pro ipso patiar, vel si minimum quid obsequii ipsi exhibeam, id videt & magni facit; Sed si minimum committam peccatum, aut imperfectionem levissimam, & illam videt, meque ob illam puniet.

Deum omnia scire est solatium bonorum.

O DEUS! quantum retinaculum à malo, & quantus stimulus ad bonum? si benè magnam hanc mecum perpenderem veritatem, quæ nunquam abesse deberet ab ore meo: *Deus benè scit omnia*; invanum vel fingerem virtutem, vel quidquam simularem ex hypocrisi: *DEUS benè scit omnia*; si quidquam me obruat adversitatis, si proximi malignitas mihi tendat insidias, si inuratur mihi calumniæ nota; haud aliud pro meo solatio dicendum est mihi: *DEUS benè scit omnia.* Si quid boni agam in occulto, si exerceam virtutes mundi oculis absconditas, & pro his nonnisi contemptum recipiam, videamque omnes bonas meas intentiones in sinistram trahi partem, abundè consolationis mihi est, si dicere mihi liceat apud me ipsum: *DEUS benè scit omnia.* O si ita fideliter omnes cordis mei affectus dirigerem in ipsum, totque divini ipsius amoris elicerem actus, quot facio gressus, vel quoties respiro toto tempore vitæ meæ, ut & ipsi verè cum Apostolo suo dicere possem: *Domine tu nôsti omnia, tu scis, quia amo te.*

AR-

ARGUMENTUM.

1. DEUS, qui cognoscit infinitas res diversas, nonnisi unicam tantùm habet scientiam.

2. Quàm hæc unitas, hæcque simplicitas scientiæ DEI admirabilis videatur consideranti.

Articulus II.

DIscursus hic Eusebii reddidit Zenonem, qui avidas ipsi præbuerat aures, totum cogitabundum circa sublimem idæam, quam de infinitâ hâc scientiæ DEI conceperat amplitudine; & reversus ad seipsum, quamprimùm alter loqui desiit: O DEUS! inquiebat, quàm excellentem ergò esse oportet Academiam divini intellectûs, qui omnem hanc in seipso cognitionum complectitur plenitudinem, nihil prorsus ignorans ex eo, quidquid est cognoscibile! Nam quis enuntiare prodigiosam posset multitudinem scientiarum, quibus omnium hominum imbutus & instructus est intellectus; Et omnes cognitiones, quas possident Angeli tam boni, quàm mali, cunctasque notitias particulares quæ creaturarum quamlibet adornant? Ipse scit omnia, & infinito modo plura, quàm omnes simul creaturæ scire possent. Quantus harum acervus in ipsius capite? Si tantis nobis opus est discursibus, tantâ intellectûs contentione, tot frequentatis & multiplicatis actibus, ut unicam duntaxat scientiam memoriæ committamus, quantis opus erit, ut eidem committamus omnes? Ah! quâ ratione hæc multiplicitas, hæcque innumerabilis cognitionum varietas simul stare possunt cum simplicitate intellectûs DEI?

Rem malè intelligis, interpellat Eusebius: Nam scientia DEI nil habet æqualitatis cum scientiâ creaturarum. Ipsa est ingens luminum abyssus, splendorem sibi afferens per omnem cognitionum immensitatem, unico solo oculorum suorum intuitu. Non habet ipse plures scientias ad cognoscendam omnem infinitudinem rerum cognoscibilium; non habet nisi unicam simplicissimam; non producit ipse plures actus intellectûs sui ad cognoscendas illas, non produxit nisi unicum solum; Id quod infiniti ac innumerabiles intellectus tum Angelorum tum homi-

Deus scit omnia per unicum solum actum cognitionis suæ.

hominum, invanum niterentur cognoscere, reiteratis millionum millionibus actuum, hoc ipse cognoscit ac distinctissimè intuetur per unicum solum oculi nictum & ictum. Videtur hoc nobis incomprehensibile; Eoquod intellectus nostri exilitas facilè obstupescat ex eo, quod ipsum transcendit, & obtundatur totus, dum ipsi de Excellentiis DEI quidquam proponitur. Verùm si videamus per experientiam, quod illa, quæ oculi nostri videre non possent, per centum annos, multiplicando in infinitum nostros aspectus, omnes nempe creaturas particulares, & omnia objecta visibilia, quæ in toto existunt hemisphærio, sol omnia simul & eodem intueatur tempore, abs eo, quod suos multiplicet aspectus: an mirum sit, quod DEUS, qui infinito modo magis transgreditur entia creata omnia, quàm lux solis transcendat parvam oculorum nostrorum lucem, unico solo aspectu infinities plura aspiciat, quàm omnes intellectus creati possent cognoscere, multiplicando actus suos, quantum potuerint?

Quare nos non possimus cognoscere omnia per eandem scientiam.

An nôsti, unde veniat, quod homines cognoscere non possint plures res diversæ naturæ, nisi pluribus diversis scientiis, quas omnes DEUS nonnisi unicâ solâ cognoscit? Inde est, quod nostras trahamus scientias ex objectis, eâ ferè ratione, quâ in oculos nostros recipimus species rerum visibilium, quas aspicimus: Unde venit, quod quantum objecta scientiarum fuerint diversa, credamus & ipsas essentialiter distinctas esse ab invicem. Sed DEUS omnem suam scientiam haurit ex seipso, vel, ut melius loquar, ipsemet propria sua est scientia: Siquidem ipse totus est intellectus, tota lux, tota mens; non sunt res, quas ipse scit, quæ ipsum scientem reddant; talis is est ex seipso.

Et si quæras, quare DEUS cognoscat omnes res, non solùm unicâ scientiâ, sed etiam uno eodemque actu divini intellectûs sui, quem non multiplicat, quique semper est idem, & nunquam reiteratur, cùm nos indigeamus tot discursibus, tot intellectûs nostri contentionibus, ad comparandam duntaxat unicæ rei cognitionem: respondeo ad hoc, intellectus nostros valdè debiles esse & limitatos. Ex propriâ cogüntur debilitate plures facere adnisus, plures multiplicare actus, plura conduplicare molimina, ut per plura intervalla efficiant & conficiant id, quod simul & semel conficere non possent; sicut & ex illorum oritur exilitate, quod unicæ tantum rei in particulari

Parvitas & imbellicitas intellectus nostri.

& eo-

& eodem tempore valeant incumbere, illasque nonnisi successivè comprehendere. Sed intellectus DEI, qui infinito modo fortis, infinito modo magnus est, non producit nisi unicum solum actum, qui nunquam incepit, qui nunquam interrumpitur & nunquam etiam desinet, per quem cognoscit omnia simul perfectissimè, quæcunque sunt cognoscibilia. O magne DEUS quàm es admirabilis, quamque scientia tua divina incomprehensibilis est nobis!

Robur & amplitudo intellectus Dei.

Eheu! si cogitare libet animo meo, de re quâpiam particulari, Exempli gratiâ, de flore, qui quasi nihil est, abstrahere eundem cogor ab omnibus aliis mundi rebus, illarumque oblivisci. Siquidem si eodem tempore cogitare voluero de quatuor aut quinque rebus, cogito de nullâ nisi imperfectissimè & cum perturbatione intellectûs mei. Si cogitare de te voluero, ô mi creator, ô mi DEUS, oblivisci me oportet omnium creaturarum tuarum, aliàs minima intellectum meum perambulans Chimæra me distrahit, & tuæ oblivisci me facit præsentiæ. Et tu nunquam non tam actualiter, tamque distinctè cogitas de omnibus entibus, usque ad creaturas minimas, usque ad tenuissimum atomum in aëre, & usque ad leviſſimam cogitationem mentis nostræ, ut nunquam ab iisdem avertas oculos, quasi non aliam, nisi minimam hanc creaturam cognoscendam invenires in mundo; & pro omnibus his non habes nisi unicam solam & simplicissimam scientiam, & non nisi unicum divini intellectûs tui actum. Ah! quid sumus nos, ut aspicere te præsumamus in facie, ô magne sol æterni luminis, & infinito modo refulgens? quid parvus noster est intellectus, ut cognoscere te contendat & attentet? Saltem mi DEUS, permissum mihi sit te adorare, te admirari, te adamare, teque affari cum sancto tuo Vate: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est & non potero ad eam*: quàm stupenda mihi videtur scientia tua! quàm sublimis & elevata est super me! in vanum contendam cognoscere illam, nec unquam illuc pertingam.

Dantur plures scientiæ in Deo.

Sed obstupesco, reponit Zeno, ad id, quod dicis, non nisi unicam & solam esse in DEO scientiam: an ignoras affirmare Theologos, quod in DEO plures existant scientiæ? Asserunt enim esse in ipso scientiam simplicis intelligentiæ, scientiam visionis, scientiam approbationis, scientiam conditionatam, & loquuntur de his velut de sci-

entiis diversis. Non est ergò ipsorum mens, quod nonnisi unica in DEO inveniatur scientia. An ita sumis, respondit Eusebius, pro rebus nomina, & putas scientiam DEI non esse simplicissimam, eoquod diversis appelletur nominibus, aut pluribus consideretur modis! Scientia simplicis intelligentiæ, & scientia visionis; & scientia approbationis, & scientia conditionata, non sunt nisi unicissima & simplicissima DEI scientia: Sed doctores attribuerunt illi plura & diversa nomina juxta id, quod considerârint ipsam se terminare ad plures res diversas.

Siquidem in quantum est æterna & necessaria in DEO, in quantum ipsa universim cognoscit id, quod est cognoscibile, quodque impossibile est ignorare DEUM, vocant ipsam scientiam simplicis intelligentiæ, quasi vellent dicere, quod scientia sit simpliciter in DEO. In quantum DEUS non cognoscit solummodò res, sed etiam illas vult, illas amat, in illis sibi complacet, nuncupant ipsam scientiam approbationis: Scientia simplicis intelligentiæ nihil potest ignorare, nec bonum se extendit. Quando Sacra Scriptura nobis asserit, certas esse res, quas DEUS non cognoscat, veluti quando repellet à se impios, dicens: Ite maledicti, nescio vos, non novi vos; significat hoc, quod ipsos non noverit, ut approbet illos, ut complaceat sibi in illis, sed quod potius displiceant ipsi. In quantum scientia DEI respicit res, quæ possent non esse, quæque non habent esse, nisi per voluntatem DEI, appellant ipsam scientiam visionis, & alii scientiam experimentalem. Et tandem in quantum ipsa cognoscit res, quæ non sunt absolutè, sed sub certis conditionibus, vocatur scientia conditionata: Sicut quando *Christus JEsus* dicit in Evangelio: quod si miracula à se facta in Capharnaum, facta fuissent in Tyro & Sidone, Civitates hæ forte pœnitentiam egissent. Ecce ergò tibi plura sanè nomina, sed quæ significent non nisi unicam & simplicissimam DEI scientiam, & unum eundemque divini sui intellectûs actum.

Deus non includit in sua cognitione cum sua essentia.

Quando considero, DEUM non habere, nisi unicam simplicem cogitationem, quâ complectitur omnia, quæ cognoscit, perfundor solatio, demulcetur gaudio cor meum, eoquod videam inclusum me esse, in magnâ hâc cogitatione DEI cum omnibus Sanctis & omnibus Angelis, imò & cum divinis tribus personis & cunctis divinæ essentiæ perfectionibus adorandæ. Ipse cogita-

gitat de me eâdem cogitatione, quâ cogitat de se ipso. O Amantissime DEUS! ubi est intellectus meus? Nonne hunc semper absorptum ac immersum divinæ huic cogitationi servare deberem, in quâ me ipse nunquam non conservat? An melius occupare me possem, quàm eo, quo occupat semetipsum? Quid mihi emolumenti dimanat inde, quod gnarus sim tot vanarum ac inutilium rerum, ipsum autem ignorem, ipsius integris oblivisear horis? Eheu! cum commiseratione nos aspicit è Cœlo. Psalm 13. *Dominus de Cœlo prospexit super Filios hominum, ut videat, si est intelligens aut requirens Deum:* Et vidit; *Quod omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*; millenis occupati crepundiis, ac nemo sit, qui cogitet de ipso.

Deus vult se nos accedere ut loquamur cum ipso.

Ipsius forent deliciæ, si omnes venirent ad ipsum, si omnes loquerentur ipsi, suasque expeterent gratias, nunquam non faciles præbere aures, semper paratus ad respondendum cuicunque se affari & conversari secum volenti. Non est Princeps tantæ sapientiæ, tantæque dexteritatis, qui simul eodemque tempore aures præbere possit & satisfacere omnibus suis subditis; non dico, totius sui Regni, nec magnæ alicujus Civitatis, sed nec minimi alicujus pagi, oportet hos ipsum affari 3. Reg. 4. successive, & hunc pari ratione respondere ipsis. Salomon, hoc prodigium sapientiæ, quem adornavit DEUS scientiâ adeò vastâ & amplâ, ut Scriptura illam comparet arenæ maris, eodem tempore audire non potuit rationes duarum Matrum, causam suam coram ipso pro eodem infante agentium: Oportebat assumere sibi tempus audiendi ambas simul & semel distinctissimè audit & intelligit omnes creaturarum suarum voces, omnibusque illarum prospicit necessitatibus. Quanta hæc nobis consolatio, quanta securitas, quod nunquam non nobis det aures, abs metu, quod unquam defatigetur. Omnis terra clamat ad ipsum, populi innumeri eodem tempore ipsum precantur, & omnes is audit, quasi foret unicus solus: Cantantur ipsi laudes in Cœlo, cantantur & hæ ipsi in terrâ, & pari ratione suavem percipit harmoniam luscinarum canentium in altis, & raucam vocem cicadarum strepitantium in terris. O mi DEUS, quàm es amabilis! ut quid omnium hominum corda non amant te?

ARGUMENTUM.

1. *In quo scientia* DEI *antecellat modum cognoscendi tum hominum, tum Angelorum.*
2. *Quomodò concipi possit, quod* DEUS *cognoscat omnium rerum infinitudinem absq; obstaculo, absq; fatigatione, & abs eo, quod distrahatur à perfectâ contemplatione divinæ suæ essentiæ.*

ARTICULUS III.

Differentia scientiæ Dei & nostræ.

DUm loquentem te audio de scientiâ DEI, probè video, nonnisi tenebras in comparatione & meram ignorantiam nos esse, ita ut credere vix possim, & nonnisi difficulter, quod dicitur, animam nostram spiritualem & intellectivam, qualis est, perfectam esse imaginem DEI. Siquidem intelligo nostrum cognoscendi modum infinito modo distare ac diversum esse ab illo, quo DEUS cognoscit, quid quid cognoscit. Verissimum sanè est, reponit Eusebius: Nam quia nos cognitiones nostras haurimus extra nosmetipsos, oportet, ut objecta, quæ cognoscere volumus, species suas & imagines transmittant in sensus nostros; unde fit, ut, quot sunt objecta, tot diversæ sint imagines, & tamen his stantibus nil quasi cognoscimus nisi exteriora & rerum superficies, & hoc ipsum nonnisi paulatim & cum labore; unde contingit, omnes nostras cognitiones tribus semper defectibus esse obnoxias, qui omninò sint inseparabiles: nimirùm quod sint multiplicatæ, sint imperfectæ, sint laboriosæ.

Scientia Angelorũ.

Angeli cognoscunt modo quodam nobiliori, quàm nos; siquidem abs eo, quod mendicent cognitiones suas ab objectis, inveniunt has intra semetipsos, cùm Creator ipsorum in Creatione suâ impresserit ipsis vel quasi congenuerit species vel imagines omnium rerum, quas cognosere debebant, eâ fermè ratione, quâ aliquis dedisset alteri scientiam aliquam impressâ & explicatam in libro, quem penes se teneat & legat, ubi facilè inveniet, quidquid scire volet.

Pulchritudo scientiæ Dei.

Sed Scientia infinita DEI tota diversa est ab illâ tum hominum tum Angelorum: ipsa non multiplicatur sicut illa hominum, sed est una & simplicissima cognitio: ipsa non est hausta ab illo ex objectis, sed est tota intra ipsummet: ipsa non est accepta ab alio, sicut illa Angelorum, sed

sed tota ab eo habetur à seipso: ipsa non est limitata ad res certas, sed est infinita, seque extendit absque termino ad omne, quod est cognoscibile. O scientia infinita DEI mei, quàm es admirabilis! sed & pariter quàm es amabilis! Siquidem tu verum es lumen illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum; Sinè te nos cœci essemus. Nisi tu, ô Divine sol, nos felicites parvulo claritatum tuarum radio, omnes in hoc mundo velut in noctis caligine hæremus, ubi prætentantes manibus ingredimur, ubique impingimus, nosmetipsos offendimus, & sæpius in præcipitia ruimus.

Exilia nostra lumina naturalia & humana non serviunt nobis ad dirigendos pedes nostros in viam salutis, sed potius in errorem nos inducunt, sunt enim velut ignes fatui, quos asserunt sequentes se deducere in præcipitia, in abyssus & barathra. Ah abundantis tui luminis me facito participem, ô divine sol scientiæ infinitæ DEI? Ah videam parvulum tantùm radium charitatis tuæ, ô veritas æterna: auser mihi omnia, modò cognoscam te, & sufficit mihi.

Tres infinitudines in scientia Dei.

Sed præcipuum non tangis punctum, interpellat Zeno; est aliquid in magnâ hâc luminum intellectûs divini abyssο, quod magis admirabile, magisque incomprehensibile mihi videtur, quàm omnia hucusque memorata, siquidem non solùm scientia ipsius debet esse infinita, sed adesse hìc adverto infinitudinem, quæ transcendatur ab infinitudine quâdam secundâ, & utramque iterum transcendi à quâdam tertiâ. Prima est, quod DEUS cognoscat semetipsum perfectissimè à puncto æternitatis suæ, quodque divinus ipsius intellectus, cùm inveniat in essentiâ ipsius objectum æquale magnitudini suæ, id est, infinitum, sicut est ipse, necessariò exhaurire debeat omnes vires suas ad illud cognoscendum: & nihilominus hæ maneant inexhaustæ, ita ut semper contempletur infinitam hanc veritatem, quantum illam contemplari potest, & illam tantum contemplari possit, quantum ipsam contemplatur: Et hæc contemplatio æterna tam fortis est, tamque efficax, ut producat per illam conceptum quendam vivum & tam perfectam sui ipsius imaginem, ut sit DEUS ipsi omninò æqualis. Ut autem illam producat, necesse est, ut omnia sua lumina absullâ exceptione huc impendat & intendat, ut omnem suam effundat intelligentiam, nec non absolutè infinitam suam virtutem exhauriat: Nihil ergò ipsi reliquum esse videtur.

Deus cognoscit omnia entia, actualia & possibilia.

Nihilominus post primam hanc infinitatem, quæ exhaurit omnem Scientiam DEI, video adhuc aliam secundâ infinitudinem cognitionum in divino ipsius intellectu, quâ cognoscit infinitudinem rerum, quæ non sunt ipse, omnes res creatas, quarum multitudo & diversitas adeò enormis est, omnes mundos possibiles, & omnia illa, quæ extrahere posset è vastis nihili abyssis. Quàm immensa debet esse intellectûs ipsius magnitudo, quàmque amplitudo vasta luminum ac cognitionum ipsius! dici enim debet, quod nunquam non actualiter cogitet, de omnibus manuum suarum operibus, etiam minimis; cogitetq; de illis adeò profundè, ut penetret usque ad centrum essentiæ, & usque ad minimum atomum integritatis ipsorum, ita ut nihil omninò sit in minimâ creaturâ, quod non distinctissimè cognoscat, semper intentus ipsarum conservationi ac gubernationi: moderans ipse hæc omnia & prospiciens omnibus. Quis negabit, ad dirigendum exquisitissimum & ingens hoc opus sapientiam & scientiam requiri infinitam? Verùm si omnes infinitæ vires ipsius intellectûs exhaustæ sunt, & omnia lumina intelligentiæ ipsius jam applicata & impensa ad contemplationem æternam suæ essentiæ; unde desumet admirabilem hanc virtutem, & immensam hanc luminum ac cognitionum amplitudinem, quibus indiget, ad cognoscendum tam perfectè infinitudinem aliarum rerum, quæ non sunt essentia ipsius? Ecce secundam infinitudinem in scientiâ DEI, quæ transcendit primam, quæque mihi omninò videtur incomprehensibilis.

Deus non distrahitur nec occupatur omni eo, quod cognoscit.

Sed tertiam adhuc observo, quæ magis adhuc stupenda mihi videtur; Et est, quod tam parum occupetur intuitu & cognitione actuali & distinctissimâ infinitudinis hujus diversissimarum creaturarum, quasi de nullâ prorsus cogitaret; quodque verum sit, ipsum non magis distrahi in contemplatione perfectâ essentiæ suæ, horum omnium gerendo curam, ac si aspiceret & contemplaretur tantummodò ipsam solam. O DEUS! quàm immensa ergò est magnitudo quàmque infinitum robur adorandi hujus intellectûs, quem infinitudo rerum diversissimarum, de quibus actualiter cogitat, distrahere & avertere nec unico momento posset à contemplatione propriæ suæ divinitatis! Eheu! unica sola alligaret & captivaret omnem attentionem maximi cujusque ingenii & intellectus humani, qui cogitare non posset, nisi de unicâ re solâ, dum defixè & penticulatè

latè de ipsâ cogitat, & omnes simul nihil sunt, ad occupandum intellectum & cognitionem DEI: minus hoc est, quàm minus hoc est, quàm minimus esset atomus in oculo tuo, ad impediendum, ne libere videat omnia, quæ videre voluerit. Intueor hoc velut tertiam infinitudinem in scientiâ DEI, magis incomprehensibilem, magisque ratione quâdam admirabilem cæteris duabus.

Cur unica sola scientia sufficiat Deo,

Hìc interpellans Eusebius, dicit ipsi: Adjungerem lubens quartum admirationis argumentum; Et est, quod unica sola infinitudo Scientiæ DEI operetur omnia hæc mirabilia, pro quibus tres infinitudines crederes requiri. Prima, quam observâsti, sufficit pro omnibus: Siquidem in solâ contemplatione divinæ suæ essentiæ, videt omnem infinitudinem divinarum suarum perfectionum. Videt igitur omnem amplitudinem Omnipotentiæ suæ; Et simplex hic intuitus includit omnes Creaturas tam actuales, quàm possibiles: Videt totam gubernationem divinæ sapientiæ suæ, hic intuitus includit curam ac directionem omnium Creaturarum: Videt infinitæ suæ divitias bonitatis, & simplex hic intuitus includit omnia bona, quæ exhibere vult Creaturis suis; Videt omnem divinæ justitiæ æquitatem, & hic solus intuitus includit omnia decreta, quæ pronuntiare debet tum in reprobos tum in prædestinatos: tandem videt omnia in divinâ suâ essentiâ uno simplicissimo intuitu, cui nihil prorsus est absconditum. Existimandum igitur non est, attentionem, quâ invigilat tot rebus respectu nostri tam diversis, distrahere ipsum posse à contemplatione divinæ suæ essentiæ, cùm ex adverso in divinâ hâc contemplatione ipsas aspiciat omnes; aut curam tantarum rerum ipsi afferre aliquod impedimentum, cùm semper fruatur maximâ tranquillitate in cognitione perfectâ divinitatis suæ, in quâ ipsas omnes videt velut rem quandam simplicissimam: Et consequenter non sunt, sicut arbitraris, tres infinitudines in Scientia DEI; sed una sola, quæ sufficit pro omnibus, & unus solus actus purissimus & simplicissimus, qui reipsâ non est nisi unica sola infinitudo, sed infinito modo admirabilis. Divinus Areopagita nobis id declarat duobus verbis velut totidem oraculis: *Divina mens omnia continet in seipsâ, omnium scientiam præaccipiens.* De divin. nom. c. 7.

Animæ contemplativæ non distrahuntur rebus externis.

Difficulter credimus, animas contemplativas, dum quandoq; rebus exterioribus occupantur, quò charitas ipsas vocat, non distra-

distrahi & avelli ab attentione ad DEUM, cùm interim de tot aliis rebus cogitare cogantur; sed hoc inde est, quod non considerem us, constanti fidelitate, fideliqúe constantiâ assuetas ipsas esse intueri omnia in DEO. Non quærunt ipsæ in omnibus, quæ faciunt; nisi voluntatem DEI. Non intendunt nisi gloriam ipsius, non confidunt nisi gubernationi providentiæ ipsius, non considerant seipsas, & omnes creaturas, nisi parva quædam nihila in manibus DEI, quibuscum facit, quidquid ipsi placuerit: sic tantum abest, ipsas occupationibus suis exterioribus imminuere attentionem suam ad DEUM, aut illius Oblivisci; ut potius eodem intuitu aspicientes DEUM & omnes res, quas tactant in DEO & pro Deo, se potius magis defixas inveniant attentioni ad DEUM, per easdem, quæ ab eo distraherent & avellerent alios.

Speculatio hujus Veritatis est pulchra: Sed asserendum est, paucas esse animas, quæ eandem in praxin & ipsum opus deducant: cùm certum sit, permagni id stare naturæ, ac benè moriendum esse sibi ipsi, & naturali nostro agendi modo, antequam illuc perveniamus. Nihilominus impossibile non est, imò nec est tam difficilè, sicuti sibi plures imaginantur: omnia facilia sunt bonæ voluntati, quæ potenti gratiæ subsidio roboratur; Et quicunque huc perveniret, in admirabili viveret imitatione DEI, & ordiretur Exercitium beatorum in vitâ etiamnum præsenti.

ARGUMENTUM.

1. Scientia DEI æterna est, & invariabilis.

2. Infallibilitas præscientiæ Dei non obstat nostræ libertati.

Articulus. IV.

DIm Eusebius ita infundere laborabat devotum aliquem pietatis affectum in animas Zenonis, proponendo ipsi, qua ratione in sanctam praxin deducere posset cognitionē, quam habebat de infinitâ Scientia Dei; ipse firmus semper permanens in speculatione suâ, quâ forsitan magis satisfacere quærebat intellectui suo, quàm commovere & accendere voluntatem suam, denuò cepit ex ipso quærere: quâ

quâ ratione intelligere possumus, quod scientia DEI æterna sit & invariabilis, cùm indies addiscat res, quas non noverat ab æterno? Exempli gratiâ, talis est natus tali anno; dicere non possumus, hanc veritatem cognitam fuisse DEO ab æterno, cùm veritas ex tunc non fuerit. Sciebat benè, talem quempiam nasciturum, eo quod hoc fuerit verum; Sed non sciebat, talem natum esse, quia id non fuerat verum. Ulterius ipse probè scit, talem esse sceleratum, quando lapsus est in aliquod peccatum; & postea suam immutat cognitionem & scit, eundem hominem esse justum, eo quod reversus sit in se per pœnitentiam. Affirmari ergò non potest, omnem DEI scientiam absolutè esse æternam, aut ex integro invariabilem.

Nunquam non te monitum oportet, reposuit illi Eusebius, non esse tibi judicium formandũ de infinitâ scientiâ DEI, sicut de parvis nostris cognitionibus ac scientiis. Nos mortales miseri, qui nonnisi parvam habemus luminis scintillam, concipere non possumus æternitatem, infinitam amplitudinem, aut constantiam invariabilem scientiæ DEI. Eo quod noster res cognoscendi modus, infinito distet intervallo à modo ipsius, quo res cognoscit. Nobis necesse est diverso modo cognoscere res præsentes & absentes, aliter præteritas & aliter futuras; & quia verum est, nos nihil actualiter habere, nisi parvum momentum præsens, quod transit & quantocyus moritur, ubi vix oriebatur; omnia propemodùm nobis vel præterita sunt, vel futura, & cognitiones nostræ variabiles sunt, sicut res ipsæ, quas cognoscimus. Verùm infinita scientia DEI semper est actualis, & semper præsens, ipsa æterna est & invariabilis; ipsa nullius rei recordatur, quia nihil respectu ipsius est præteritum; ipsa nihil de novo addiscit, cùm nihil respectu ipsius sit futurum, sed omnia illi sint præsentia; ipsa est invariabilis, cùm semper sciat omnia, sicuti sunt in re ipsâ.

Tres excellentiæ Scientiæ DEI de Divin. nom. c. 1.

Sublimis Areopagita stylo sibi prorsus speciali tribuit scientiæ DEI tria Elogia omninò stupenda: DEUS est omnium comprehensivus, circumapprehensivus, & præapprehensivus: quæ sunt verba emphatica ab ipsomet inventa, quæque vulgari idiomate reddi non possunt; significantia tamen nobis, scientiam divinam esse magnum quendam solem, in pleno suo meridie, qui nunquam habuerit auroram, & nunquam habiturus sit occasum. Ipse videt omnia, ipse penetrat omnia, ipse circumdat omnia, ipse transgreditur omnia apice luminis sui: Ipsius latitudo est infinita, ipsius duratio est æter-

na, ipsius certitudo est infallibilis. Uno eodemque actuali aspectu intuetur res, antequam essent, & quando sunt, & postquàm fuerunt; & hinc nihil de novo addiscit, & nullius oblivisciturr: Siquidem æternitas ipsius includit in seipsâ & transcendit omnes differentias temporum, & omnia hæc ipsius exponit oculis in momento præsenti.

Scientia DEI non impedit nostram libertatem.

Nos frustra mutamus statum, cognitio perfectissima, quam de nobis habet, invariabilis est & infallibilissima; & non obstante libertate integrâ, quam nobis relinquit, faciendi omnia, quæ volumus, etiam contra voluntatem ipsius, quidquid per nostram contigerit inconstantiam, quæ nunquam non mutari nos facit, nunquam tamen æterna hæc scientia in minimo erit falsa & veritati dissentanea. Et sicut ille, qui omnes personam in tragœdiâ agentes intuetur, liberrimè ipsos agere permittit, quidquid voluerint, ipse autem omnia, quæ agunt, probè conspicit: Sic DEUS intuetur omnem vitæ nostræ cursum, modò lapsus nostros in peccatum, modò reditum nostrum ad se per pœnitentiam: modò bona formamus proposita, modò contraria quamprimùm arripimus consilia, liberè facimus, quidquid nobis placuerit: Sed ipse videt omnia hæc unico intuitu, & videt ab æterno, & videbit in æternum non velut res futuras aut præteritas, sed semper Oculis suis præsentes, abs eo, quod vel minimum de novo contingat, vel subtrahatur ipsius cognitioni. O abyssus intelligentiæ! O immensitas luminis! nonne falleremus nosmet ipsos, si crederemus posse quidquam ipsius latere cognitionem? *Non præterit eum omnis cogitatus, & non absconditur se ab eo omnis sermo.* Eccli. 42.

Universalis idæa scientiæ DEI.

Conjunge modò, si potes, quatuor hosce radios fulgentissimi Solis scientiæ divinæ, qui tuos perstrinxerunt oculos: I. Amplitudinem hanc, quam aspexisti in infinitudine objectorum, ad quæ se extendit. II. Simplicitatem hanc, quæ non consistit nisi in uno actu solo, & in unico oculorum ipsius intuitu. III. Admirabilem hanc facilitatem & promptitudinem cognoscendi infinita objecta diversa, quibus non magis occupetur, ac si nihil cognosceret. IV. Invariabilem hanc æternitatem, quâ videt omnia sibi præsentia; sicut & infallibilem hanc certitudinem, quâ cognoscit, abs eo, quod unquam decipiatur, tot tantosque milliones rerum, quæ liberè fiunt, & sunt incertæ. Et postquàm formaveris in intellectu tuo sublimissimam, quam formare potueris, de infinitâ scientiâ DEI idæam, dic liberè ac fidenter, te nihil hîc cognoscere, magisque distare

re idæam tuam tam rudem, tamque imperfectam à scientiâ, quæ est in intellectu DEI, quàm distent tenebræ noctis à lumine meridiei. Adora solùmodò, admirare in silentio, & exclama cum magno Apostolo: *O Altitudo Divitiarum Sapientiæ & Scientiæ DEI!*

Nonne abunde erat, mi DEUS, si infinita tua scientia tota in te ipso mansisset collecta, neq; alio concluſa termino, nisi cognitione tui ipsius? Abunde hoc fuerat ad satisfaciendum tibi plenè in solâ contemplatione adorandarum perfectionum tuarum. Quid opus tibi erat, tuos conjicere oculos usque ad profundam mei nihili abyssum, ut cognoscere & scire me velles? quid videbas in me, quod poterat tibi ullam afferre satisfactionem? Nonnisi innocentiam intueris in reliquis tuis creaturis; sed in homine non vides quasi nisi peccatum, nisi mendacium & solam vanitatem. Et nihilominus tuis prosequeris oculis, imò & corde tuo vanitatem hanc: *Apponis erga eum cor tuum.* Aspicis ipsum particulari quâdam ratione, & modo prorsus alio amas ipsum, quàm cœteras tuas Creaturas. Complaces tibi in cognoscendo ipso, & te ipsum illi cognoscendum præbes, affirmans delicias tuas esse, esse cum filiis hominum, extra temetipsum, eâ fermè ratione, quâ magnus aliquis Rex suâ se quandóque exspoliaret aulâ, & solus veniret ac peteret campos incognitò, & intraret tugurium pauperis alicujus pastoris, ad informandum se de omnibus ipsius negotiis, ad blandiendum ipsi, seque delectandum cum ipso.

Prodigium quod DEus se demittat ad cogitandum de nobis.

Job. 7.

Hinc est, quod egressus è mediis splendoribus Curiæ tuæ cœlestis, descenderis in persona, ad quærendum nos super terram, totus tuâ exutus gloria, & proprio nostro amictus vestimento, quasi magis familiariter insinuaturus te in nostram cognitionem, ut magis propè nobiscum ageres, & per proprias tuas experientias, nostras addisceres miserias, magisque sensibiliter te nobis spectandum præberes, proprio tuo ore manifestans nobis magis intima cordis tui arcana, sicut & millenis luculentissimis nobis demonstrans argumentis, quod ratione quâdam magis nos ames te ipso, & propriâ vitâ tuâ, cùm hanc pro nobis dederis. O Bonitas! infinita Bonitas! Quomodò mundus non cognoscit te? & eccur omnia Corda hominum non ament te?

Deus venit, ut se nobis manifestaret.

Non adimpleta sunt immensa Bonitatis tuæ desideria, dum adeò particulari cognitione nobiscum uti, tamque stupendâ familiaritate inter nos conversari voluisti. Non sufficit tibi, adorando cordi tuo insculpsisse nos;

DEUS nos exaratos gerit in manibus suis.

voluisti adhæc descriptos nos in tuis portare manibus, ad exhibendam nobis certitudinem, nunquam te nostri abolituram memoriam: *In manibus meis descripsi te*; Sicut fidelis sponsus, qui ad tempus abesse coactus à dilectâ sponsâ suâ, depingi sibi curat effigiem ejus in quodam annulo, quem portat in digito, ut abs intermissione teneat ante oculos imaginem ejus, quam servat & possidet in corde suo. O quàm incomparabiliter major est amor! O dilecte animæ meæ, quod, postquàm honorasti me in terris, præsentia tua visibili per tot annos, discessurus à nobis & reversurus ad cœlos in sinum divini Patris tui, depingere volueris imaginem meam in manibus tuis, pretioso murice proprii Sanguinis tui, & penicillo clavorum, qui illos imbuerunt cruore, ut semper me tuis præsentem haberes oculis.

Isa. 49.

Nonne ergò tibi dicere possum, O DEUS meus, misericordia mea, eo amoris & confidentiæ affectu, quo Sanctus dixit Augustinus: *Domine DEUS meus, ecce in Manibus tuis descripsisti, lege ipsam Scripturam, & ne obliviscaris mei.* Ah! probè novi, o mi DEUS, quod nunquam obliviscaris mei: ut quid ergò ingratus ego abs intermissione obliviscor tui? Tu nôsti me, & ego non Novi te, quia totum tu lumen es, & ego nonnisi Caligo & tenebræ; non possum cognoscere te talem, qualis es, sed talem, qualis es, amare te possum. Ita, mi DEUS, pro consolatione mea non mandasti mihi, ut cognoscerem te ex toto intellectu meo, sed ut amarem te ex toto corde meo. Soliloq. c. 3

Consultatio XIX.

De Justitia DEI.

BOna quædam anima, cui concesserat Deus donum contemplationis, maximum sentiebat desiderium acquirendi cognitionem infinitarum perfectionum DEI, credens hoc efficacissimum fore medium, quantocyùs se totum succendendi amore ipsius. Sed quia magnæ erat simplicitatis, est intellectus ejus parum idoneus ad recipienda magna contemplativorum lumina, quæ recipere hi solent in sublimi intellectûs sui elevatione: DEUS infirmitati ipsius se accommodans communicare se illi voluit modo magis sensibili & se in imaginatione ipsius depingere talem, qualis voluerat ab illâ cognosci, sicut qui imaginè depingeret super telam. Siquidè imaginatio, quæ sæpius molestissi-

stissimè persequitur eos, qui incumbunt orationi mentali, per levitatem & inconstantiã suam, potest quandoque servire contemplationi altissimorum Mysteriorum, quando placuerit DEO ipsam figere, ut ipsemet ibidem certas quasdam divinas imprimat imagines, quas propriâ depingit manu: Et hac ratione cognosci se facit modo magis sensibili; cùm imagines indoctorum ignorantium ac simplicium codices sint & libri.

Visio mysteriosa currus justitiæ DEI.

Cùm die quodam bona hæc anima suam incepisset orationem, tota desiderio illo accensa, cùm aliud non dixisset, nisi duo hæc verba: Mi DEUS! *Ah agnoscam te, ut amem te*! in profundam rapta fuit extasim, in qua perdidit usum sensuum, per hocce ferè spatium. Videbatur videre sibi currum stupendæ magnitudinis, portatum ac vectum à quatuor rotis omninò diversis: duæ anteriores minores erant aliis & aliâ ratione fabrefactæ. Una videbatur ipsi composita è statuis confractis, quarum uni erat abscissum caput, alteri disruptum brachium, illi avulsa tibia, & omnes malè ordinatæ, ita tamen inter se unitæ erant, ut constituerent unã ex his rotis. Alia videbatur ipsi composita è spectris velut parvis lemuribus inter se concertantibus, séque invicem discerpentibus, ita tamen conjunctis, talique ordine dispositis, ut velut aliam conficerent rotam. Duæ aliæ, quibus ultima pars currus innitebatur, totæ erant ex flammis, intra quas observabat novaculas & gladios acutos; Sed una erat valdè parva, & altera tam enormis magnitudinis, ut ejusdem circumferentiam assequi oculis non posset. Duo animalia currui alligata erant ad illum trahendum, aquila nimirùm & bos; & licet hic ultimus magnæ videretur molis, advertit tamen ipsũ æquali cum Aquila celeritate progredientem: Vix autem attollere audebat oculos ad aspiciendum illum, qui velut in triumpho super currum vehebatur, vidit tamen personam augustissima Majestate formidandam, quæ incessanter duâbus manibus suis, ex utraque parte, aliquid, quod non poterat discernere, projiciebat; audiens interim voces lamentabiles, è Cœlo, è terra & profundissimo barathro clamantes: *Væ, Væ, Væ Nobis*; unde benè judicare poterat, nullos hos inter horrores, adesse favores.

Non facile est captu, quanto timore exin fuerit perculsa bona hæc anima; unde terroris impetu ab extasi in se reversa fuit, quod facere solent infantes, qui intuitu alicujus spectri perterrefacti confugiunt in sinum, recipiunt se inter brachia matrum. Et hæc tota tremebunda quæsitum cucurrit

rit directorem suum, virum non minus virtute, quàm doctrinâ conspicuum; quem & loquentem invenit cum amicorum quopiam meritis non absimili: Erat autem discursus illorum circa textum è tertio capite Prophetæ Ezechielis desumptum: *Staturâ erat in rotis, & horribilis Aspectus.* Ezech. 3. Et quia recensebat illis visionem suam, credentes hanc benè cohærere cum illo, quod legebant, explanârunt hanc ipsi, ut sequitur.

ARGUMENTUM.

1. *Justitia Dei triumphat de malitiâ peccatorum.*
2. *Quatuor rotæ currûs ipsius sunt quatuor suppliciorum genera, quibus punit illos: mala corporis, afflictiones animi, pœnæ purgatórii, & cruciatus inferni.*
3. *Exercet rigorem suum præcipuè adversus Angelum & Hominem.*

Articulus I.

Explicatio Visionis.

QUod vidisti, triumphus est formidabilis Justitiæ DEI super peccatores: nihil tam amore, nihil tam adoratione dignum, sicut DEUS: infinita essentiæ ipsius excellentia, innumera, quibus incessanter nos onerat, beneficia; bona, quæ nobis promittit, æterna, deberent subjicere ipsi omnium animos, & attrahere ad ipsum omnium corda hominum; & tamen nemo unquam sic despicitur, sic offenditur, uti DEUS. An ex omnibus hominibus sit unicus in mundo, qui ipsum non offendat indies? An transiit hora, aut momentum vel unicum ex omnium decursu sæculorum, quo non malè fuerit tractatus & tractetur etiamnum? Nullus unquam infelix fuit adeò, ut taliter universalis & publicus inimicus esset omnium, quin unicum saltem in toto habuerit mundo, qui contra se non conjuraverit ad inferendam sibi injuriam. Nonnisi sola est infinito modo amabilis DEI Bonitas, quæ tam universaliter ab omnibus offenditur hominibus, ut nec unicus sit, qui dicere possit: Ego nunquam offendi ipsum.

Aspicit ipse propriis suis oculis omnes injurias sibi factas, propriis excipit auribus omnes blasphemias contra se prolatas, omnes suas leges intuetur contemptas, omnes suas voluntates conculcatas, omnia sua beneficia maleficiis & ingratitudine recompensata; & licet summo peccatum prosequatur horrore, nil tamen nisi illud suis habet expositum oculis. Quomodo beatus, quomodò contentus esse inter hæc

DEUS videt se ab omnibus hominibus offendi.

hæc omnia posset, nisi pro suo honore & gloriâ redintegraret justitia, quod in despicatum Majestatis suæ abs intermissione hominum adimit malitia? Sed reluctante frustra insolente ingratarum ipsius creaturarum attentato, omnes ipsius adimplebuntur voluntates, ita ut, quidquid fecerint, suam semper ex eo trahat & eliciat gloriam.

Justitia Dei triumphat ubique.

Hæc est voluntas ipsius, ut homo liberè feratur sive ad bonum, sive ad malum; sed & voluntas ipsius est, ut omnia, quæ facit bona, recompensentur, omnia, quæ facit, mala puniantur. Persona, quam currui formidandâ cum Majestate insidentem vidisti, est justitia DEI, quæ triumphat ubique, distribuens incessanter ex unâ parte manibus suis præmia bonis, & ex alia pœnas & supplicia malis. Ipsa hos prosequitur ubique, in cœlo, in terra, & in profundo abyssi: & hinc est, audisse te undique lamentabiles miserorum istorum querelas ac voces. Quatuor rotæ triumphalem hunc currum ubique circumagentes, sunt quatuor suppliciorum genera, quibus illos punit ac mulctat.

Pœnæ corporales.

Prima rota, quæ composita tibi videbatur è Statuis confractis, mala sunt sensibilia & corporalia, quibus ultrix DEI manus abs intermissione conterit & frangit vanitatem hominum per pestilentias, bella, famem, incendia, diluvia, motus terræ, fulmina Cœli, jacturam bonorum, morbos, mortes funestas, & innumeras alias calamitates, sub quibus miseria gemit humana. Quæ lingua illis enarrandis sufficiat? quis intellectus illas abs horrore, abs fremitu consideret? Et nihilominus opponere nos adhuc audemus omnipotenti huic brachio, quod nos frangit, dum tangit, suóque nos pondere conterit.

Pœnæ spirituales.

Altera rota, quæ primæ huic se comitem adjiciebat, quæque tibi composita videbatur ê parvis spectris & lemuribus concertantibus, séque invicem discerpentibus, significat cruciatus animi, qui crudeliores sunt illis corporum, cùm affligant animam, quæ corpus longè antecellit nobilitate: tales sunt subtractio gratiarū in tot personis, quæ contempserunt illas, vel illis longo tempore sunt abusæ: obcœcatio animi in tot aliis sese in omnia vitiorum genera præcipitantibus, abs eo, quod id vel observent, vel curent; duritia cordis in tot aliis, quæ prorsus sunt insensibiles & conversionis incapaces; tristitia, fastidia, inquietudines, æmulationes, inordinata desideria, & hæc sæpius suo fine frustrata; timores, desperationes, rabiosi furores, & millena alia supplicia interna, quibus tot excruciantur infelices,

qui

qui adhuc in terris vivum circumferre videntur infernum. Eheu! tantum abest, ut crudeli hoc inferno exsolvere se, se resolvant, ut potius se magis immergant, hocque se tumulent accumulantes peccata sua.

Purgatorium & Infernus.

Aliæ duæ rotæ è flammis, & acutis novaculis, sustentantes extremitatem currûs triumphalis, sunt pœnæ alterius vitæ; Verùm hæ non ejusdem sunt magnitudinis. Illa, quæ minor tibi videbatur, significat pœnas, quibus severissima DEI Justitia punit animas in purgatorio; major autem innuit horrenda supplicio inferni. Eodem modo sunt ambæ compositæ è flammis devorantibus & novaculis acutis: Quid enim est purgatorium, nisi infernus temporalis? Et quid est infernus, nisi purgatorium æternũ? in utroque sunt animæ privatæ visione DEI, sed in uno ad tempus solum, & in altero per omnem æternitatem: In utroque patiuntur animæ tormentum ignis, aliásque, quas promeruerunt, pœnas, majores vel minores, juxta magnitudinem injuriarum, quibus offenderunt Deum; sed in uno ad tempus duntaxat, & in altero æternaliter absque fine. Et ideò è rotis hisce flammeis tibi visa est una tam parva, & alia adeò magna, ut ipsius circumferentia tuum subterfugerit aspectum, O DEUS, quàm terribilis hæc est visio! quámque vera sunt Prophetæ verba! *Statura in rotis, & horribilis Aspectus.* Ezech. 1. Quis non timebit te, O Magne & vive DEUS? Quis non contremiscet tuam aspiciendo justitiam?

Tandem, ut mysterii, quod vidisti, explanationem ad finem deducam: duo animalia, quæ currum trahebant, Aquila & Bos, repræsentant Angelum & hominem, duæ nimirum creaturæ peccati capaces, in quas præcipuè divina justitia suum exercet rigorem.

Deus punit Angelum ob unicam vanam cogitationem.

Primus est Angelus, Creatura hæc nobilis, pulcherrimum manuum divinarum Opus, qui ob unicam cogitationem superbam, cum tot aliorum millionibus, ambitiosæ huic arrogantiæ tantummodò consentientibus, condemnatus est, ut bestiarum more alligaretur currui triumphali justitiæ divinæ, ad trahendum illum usque ad inferni abyssum in omnem æternitatem. O formidande Deus in decretis justitiæ tuæ! si tam severè punias unicam vanam in angelis cogitationem, quibus, uti videtur, argumentum & causa erat altum de se sentiendi, cùm tam nobiles fuerint creaturæ; quid mihi exspectandum erit miserabili vermiculo terræ, cùm omnes meæ cogitationes, mea verba, mea opera, & tota mea vita nonnisi plena

sint

sint arrogantiâ & ambitione? contremisco sub manu tua, O Divina justitia! deficio, contabesco præ horrore, stupidus ac immobilis hæreo, dum dicentem te audio per os vatis tui Isaiæ: *Inebriatus est in Cœlo Gladius meus*, quod vindicem tuum respersëris, tinxeris, quin & inebriaveris Gladium sanguine creaturarum tam nobilium, quæ in Cœlo jam erant quod unicâ solummodò cogitatione vana suum inflare ac temerare præsumpserint animum: Et ego, qui repto super terram, proximus inferno, quid pro mea exspectem arrogantia, pro detestandâ meâ ambitione?

Isai. 34.

O quàm est æquum, ut bos unà cum Aquilâ alligatus sit Currui triumphali Justitiæ Divinæ, eandemque trahat molem ac farcinam, & quidem, tardus licet ac stupidus, eâdem cum aquilâ velocitate suum urgeatur accelerare gressum! Homo hoc significatus animali, cùm adjecerit ambitioni rebellis Angeli, gulam, cujus Angelus capax non fuerat, ausus est manducare ex fructu prohibito, ut similis evaderet DEO. Crimen hoc eò usque displicuit DEO, ut in instanti sceleris commissi, alligaverit ipsum currui Justitiæ ultricis, & non solummodò præcipuum ac primarium criminis hujus reum, sed totam ipsius posteritatem. Hinc est, quod omnes nos nascamur filii iræ; quod nascendo nobiscum feramus, maledictam hanc ad peccatum inclinationem; quod ingrediamur hanc miseriarum vallem veluti patrati sceleris rei, in medio suppliciorum, quibus totus vitæ nostræ cursus caret nunquam: fames & sitis, calor & frigus, morbi & miseriæ corporales, ignorantia, affectus rebelles, omnia elementa, & omnes quasi creaturæ, nobis velut inimicis DEI continua cient & movent bella; & divina ipsius Justitia, quæ tali nos tractat ratione, obtinere tamen à nobis non potest, ut reos nos esse agnoscamus; nunquam id à nobis consequi, ut nos humiliemus, ac ipsius imploremus misericordiam. Nonne igitur sic cogimus ipsam, ut tandem nos puniat in æternum?

Deus punit hominem ob multa peccata.

Justus es Domine, & recta sunt judicia tua; æquum est puniri nos, cùm abundè promeruimus idipsum. Sed an semper tuos experiemur rigores? an paternarum tuarum memor non eris miserationum? Novi probè, nos tibi eruere hæc è manibus tela, nosque quasi vi factâ tuam contra nos excitare iracundiam, reluctante etiam bonitatis tuæ inclinatione: *Cogimus ad ulciscendas Criminum nostrorum immanitates nolentem DEUM.* Sed an dicatur, malitiam nostram hoc posse adversùm te, & bonitatem

Salvianus de Gub.

tuam, quæ infinito modo major est, non posse eruere è nobis crimina nostra, & perversam voluntatem è corde nostro? exhibe justitiam peccatis, quæ inimica tibi sunt & nobis; effunde super illa omnem iracundiæ tuæ torrentem, extermina & dele illa in perpetuum; sed miseris nobis peccatoribus, qui sumus opus manuum tuarum, exhibe misericordiam. Corripias nos velut filios tuos, ut nos corrigas; sed non punias nos velut inimicos tuos, ut nos perdas, nos in abyssum agas averni.

Prima hæc idæa Justitiæ DEI, quam conceperunt velut triumphantem de malitiâ peccatorum per sua supplicia, quamvis terribilis fuerit, produxit nihilominus in ipsis desiderium, diutius producendi sermonem de tanti momenti ac ponderis argumento: Et ecce, quomodo discurrerint de illo.

ARGUMENTUM.

1. *Quod DEUS justitiam exhibeat omnibus rebus creatis, & tamen nec unicæ Creaturæ exhibeat Justitiam.*

2. *Quod justissimè mala inferat bonis, & justissimè bona malis.*

Articulus II.

Qualis Justitia sit in DEO.

UNus ex his Doctoribus, postquam æquis & avidis id auribus excepisset, quod dixerat alter, interrogavit illum: quod Justitiæ genus concipere possumus in DEO? esse non potest justitia commutativa, quæ consistit in hoc, ut reddatur beneficium pro alio accepto: Nam ultra quod Aristoteles & Sanctus Thomas illum citans teneant, hanc propriè inter Patrem & Filium, Dominum & Servum, Creaturam & Creatorem esse non posse. Magnus Apostolus de DEO loquens, dicit nobis: *Quis prior dedit illi, & retribuitur ei?* quis dicere potest, dedisse se aliquid Creatori suo, unde obligatus hic sit, recompensare id illi ex justitiâ? Si propriè esse non potest justitia commutativa in DEO, esse ergò poterit justitia distributiva, quæ consistit in hoc, ut distribuat unicuique id, quod ipsi convenit, juxta statum & conditionem ipsius. Et divinus Areopagita dicit, quod Justitia DEI admirabilis videatur in toto universo, ex eo, quod unicuique Creaturæ distribuat id, quod ipsi est proprium, juxta naturam, ordinem & virtutem ipsius particularem.

1. p. q. 21 a. 14.

Rom. 11.

De divin. nom. c. 8.

Si DEUS annihilaret omnes peccatores, ju-

Sed quia Justitia essentialiter consistit in dando unicuique suum, vel id, quod ad ipsum pertinet,

Justitiam facere.

net, non video, DEUM exhibere posse alicui Creaturæ justitiam; nam ut illis justitiam exhibeat, deberet ipsis dare suum; Jam autem, quod suum sit, quid habent, nisi nihilum? Ecce omne id, quod proprium habent: totum namque, quod habent esse, non pertinet ad ipsas velut proprium, cùm id velut mutuum acceperint ex solâ liberalitate DEI Creatoris sui. Si ergò DEUS exhiberet ipsis justitiam, reddendo unicuique quod suum est, deberet omnes remittere in nihilum, primam ipsarum originem; & præcipuè homines, qui plura committentes peccata continuò incidunt. E nihilo in aliud, cum peccatum miserabile sit nihilum, juxta effatum Sancti Pauli: *Peccatum nihil est.* Si DEUS exhiberet ipsis justitiam, hoc esset ipsas annihilare, & tunc haberent quod suum & ipsis proprium esset. Jam non video, DEUM annihilare aliquam creaturam, sed nec maximos peccatores; videre ergò non possum, quod vel uni ex creaturis exhibeat justitiam.

Sive condoner, sive puniar, simplex justitia est.

Verum igitur est, respondit alter, quod nihil pertineat ad Creaturam nisi purum nihilum. Sed quia nihil melius est nostrum, quàm quod donatur nobis ex spontaneâ & liberâ voluntate, cùm DEUS donare & dare voluerit esse creaturis ex merâ libera-

[illegible] est, distribuere id ipsis, quod adesse ipsarum pertinet, juxta ordinem & dignitatem ipsarum. Si illas redigere vellet in nihilum, hoc justum sanè foret, eoquod nullum Jus habeant adesse, nisi ex solâ voluntate DEI; & similiter, quando conservabit ipsis esse suum, aut etiam dare illis volet omnes sui esse perfectiones, hoc justum erit, eoquod infinitæ bonitati suæ hoc sit vel maximè congruum. Quando punire volet peccatores, faciet justitiam, cùm ratione hâc suam glorificaturus sit Bonitatem: sive igitur destruat, sive conservet, sive ignoscat, sive puniat, semper facit & exhibet justitiam Creaturis suis. Ita dicit Sanctus Anselmus á Sancto Thoma citatus: *Cùm punis malos, justum est, quia illorum meritis convenit; cùm verò parcis malis, justum est, quia tuæ Bonitati condecens est.* 1. p. q. 21. a. 1. ad Tertium.

DEUS bonum confert malis & malum bonis ex Justitia.

Dico adhuc plus: quando DEUS malos implet bonis in hâc vitâ, facit justitiam; & quando bonos; imò optimos crucibus & adversitatibus onerat in præsenti vitâ, similiter facit justitiam: non solùm, quia divina ipsius voluntas regula est & norma omnis justitiæ, sed etiam quod ipse supremum sit Ens, & nemo jus habet interrogandi ipsum: Cur ita facis? verùm maximam ipse observat justitiam, dum pessimis benè

nè facit, eo quod nemo tam malus sit in mundo, qui non faciat aliquod bonum, quod mereatur præmium; cùm ergò in æternitate carere tali debeant, cùm sint è numero reproborum, nonne justum & æquum sit, ut illos remuneretur sensibilibus quibusdam bonis ac donis in hâc vitâ? & ex adverso, nemo tam justus & innocens est in terrâ, qui non committat quandóque noxam, quæ mereatur pœnam; cùm ergò in æternitate non puniantur velut aggregati numero prædestinatorum, nonne æquitati similiter congruat, ut illos puniat & afflictionibus premat præsentis tempore vitæ.

Non oportet invidere felicitatem suam peccatoribus.

Quàm tenuia, quàmq; infirma nostra sunt lumina humana, dū vivimus in terrâ! invidemus quandóque prosperitati maximorum peccatorum, & quando videri videtur nobis, Deum nonnisi pro his benedictiones temporales habere, ac omnia illis juxta vota feliciter succedere, disputare ac contendere quasi volumus cum providentiâ, & dicere ipsi illud Prophetæ: *Justus quidem tu es, Domine si disputem tecum: Verun tamen justa loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur; Benè est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt? plantâsti eos, & radicem miserunt; proficiunt, & faciunt fructum;* dum illi, qui tibi serviunt fideliter, sterilescunt. Nos invidemus ipsis & non videmus, apparentem hunc dulcorem, maximè formidandum esse severissimæ ipsius justitiæ rigorem. Nonne audimus, quid alterius ex vatis ore affirmet nobis: *Misereamur impio, & non discet facere justitiam, & non videbit Gloriam Domini?* Nimis quàm crudelis misericordia, quæ tam funestum operatur effectum? Infelix felicitas, quæ bonis exspoliat hominem æternis! dignum lamentatione solatium, quod nil agit, nisi quod in suis ipsum confirmet peccatis! dicerem ego cum Sancto Bernardo: Domine, ne des mihi ejusmodi benedictionem, nolo ejusmodi recipere genus misericordiæ. *Procul sit à me Benedictio tam crudelis.*

Jerem. 12. Isa. 26. Serm. 22. in cant.

Invidendum est bonis, dum afflinguntur.

Verùm sanctâ quâdam invidiâ nos ferri oportet in misericordem ac benignam illam severitatem, quâ justitia divina optimos quosque prosequi consuevit in hâc vita. Nonne videtur tibi, quod, dum illos punit in hoc mundo, ob leves aliquos defectus ex fragilitate commissos, illos purificet in purgatorio charitatis, sicque tantò melius disponat, ut abs ullâ retardatione intrare ipsis liceat Sanctam illam Civitatem, in quā nihil admittitur coinquinatū? quid enim purgandum erit superstes, postquàm transiêrunt per manus æquissimæ

mæ hujus justitiæ, quæ binâ vice unum & idem vitium non punit? An dubitare possumus, ipsos jamjam esse beatos, cùm toties canonizati fuerint per os ipsius DEI in Evangelio: Beati pauperes; beati qui lugent; beati, qui patiuntur persecutionem: Non dubitamꝰ de beatitudine eorum, quos sancta Sedes Catalogo Sanctorum adscripsit; Et dubitaremus de beatitudine afflictorum, quos ipse DEUS beatos appellat?

Pulchra considerationis S. Ephr. circa afflictiones justorum, Serm. de comp. animi.

Sanctus Ephrem instituit desuper pulcherrimam considerationem: Benè video, dicit ipse, in toto Evangelio, beatitudinem annexam esse pœnis, quibus justitia divina flagellat nos in hâc vitâ, benè video, hos esse favores, quibus maximis suis blanditur amicis. Video ipsum Sancto Paulo dixisse, quod ostendere illi velit, quantum oporteat ipsum pati pro nomine suo in universum mundum deportando. Lego etiam, quid dixerit Sancto Eustachio generosissimo huic hipparcho Imperatorum Vespasiani ac Titi, quod militiam Christianam ingressum brevi spoliari oporteat omnibus bonis, privari filiis, exui amicis, eò redigi, ut velut simplex agricola terram colere, stivâ subigere sit adigendꝰ, contemptu hominum, nec non variis obruendus Calamitatibus. Video ubique, rationes tractandi rigidissimas non esse, nisi blanditias DEI, quibus suis lenocinatur prædestinatis.

Sed incassùm evolverim omnes sacros codices, cunctasque Sanctorum vitas, nullibi tamen exaratum invenero: Beati divites, qui voluptatibus indulgent vitæ: Beati qui dignitatibus sublimati, honoribus fruuntur Sæculi: Beati, qui natant in deliciis, qui lautis utuntur epulis, qui blandis sensuum delectantur illecebris: Hæc omnia lex nostra non suadet, ista Dominus noster non docuit, verùm miserabilia atque infelicia illa censuit, luxit ac planxit. Lex Christiana, quam profitemur, nihil ejusmodi præcipit nobis, Magister noster Christus JEsus non ejusmodi nos imbuit documentis, sed potius illa damnavit, ita viventium deflevit miserias: Quid enim judicari possit de iis, qui paradisum sibi totum accommodum sensibus constituunt in terris, nisi quod nihil paradisi spiritualis exspectandum habeant in cœlis.

Magis amandæ sunt cruces quàm consolationes.

O bone DEUS, nostræ compatere cœcitati, quæ taliter bona sumit pro malis, & mala maxima pro bonis. O divina justitia, haud nobis largire, quod anhelamus maximè, sed potius, quæ horrori sunt, etiam invitis concede nobis. Nos vitæ præsentis inhiamus prospe-

ritatibus. [illegible] quæ reproborum est portio, quos non [illegible] tempore, quod abundè tibi sit otii illos castigandi in æternitate: Contremiscimus autem, dum cruces intuemur & adversitates, quæ electorum tuorum est hæreditas: Non consolaris illos in tempore, cùm otij nacturus sis plurimum consolandi ipsos in æternum.

Nolo prosperitates tuas, quamvis natura [illegible] [illegible] refugiat illas, dum ipsas fugio; desidero potius adversitates, quamvis natura abhorreat illas, dum ipsas expeto: Ne blandiare mihi, ut perdas me, sed potius me puni, ut condones mihi: *Hîc ure, hîc seca, modò in æternum parcas.*

ARGUMENTUM.

1. *Unde veniat, quod videamus bonos sæpius prosperari, & malos puniri in hâc vitâ.*
2. *Quod Justitia DEI ultra quàm mereamur, nostra recompenset bona opera, infra merita autem nostra puniat peccata.*
3. *Quàm utile sit semper justitiam habere præ oculis.*

Articulus III.

DEUS punit malum & præmiat bonum in hoc mundo ex compassione erga nostram imbecillitatem.

NOn possem tibi hoc concedere, respondit ipse amicus. Nam si Justitia DEI nunquam non rigore prosequeretur justos, & non nisi pro malis haberet solatia, non id justitiæ, sed maximè imputaretur injustitiæ. Cunctæ simplices animæ, quæ tuam ignorant Philosophiam, quæque communiter magis reguntur communi hominum sensu, quàm luminibus fidei, ita scandalizarentur ex hoc, ut timendum foret, ne potius amplecterentur vitia, quas viderent tam bonâ beari sorte, quàm virtutes, quas viderent premi ac malè haberi: videmus etiam, providentiam Cœli, quæ nostræ compatitur infirmitati, hâc in parte aliter procedere; cùm plurimos reperire sit bonos ac justos, quos DEUS benedictione repleat temporali, & plurimos similiter malos, quos puniat severissimè etiam in hâc vitâ. Nihil est, quod luculentius aut frequentius in libro Exodi exprimatur & repetatur, quàm benedictiones temporales, quas promittit DEUS populo custodienti legem suam; & horrendæ maledictiones, quas comminatur illi, si eandem fuerit transgressus. Et nonne in Evangelio ipsemet Christus JESUS promisit fidelibus servis suis centuplum in hoc mundo, & vitam æternam in altero? Ah! quomodò intelligere possemus, quod justitia

justitia sit, punire bonum & remunerari malum?

DEUS punquam sinit malum impunitum,

Respondeo ad hæc tria. Primum, quod Justitia DEI nullum unquam bonum abs præmio, & nullum unquam malum abs pœnâ & supplicio abire permittat. Dixi nullum, quodcunque illud fuerit, sive magnum, sive parvum: Cùm enim ipsa sit perfectio divina, immensam esse oportet in magnitudine, & infinitam in profunditate suâ. Ex eo, quod immensa sit in magnitudine, unico intuitu videt omnia bona & omnia mala, quæ fiunt in mundo, ita ut nec unicum effugere possit illius cognitionem, hinc est, quod à Sacrâ Scripturâ nuncupetur veritas; & Sanct. Thomas allegans Textum Psalmi octogesimi quarti; quod misericordia & veritas ob viaverunt sibi, intelligit per hanc veritatem justitiam: *Ponitur ibi veritas pro Justitiâ.* Eoquod infinitam lucem esse oporteat in intellectu DEI, ad gubernandas omnes res secundùm justitiam; & hæc lux est Veritas, & hæc veritas distinctissimè omnia cognoscit. Ex eo autem, quod infinita sit in profunditate suâ, rimatur & penetrat omnia vel merita, vel demerita in quavis re, illaque usque ad minimum atomum intuetur clarissimè; & hæc intuens adæquat præmia meritis & demeritis supplicia tantâ cum æquitate, ut non solùm omnia bona recompensentur, & omnia mala puniantur, sed etiam nec minimam particulam aut boni aut mali relinquat vel abs præmio, vel abs suo supplicio. Et in hoc ipsa justitia est infinita & infinito modo transcendens illam hominum, quæ nec punire potest omnia mala, nec recompensare omnia bona, cùm horum non habeat cognitionem; Et id, quod cognoscit, cognoscat semper tam imperfectè, ut quasi impossibile sit justam ab ipsâ servari proportionem, aut judicia ejus ad amussim consentanea esse æquitati.

1. p. q. 11. a. 2.

DEI solius est punire juste.

Ne mireris, quod justitia DEI largiatur quandóque benedictiones temporales justis, quibus coronas præparat in æternitate. Omnia bona, quæ faciunt, non sunt digna recompensatione æternâ; cùm plurimis bonis operibus ipsorum scateat vita, quæ non nisi bonitatem habeant naturalem, vel quia non purè fiunt ob ipsius gloriam. Largitur aliquis elemosynam paupері, cujus tangitur commiseratione, abs alio ulteriore respectu, nisi quod subvenire velit ipsius miseriæ, uti faceret etiam aliquis paganus: alius inservit suo proximo, quia vel amat ipsum naturaliter, vel quia sperat aliud quoddam obsequium ab ipso, datâ occasione exhibendû. Omnes hæ ratio-

Cur DEUS det hic præmium nonnullis operibus justorum.

rationes, quæ nonnisi naturales sunt, non merentur recompensationem æternam: Nihilominꝰ, quia aliquam habent bonitatem, merentur etiam aliquam recompensationem: Et inde est, quod Justitia DEI, quæ nunquam aliquod bonum absque recompensatione relinquit, illis benedictiones largiatur temporales, vel majores vel minores, juxta proportionem meriti in ipsis animadversi.

Cur DEUS hîc puniat peccatores.

Quando similiter punit peccatores maximos pœnâ temporali, quibus supplicia præparat in æternitate, dici non potest, hoc fieri, quod omnia peccata, quæ committunt, non sint digna inferno: Si enim tantummodò esset peccatum aliquod veniale, conjunctum tamen mortali æque æternaliter sicut mortale punitur. Sed calamitates, quibus illos premit in hâc vitâ, sunt vel magni favores & gratiæ, quibus eosdem tangit, ut angat & in se ipsos atque ad DEUM per pœnitentiam reverti cogat; vel sunt obstacula ad impediendum cursum vel imminuendum saltem torrentem vitiorum, quò trahi & abripi se sinunt; vel ad serviendum pro exemplo aliis, quâ ratione justitia humana extremo supplicio publicè afficit sceleratos, ad incutiendum terrorem animis aliorum; vel tandem ad dandum initium suppliciis ipsorum infernalibus in vitâ jam præsenti. Verùm post omnia, fatendum est cum Sancto Augustino, arcana justitiæ DEI incomprehensibilia nobis esse: *Cum plerumque bona bonis, & mala malis eveniunt, tunc magis inscrutabilia sunt Judicia DEI.* S. Aug. lib. 2. de civit. DEI c. 1.

Opinio probabilis.

Respondeo secundò, quod DEUS nunquam exerceat in creaturas suas, puram & solam justitiam absque misericordia: *Non obliviscetur misereri DEus*; sive enim recompenset bonum naturale in hoc mundo, sive supernaturale in altero, semper plus est, & excedit, quàm mereatur; sive etiam peccata puniat hominum, semper id minus est quàm mereantur. Certum est, ipsum semper longè ultra meritum recompensare: Et de hoc quis dubitare poterit? Nam si attendamꝰ recompensationes temporales, habemus expressam attestationẽ Christi JESU promittentis centuplum in hoc mundo: *Recipiet centies tantum nunc in præsenti sæculo.* Si me privem exiguo solatio humano ob amorem ipsius, centies tantum illius recipiam; si largiar eleemosynam, vel parvum quid laboris exantlem, ad promovendam ipsius gloriam, centesimum pro hoc reportabo stipendium; dubitare mihi de hoc non licet, cum ipse promiserit, qui est ipsissima Veritas, quemque fallere aut decipere nescia. Marc. 10.

DEUS non semper præmiat supra merita.

O bonum Dominum! O amabilem Magistrum! Eheu! eccur non omnes famulantur ipsi homines? & si retributiones aspiciamus æternas; hæ modo infinito nostra excedunt merita: quid enim, quod bonum mereatur infinitum, operari possimus? nonne meritum requireretur infinitum, cujus capaces non sumus? Ah! quomodo parvus momentorum, quibus DEO famulamur, numerus promereri posset *aliquã æternitatem, totam aliquam magnam æternitatem, imò, æternitatem aliquam integram* tam magnificarum retributionum? O quàm benè magnus dixit Apostolus: *Non sunt condignæ passiones hujus sæculi ad futuram gloriam*! Sed Christus Jesus promeruit nobis hæc omnia, ipse nos locupletat bonis suis, & coronare nos suis exin dignatur favoribus: hæc omnia novimus, nonnisi in illum nostram collocamus fiduciam, indies millena capimus experimenta infinitæ ipsius erga nos Bonitatis; & miserabilia corda nostra, ingrata nostra pectora adhuc tepescunt, adhuc frigescunt in amore ipsius.

Rom. 8.

Adhæc verum est, justitiam DEI, dum punit peccata hominum, semper longè minus punire eadem, quàm promeruerint, etiamsi loquamur tantummodò de pœnis, quibus parvos castigat defectus justorum. Job, quem Scriptura appellat hominem simplicem & rectum, id est, purissimum & sanctissimũ, juxta magis propriam explanationem Phraseos Hebraicæ: Job canonizatus ipsomet ore DEI, qui ad summum reus esse non poterat, nisi parvæ fragilitatis humanæ, ingenti tam horrendarum calamitatum obrutus est cumulo, ut illas in ipsius historiâ duntaxat intueri, incutiat horrorem. Judicarent omnes, severius ipsum, quàm meruerit, punitum esse; & tamen ipse, qui agnoscebat minimi peccati contra DEUM commissi magnitudinem, quique probè supplicii sui sentiebat pondus, confessus est, manum Domini se tantùm suaviter tetigisse, minusque, quàm promeruerit, castigâsse: *Verè deliqui, & ut eram dignus, non accepi.* An habeamus Job. 33. ansam conquerendi de adversitatibus, quibus Deus nos afficit, qui quotidiè tam enormia committimus peccata, cùm adversitatum nostrarum gravissima, abs comparatione levior ac minor fit, leviss imâ ipsius. Si nonnisi unicum peccatum veniale comisissemus toto vitæ nostræ decursu, omnes adversitates, quas omnes homines tolerare possent in terris, non sufficerent puniendo illi, quantum promeruit. Hinc nunquam non jure meritissimo dicere possum, quid-

DEUS nos punit infra merita.

quid adversi acciderit nobis: verè peccavi, & Justitia DEI nimis quàm magna accepit & excepit me bonitate.

Quando considerabis ipsas etiam pœnas æternas, quibus enormia reproborum punit crimina, invenies, quod, licet tormenta ipsorum sint horrendissima, non tamen adæquent demerita ipsorum. Verum est, ipsorum pœnas infinitas esse in duratione sua, cum finem nunquam sint habituræ; sed infinitæ non sunt in rigore ac severitate, cum graviores esse possent, si DEUS exæquare illas vellet infinitæ Magnitudini Odii, quo fertur ergà peccatum, & enormitati injuriæ, divinæ suæ Majestati exhibitæ.

Deus non punit damnatos prout merentur.

Dubio procul infinitæ deberent esse in rigore, sicuti sunt in duratione sua: siquidem ad puniendum ex æquo peccatum, quod in se infinitam includit malitiam, non minor, quam infinita requireretur pœna. Sed DEUS, qui semper bonitatis est infinitæ, non potest in ira sua maxima oblivisci miserationum suarum: si Justitia ipsius hominum puniret crimina, in quantum punitioni sunt obnoxia, quam materiam relinqueret misericordiæ ipsius, ad suos mundo evulgandos splendores? verissimum namque est, quod etiam in inferno *Misericordia superexaltet judicium*, id est, illa hoc plurimùm excedat, eòquod meritarum pœnarum multò plus ipsis subtrahat, quàm Justitia DEI ipsis imponat.

Tertium quod respondeo, est consequentia è duobus prioribus deducta: quod efficacius motivum vivendi sanctè in timore DEI, & constanter ac fideliter in ipsius permanendi servitio, etiam in rebus minimis, non sit, quàm si maximam hanc ponderis Maximi veritatem animo nostro profundè insculptam circumferamus; quod nempè, omnia nostra faciamus Opera coram oculis supremi nostri Judicis, qui omnia videt, qui nullius obliviscitur, qui annotat omnes minimos quosq; meritorum vel demeritorum nostrorum atomos in omni eo, quidquid agimus, cogitamus, dicimus, ubi relinquetur nihil, quod suâ vel careat pœnâ vel præmio: sive recogites hæc, sive non recogites, res ita se habet; omnia tua fac opera absque consideratione, tuo revolve animo quascunque abs discrimine obvias cogitationes, tuo eructes & evomas ore quorumcumque torrentem verborum, tuas in infinitum multiplica culpas & noxas illasq; exin oblivioni trade, cogitans hæc omnia esse nihil, jámque transisse: sed omnia hæc animo DEI manent impressa, divinæ ipsius justitiæ decretis subjecta, quæ unicuique reddent juxta opera sua tam accuratè, tam-

Magna est utilitas semper intueri justitiam DEI

tamque exactè, ut facilius ruiturum sit cum terris Cœlum, quàm quod vel minimus meriti aut demeriti sit relinquendus apex, qui suâ careat vel mulctâ vel mercede.

Exstimulatio ad bona opera

Quando lego in Evangelio, unicum aquæ frigidæ vitrum amore DEI pauperi erogatum, non perditurum mercedem suam; alloquor meipsum: quid ergò erit cum infinitis aliis bonis operibus, quæ majoris sunt momenti, mihi tamen facTu facilia, si illa facere tantùm voluero intuitu amoris DEI? Nonne & suam habebunt mercedem? Et merces hæc, quam mihi promittit, est ipsusmet, est possessio boni infiniti in omnem æternitatem; pensiculatè hæc tria recogito: Bonum infinitum, æternitas, Opus momentaneum, mihique tam facile; & admiror cœcitatem meam, non comprehendo meam stupiditatem. Quid cogitas anima mea, cui inutiliter immoraris? nónne deberem invigilare abs intermissione, & omnes intendere nervos, ut omnia vitæ meæ momenta bonis implerem operibus? O quàm parvi constat bonum opus, quàmque exigua res esse videtur! sed quàm stupendos trahit post se effectus! Bonum infinitum pro bono tam levi, æternitas pro momento tam brevi! & non animaret nos tantarum aspectus coronarum, quas DEI justitia præparatas asservat nobis? & non ardebimus, non omne superabimus tædium in exercitiis virtutum? Sanè nobismetipsis iraSci, nostramque incessanter arguere deberemus ignorantiam.

Nunquam peccatum manet impunitum

Sed quando similiter lego in Evangelio, severissimam reddendam esse rationem, de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines supra terram; mecum ipse discurro. Quid ergò erit cum innumeris aliis peccatis, quæ in singulas committimus horas, quæ multiplicamus abs metu, abs metâ, abs ulla reflexione? Impossibile est, unicum solum abs mulcta manere peccatum: *Peccatum impunitum esse non potest; aut puni tu, aut DEUS punit.* Commisisti peccatũ, indispensabiliter obligatus es pœnæ; reparanda est injustitia, justitiæ cujusdam punitione. S Aug.

Sed DEUS semper in bonitate dives, relinquit tibi libertatem puniendi teipsum per pœnitentiam; si non, cogis ipsum, ut ipsemet id puniat per severissimam suam justitiam.

Veritas hæc benè ponderata: Peccatum impunitum esse non potest; nónne summum terrorem incutere deberet eis, qui totos sese tradunt & abripi sinunt effrœnatis

frœnatis passionum & vitiorum suorum desideriis, peccata peccatis accumulantes, nec cordi habentes, ut eorum vel unicum per pœnitentiam diluant aut deleant? O DEUS! quàm immensæ multitudinis suppliciorum se reos constituent ante tribunal justitiæ magni DEI, qui suam ferat ac fulminabit sententiam, non solùm in omnia ipsorum opera, quantumvis minima, sed etiam in minimam minimi operis circumstantiam! Horrificam hanc legimus veritatem, & leviter transire permittimus; abs eo, quod mente revolvamus aut penitiùs rimemur. Sed qui benè ipsam rimatus fuerit, suóque insculpserit animo, valori aut robori ipsius cedere coactus, videbit ansam se habere, majori cum veritate dicendi, quàm sanctissimus Job: *Verebar omnia opera mea:* Quid enim mecum erit, & ego quis ero, quando pœnes sua demerita judicabuntur â severissimâ Dei justitiâ? quam ergò spem habere potero, nisi in me reversus convertero me ad pœnitentiam & lachrymas?

ARGUMENTUM.

1. *Justitia DEI adoratur in cœlo, blasphematur in inferno, contemnitur communiter in terrâ, timetur â paucis,*

2. *Nonnisi animæ perfectæ amant ipsam.*

Articulus IV.

DUm ambo hi sapientes Viri ita colloquebantur de excellentiis Justitiæ DEI, bona hæc anima, quæ apprimè attentas ipsis præbuerat aures, suâ eisdem enarratâ visione, raptam se advertit brevi, sed profundâ extasi, quâ durante, ostendit illi DEUS, quâ ratione divina tractetur justitia in Cœlo, in inferno, & in terra ab omnibus hominibus; & reversa in seipsam lachrymantibus exclamavit oculis.

O Justitia infinita! Justitia æterna! Justitia adoranda DEI mei, quàm es admirabilis! tu regnas super omnia, tu triumphas super omnia, & in omnibus, hominum peccatorum exceptis cordibus. Videote in Cœlis triumphantem: Tu enim Justitia Dei regnat pacificè in cœlo.

Regum

Regum horum æternorum verticibus, omnes has splendidas imposuisti coronas: Tu suos illis decrevisti Thronos, magis vel minùs penes merita ipsorum sublimes; & omnes sunt contenti, omnes te adorant, omnes te benedicunt, tibique rependunt grates, unanimiter confitentes, cunctis te infinito modo majora suis meritis statuisse & reddidisse præmia. Tu in fortunatissimâ hac regione omnia conservas in pace, omnia in bono sunt ordine, & omnes ita repleti sunt gaudio & satisfactione, ut Beatorum imus & minimus non invideat primo & maximo; sed magis de magna hujus felicitate lætetur, quàm de sua, quæ minor est, quia sic ordinasti, divina justitia; Et si omnes tuæ ordinationes non exactissimè observarentur in cœlis, non hi essent paradisus deliciarum, sed verus potiùs miseriarum infernus; Et si infernus tibi nôsset obtemperare, infernus ampliùs non esset, sed paradisus.

Justitia DEI triumphat æternaliter in inferno.

Interim triumphas quoque in inferno, sicut in cœlo, O omnipotens Justitia; sed ratione prorsùs contrariâ; siquidem non coronas hic distribuis, sed æternæ captivitatis catenas infelicium horum injicis & inferis collo; non attollis hic illos super thronos & solia, sed præcipitas illos in abyssos & barathra magis vel minus profunda, juxta ipsorum merita; non bonum nec pulchrum inter illos hic statuis ordinem, sed conspicere illos tibi complaces in perturbatione & confusione. Similiter & illi non decantant tibi laudes, sed è fœtidissimo gutture suo infinitas evomunt & eructant blasphemias, conquerendo ad unum omnes, te crudeliter castigare ipsos, & majori, quàm meruerint, cum rigore ac severitate, quod asseverare blasphemiarum est maxima. Insolentes hæ creaturæ substernere te suis volebant pedibus, dum libertate fruebantur faciendi id, quod nolebas: modò tuis ipsas substratas tenes, ut tolerare illas in æternum facias, quod velle nunquam possunt. Infelices hæ per aliqua momenta regnare fecerunt injustitiam invito te, & tu super ipsorum regnas injustitiam invitis illis in æviterna sæcula. Regna, triumpha, divina justitia, in medio inimicorum tuorum. O quàm glorioſum mihi videtur regnum tuum in inferno non minus, quàm in cœlo! O quàm probè intelligo, justum, qui tuo studet commodo, gavisurum, dum viderit vindictam, suásque loturum manus cum voluptate in sanguine peccatorum.

Sed unde venit, adoranda

Plures videantur effecta justitiæ DEI quàm misericordiæ.

Justitia ; quod ita supremo triumphans Dominio in omnem æternitatem tam felicem, quàm infelicem, tam indignè haberi te sinas à parvis hominibus reptantibus super terram ? Ah ! Omnes illorum intueris insolentias, & has tolerans dormire videris. Sed fallor, divina justitia, non tu, sed homines ad ingentem suam dormiunt infelicitatem : Nisi enim Lethargicorum dormirent more, suos aperirent oculos, formidandum intuerentur rigorem, quo in præsenti quóque vita punis & mulctas peccatum. Unde venit, abs comparatione plures inveniri peccatores, qui in vitiorum ac passionum suarum servitute suam transigant vitam; quàm qui convertantur? Nisi quia justè in suorum pœnam peccatorum copiosas ipsis denegas gratias, quibuscùm, si illas haberent, fortassis converterentur. Unde venit, plures abs comparatione infideles reperiri nationes, tuâ privatas cognitione, quàm sint illæ, quæ veram teneant & possideant fidem? nisi quod funestâ hâc obcœcatione enormia ipsarum castiges peccata, quorum se reas constituunt? Unde venit, numerum reproborum intervallo tam prodigioso excedere numerum prædestinatorum? Unde venit, longè plura mala quàm bona vitam complecti humanam? Unde nobis venit & dimanat calamitatum totius naturæ, quibus incessanter obruimur, diluvium? O si homines apertos tenerent oculos, ubique te viderent tuas exercentem vindictas, O divina justitia, téque timerent! Interim dormire videntur omnes in peccatis suis, non te percipiunt, tui obliviscuntur, téque contemnunt.

Aliqui timent nimium, alii timeant supplicia; Et hic timor nimis parum, servilis est, Christianâ indignissimus animâ. Alii te plus æquo & nimiùm timent, quasi crudelis esses & immisericors, ut quæ occasionem quæras ob minimum defectum perdendi ipsos, faciásque ipsis ex nihilo delicta: Et hic affectus amoris est proprii, inquietas & scrupulosas divexans & torquens animas. Sed quàm paucos reperire est, qui filiali te timeant timore, quo urgeantur ad explendas fideliter omnes voluntates tuas, ne displiceant tibi, sempérque subjectos se teneant, ad recipiendum quieto ac prompto animo promeritas pro erroribus commissis pœnas! Et tamen hic solus est timor, qui in fidelibus tuis tibi placet famulis.

Amanda est justitia Dei

Sed an dicatur, virtuosissimos

mos quósque non concipere, nisi affectus timoris, aspiciendo te, O adoranda Justitia DEI mei? an minus amabilis es misericordiâ, vel omnipotentiâ, vel sapientiâ, & omnibus aliis attributis divinis? Nonne ipse DEUS es, ipsa bonitas infinita, & ipsa essentia divina? Sancta Catharina Senensis eòusque diligebat te, justitia divina, ut majori non deliniretur gaudio, nisi revolvens te animo, incessanter flagitando te, ut ipsamet tu, & non misericordia judicares ipsâ. Glorifica te in me, uti placuerit tibi, O amabilissima justitia DEI mei: totum me tibi trado, absolutè â tuâ volens dependere voluntate. Divinus Salvator meus Christus JESUS, totum se tradidit tibi ex amore ergà me; Et ego similiter totum me trado tibi ex amore ergà ipsum: Tu ipsum tractâsti, sicut tibi placuit, pro utilitate mea, tu tracta me, sicut placuerit tibi, pro utilitate ipsius. Revereor te, adoro te, accepto ex toto corde meo, divina decreta tua super me, qualiacunque fuerint illa; & modò contenta sis mecum, ego semper infinito modo contentus ero tecum in æternum.

Nonnisi purus amor amat justitiam DEI.

O quàm purus & ab omni propriæ utilitatis desiderio alienus requiritur amor ad diligendum ita justitiam Dei puientis, sicut misericordiam ejusdem blandientis! Nos parum habemus puri amoris, vel puri Odii super terram: Purus amor debitus non est, nisi DEO soli; quem, si possibile esset, amore infinito deberemus prosequi, abs alio, nisi infinitæ Bonitatis ipsius intuitu. Purum Odium debetur peccato, quod infinito modo, si possemus, deberemus odisse, abs aliâ, nisi infinitæ ipsius malitiæ, bonitati infinitæ DEI oppositæ consideratione. Sed nobis nec purus est amor, nec purum est odium, nunquam non hic immiscemus propriæ studium utilitatis: Amamus DEum, quia bene facit nobis, & odio peccatum habemus, quia conciliat nobis malum: sic ubivis quærimus nosmetipsos. Ecce quare omnes curramus ad misericordiam, & fortassis non ita quærimus ipsam, sicut favores ipsius, dúmque propius accedere ipsam contendimus, potiùs hoc fit nostri, quàm ipsius amore: dum timere nos credimus justitiam, non tam ipsam, quàm ipsius timemus supplicia. Ah! quàm proprio nostro scatemus amore.

Amare impensè justitiam DEI, singulari cum voluptate adhærere illi, dévovere totum se ipsi, & abs ullo propriæ utilitatis intuitu, gaudere de statu & gradu, quo nos insignire voluerit pro

DEI

Dei solius gloria, ipsique propterea rependere grates; devotio prorsus est rara, & nonnisi iis propria animabus, quæ purissimum paulisper deguſtarunt amorem, & proprio funditus amori sunt mortuæ. Sed mi Deus, quænam sunt hæ, & laudabimus illas? ubi sunt, & admirabimur ipsas?

ARGUMENTUM.

1. *Decreta divinæ Justitiæ impenetrabiles sunt abyssus mentibus nostris.*
2. *Illa cognoscere velle, scelerata est temeritas; illa condemnare, abs eo quod cognoscantur, est blasphemia.*
3. *Cognoscemus illa aliquando, quæ videbuntur nobis mirabilia.*

Articulus V.

Hæc verba ex ore personæ magnæ simplicitatis profecta, sed zelo prorsus divino animata rapiebant hosce Doctores, qui primitus dicebant, decreta divinæ Justitiæ magnas esse abyssus, ubi humana nostra haud multum videant judicia. O quàm benè is novit nostram confundere & deprimere arrogantiam naturalem! ut quid tam ingentia concedit lumina, affectúsque tam eximios animæ simplici ac ignoranti, dum denegat illos viris sapientibus ac ingeniis magè sublimibus, quæ verisimiliter meliùs uterentur illis, ad ipsius gloriam ac plurimorum salutem?

O quàm verè magnus dixit Apostolus cum exclamatione, quam ex suo admiratio trahebat ore, dum penitiùs revolvit animo altitudinem consiliorum

DEI: *Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* Si examini subjicere velimus divinæ regimen sapientiæ, vel decretorum adorandæ ipsius justitiæ inquirere rationes, idem est, ac si digiti extremo attingere vellemus cœlos, vel manuum nostrarum palmo cœlestes constringere globos: Omnia infinitâ nos ratione transcendunt, omnes perpulchræ magni hujus mundi artificis dispositiones, Majestatis suæ pondere nos obruunt, nec comprehendere nobis fas est rationem, cur ita faciat. Judicia Dei sunt abyssus.

E tot millionibus mundorum possibilium, qui omnes in nihilo erant cum præsenti, ut quid potius elegit hunc, quàm alios, ad dandum huic esse? & ex infinitis creaturis possibilibus, quas acci- Non oportet esse curiosum in examinandis his arcanis.

accipere poterat ad illum replendum, ut quid potius elegit has, quàm alias? & ex innumerabili hâc varietate modorum diversorum, quibus poterat disponere opus suum, ut quid potius contulit illi hunc, in quo subsistit, ordinem, quàm omnes alios? ut quid nasci fecit hos in sæculo primo, illos in decimo, alios in quinquagesimo? ut quid hos in hac mundi parte, quæ illustrata non est lumine fidei; alios in alia, ubi felicissimam nocti sortem, ut vix egressi sinu matris mox recepti sint in sinum Ecclesiæ? ut quid huic ortum dedit in tali potiùs conditione ac statu, quàm in mille aliis, quos conferre illi poterat? & quare hos statu sublimi ortos talentis depressit vilibus, & alios humili conditione satos eximiis sublimavit dotibus? quis rationem reddere posset de omnibus his divinis dispositionibus, & infinitis aliis, nonnisi ab ipsius dependentibus voluntate? aut quis illas perstringere auderet censurâ, ex eo, quod mente ipsas constringere non posset? Abundè satis est, DEUM ita voluisse, ut omnia nostra suspenderet judicia, nósque agnoscere & confiteri cogeret, justum id esse, quia sic voluit DEus; divina námque ipsius voluntas omnis justitiæ infallibilis est regula: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.*

Cur Deus sit clementior erga homines, quàm erga Angelos

Quis dicere posset, quare permiserit inveniri peccatum in Angelis? Quodnam bonum è lapsu ipsorum in peccatum poterat proficisci? cur ipsis nec unicum concessit libertatis momentum, sed & nec minimũ gratiarum suarum subsidium, ut se converterent post peccatum? nonne judicaremus, ipsum rigoris nimium exercuisse in illos? sed cum tantum demonstraverit rigorem ergà creaturas tam præcellentes, quæ nonnisi unicum cogitatione commiserant peccatum. Cur tam benignum exhibere se voluit ergà homines, nobilitate Angelis inferiores, qui nihilominus abs comparatione majori se implicant numero peccatorum? Quanta inæqualitas, quod pro filiis suis natu majoribus, suæque proceribus aulæ, nihil possideat clementiæ, & pro indignis servis suis, qui sceleratiores longè videntur, tantum bonitatis, tantúmque amoris, ut illis non solùm abundantes largiatur gratias, sed harum totum Oceanum apportet illis in persona sua propria, sese annihilet pro illis, patiatur, fatigetur, sese sacrificet, sanguinem suum & propriam suam det vitam ad salvandos illos omnes? Quis tam alti consilii divini cognoscere possit rationem? Non comprehendo id ego, Domine, cùm rationem transcendat meam; sed illud ado-

ro, illud admiror, illud amo & diligo, cùm imprimis favorabile sit mihi: & denique fateor justissimum id esse, cùm id volueris, nec unquam velle possis, quod non infinitâ ratione sit justum.

Cur Deus non tribuat gratias efficacissimas cunctis hominibus.

Sed salvare si voluit omnes homines voluntate tam forti, tamque efficaci, ut hunc in finem obierit mortem; unde oritur, quod omnes non salventur? nonne facere, quidquid vult, potest, cùm omnipotentia ejus in ipsius consistat voluntate? dicere, hoc ideò esse, quod, cùm voluntas libera hominum in ipsorum sit potestate, ipse violentiam inferre nolit libertati eorum, ad cogendum illos in cœlum invitis ipsis, hoc est dicere nihil: nonne enim ipse flectere potest, quando vult, voluntatem maximè rebellem, abs eo, quod violentiam libertati ipsius inferat, ipsique imponat vel necessitatem vel coactionem, largiendo ipsi gratias suaviter efficaces & amicabiliter victoriosas, quæ tam certò referant palmam de omnibus, quæ oppugnaverint, cordibus, ut nullum ex his resistere velit ipsis, quamvis semper omnem id faciendi habeant libertatem? nonne omnipotentem ipse semper super omnes voluntates nostras habet potestatem, ut illas, prout voluerit, flectat, abs eo, quod ipsas illatâ vi cogat, sed suaviter ad benè utendum libertate suâ dirigat ac moderetur? si igitur voluntatem habeat salvandi omnes homines tam potentem, tamque efficacem, ut hæc impulerit ipsum ad consecrandam propriam suam vitam pro omnibus, eccur non adhibet potentia, quæ in manibus suis tenet, gratiarum remedia, ad largiendum efficaciter omnibus vitam æternam, quam ipsis suâ promeritus est morte? ut quid maxima ipsorum pars privatur illâ? quia illis largiri non vult, nisi gratias illas minores, quas appellant sufficientes, quibuscum solis, nunquam suam operabuntur salutem. Eccur è duobus infantibus eodem tempore natis atque simùl portatis ad Baptismum, horum unus, priusquàm illum recipiat, moritur, sicque in æternum visione DEI privatur; alter eo recepto moritur quamprimùm, ut mox in instanti boni infiniti adeat possessionem, abs eo quod illam fuerit promeritus unquam? *Quàm incomprehensibilia judicia ejus!* quis incomprehensibilia hæc judicia DEI poterit penetrare?

Stupenda decreta justitiæ DEI non sunt examinanda.

Videre Apostolum, qui se suspendat ex desperatione, ut præcipitem se agat in barathrum inferni, postquàm ex ore divini Magistri sui tot recepit documenta, tantásque ex corde ipsius gratias; & eodem tempore su-

suspensum ob crimina toto vitæ suæ tempore multiplicata videre latronem, qui è cruce sua ascendat in Cœlum, dum universalis hominum Redemptor suum ad salvandum tam benè Apostolum, quàm latronem, fundebat sanguinem: Quis animus rimari clarè poterit hujus fundum abyssi? *Judicia DEI abyssus multa.*

Quod talis, postquam triginta & quadraginta annis perseveravit in servitio Dei, in unicum solum lapsus peccatum, obruatur à morte in ipso criminis sui actu, & cùm totâ vitâ suâ ambulaverit viam cœli, in morte sua constitutum se videat in inferno; cùm alter, postquam eundem & parem annorum numerum in suis transegit criminibus, tandem tam abundantem, támque efficacem recipiat gratiam, ut se convertat, ut in gratia moriatur, & cùm totum vitæ suæ cursum direxerit versùs avernum, in morte sua illatum se videat paradiso! Quis profundam hanc consiliorum DEI penetrare poterit abyssum? O Justitia Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia tua! Sed infinitâ ratione justa sunt, quia tu fecisti ea; & si cogitare præsumamus, quod justa non sint, eòquod non comprehendamus illa, execrabilis foret blasphemia, quæ æquissimam tuam super nos attraheret iracundiam: *Neque enim dubitandum est, esse justum, etiam, quando facit, quod hominibus videtur injustum.* S. Augustin. Serm. 300. Admirandum Sancti Augustini est effatum. Quidquid Deus facit, quod injustissimum videri posset parvo nostro judicio humano, cujus cognitio tam brevis est & arcta, infinitâ ratione justum est magno judicio Dei, cujus infinita cognitio ita transcendit nostram, ut illuc nunquam pertingere valeamus.

Humana nostra curiositas, quæ omnia scrutari vellet secreta, haud parùm torquetur, dum intueri non licet ipsi admirabilem hunc gubernandi providentiæ modum, cujus nunquam non tam stupendos, suóque judicio oppositos cernit effectus. Sed quis est homo, qui rimari præsumat secreta omnipotentis? si mundi Principes juxta leges politicas sua sic celant arcana, si velut mysteria intentiones suas populo servant absconditas, ut illos conservent semper in timore ac reverentiâ, dum interim exspectant quid magni, quod ignorant: An admiratione sit dignum, quod celet hominibus cœlum altissimorum arcanorum divinæ Majestatis sanctuarium? hoc ipsum in humilitate nos conservat, in timore ac respectu, dum nos latent Consiliorum ejus arcana, ac justitiæ ipsius super nos decreta; quæ

Cur Deus nobis abscondat decreta suæ justitiæ.

si nôssemus, nos Deos crederemus in terris: *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos.* Tanquam Sanctos veneramur illos, quibus Deus revelat secreta sua aliis hominibus abscondita. Sed anima, quam Deus ita honorat, in periculo foret nimiâ felicitate suâ se damnandi, nisi ille contra spiritum superbiæ ipsam muniret. Et hoc tam verum est, ut magnus Apostolus dicat nobis, datum sibi esse stimulum carnis, qui se colaphizet, & ad turpia alliciat, ne revelationum magnitudo extolleret ipsum. Non ambiamus cognoscere, sed adoremus in silentio omnia divinæ justitiæ decreta super creaturas suas; & quâcunque ratione placuerit ipsi disponere nobiscum, quidquid ex ipsius ordinatione acciderit nobis, sive trissia, sive jucunda, confiteamur illa nunquam non fore infinitâ ratione justa, cùm ita ordinatum sit à Deo, qui infinito modo est justus: *Omnia, quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti.*

Ma. 41.

Daniel. 3.

Sciemus aliquando omnia secreta consilia Dei.

Veniet aliquando dies, sed dies beatus, quo Deus revelans nobis divini vultûs sui pulchritudinem, nobis quoque ostendet omnium dispositionum ac eventuum rationes, quos divina ipsius providentia voluerat super nos & omnes creaturas suas ordinare: & videbimus tam plenas ipsas esse bonitatis, justitiæ ac misericordiæ, ut tota ac integra æternitas nobis futura non sit sufficiens, ad admirandum, ad laudandum ac benedicendum illas: *videbimus istorum occultorum apertissimam rationem.* S. Aug. Ser. 22. de Verb. Apo.

Placuit aliquando Deo elevare animam Sanctæ Angelæ de Fulginio in sublimem extasim, in qua clarè ostendit ipsi judiciorum suorum divinorum, super omnes creaturas suas, sive felices, sive infelices pulchritudinem; quâ dicit, se ita affectam & allectam fuisse, illâque apparuisse sibi tam justa, tam sancta, tamque amabilia, tamque admirabilia, ut si condemnâssent ipsam ad æternos ignes, licet se facillimè ab iis potuisset liberare, animum tamen ad id inducere non potuisset; sed in illos cum gaudio potius se præcipitaturam fuisse, quàm in minimo recedere ab ordine tam pulchri decreti ac judicii: & si omnes damnati videre possent pulchritudinem decretorum divinæ justitiæ, sicut viderat ipsa, eòusque amarent illa, ut contenti viverent in flammis suis, nec unquam exire inde vellent contra decretorum horum ordinem ac dispositionem.

Si ergò clarus ac manifestus aspectus pulchritudinis judiciorum divinæ justitiæ, tantum gaudii

Fides decretorum justitiæ Dei debet nos consolari.

dii ac solatii afferre potest animabus, ut etiam amaritudinem mitigaret inferni: Nonne firma fides, quæ nobis hanc pulchritudinem credendam proponit, complere nos debeat pace, quiete ac voluptate? In manibus tuis sum, divina justitia, tu disponis de me, sicut tibi placuerit, in tempore & in æternitate, nihil mihi unquam accidere potest, nisi per tua judicia; novi hæc infinitô modô esse justa, infinitô modô sancta & summè amabilia: Adoro igitur illa, submitto me illis, amplector illa; & si libertatem haberem eligendi talia, quæ vellem, alia eligere nollem, quàm tua; eòquod hæc placeant tibi, & infinities magis amare velim beneplacitum tuum, quàm utilitatem meam. Sed dum meam pro te dimitto utilitatem, non dimitto illam: Quomodò enim hanc firmare melius possem, quàm amando te plus quàm me.

CONSULTATIO XX.

De Misericordia DEI.

Omnes perfectiones DEI non sunt nisi eadem res,

Misericordias Domini in æternum cantabo. Nunquam cessare vellem à decantandis hic in terra misericordiis DEI mei, cùm dulcissima sit spes mea, nunquam me cessaturum decantare illas ibi in cœlo per omnem æternitatem. Novi, omnes DEI perfectiones non solùm æquales esse in magnitudine, in majestate, in bonitate, & in omni eo, quod dicere vel concipere possumus de illis; sed novi quóque, illas omnes non esse, nisi unam eandemque rem. Misericordia ipsius est ipsius justitia, & ipsius justitia est ipsius æternitas, & ipsius æternitas est ipsius omnipotentia, & denique omnes ipsius adorandæ perfectiones non sunt, nisi una simplicissima perfectio, & hæc perfectio est divina ipsius essentia, quæ est totum & omne hoc à seipsa, abs eo, quod alterius cujusdam indigeat perfectionis, ut infinitô modô sit perfecta.

Adhæc nimis abjectè de DEO est loqui, dum dicitur, ipsum infinitô modô perfectum esse. Siquidem si concipere velimus, quod factus & perfectus sit per collectionem omnis generis perfectionum, quæ concurrunt, séque uniunt ad ipsum perficiendum, indignissimè loqueremur de Majestate ipsius, juxta effa-

lib. 23. moral. c. 12. tum Sancti Gregorii Magni: *Profectò hoc, quod perfectum dicimus, non propriè dicimus; neque enim, quod factum non est, dicitur esse perfectum*, sed dicendum est, ipsum esse omnia â seipso, ipsumque in se omnem includere infinitudinem entis, in infinitâ simplicitate essentiæ suæ absque ullâ compositione.

Unde venit nos plures concipere perfectiones in Deo. Ipse solus se cognoscit perfectissimè per unicam simplicissimam cognitionem; ipse solus se enuntiat, vel exprimit sibi ipsi id, quod concipit, per unicum simplicissimum verbum: Et hoc verbum non dicit ipsi veritatem; eòquod non loquatur; sed ipsemet per hoc Verbum sibi dicit veritatem quandam infinitam; nempè, quod essentia divina, & omnes ipsius perfectiones, & omnes Personæ divinæ non sint nisi unica simplicissima res, incomprehensibilis omni alio, quàm ipsi, quàmque ipsemet non potest, nisi per unicam simplicissimam concipere cogitationem. Nos pauperes homunculi, quorum intellectus longè minor est, quàm atomus respectu altissimæ hujus majestatis, millenos adhibemus conatus ad concipiendum aliquid de ipsius excellentiis; & ipse ex bonitate sua concedit nobis, ut de illis cogitemus, de ipsis loquamur, non quomodò sunt in seipsis, cùm hoc sit impossibile, sed juxta tenuitatem & paupertatem nostram. Nos concipimus ipsius immensitatem velut replentem omnia; ipsius omnipotentiam velut brachium, quod facit omnia, quódque omnia sustentat; ipsiq; justitiam velut rigorosã; ipsius misericordiam velut benignam; ipsius providentiam velut omnes moderantem creaturas, & omnibus ipsarum prospicientem necessitatibus; & denique diversas formamus nobis idæas de omnibus ipsius adorandis perfectionibus, quasi inter se magnam admitterent diversitatem. Ignorantia nostra, & nostra tenuitas adhuc longiùs se extendunt: siquidem comparamus nos illas inter se, quasi ipsæ res essent diversæ, & etiam præferre audemus unam alteri in æstimatione nostra & nostro ergà illas amore, quasi inter se essent inæquales. Ignosce Domine; Ah! tu nosti, non esse hoc opus vel affectum irreverentiæ, sed necessarium nostræ effectum impotentiæ, quæ cogitat, quæque loquitur de te, non uti debet, sed uti potest; non ut tibi displiceat, tam indignè de tuis loquendo excellentiis, sed ut te honoret confitendo sèper, omne id, quod dicere potest, infinitâ ratione abesse ab eo, quod es.

Magis amamus misericordiam DEI. Non igitur aliquam instituere debemus comparationem multò minus præferentiam inter perfe-

ctiones

quàm alias ejus perfectiones.

ctiones DEI, cùm omnes non sint nisi unica res simplicissima. Verùm quâ ratione retineri possint corda nostra, quin sentiant vehementiores quasdam illecebras, respectum quendam sublimiorem, affectum aliquem magis cordialem, amorem quendam magis ardentem ergà bonitatem & misericordiam DEI, quàm ergà aliam quandam divinarum illius perfectionum? Ah! illa est, ad quam omnes miseri peccatores incessanter suas extendunt manus, & ipsa nunquam non suum illis sinum, sua illis brachia tenet aperta, ut amicabiliter recipiat ipsos. Ipsa est, quæ nunquam â se repulit quenquam, quantumvis miserrimum; sed potius erga eos, quos miseriarum abysso cernit immersos, magis benignam, magis liberalem sese ostendit: Ipsa enim superabundare facit gratiam, ubi abundaverat delictum, ut juxta effatum S. Ambrosii, sit naufragium omnis peccati, & portus securus omnium peccatorum.

Misericordia complacet sibi in miseris.

Ipsa est, quæ videtur deseruisse Cœlum, ubi nullum videt miserabilem, ut descenderet habitatura nobiscum in terris, ubi nos omnes videt miserabiles: Et nos videmus, quod, dum circumfert inexhaustos bonitatis pro nobis thesauros, solo exardescat desiderio illos omnes effundendi, ut nos ab omnibus, sub quibus ingemiscimus & fatiscimus, liberet miseriis. Ulteriùs adhuc progreditur: Tandem enim, ne in ipsa procul inquirenda defatigemur labore, universam ipsa terram suâ replet immensitate: *Misericordiâ Domini plena est terra.* Hæc est velut ingens templum ad ipsius exstructum gloriam, ubi alia non videt altaria, nisi corda hominum; non alias victimas pro iis immolandas, nisi ipsorum peccata; non alium ignem, quo consumantur, nisi sacri amoris ignem, quem suppeditat ipsa. Presbyteri, quos in suo admittit templo ad serviendum sibi, omnes sunt homines, qui nunquam non nimias in semetipsis inveniunt victimas pro sacrificiis suis; & solum Carmen musicum, quod tenentur cantare illi perpetuò, est versiculus ille è Psalmo octogesimo octavo desumptus: Misericordias Domini in æternum cantabo. Psal. 32.

Quid misericordia Dei operetur in nostrum favorem.

Ipsa est, quæ bono nostro annullat omnia decreta Justitiæ Dei, unicò verbò, quod trahit ex ore nostro, unico solo *peccavi*: Ipsa est, quæ extinguit omnes inferni flammas, ubi in æternum ardendum nobis foret, unicâ aquæ guttâ, quam è nostris diffluere facit palpebris. Ipsa est, quæ in unico disfringit momento, gravissimas quasque catenas, quæ gemere nos faciunt

un. sub diaboli & peccati captivitate, unico duntaxat sacrato cordis nostri affectu, dum suâ id tangit gratiâ, ad diffringendum illud contritione. Ipsa est, unicô verbô, quæ universalissimum & efficacissimum remedium nostris porrigit miseriis, quæque non contenta ab omnibus nostris malis liberare nos, insuper liberaliter nobis suos aperit thesauros, ad locupletandum nos bonis æternis. O ineffabilem tuarum ergà nos bonitatum abundantiam! tu aufers â nobis omnia mala nostra, nobisque confers omnia bona tua. O incomprehensibile commercium divinarum tuarum liberalitatum! locô pœnarum, quas promeruimus, largiris nobis præmia æterna, quæ promeruimus nunquam. O nimiùm suis affixum miseriis, nimis quàm dignum, ut in æternum tradatur rigori severissimæ justitiæ DEI, miserum peccatorem, qui tuam noluerit dulcedinem, O divina misericordia!

Quantum experior consolationis, dum te considero, tecúmque colloquor! Ah si ita penetrare & insinuare me possem in abyssum excellentiarum tuarum, ut illic se perderet cor meum, nec unquam amplius exiret inde! non instituo hanc consultationem nisi tecum, mi chare Lector: novi, te hìc inventurum illecebras, quibus tibi reddatur non minus accepta, quàm proficua; consolationem hanc alteri cedere non voles.

ARGUMENTUM.

Misericordia DEI mirabiliter refulget in condonandis hominum peccatis.

Articulus I.

Difficultas condonandi injurias

NOs tandem sentimus difficultatem in condonandis injuriis nobis factis, & diligendo illos, qui nos offenderunt, ut homines reperire fuerit, qui dicere non sint veriti, quod impossibile sit observare præceptum nobis in Evangelio datum: *Diligite inimicos vestros*: Ah! qui sumus nos parvi terræ vermiculi, ut tam graviter sentiamus levem nobis â nostri similibus factam offensam, sæpiúsque â majoribus, quàm nos simus, illatam nobis? si cuncti ageremus Monarchas, & subditorum nostrorum novissimus palmarem nobis intulisset injuriam, crederemus, & omnes quoque faterentur ingentem nos dolendi, ac ultionem sumendi habere ansam: siquidem quantò nobilior est persona, quæ offenditur,

tur, & vilior illa, quæ offendit, tantò major & gravior est offensa, & severiori digna punitione.

Quid igitur est, videre infinitam DEI Majestatem offensam ab homine, qui non est nisi vile animati stercoris frustum? Vilipensum omnipotentem â pulvisculo terræ, magni hujus mundi Creatorem â sua contemptum creaturâ, benefactorem infinitô modô liberalem affectum contumeliâ ab homine ingrato, quem incessanter tanto inæstimabilium bonorum acervo accumulat, ut cor tygridum ad ejus exstimularent amorem? Quis negabit, offensam talem infinitô modô esse afflictivam, sicut infinitô modô est injuriosa altissimæ huic Majestati? Et quando mox infinitô castigaretur supplicio, quæ ex omnibus creaturis non daret gloriam DEO, ipsique diceret: Psal. 118. *Justus es Domine, & rectum Judicium tuum.*

Quantum prodigium quod Deus offensa vindicatæ insensibilis.

Sed O prodigium Bonitatis DEI! O magnificum triumphum miserationum ejus! Majestas hæc offensa tacet, & velut insensibilis videtur ad injurias! Omnipotens hic vilipensus sustinet ac tolerat insolentem hunc pulvisculum, nec æquissimam suam in illum fulminat iracundiam! Benefactor hic ita exstimulatus, non vindictam sumit ergâ ingratum, sed suos in illum prosequitur favores! Nec sufficit abstinere â vindicta, sed tam ingentem ipsi condonat injuriam, ipsum amplectitur, ipsumque sicut anteâ diligit, ubi primum corde contritio exquirit veniam. Nôrunt probè hoc omnes, sed omnes non inde moventur, quia paucos reperire est, qui serio prodigii hujus magnitudinem revolvunt animo, quo omnes in perpetuam raperentur admirationem, nisi familiare nimis & consuetum esset; illius assiduitas ipsi tollit pretium, nósque id abs intermissione videndo leviter dilabi permittimus, abs eo, quod penitius rimemur unquam ipsius excellentiam.

Sed ponamus, nunquam visum esse nec hominem committentem peccatum contra Majestatem DEI, nec DEUM condonantem peccatum homini: videtur primâ vice lugubris hic accidisse casus; Majestas DEI offensa est â vili hac & contemptibili creaturâ. Quis præsumere fuisset ausus hujus tam faciem obtinere veniam? An parvi res hæc sit ponderis ac momenti? Ponderemus hoc, hujusqꝫ instituamus comparationem cum omni eo, quod cognoscimus in DEO vel extra DEUM maximum & excellentissimum; comprehendere id sanè non poterimus, conjecturari saltem inde licebit hujus magnitudinem prodigii.

Condonare peccatum, est plus, quàm creare mundum.

1. Nihil extra DEUM majus & excellentius videmus, quàm creationem mundi: speciosum hoc opus divinarum ipsius manuum tanta in se complectitur prodigia, ut per omnem sæculorum decursum maxima quæque ingenia & fatigaverit studio, & compleverit stupore. Sanctus Augustinus, qui velut Aquila inter doctos, ob sublimem suum super alios volatum habetur, ubi probè id consideravit, proposuit sibi ipsi admirabilem hanc quæstionem: nimirum, an minus prodigium sit omnipotentiæ DEI, condonare unicum solum peccatum homini, quàm creare totum hoc universum? & respondet sibi hisce terminis: *Prorsus hoc majus esse dixerim, quàm est cœlum & terra, & quæcunque cernuntur in cœlis & in terra.* Procul dubio id majus est cœlo & terrâ, & omnibus, quas sinu suo constringunt, creaturis; & Sanctus Thomas fidelis ipsius interpres, eximiam hujus affert rationem: Creatio mundi non terminatur nisi ad opꝰ naturæ; condonare peccatum terminatur ad justificationẽ peccatoris, quod est opus gratiæ: quantum igitur gratia antecellit naturam, tantum condonatio peccati est opus magis admirabile, quàm creatio totius hujus universi.

S. August. tract. 72. in Joan.

2. 2. q. 113 a. 9.

Adhæc, quando omnipotens manus DEI è fundo nihili exraxit omnem hanc ingentem mundi machinam, non destruxit, nisi nihilum quoddam naturale, nihilum innocens & innoxium, quod nullam unquam voluntati ejus fecit resistentiam. Sed quando extrahit peccatorem quendam è profundâ criminum suorum abyssο, oportet destruere illum, nihilum quoddam culpabile & criminosum, nihilum rebelle, quod resistit, séque protervâ quâdam oppositione armat contra omnipotentem. Sic vidimus, opus non fuisse, nisi unico verbo ex ore DEI prolato, unico *Fiat*; Et mox in lucem omnes prodiêrunt creaturæ. Sed ad condonandum unicum solum peccatum, ad justificandum peccatorem, quantis verbis, quantis precibus, quantis instantiis, quantis laboribus, quantis sudoribus, quantis lachrymis, quantis ærumnis, quantis doloribus, quantis vulneribus acceptis, quanto sanguine effuso est, & erat opus! Et tandem vitâ stetit unigenito DEI ipsius Filio, quem Sanctus Paulus nuncupat virtutem omnipotentem divini Patris sui. Nonne hoc est manifestè ostendere nobis per seipsum, quod prodigium brachii sui omnipotentis in condonando unico peccato abs comparatione sit admirabilius, majoremque, quàm creatio mundi, requirat laborem? Et nos credamus, id esse non nisi rem levem & ponderis exigui

gui, ex eo, quod DEUS unicâ duntaxat vice creaverit mundum, inceſſanter autem condonet peccata hominum?

Seria conſideratio circa difficultatem veniæ alicujus peccati.

O homo, te precor, revertere in teipſum, & probè conſidera hanc veritatem. Si tunc, quando commiſiſti peccatum, neceſſarium eſſet, ut crearet DEus alium quendam mundum, ejusdem cum præſenti magnitudinis, ad reparandum errorem tuum; Nonne verum eſt, te ingenti exin fore percutiendum horrore? Morereris ex una parte præ confuſione peccati tui, videndo ad reparandum illud tali opus fuiſſe remedio; & ex altera ceſſare nunquam poſſes ab admirandâ, laudandâ & amandâ Bonitate DEI, utpote quæ fabricari voluiſſet tam exquiſitum omnipotentis brachii ſui opus ex amore ergà te, & quidem tunc, dum hoc indigniſſimus eras favore. Sed nónne aſpicis, ipſum multò plura facere, quando condonat tibi peccatum tuum, tibique ſuam, quæ te juſtificet, largitur gratiam? Unde ergò venit, te eſſe inſenſibilem? Eccur hucusque tam flocci id pendiſti? niſi quia nunquam perpendiſti infinitam prodigii hujus immenſitatem. Nónne vides, quomodò Eccleſia à Spiritu Sancto inſtituta, agnoſcat probè, omnipotentiam DEI reſplendere multò magis in tui condonatione peccati, quàm in mundi creatione, ipſamque illi pro te rependere grates, quando verba ſua in Oratione quâdam ita ad ipſum dirigit: DEUS, *qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas.*

Ignoſcere peccatum plus eſt, quàm creare angelos in gratia.

II. Sanctus Auguſtinus loco citato, ulterius adhuc progreditur; & conſiderans DEUM omnes creâſſe Angelos, quorum numerus major eſt illo omnium creaturarum corporalium univerſum hoc replentium, quorum natura quóque abs comparatione eſt excellentior, & ponderans bonitatem, quam illis exhibuit, creando illos omnes in gratia, ſed in gratia eminentiſſima, & naturæ uniuscujusque illorum, quæ inæqualis eſt, proportionatâ, affirmat dubitari non poſſe, productionem naturæ hujus ſpiritualis ac immortalis, tam nobilis ex propria ſua eſſentia, támque nobilitatæ ex gratia, magis excellens, magisque glorioſum eſſe opus Auctori ſuo, quàm mundi viſibilis ſit creatio. Nihilominus magnus hic Doctor quæſtionem proponit, an præferenda illa ſit juſtificationi peccatoris, ánque unicum ſolum peccatum condonâſſe homini, non ſit excellentius opus manuum DEI, quàm creâſſe omnes Angelos in gratia: Et ipſemet reſpondet eximiis hiſce verbis:

Certè si æqualis est utrumq; potentiæ, hoc majoris est misericordiæ: Quasi diceret; indubitanter teneo, quod si æqualis potentia requiratur pro utroque, magis tamen refulgere videatur triumphus misericordiæ DEI in condonando unico peccato hominum, quàm in creatione omnium Angelorum.

Quare plus sit condonare quam creare Angelos.

Et ratio, quæ dari potest, est, quod Angeli ante creationem suam non fuerint indigni nec esse naturalis, nec gratiæ supernaturalis! sed peccator ante justificationem suam indignus sit utróque. Si Angelus non fuerat amicus DEI, antequàm acceperat esse, saltem non erat ipsius inimicus; sed homo in peccato est magnus inimicus DEI. Quis ergò diffitebitur, effectum abs comparatione majoris misericordiæ esse, condonare huic inimico, ipsi suam concedere gratiam, ipsum adoptare pro suo filio, ipsumque affectuosissimè amare, quàm esse dedisse & gratiam omnibus Angelis? O bone Deus! qui te glorificas in operibus manuum tuarum, sed qui majorem trahis gloriam è majoribus, quæ operaris, prodigiis! cùm tam magna pro te sit gloria, O mi creator, tot milliones millionum creâsse Angelorum, creaturarum tam nobilium, tuas incessanter in omnem æternitatem canentium laudes; cùmque nihilominus longè majus bonitatis tuæ sit prodigium, mea mihi condonare peccata: in meis te glorifica miseriis, tuæ refulgere fac gloriam infinitæ misericordiæ in miserrima factura tua. Ignosce, Domine, ignosce ex amore tui ipsius, & ne prives te gloria hac, quæ major erit, quàm omnes creâsse Angelos. Cum Ecclesia tua cantabo tibi ex affectuosissima cordis mei gratitudine: *DEUS, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas.*

Condonare peccatum est ratione quadam magis stupendum quàm producere Verbum æternum.

III. Sed nondum sufficit ad inducendam animo admirationem super magnitudine Misericordiæ DEI, quando condonat unicum solum homini peccatori crimen. Ulterius progredior, & abs eo, quod immorer creaturis, me attollo usque ad Creatorem; & profunda cum humilitate considerans æternam unigeniti Filii DEI in sinu Patris sui productionem, cognosco necessariò requiri ad productionem DEI de DEO potentiam infinitô modô majorem, quàm ad producendas omnes creaturas; & meos deprimens oculos super indignitatem peccatoris, video, dum illi suam dat gratiam, quod ex indigna hac creatura nihilò peccati sui penitùs immensâ, evadat Filius DEI adoptivus, & quæro: Quanta potentia, quan-

ta

ta miserationum ejus ad hoc necessaria est profusio?

Si aliquam auderem comparationem instituere inter filium naturalem, quem Deus Pater ex propria sua substantia producit per omnium suarum divinarum excellentiarum perfectam communicationem, & Filium adoptivum, quem producit per gratiam suam justificantem, magnam me commissurum crederem blasphemiam; siquidem unus est DEUS, & alter non est nisi creatura; unus est omnia, & alter est nihil. Sed si considerem, unde DEUS Pater producat filium suum unigenitum intra semetipsum, & unde producat Filium hunc adoptivum extra seipsum: Video, quod producat Filium suum naturalem ex abundantia infiniti sui esse, & ex inexhausta naturæ suæ divinæ fœcunditate, dum interim Filium hunc adoptivum producit è detestando quodam nihilo, Voluntati suæ oppositio. Hoc ultimum magis stupendum mihi videtur, quàm primùm; licet enim hic minor sit atomo, in comparatione cum Filio naturali, qui est DEUS de DEO æterno; ratione tamen quâdam magis admirandum videtur hoc ultimum Divinæ Misericordiæ prodigium. Siquidem quod DEUS producat DEUM è propria sua substantia, facilius concipitur, cùm videamus, quod simile producat sibi simile; sed quod è nihilo peccaminoso producat Filium DEI; quod is, qui fuerat dæmon, & magnus DEI inimicus, appelletur & verè sit Filius DEI: Ut filii DEI nominemur & simus; quod legitimum jus habeat ad regnum ipsius æternum, quodque ratione quâdam divinam ipsius participet naturam: Hoc procul dubio nobis magis incomprehensibile videtur. Et ecce prodigium, quod misericordia ipsius operatur in te, quando ignoscit & condonat tibi peccatum. Prodigium ratione quâdam magis stupendum generatione æternâ Filii unigeniti intra ipsummet, si consideretur infinita, ex qua te liberat miseria. O DEUS! quanta cœcitas hominum, quanta stupiditas omnium peccatorum, dum tam parùm agnoscunt, tam parvi faciunt prodigium hoc bonitatis DEI!

IV. Amplius quid adjungere oportet, ad imprimendum benè animo nostro altissimam æstimationem magnitudinis misericordiæ DEI, & ad insculpendum, quasi vi factâ, cordibus nostris justos gratitudinis affectus, quibus ferri debemus in ineffabilem ipsius bonitatem, quando condonat nobis peccatum. Audeo dicere, me advertere hic quidpiam adhuc prodigiosum, magis-

Est etiam aliqua ratione plus quam producere Spiritum Sanctum.

magisq; incomprehensibile, quàm in productione æternâ Sancti Spiritûs intra DEUM, non quasi comparationem aliquam facere vellem inter adorandam hanc personam, & personam peccatoris conversi, cùm hoc redundaret in magnam injuriam DEI. Quando namque video, Patrem & Filium producere hunc amorem infinitum, non admiror; dico enim intra memetipsum: An mirum sit, quod infinitô modô se ament, cùm infinito modo sint amabiles? Et quando mihi dicitur, quod Spiritus Sanctus habitet ab æterno in Patre & Filio, omnem infinitam voluntatis ipsorum replens amplitudinem, id facilè intelligo, eòquod habitatio hæc divinâ ipsius magnitudine sit digna. Et quando tandem credendum mihi proponitur, quod Spiritus Sanctus sacrum sit vinculum uniens & conjungens Patrem & Filium, eodem sese amantes amore; haud difficulter credo, cùm duæ divinæ Personæ sint æquales in omnibus, quæque non solùm habeant arctissimam quandam inter se unionem, sed perfectissimam in essentia sua divina unitatem. Fateor quidem, omnes has excellentias, quas adoramus in persona Spiritûs Sancti, nobis esse incomprehensibiles; nihilominus stupendum ac prodigiosum nihil hic video, nec quod nobis impossibile videatur.

Quantum miraculum quod Spiritus Sanctus habitet in anima peccatoris conversi.

Sed quod verum sit, eundem Spiritum Sanctum habitare per gratiam sanctificantem in te, qui non es nisi fœtida cloaca, & horrida diaboli caverna, quamdiu moraris in peccato. Prô talem hospitem receptum in tali hospitia! Quod verum sit, DEUM, dum tibi condonat peccatum, te amore eôdem omninò amore, quo amat seipsum; Ita namque loquitur S. Thomas: *Pater & Filius dicuntur amare Spiritu Sancto & se & nos.* Prô tam magnum DEI inimicum, ab infinita sua bonitate eodem infinito amatum amore, quo semetipsum amat! Quod verum tandem sit, eundem Spiritum Sanctum, qui sacrum est Vinculum tam intimè uniens Patrem & Filium in divinitate, esse quoque velle unionem Filij adoptivi per gratiam cum Patre suo cœlesti! E tam stupendâ elongatione, qualis est illa peccatoris à Deo, facere unionem tam arctam, támque intimam, ut Pater cœlestis in hoc Filio adoptivo habitet, & Filius in Patre suo; hoc non tantùm stupendum est & incomprehensibile; sed quod impossibile videtur, si tantummodò intueamur debilem cognitionem exigui nostri intellectûs humani.

D. Thom. 1. P. q. 37. a. 1.

Siqui-

Deus infinito modo odit peccatum, & tamen amat peccatorem,

Siquidem, cùm verum sit, DEUM odisse peccatum odio quodam infinito, odio æterno, & odio sibi tam necessario, quàm est amor, quô in divinam suam fertur essentiam: quæro, quæ potentiam sat fuerit fortis ad superandum infinitum hoc odium, ipsúmque obligandum, non obstante infinitâ hâc resistentiâ ad condonandum peccatum homini, ad amandum peccatorem suum velut Filium, ad blandiendum ipsi, ad replendum ipsum velut amicum bonis ac donis suis, ad præparandum ipsi regnum in omnem æternitatem. O abundantia incomprehensibilis bonitatis DEI! O triumphus admirabilis divinarum misericordiarum! cogita hæc seriò, & pensiculatè recogita, ac penetrare satage magnæ hujus veritatis abyssum; videbitur illa tibi ratione quâdam magis admirabilis, magisque incomprehensibilis, juxta nostrum concipiendi módum, productione ipsiusmet Spiritûs Sancti. Quod enim Deus infinito id modo amet, quod infinito modo est amabile, intelligitur absque difficultate; quódque infinito modo se amans infinitum producat amorem, nihil hoc gignit admirationis. Sed quod amet peccatorem, qui tantum abest, ut infinito modo sit amabilis, ut potiùs econtra infinito dignus sit odio, quódque eodem amet ipsum amore, quo amat semetipsum: hoc omnem transcendit captum, hoc in misericordia ipsius omnipotentiam requirit, quæ ordinariam excedat omnipotentiam: attollere hoc deberet omnia corda nostra â terra, illáque conjungere in æternum ineffabili huic bonitati, ad ipsam adorandam, ipsam admirandam, ipsam benedicendam, nósque exstimulare ad cantandum in æternum magnitudinem misericordiarum DEI. Siquidem verum est, in hoc præcipuè ipsius refulgere omnipotentiam: *DEUS, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas.*

ARGUMENTUM.

Misericordia DEI magis adhuc refulget in modo, quo peccata condonat.

ARTICULUS II.

Quibus conditionibus non.

BEatus æstimatur, si quis mediante satisfactione, submissione & deprecatione obtinere possit à Magnate quodam veniam levis alicujus offensæ. Quando DEUS, qui infinita refulget Majestate, exquireret à nobis torren-

bis Deus largiatur veniam.

correntem lachrymarum; quando parari vollet totius vitæ nostræ laboribus ac ærumnis unius duntaxat peccati nôstri indulgentiam, maximam adhuc haberemus ansam, summè nos infinitæ ipsius bonitati agnoscendi obligatos, modò tandem tanti ponderis indulgentiam largiretur nobis, ut quæ tantam, sicut in præcedenti articulo perspexisti, requirat potentiam. Sed misericordia ipsius, quæ nullis arctata est limitibus, nullos quoque ipsius ponit liberalitati. Ecce tibi modum, quo indulgentiam illam concedit, excedentem id omne, quod subire posset mentem & cogitationem hominum. Primò concedit indulgentiam mox in instanti, quo petitur. Secundò non exspectat, donec petatur, sed præoccupat peccatorem, hancque illi offert. Tertò si acceptetur, indulget corde tam amoris pleno, ut peccati non ampliùs recordetur. Quartò non tantùm indulget & condonat, sed inæstimabilia donat bona. Quintò donat plus, quàm petatur ab illo. Sextò obligatum seipsum tenet, si acceptentur ipsius dona, magnificam insuper promittens remunerationem. Et denique pro complemento omnium, tam ingens ostendit gaudium, dum sic agit cum peccatore, infensissimo hoste suo, quasi maximum attigisset felicitatis suæ fastigium, convocans omnes ad se creaturas adgratulaturas sibi: *Congratulamini mihi.* O incomprehensibilem excessum misericordiarum DEI! an cognosci potes, nec amari?

Inprimis misericordia Dei tam prompta est ad largiendam indulgentiam peccatori, ut in ipso instanti, quô aperit os ad ipsam postulandam, jam ipsi hanc concesserit. Psaltes regius Psalmo trigesimo primo canit: *Dixi, confitebor: & tu remisisti.* Dixi duntaxat corde contrito, me accusavi, & quàmprimùm condonasti mihi. Ægrotat Ezechias, mittitur ad ipsum Isaias vates ex mandato Dei: Dispone domui tuæ, inquit ad ipsum, quia morieris. Bonus hic Princeps, qui noverat morbos & mortem esse pœnam peccati, recurrit mox ad misericordiam Dei, precatur, amarè plorat; & vates nondum quatuor passus revertendo fuerat emensus, & Deus remittit ipsum nuntiando, ipsique affirmando: *Vidi lachrymam tuam*, quàm è tuis depluere fecisti palpebris: Libero te à morte, & quindenos longitudini vitæ tuæ adjicio annos. Sed, Domine, tam effusè ploravit ipse, & tu non nisi unius mentionem facis lachrymæ. Verum est, effudisse ipsum plures, sed prima sufficiebat ad emolliendum cor meum

DEUS condonat promptè. Psal. 31. 4. Reg. 18

um. Nolo peccatorem magis esse expeditum ad expetendam à me indulgentiam, quàm sim ego ad illam impertiendam.

DEUS offert veniam.

Non sistit hic infinita bonitas, misericordiam exhibendo peccatori, ubi primùm illam petiêrit; sed prævenit illum, hancque illi offert, antequam de ipsa petenda cogitationem admiserit. Nunquam ipse primitùs veniret, nunquam de hoc consilium caperet, nunquam vel minimam duntaxat cogitationem de hoc habere posset, nisi suâ ipsum gratiâ præveniret misericordia DEI, sed bonitas ipsius eousque progreditur, ut, quamvis ipsa injuriosissimè offensa sit à peccatore, ipsa prima requirat ipsum, & pacem ab eo petat. Ipsa incessanter infinitos undequâque destinat legatos, ad exhortandum, ad votandum, ad solicitandum, ad compellendum amicè peccatorem, ut consentire velit reconciliationi cum Deo suo. Hinc est, quod ministerio huic suos deputet Angelos; ipsum suis alloquatur verbis ex ore omnium Prophetarum; hinc est, quod Sanctum suum Spiritum dederit Apostolis in forma linguæ igneæ, succendatque hodiedum ardenti zelo innumeros viros apostolicos; hinc est, quod ableget infinitum gratiarum tum interiarum, tum exteriarum numerum, quæ in mandatis habent in momenta singula movere & urgere corda peccatorum; & quasi hæc omnia non sufficerent desiderio suo, complendi illos tandem beatitudine, misit è cœlo unigenitum DEI Filium, verbum omnipotens DEI Patris sui, qui alteri non intendit in terris, nisi ut ageret mediatorem Pacis, & reconciliatorem peccatorum cum DEO Patre suo. Ipse hos quæsivit, requisivit, cucurrit post eos usque ad virium defatigationem: *Fatigatus sedebat.*

Deus erigit ubique tribunalia justitiæ.

O amantissime DEUS! O misericordia infinita! Itáne nos tractas, nobiscum agis, nobiscum miseris peccatoribus, qui digni non sumus nisi irâ tuâ! Nónne oportuisset nos expostulare à te veniam, & tu hanc nobis offers, ipse nos rogas, uti ipsam acceptemus? nondum hoc sufficit. Eodem enim tempore, quò vocat ad se peccatores per voces tam multiplices, támque diversas, ubique præsentem se sistit, ut audiat ipsorum gemitus, quos ipsamet excitat, quos ipsamet amicâ quâdam vi è cordibus nostris trahit; & tandem, ut nobis, qui corporales sumus, visibilis quædam ac sensibilis sit certitudo ac securitas, quod nobis condonet, ubique erigit tribunalia, quæ justitiæ videntur esse solia, super quæ collocat judices, supremam in manibus suis habentes potestatem. Sed

quando peccatores semetipsos illuc sistunt sua accusaturi crimina, expresse ipsis mandat, ut non nisi absolutionis & nunquam condemnationis pronuntient sententiam; possunt quidem dicere: *Ego te absolvo*; sed nunquam: *Ego te condemno*. Misericordia quidem ignoscere, sed nunquam ullum novit condemnare.

Peccata remissa non renascuntur.

Et quod melius divitias Bonitatis ejus ostendit, est, quod tam absolutè condonet, ut nolit offensam acceptam, quantumvis maximam, relinquere minimum in corde suo memoriæ vestigium, post acceptam semel veniam: *Iniquitatum ejus non recordabor amplius*. Extollebatur olim laudibus Cæsar, quod tam felici polluerit memoria, ut rei nullius, nisi offensæ acceptæ fuerit unquam oblitus. Hoc erat extollere illum supra conditionem hominum & in seriem inferere Deorum: siquidem humana nostra hæc est imbecillitas, ut generosissimus quisque, quamvis ex toto suo condonet animo, non possit tamen tam absolutè è suâ delere memoriâ, quod jam è sua effugavit voluntate, quin semper, etiam invito se, levia quædam remaneant præteriti vestigia, quæ facillimè resuscitant, si novam accipiat injuriam, illarum, quas jamjam ignoverat, ultionem: *Scribit in marmore læsus*. Nonnisi infinitæ misericordiæ DEI congruit, tam absolutè omnium oblivisci injuriarum, quantumvis maximarum â peccatoribus acceptarum, ut post veniam semel illis concessam, ipsarum amplius non recordetur.

Bona opera mortificata renascuntur.

Quod si ingratus peccator incipiat denuò ipsum novâ lacessero offensâ, postquam condonaverat jam ipsi decies millenas; certum est, nec unicam ex omnibus illis jam condonatis redituram ideò in memoriam ipsius, non magis, quàm si nunquam commisisset unicam solam, ita ut ipsum non nisi novissimi, quem commisit, erroris reputet reum. Sed quod mirum in modum manifestat ineffabilis ipsius bonitatis gloriam, est, quod hâc ratione non utatur, nec ita procedat cum bonis hominum operibus: horum enim obliviscitur nunquam, etiamsi mediante peccato facti sint magni ipsius inimici. Verum quidem est, quod illa ad tempus suspendat: Quod si enim homo maximum meritorum & gratiarum thesaurum in anima sua, per plures innocentiæ & fidelitatis coacervâsset annos, & in unicum laberetur peccatũ mortale, totus ipsi thesaurus tollitur, ita ut ne minima ejusdem pars maneat superstes; non tamen pro-

propterereà est perditus: Misericordia DEI tenet ipsum in custodia & conservat, ut ipsum illi totum ac integrum reddat, ubi primùm rediêrit ad se per pœnitentiam. O abundantiam Bonitatis tuæ super me, amabilis nimiùm Misericordiæ DEI mei! Itáne nunquam recordaris injuriarum, quibus afficimus te, facta semel earundẽ nobis veniâ, & nunquam obliviscéris vilium, quæ tibi exhibemus, servitiorum aliquando à nobis præstitorum? Ah! quàm verum est, peccatum malum esse infinitum! plus igitur mali est in unico solo peccato, ab unico commisso homine, quàm boni sit in omnibus bonis operibus hominum omnium super terram: cùm omnia bona hæc bonum non sint infinitum. Et nihilominꝰ tu obliviscéris absolutè tot malorum infinitorum, ubi primùm peccator coram te ingemuerit; & non obliviscéris unquàm bonorum tam vilium, quæ fecit, licet te offendat, & per peccatum suum tuâ se dignum reddat iracundiâ. Nónne omnium corda succendi deberent amore ergà tam supereminentem bonitatem? nonne omnium ora laxari & reserari deberent ad decantandas in æternum misericordias ejus: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Psalm 88.

Verùm ultra adhuc progreditur: Siquidem non solum condonat peccatori se offendenti; sed largitur quoque ipsi novas gratias, ipsúmque plus amat, quàm amaverat ante offensam. Venia, quam largitur peccatori, non est remissio sicca & sterilis, veluti si Princeps diceret alicui reo: Exhibeo tibi gratiam, & nolo, ut puniaris, abs eo tamen, quod locupletet ipsum thesauris suis & favoribus compleat. Sed divina Misericordia tantâ cum bonitate tractat peccatorem, ut non solùm omnia sua crimina indulgeat ipsi, sed vult novam cum ipso inire amicitiam, & hanc arctiorem, quàm fuerat antè. Hæc tam firma, tamque fortis est conjunctio, ut illam ex parte sua reddere velit æternam, abs eo, quod libertatem sibi relinquat illam aliquando rumpendi ex parte sua; & hujus conjunctionis, hujusque fœderis conditiones sunt, ut hæc ipsi reddat omnes gratias, & omnia merita, & omnia bona supernaturalia, quæ habuerat ante peccatum suum, abs eo, quod inde perdat vel unicum atomum. Et ultrà hæc omnia adjiciet ipsa novum meriti & gratiæ gradum, quem nunquam habuit, quo etiam reddetur magis locuples, quàm ante peccatum fuerat, magisque quàm unquam amabitur â DEO. Et hæc nova gratia est quasi Sigillum & Chirographum novæ suæ recon-

Deus locupletat peccatorem, ipsi condonando.

ciliationis. Quis diffitebitur, hunc cum peccatore agendi modum, admirabilem esse triumphum magnæ misericordiæ DEI, quæ transcendit omne id, quod cogitationem hominum subire potest.

Deus plus largitur, quàm ab ipso petatur.

Et nihilominùs nondùm est meta munificentiæ ejus: siquidem non contenta dare & donare peccatori, quando ipsi condonat, dat & donat ipsi multò plus, quàm petat. Pauper ille servus, qui debebat decem millia talenta, non petebat à Domino suo, nisi paulisper moræ & dilationis, se ipsi satisfacturum adpromittens; & bonus Dominus tantâ est inde motus commiseratione, ut non tantùm votis ejus præbuerit annutum, verùm etiam totam ipsi remiserit summam: *Omne debitum dimisit*

Matth. 24. *ei.* Ecce tibi, quod petere non audebat. Bonus ille Latro aliud à Domino nostro non postulabat, quem cruci affixum spectabat, nisi ut sui meminisset, futurus in regno suo: & misericors hic Dominus largitur illi plus quàm flagitabat; spopondit namque, quòd eodem adhuc die secum futurus esset in Paradiso: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Luc. 24. Filius prodigus non aliud requirebat lachrymantibus oculis à Patre suo, nisi velut mercenarius recipi in domum suam; & Pater amoris ac bonitatis affectu plenus aperit illi brachia sua, stringit ipsum sinu suo, suas cum illis dilecti Filii sui commiscet lachrymas, ipsumq; confirmat in omnibus bonis ac honoribus suis, pretioso ipsum induit amictu, assidere facit mensæ, opiparum struit convivium, ac magnifico ipsum excipit luxu. Quid omnia hæc innuere exempla volunt, quorum Spiritus Sanctus in Sacro Codice mentionem facit? Nisi ad demonstrandam nobis effusam largitatem infinitæ misericordiæ DEI ergà peccatores, dum nunquam non illis plura elargitur, quàm flagitârint: *Ipsius dona etiam nostra vota viceruut.*

Deus obligatum se censet quando recipimus ab ipso veniam.

Posthæc, quid superest, O divina misericordia! nisi quod agnoscamus & confiteamur, nos tibi infinito modo, infinito modo, & plus quàm infinito modo esse obligatos. Ah! quid facere possumus? unde accipiet humana nostra imbecillitas, ex quo reddat, quod debet magnæ huic ineffabilis tuæ bonitatis munificentiæ? Verum est, dicit ipsa, obligatus es mihi; sed extendam adhuc munificentiam largitatis meæ ultrà omnes creaturarum cogitationes. Post hæc omnia obligatam adhuc me tibi credam; & si veniam acceptes, quàm tibi post omnes tuas offero offensas, si recipias omnia ineff-

ineffabilia, quæ tibi præsento ac porrigo, bona, tam æquo ero animo, támque obligatum me credam, ut remunerationem tibi, sed tam largam pollicear, ut regnum æternum, & infiniti boni tibi datura sim possessionem. Quid est hoc mi DEUS? obruis te, submergis te abundantiâ beneficiorum tuorum: Itáne amor tuus nostra ulciscitur crimina? Pro eo, quod nos premas, præmias nos; Pro eo, quod nos punias, muneribus accumulas, tuos omnes nobis reseras thesauros, tuis ut nos locupletes bonis; & postquam liberalissimè ex iis hausérimus, mercedem adhuc nobis spondes maximam, quasi dederimus id, quod recipimus â te, vel quasi maxima tibi exhibuissemus obsequia. O Bonitas! O Bonitas infinita! quomodò possibile est, corda humana continere se posse, quin ament te? ut quid omnes creaturæ in purissimum non vertuntur amorem, ut impendant & incendant se totas velut holocaustum ad reddendum tuæ magnitudini homagium. O quàm lubens cum magno hic dicerem Apostolo! Qui tantam non amat bonitatem, anathema sit.

Deus maximo perfunditur gaudio, quando lucratur peccatorem.

Quis credere posset, bonitatem DEI his omnibus adhuc quidquam quod cunctis eminet, superaddere, ut magis lucrative persuadeat nobis ardentem, quo ergà nos afficitur, amorem, sicque durissima commoveat ac emolliat corda. Et nihilominùs leva oculos tuos, O homo ingrate, quos nunquam non deprimis in terram, & aspice cor DEI tui. Vide, quanto affectu, vel potius, quanto amoris sui impetu pro te faciat hæc omnia. Videtis, quod quando misericordia ipsius obtinuit â peccato re, ut ita beatus esse velit, sicut ipsa desiderat, quando hæc ipsi ignovit, quando hæc ipsum justificavit, gratiis suis replevit, gloriâ in cœlis coronavit, ita contentetur cor ipsius, ut, quasi continere non posset, omnem gaudii, quo repletur, abundantiam, omnes ad se convocet creaturas, ejusdem ut fiant participes, velítque ut omnes sibi congratulentur. Videtur insinuare velle, altissimum felicitatis se conscendisse fastigium: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat:* Luc. 15. quasi diceret: volo gaudere mecum omnes, jucunda ridere festa, congratulari mihi cunctos, quia salvam, quæ perdita fuerat, feci animam.

Verùm, Domine, huic potius animæ congratulandum est, quàm tibi: ipsa enim inæstimabili fruitur felicitate, quam non haberet, nisi infinita tua misericordia hanc contulisset ipsi; ex infelici, qualis fuerat, evasit

ipsa modò felicissima, tot ac tantis â te repleta bonis. Illi ergò, & non tibi, qui nihil de novo accepisti, congratulandum est: quid enim tu perdis, si ipsa perdatur in æternum? Non, non, inquit DEUS, non illi, sed mihi fieri volo applausum, omnésque è gaudii mei, quod suo longè est major, participare abundantiâ: siquidem cùm ipsam infinito modo magis diligam, quàm ipsa diligat semetipsam, hinc gaudium, quod ex ipsius concipio salute, abs comparatione major est illo, quod ipsa concipere potest. O Bonitas! quàm es amabilis, dũ ita nos amas.

ARGUMENTUM.

1. *Thesaurus misericordiarum DEI est inexhaustus.*

2. *Quantò plus inde hauritur, tantò plus abundat.*

Articulus III.

DEus condonat omnia.

SAnctus Hieronymus magnam habuit dicendi rationem, eâdem facilitate penetrari & comprehendi posse profunditatẽ divinæ essentiæ, quâ concipi ac intelligi potest immensitas divitiarum misericordiæ ipsius; cùm utrúmque eâdem prorsus infinitudine sit infinitum: *Si potes dicere, quomodo DEUS est, nosse poteris, quemadmodum miseretur.* Veni peccator, inceſſanter hauri, & hauri tantum, quantum poteris ex ingenti hoc Oceano; certus esto, ipsum nunquam exhauriendum: Nec time, multitudinem aut enormitatem peccatorum tuorum, quàm portentosa & inusitata hæc possit esse, fore majorem quàm submergi possit in vastissimo hoc sinu. Quando solus omnia patrasses crimina, quæ patrari possunt ab omnibus creaturis peccati capacibus; & quando minimum ex omnibus magis foret abominandũ maximo, quod unquam fuit excogitatum: Affer omnia hæc & projice in amaritudinem cordis contriti ac humiliati, immerge omnia in magnum Oceanum misericordiarum Dei; & tene non nisi unicam ignis scintillam te conjecisse in mare: si hæc ignis scintilla exsiccare possit, peccata tua exhaurire poterunt thesauros misericordiæ DEI.

Homil. in Psal. 51.

Verùm si limites hæc non habeat, nec ex multitudine, nec ex enormitate peccatorum, non magis habebit illos ex tempore & duratione: Si enim condonat omnia, condonat quóque semper, cunctis diebus, cunctis horis, usque ad ultimum momentum vitæ peccatoris; ipsa semper parata est condonare; ipsa nullis constringitur finibus loco-

DEUS condonat semper.

locorum, in quovis mundi angulo, ubi peccator suspirat ad illam, etiamsi foret inter accolas & inquilinos sylvarum; & in inferno ipso, si infelices damnati è flammarum suarum medio extendere possent ad ipsam manus, ac corde contrito & humiliato ipsius implorare clementiam, ipsorum auscultaret gemitus, illisque favorem exhiberet & gratiam. Porrò limites quoque nescit, quoad personas, sive sit fidelis, sive infidelis, sive peccator fragilis, sive sceleratissimus hominum, sive prima vice, sive centies millies recurrat ad ipsam; non est tam perditus, nec inveteratus peccator in orbe, quem non exaudiat, quem non excusèt, si humili ac vero cũ dolore invocet ipsam, sua detestans crimina ac peccata: ipsa nihil excludit, ipsa non propriæ studet utilitati, ipsa nullam requirit conditionem; sed abs ulla exceptione, omni peccatori ad se confugienti in ipso ignoscit momento ac bonis ipsum replet cœlestibus, modò sincerè doleat de peccatis suis, modò se reum agnoscat, séque de erroribus accusèt commissis, verè statuens animo ab ipsis deinceps abstinere. Unica lachryma ex oculis maximi peccatoris, & unicum verbum ex ore ipsius abundè satis est, ad satisfaciendum illi. Exopta ipsemet, O peccator, excogita imaginare tibi omnia; quæ tibi placuerint: An unquam formare possès simplicem cogitationem de locupletiore thesauro, de abysso magis profunda, de majori latitudine misericordiæ Dei, in favorem tuum, quódque eadem Bonitas incessanter ab omnib9 hominib9, suis coram oculis offensa, eundem semper retineat & conservat pro omnibus se offendentibus beneficum dulcorẽ? O prodigiũ incomprehensibile, quod suspensos tenere possit omnes animos in admiratione per sæcula æviterna!

Et prodigium ingentis hujus divinarum misericordiarum thesauri præcipuè consistit in hoc, quod, dum nullo non tempore liberaliter ergà omnes sese miseros effundit, non solùm non deficiat, sed præter naturæ ordinem quantò magis inde misericordia expendit, tantò magis excrescat, quantò plus inde haurit, tantò plus affluat, ditiorque fiat. Non ita se habet cum mundi thesauris, quos divites si claudant, ipsorum servantur divitiæ; si referent ad dispertiendos illos aliis, semper magis magisq; depauperantur, ac tandem omninò exhauriuntur. Sed thesaurus Dei alia prorsus ratione se habet, quamdiu complacuit ipsi hanc clausum servare, sicut fuerat ante creationem mundi, dici quodammodo potest, quod exite- Prodigia thesauri omnipotentiæ Dei.

extiterit pauper, cum omnibus immensis divitiis, quas ite clausas servabat in thesauris omnipotentiæ suæ. Verum quidem est, ipsum infinito modo fuisse divitem intra semetipsum, nec indigniſſe aliquo, aut aliquid ipsi defuisse; sed verum quóque est, quod nihil habuerit extra semetipsum, quódque superrem nullâ actualiter suum exercuerit dominum. Verum quidem est, quod extiterit Monarcha æquè supremus, & æquè potens, sicuti exsistit modò; sed verum etiam est, quod nullos habuerit subditos, qui ipsi obtemperarent. Ast ubi primùm unico dignatus est verbo, unico Fiat, suum aperire thesaurum, in ipso instanti cunctas locupletavit creaturas, illis tribuens esse, & locupletavit ratione quâdam semetipsum, accipiens ex opere tam speciosо certam exteriorem Gloriam, quam priùs non habebat.

Prodigia thesauri misericordiæ.

Ita prorsùs res habet cum inexhausto divinarum misericordiarum thesauro. Quod si hunc claudat, clausúmque servet, nos privat, & semetipsum infinitis privat divitiis; si ipsum reseret, ac largus, prodigúsque sit in ipso dispertiendo, nos ditat, & ipse exin longè evadit ditior: Id, quod reservat, nec propriè suum est, nec nostrum, quia nihil est; quod abundanter distribuit, & suum simul est & nostrum; nostrum, quia nos recipimus ex eo utilitatem; suum, quia ipse suam inde trahit gloriam. O amantissime DEUS! O inexhaustе Bonitatis fons! cùm verum sit, quod omnes gratiæ, quas in thesauro misericordiarum tuarum retines clausas, nec tuæ sint, nec nostræ; Eccur igitur retines illas? quid ergò sunt omnes hæ divitiæ in thesauro tuo? Aperi manum, Domine, hauri abundanter, concede largiter, dona incessanter, esto prodigus, téque locupleta, locupletes nos faciendo divinâ tuâ liberalitate: effunde bona tua in morem torrentis super miseros; Quod si id nolis amore nostri, qui hujus sumus indigni, fac, obsecro amore tui ipsius, qui infinito modo dignus es gloriâ, quæ tibi exinde exteriùs accrescit.

Arguuntur divites, quod non plures largiantur eleemosynas.

Video vituperare te divites ex ore Apostoli tui, eóquod suas permittant putrefieri divitias, sua arrodi à vermibus vestimenta, indui rubigene aurum & argentum inclusis suis, cùm facilè ex iis afferre possent solatium suorum miseriis proximorum. Ah! Tu tantam auri copiam in tuo servas ærario, quod tibi nil servit, pretiosum nempe charitatis aurum, cujus non indiges, eòquod tu ipse infinitns sis amor ex essentiâ tuâ. Tu possides tot pretio-

pretiosa gratiarum & virtutum vestimenta, quæ tibi sunt inutilia; tu abundas tot bonis cœlestibus, quibus tibi opus non est. Quid faciunt igitur, O DEUS ter bone, omnes hæ immensæ divitiæ in thesauris tuis; dum tabescimus nos interim hîc in terra onerati miseriis, quibus tam facilè exsolvere nos posses. Divites mundi nimiùm largâ manu sua metuunt elargiri bona egenis, eòquod metuant vestiendo alios exspoliare se, ac ipsimet dilabi in miseriam, quâ contenderent liberare alios. Sed tu, O inexhaustum bonorum infinitorum principium, probè nôsti, tibi nihil deesse posse, sed potiùs, si ditior quàm sis, fieri posses, id futurum largiendo exinde creaturis tuis, & quando dispertiris, te possessurum magis.

Divitiæ Dei non decent permanere inutiles.

Tu, Domine, qui magnum illum interrogasti Oeconomum, qui sua repleverat horrea ac cellaria, hisq; ingenti annonâ per plures annos repletis, nocte sequenti debebat mori: *Quæ parâsti, cujus erunt?* Quid servient tibi omnia hæc? Et quis cunctis tuis fruetur laboribus post mortem tuam? Tu laborâsti Domine infatigabiliter toto vitæ tuæ mortalis curriculo, triginta tribus annis, quos vixisti DEUS-Homo: sævis doloribus passionis tuæ, effuso torrentis more in cruce sanguine tuo, quantas divitias, quantas gratias, quanta cöacervasti merita omnes thesauri tui non solummodò sunt pleni, sed tantâ exuberant abundantiâ, ut plura possideas, quàm opus sit ad locupletandos centies millenos mundorum millliones; Et quando depluere permitteres abs intermissione illos velut ingentes fluvios per cuncta sæcula, tu ipse, quamvis sis omnipotens, exhaurire illos nunquam posses. Ah! quid serviunt tibi omnia? Tu mortuus es, quando sic tuos replesti thesauros; Tu illis in persona tua nunquam fruêris: Tu namque DEUS es, qui nullius indiges: *Quæ autem parâsti, cujus erunt?* Quis ergò Domine, omnibus tuis potietur divitiis? An inutiles relinques illas in thesauris tuis? Nonne filiorum est, adire possessionem bonorum Patris sui, mox ubi est mortuus?

Ita, probè novi, te id velle; verum est, te apertos reliquisse nobis omnes thesauros tuos; sed non possumus huc extendere manum, ad accipiendum inde vel minimum, nisi tu id concedas nobis; si namque in nostra foret facultate exin juxta nostra haurire vota, quis est, qui locupletare nollet se solum tot & tantis gratiis ac meritis,

Non possumus ex nobis ipsis haurire è thesauro Dei.

quantas simul omnes possident prædestinati? sed tu concedis illas, quibus dare placuerit tibi; & concedis tantas, quantæ tibi placuerint. Ah! Domine, tantas an divitias inutiles relinques in thesauris tuis? O misericordia infinita, cùm verum sit, te oculos non habere, nisi pro miseris, compatere miseriis nostris, & largire nobis abundanter; sed accelera locupletare nos, nam vita nostra brevis est & incerta. Et quia statuisti tam arctè occludere gratiarum tuarum thesaurum, â momento mortis nostræ, ut nullam ampliùs exin extrahere, nobisque concedere velis, reple igitur modò iisdem omnes dies nostros, omnes horas nostras, omnia momenta nostra, ut omnia ita tuâ plena sint gloriâ, sicut bonâ sorte ac felicitate nostra.

Deus magis desiderat nobis dare, quàm desiderem9 accipere.

Nos concipimus hæc vota, nobisque persuademus; quod si DEUS tantum haberet desiderium exhibendi nobis misericordiam, nobisque suas dispertiendi gratias, quantum nos habemus easdem recipiendi, cuncti evaderemus Sancti. Sed Eheu! potiùs accidit oppositum: Nam si vel minimam haberemus partem desiderii, quod ardet in corde Dei pro nostra sanctificatione omnes homines Seraphini forent in amore, omnisque terra evaderet cœlum. Sanctus Augustinus considerans, quem misericordiæ excessum commiserit DEUS in favorem peccatorum, quando descendit in propria Persona quæsitum illos in terram, quando exinanivit se pro illis, sacrificavit se pro illis, & perdidit, si ita loqui licet, semetipsum, ut salvaret illos omnes, ipsum his alloquitur verbis, quæ gratitudinis affectus, magis è corde ipsius expressit, quàm ore: O bone DEUS! quantum amorem, quàm ardens desiderium salvandi animam meam ostendisti mihi! Eram perditus, longè recesseram â te, memetipsum reddidi mancipium peccati: Tu in propria venisti Persona, ut me redimeres; tu eòusque amâsti me, ut dederis proprium sanguinem tuum pro me: *Dilexisti me, Domine, plus quàm te, quia mori voluisti pro me.* Denique luculenter video, quod amaveris me plus quàm te, cùm morti consecrare pro me volueris te.

S. August. Soliloq. c. 13.

Deus sitit nostram salutem.

Verum est, fecit, id pro Sancto Augustino, fecit id etiam pro quolibet è nobis in particulari, cùm articul9 sit fidei, quod mortuus sit pro omnibus in cruce: Exarsit ipse ardente hâc siti, per totum decursum vitæ suæ; divinus suus amor tanto succendit ipsum misericordiam nobis exhibendi desiderio, ut singulis momentis vitæ suæ moreretur, quia non moriebatur: *Quomodo*

Luc. 12. *do coarctor, usque dum perficiatur?* Er tandem exspirans in cruce, dum dixit *Sitio*, declarare nobis voluit, ardentis hujus sitis ignem sibi conciliare & accelerare mortem. Post hæc, quis dicere audeat, desiderium ipsius exhibendi nobis misericordiam, non esse infinitâ ratione majus illo, quod habere nos possumus eandem recipiendi?

Exemplum insigne misericordiæ DEI.

Ah! quot capimus experimenta Bonitatis DEI erga maximos peccatores, ut videatur quodammodo misericordiam ejus voluisse salvare ipsos, invitis & reluctantibus ipsis? observavi exemplum omninò stupendum in vitis Patrum, relatum à Rosweido. Eremita quidam diuturno tempore fortissimâ ac molestissimâ tentatione vexatus, ut carnis illecebras, quibus renuntiârat, sectaretur denuò, tandem succubuit, & relicto deserto remeavit in sæculum. Non diu hîc existens, visâ filiâ sacrificolæ cujusdam, quia sibi placuit, amore ejusdem exarsit, eámque à Patre sibi sponsam expetiit. Consulebat Pater idolum, quod adorabat velut Deum suum: Quid mihi faciendum? Et diabolus respondet per idolum: Ipse est Christianus & Eremita, ne des illi Filiam, priusquàm renuntiet DEO suo, Baptismo suo, Religioni suæ, & Professioni Monachatûs sui. Sed

Heribert. Rosweid. l. 5.

an putas ipsum id facere velle? Videbis ipsum vehementi desiderio excœcatum, facturum, si volueris, adhuc plura. Accedens igitur hunc miserum, proponit ipsi hanc conditionem, quæ horrorem incuteret ipsi diabolo, qui eam suggesserat; & ipse abs ullâ tergiversatione renuntiat DEO, Baptismo suo, Religioni suæ, omnibus.

Sacrificola revertitur ad idolum suum: fecit omnia, quæ volui. Haud refert, respondet dæmon, ne des illi Filiam: quamvis enim ipse renuntiaverit Deo suo; Deus tamen nondum vult deserere ipsum, sed præparat ipsi adhuc misericordiam. Affert is responsum huic proco, aitq; illi. Optimè tecum contentus sum, sed tibi filiam meam dare non possum, quia Deus tuus nondum te deseruit, sed semper tibi adest, & adjuvat te. Ad hæc verba miser Eremicola revertitur in seipsum, tangente DEO ipsius cor, ipsique aperiente oculos ad intuendum horrorem ac abominationem status sui, ac deducendum quàmprimùm exin torrentem lachrymarum; hinc sublatis in cœlum manibus inquit: Itáne, mi DEus, in medio maximorum criminum meorum, mihi adhuc tuam offers misericordiam! pessimus eram ac sceleratissimus renuntiando tibi; & tu tam bonus es,

ut me requiras, mihi blandiaris, tuis me compleas favoribus! O mi DEUS misericordia mea, quanta bonitatis est hæc abundantia! Perire volebam, & tu nolebas; promerebar, ut infernus se aperiret sub pedibus meis, ad devorandum me vivum, & Tu aperis cœlum, ut depluas mihi diluvium gratiarum, & quidem tunc, cùm maximâ te onerarem injuriâ.

Quò abieras cor meum? An igitur deserueras me? Quid cogitabas anima mea? An cœca fueras vel insensata? Ut quid dolore non disrumperis pectus meum? ut quid in mille partes non discindimini viscera mea? Itane? volebam esse miser, & tu reluctante ac invitâ malitiâ meâ me vis esse beatum, O misericordia infinita! Præcipitabam memetipsum in infernum, & tu recepisti me in manus tuas, meam ut impedires ruinam! Tu deserere me non vis, & ego deserere te volebam. Non, mi DEUS, non, haud deseram te unquam; non, mi JESU, amabilis mi JESU, misericordissime Salvator mi, nunquàm te deseram, gratiarum tuarum suffragante mihi auxilio: Remeo ad meæ locum pœnitentiæ, prosequar illam, sed incessanter geminando eandem, usque ad extremum halitum vitæ meæ.

Integra ejusmodi exemplis referta prostant volumina, in quibus videtur, DEUM se sæpiùs tam divitem in misericordiâ demonstrasse ergà peccatores maximos, ut quosdam eorum retraxerit, qui jam appropinquaverant illuc, ab ipsis inferni portis, ut converterit alios jamjam in ultimo maximarum suarum abominationũ barathro submersos; ut dederit pluribus in ultimo vitæ suæ momento constitutis gratiam tam efficacem, ut peractâ totâ in sceleribus vitâ, illam tandem finiêrint in justitiâ, cœlumque obtinuerint; ut quandóque eripuerit alios è possessione ac potestate diaboli, cui se voluntariè per chirographum sanguine suo exaratum mancipaverant totos. Post tanta Bonitatis Dei experimenta, tantamq; certitudinem, quod misericordiæ ejus infinitâ ratione sint infinitæ, quódque ipsa nullos statuat terminos desiderio, quô ardet, nos è nostris extrahendi miseriis: ubi tam desperatus peccator est, tam perditus, tamque profundo criminum suorum barathro absorptus, qui non debeat ad ipsam extendere & attollere manus, & ipsius confidere clementiæ se ab ipsâ non fore repellendum.

dum. Sed quamvis totaliter in ipsa sit confidendum, temerariè tamen præsumere non oportet; Nam qui inniti se putaret fiduciæ in misericordiis Dei fundatæ, ad prosequendos vitæ suæ errores, salutem suam extremo committeret periculo, uti videbitis.

ARGUMENTUM.

Quod maximum sit crimen, malum esse, quia DEus bonus est, sicut & certitudine, quod Misericordiæ ipsius infinitæ sint, uti ad liberius & insolentius ipsum offendendum.

ARTICULUS IV.

Aspectus misericordiæ plures damnat, quàm aspectus justitiæ.

TErrores Justitiæ DEI comminantes omnibus peccatoribus infernum, neminem quasi in hunc adducunt, nisi eos, qui hos cœca quadam contemnunt proterviâ, vel illos, qui nimium velut mala inevitabilia hos metuendo præcipites se dant in desperationem, velut alter Cain vel Judas, qui minorem criminibus suis crediderunt misericordiam DEI. De cœtero, justitia divina ostendens omnibus peccatoribus flammas inferni, innumeros inde retrahit, qui illuc corruissent, nisi hæc illis minas intentasset: *Minatur gehennam, ne in gehennam mittat.* Sed fortassis dulcedo misericordiæ DEI, quæ remissionem peccatorum & vitam æternam promittit hominibus, per accidens magnum illorum numerum mittit ad inferos, tunc nempe, quando pro eo, quod bonitatis illius suavitate moveri ac flecti se sinant, pro eo, quod quantocyùs se convertant, potiùs exin fabricentur sibi fulcrum, certámque securitatem, ad perseverandum diutiùs in peccato suo. Quantos namque reperire est, qui dicant intra semetipsos: Deus est bonus, haud fecit nos, ut perdat nos, nostram verâ voluntate vult salutem, & seriùs aut citiùs nos diriget illuc. Nonne, scriptum est, infinitam ipsius misericordiam nullo non tempore è vestigiis nos prosequi, usque ad ultimum vitæ nostræ diem, abs eo, quod unquam nos deserat, modò tandem cedamus ipsi? modò id ultimo fiat momento, abundè jam sufficit. Fruamur vita, quoad hæc durat, & quando placuerit DEO illam reposcere à nobis, consignabimus animas nostras in manu misericordiæ ejus, quę semper parata erit ad recipiẽdũ ipsas.

Dico nimiam hanc in misericordiam DEI confidentiam, cùm vera sit præsumptio, enor-

Malitia peccatoris oppugnat, & transcendere vult bonitatem DEI.

me esse crimen, quod innumeris certum afferat interitum, eò quod manifestè innuat contemptum DEI, & magnam in peccatum propensionem. Itane misericordia ipsius tibi aperit brachia, tibi suas offert gratias, téque certum facit, quod semper parata sit tibi tua condonare peccata, ut pro eo, quod illius dulcedine capiaris, novam inde capias ansam nova committendi peccata, quasi consultò velles illudere illi? Itáne illa non cessat amicissimè te invitare, te sequi ubique, te anxiè comitari, contenditque persuadere tibi, ut deseras peccatum; ut propter hoc ipsum detestandam concipias confidentiam magis illud amplexandi? Siccine contemptim amoris ipsius intimi insultas affectui? siccine maximam Bonitatis DEI, majore malitiâ transcendis abundantiam?

Discursus execrabilis

In quâ classe & sub quo Magistro didicisti hanc discurrendi rationem: Deus bonus est; certus sum, habere ipsum cor amoris plenum ergà me; Ergò absmetu ipsum offendere possum: Ipsius misericordia est infinita, & nunquam non mea mihi peccata condonare parata; ergò illa, quantum voluero, multiplicare mihi licet: Ipse est mortuus pro salute mea, & inexhaustum gratiarum thesaurum servat semper mihi præparatum; Ergò non est, quod agam, nisi quod enormissima quæque committam crimina, quæ se meis præsentabunt conspectibus; ipsius bonitas semper major erit ad illa mihi condonanda, quàm mea esse possit malitia ad illa committenda: Ipsius misericordia ubique me è vestigio sequitur, abs eo, quod unquam me deserat, usque ad extremum vitæ meæ halitum; ergò despicatui mihi habenda est, & fugiendum ab illâ, cùm certus sim, illam non permissuram, me perire. Nonne hoc est, in profundissimo cœcitatis barathro hærere absorptum, in sensum cecidisse reprobum, & in malitiâ magis horrendâ, quàm illa sit dæmonum, esse induratum, ut amplius horrori non habeat discursum tam execrandum?

Dæmones abhorrent à discursu peccatoris.

Dubio procul: siquidem dæmones ipsi & omnes damnati, qui sunt in inferno, quorumque malitia, contemptus & odium DEI confirmata sunt in æternum, non auderent, quantumvis pessimi, suo permittere intellectui, ut ejusmodi formet discursum, dicent quidem: nolo me convertere ad Deum, nec illi servire, nec illum amare, quia mihi severus est, quia non nisi odio me habet, sed nunquam dicent: Nolo me consecrare DEO, nec fideli ipsius servitio, quia bonus est, quia cor gerit amo-

amoris plenum ergà me. Et quando tu abominabilem hunc efformas discursum, quem ipsi formare non auderent, ex eo toti obruuntur horrore. Dicent quidem: Nolo dimittere peccata mea, quia Deus nil amplius misericordiæ habet ergà me, quia decrevit nunquam in æternum remittere mihi illa; sed nunquã dicent: confidenter perseverabo in peccatis meis, quia Misericordia DEI est infinita, quia nunquam non se offert mihi, ac semper mihi condonare parata, mihi parcere expedita. Quando te ita discurrentem inaudiunt, ipsorum congeminas rabiem, & si DEUS illis permitteret, ex irâ justâ discerperent te in frusta. Ah! infelix, si haberemus adhuc unicum solum pretiosæ hujus misericordiæ momentum, quam tu adeò indignum in modum contemnis!

Dicent ipsi quidem: Nolo unquam cessare, quin me opponam DEO, nunquam non persistam in criminibus nefandissimis, quæ patravi; quia DEUS nullam mihi largitur gratiam, ut inde exeam, & quia infinitus Thesaurus Passionis ejus, ita absolutè & totaliter est occlusus pro me, ut nullam unquam illius habiturus sim partem. Verùm dicere abhorrebunt: Non desistam multiplicare peccata mea, quantum voluero, méque liberrimè abominandis devovere vitiis, quia DEus copiosam mihi offert gratiam, ut inde me retrahat; quia infiniti thesauri meritorum Redemptoris mei, qui mortuus est pro me, méque propriâ suâ plus amat vitâ, semper aperti sunt, ad ditandum me gratiis ac meritis suis. Discursus hic, quem facere præsumis, tam monstruosus est & execrandus, ut damnati ipsi illum facere non auderent. Dicent quidem ipsi: nunquam non fugiam, velut Cain, â facie DEI, nunquam amplius reversurus ad ipsum, quia nunquam non armatâ ultione & implacabili furore manu me ipsius persequitur justitia; sed non dicent unquam: affectuosissimè ipsius me invitat misericordia, méque semper pressis sequitur vestigiis, ad solicitandum me, ut consentiam ac sinam, quatenus me meis eximat ac exuat miseriis; Ergò non est, quod agam, nisi habere ipsam despectui, & fuga me proripere ab ipsa, cùm certus sim, ipsam tantæ ergà me bonitatis esse, ut finalem meum interitum permissura sit nunquam. Prô quàm cavebunt, ne sic loquantur. Ad formandum ejusmodi discursum, in quo vos fundatis, ad perseverandum detestabili cum confidentiâ in peccatis vestris, requiritur malitia, quæ deterior sit illa tum diabolorum,

lorum, tum damnatorum omnium in inferno.

Reddunt misericordiam DEI complicem suorum peccatorum.

Quam posses injuriam majorem inferre Deo, quàm uti ipsius bonitate ad stabilendam tuam malitiam? quàm immutare ratione hâc naturam rerum, ut pro eo, quod misericordia infinita DEI feratur essentialiter eò, ut destruere velit peccatum in te, ad stabiliendam ibidem gratiam, tu ipsam servire facias contra naturam suam, ad melius stabiliendum in te peccatum, ad fovendum & multiplicandum illud, ad perseverandum in eo semper abs timore, dum nimirum intra temetipsum dicis: peccemus audacter, quia misericordia DEI infinita est, defendet nos ipsa semper à suppliciis justitiæ; haud difficulter peccemus, semper ipsa nostram aget causam contra seipsam. Quid hoc est aliud, nisi velle Misericordiam DEI facere complicem peccatorum tuorum? Sanctus Clemens Papa, qui exaratas nobis reliquit constitutiones, quas Apostoli pro universali formârunt Ecclesia, horrendam hâc super re recenset sententiam, quam ex proprio ore horum fidei oraculorum intellexerat: *Si quis de industriâ peccet, tentans DEUM, quasi non ulciscentem mala; is remissionem non consequitur, quamvis secum ipse dicat: Sis mihi propitius DEUS.* Et Albertus Magnus pro certo tenet, nimiam hanc confidentiam in misericordiam DEI, quæ præbet libertatem animæ semper perseverandi in peccatis suis; vel potiùs criminosam hanc præsumptionem, quod DEus semper nobis plura indulturus sit peccata, quàm nos patrare poterimus, esse peccatum contra Spiritum Sanctum, quod absolutè est irremisibile; Cum Sacer Codex expressè dicat, quod non remittendum sit neque in hoc, neque in futuro sæculo. *Confidentia de DEI Misericordia, quod quando pœnituerit, ipsum recipiet, est peccatum in Spiritum Sanctum.* Et tu credideris, tam ingens non esse periculum, inniti hâc ratione confidentiæ in misericordiam DEI, ad perseverandum semper in peccatis tuis.

lib. 2, c. 27.

Peccatum contra Spiritum Sanctum irremissibile Albert. in Comp. Theol.

Probè novi, mi DEUS, dicebat Sanctus Hieronymus in quadam Epistolâ, probè novi, misericordiam tuam esse infinitam; Et hoc ipsum est, quod tremore me concutit. Magis quodammodò metuo magnitudinem misericordiæ tuæ, quàm tuæ magnitudinem Justitiæ: Nam si tuam offendi justitiam, refugium mihi erit ad tuam misericordiam, quæ aperiet mihi brachia, mihique pro tutissimo inserviet Asylo; sed si tuam offendo miseri-

Miser. cordia DEI est magis timenda, quam ipsius justitia.

misericordiam, si ipsam contemno, si ipsam fatigo, si ipsam adversùs me irrito, quis me defendet contra ipsam? ad quam alteram potero accedere aram, mea illic præsentaturus vota? Qui misericordiam offendit, ad quam aram se recipiet? Nonne hoc ipsam irritare est, ac ipsius adversum se exstimulare indignationem, intra seipsum dicere: Nondum tempus est me convertendi, quia, cùm misericordia DEI infinita sit, nullis arctatur limitibus, nec ex tempore, nec ex multitudine, nec ex magnitudine peccatorum; quemcunque illorum patravero numerum, & quamcúnque habere poterint enormitatem, ipsa semper parata erit illorum mihi indulgere veniam, quandocunque hanc venero postulatum: Verum est, quod vocet me, sed respondere ipsi non habeo cordi, vocare sino ipsam, quantum voluerit: Novi enim, quod cessatura non sit currere post me, méque vocatura semper; veniet aliquando dies, quo respondebo ipsi, dum nempe convertere me statuero mecum. Itáne sic luditur cum misericordiâ DEI, & gratiæ ipsius illudunturr?

Misericordia Dei contempta à peccatore.

Miseri, qui vocem ipsius audire negligitis, dum vocat vos, non contremiscitis, dum dicit vobis in sacro volumine: *Vocavi & renuistis, ego quoq; in interitu vestro ridebo vos, & subsannabo.* Si postquam vocaveram te centies millenis vicibus, nolueras unquam respondere mihi, an coquerendi habebis ansam, quando auscultare te recusavero aliquando? O Deus! quàm horroris & timoris plena sunt hæc verba! Quis unquam ausus fuisset hâc loqui ratione, nisi ipsemet Spiritus Sanctus propria hæc Verba inserere voluisset Sacræ Scripturæ, quod DEus exsibilet, illudat, irrideat, ipsius Misericordia subsannet peccatores in morte suâ, eòquod ipsi toto vitæ suæ tempore subsannaverint ac irriserint ipsum, nolentes unquam audire vocem ejus? & in quo consistit hæc DEI subsannatio ac irrisio, quæ verissima est, utpote Sacro Codici tam manifestè inserta? Non est subsannatio hæc visibilis & corporalis, sicut illa hominum. Sed ecce in quo consistat.

re tan[illegible] contemnie ipsum. Prov. 1.

Quid sit irrisio & subsañatio De

Homo ille, qui speciem semper præferebat timentis Deum, toto vitæ suæ tempore, non desistebat incessanter offendere ipsum; Interim levabat manus suas in cœlum, affirmans se omnia sperare â divina ipsius misericordia, cui tamen tantummodo illudebat: siquidem in suis semper perseverabat criminibus, nolens unquam acceptare oblatas sibi ab illa gratias, omniaque

procraſtinans in futurum, ſemet-ipſum animando dicebat: Firmiter confido, infinitam miſericordiam DEI remiſſuram mihi peccata mea; tandem enim convertam me, nec moriar in peccatis meis; verùm hæc erat illuſio, cùm id nunquam deduxerit in effectum. Tandem Miſericordia DEI tam diuturno tempore illuſa, & quaſi ſannis excepta ab hoc homine, permittit continuare ipſum ſubſannationem ac illuſionem ſuam usque ad extremum vitæ halitum. Dicet ſemper, quod ſemper dixit: Miſericordia DEI magna eſt, ſpero ab ipſa veniam, & peccata mea deſeram; & ſemper id dicens, ſuum nunquam deſeruit peccatum, & nunquam deſeret; Aliud non fecit tempore vitæ ſuæ, niſi quod illuſerit, & illudendo quóque morietur; vixit in peccatis ſuis contemnens miſericordiam DEI, & in peccatis ſuis morietur â miſericordia DEI contemptus.

Vanæ demonſtrationes peccatoris derelicti.

Verum tamen hæc non eſt ipſius intentio, non prætendit amplius illudere in fine, ſed maximè ſerio nunc agit animo, & ex ardentiſſimo cordis ſui affectu implorat miſericordiam DEI. Nonne cernis, quomodò ſuum percutiat pectus, quomodò ſua deteſtetur peccata? Nonne vides, oculos ipſius converſos in fontes lachrymarum? Nonne audis ipſum altâ conteſtantẽ voce, quod doleat, duxiſſe ſe ſemper in ſceleribus vitam? Nonne obſervas vocari ab ipſo confeſſarium, cui univerſaliter ſe accuſando aperiat cuncta, quæ ſua ſibi ſuggeſſerit memoria? Nonne tandem notas, quomodo ſibi curet afferri ſanctiſsimam Synaxin, quam tantâ recipiat devotione, ut mirum in modum omnes ædificet? O quantam ipſi præſtitit gratiam miſericordia DEI! Poſt vitam tam infelicem, tam fortunatâ ipſum beare vitæ metâ!

Horrenda infelicitas ejus, qui abutitur miſericordia DEI.

Quid inquis ad hæc, divina miſericordia? Itáne res habet, recepiſſe hunc hominem tuas in morte ſua gratias, poſtquam ſemper contempſit illas toto tempore vitæ ſuæ? Eſtne hic ludus & vana quædam repræſentatio? Eſtne illuſio aut res ſeria? Eſtne tandem vera aut ficta & imaginaria hæc converſio, cum omnibus, qnæ viſa ſunt in hoc homine. Jam ſupra nonne declaravi me, reſponderet tibi divina miſericordia? Nonne æternam effatus ſum veritatem in ſacris paginis: Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo. Quandoqnidem hic homo illuſit me toto vitæ ſuæ tempore, ego quóque illuſi ipſum in morte ſuâ; ipſe me facere permiſit omnia, quæcunque volebam, ut urgerem ipſum ad converten-

convertendum se,& nihili pependit illa; Et ego permisi ipsum facere omnia, quæcunque voluit, ut speciem alicujus præferret conversionis, & eadem nihili pependi. Infelix amice mi, omnia, quæ fecisti, non erant nisi ludus & merus jocus; pœnitere tuum non est supernaturalis quidam dolor, qui tuam operetur conversionem; non est nisi timor purè naturalis, qualis est ille alicujus bestiæ cultrum suo jugulo imminere videntis: Lachrymæ tuæ non sunt sanguis contriti ac humiliati cordis; sed imbecillitas amoris proprii, qualis illa fuerat Antiochi: confessio tua non est sincera, nec integra, siquidem nec centesimam agnoscis partem criminum tuorum ex sola culpa tua; Tu probè nosti, te nunquam cordi habuisse conscientiam tuam: tua tandem communio abominandum est sacrilegium, quæ tibi non profuit, nisi ad sigillandam & confirmandam damnationem tuam, proprio sanguine Redemptoris tui.

Nunc ergò vides, quid sit tam insolenter abuti Misericordiâ DEI; Jam sentis & ingenti tuo experiris damno, quid commiseris delicti, quando dicebas: Misericordia DEI est infinita, hinc audacter peccemus, nec timeamus, quod perire nos sit permissura. Nesciebas unquam magnam satis æstimationem de Misericordia DEI concipere in animo tuo; Hinc & nunquam sciebas sat magnum ergà illam amorem nutrire in corde tuo. Ah! quis dabit nobis gratiam incessanter contemplandi ipsius excellentias, ut ipsi nos totos devoveamus, ipsam adoremus, ipsam laudemus, ipsam amemus, & cantemus magnificentias ejus in sæcula æviterna. *Misericordias Domini in æternum cantabo.*

CONSULTATIO XXI.

De Patientia DEI.

An Patientia sit perfectio Dei.

AN perfectionibus Dei aggregemus longanimem hanc Patientiam, quam demonstrat supportando peccatorem in erroribus vitæ suæ? An perfectio sit DEO, à maligno homine tolerare omnia, abs eo, quod puniat ipsius crimina? Jam dudum Tertullianus dixit, quod videatur, Deum suâ patientiâ injuriosum sibi esse: *Suâ sibi patientiâ detrahit Deo.* Existimationē quodamodò con-

vellit ſuam, & ſpecietenus ſuam imminuit auctoritatem, dum adeò longam contemptuum ac injuriarum ſibi ab inſolente plaſmate ſuo factarum ſuſtinet ac tolerat ſeriem, abs eo, quod ullam in illas meditetur ultionem. Nonne enim timendum ſit, quod illud cum tempore ſibi perſuadeat plaſma, DEUM non eſſe, vel eſſe cœcum, aut ſurdum, vel omni penitus deſtitutum potentiâ ac ſenſu, dum ſic omnia contra ſe & coram oculis ſuis commiſſa perfert ac tolerat crimina. Quid perfectionis poterit in hoc obſervari? Potius hoc eſt plurium perfectionum divinarum offuſcare ſplendorem. Ubi namq; eſt Sapientia & Scientia ipſius infinita, ſi hominis iſtius per tot annos ab ipſo multiplicata non cognoſcat crimina? Vel ſi cognoſcat, ubi eſt juſtitia & ſanctitas ipſius, dum nunquam non tolerat illa, abs eo, quod unquam mulctare velit? nonne quodammodò hoc ſit approbare illa? Si punire illa velit, ubi infinita ipſius eſt potentia, ad ultionem de iis ſumendam? ubi eſt tandem zelus gloriæ ſuæ, ſi conſervare hanc negligat. Non videtur patientia illud diffundere jubar, quo reſulgent aliæ ipſius adorandæ perfectiones, infinitas divinitatis ſuæ excellentias luculenter divulgantes. Videtur igitur Africanum illud doctrinæ prodigium meritò dixiſſe, DEUM ſuâ ſibi patientiâ injurioſum eſſe: *Suâ ſibi patientiâ detrahit DEus.*

Patientia Dei eſt perfectio proſus ſtupenda.

Sed reverà tenendum eſt oppoſitum: Nam ex omnibus perfectionibus DEI vix unica ſola magis incomprehenſibilis videtur ipſius patientiâ. Verum eſt, miſericordiam ipſius eſſe ſuper omnia opera ejus, ſed patientia illius tranſcendit quoque ipſius miſericordiam. Quare? quia una condonat peccata, altera ſuffert & ſupportat illa. Confer unum cum altero, & videbis ultimum magis ſtupendum eſſe primo. Admiror quidem, miſericordiam DEI condonare peccata hominibus, qui ſe convertunt; Sed video hic aliquid, quo alliciatur ad condonandum illis: Peccator dolet & odit peccatum ſuum, flecti ac moveri ſe ſinit gratiarum cœleſtium impulſu, & Bonitas Dei unica è palpebris ejus delapſâ lachrymulâ ſibi ſatisfactum credit, Parum hoc eſt, videtur nobis, nobis qui neſcimus ipſius valorem; ſed DEus, qui aſpicit hanc lachrymam velut afflicti cordis ſanguinem, quem dolor de peccatis ſuis ex ipſius expreſſit oculis, tanti æſtimat ipſam, ut lubens in permutationem det ſanguinem venarum ſuarum, ad perſanandas animæ hujus plagas.

Fateor

Quod Deus supportet peccatorem, est prodigium

Fateor quidem hanc divinæ misericordiæ abundantiam admirabilem prorsus esse; sed quando Patientia ipsius longo supportat tempore peccatorem in protervâ suâ malitiâ obduratum, qui abs intermissione sua multiplicet crimina, qui continuò ipsius vilipendat gratias, quique incessanter de novo justam ipsius provocet iracundiam. O DEUS! quis comprehendat, ubi vel quæ sit potentia, quæ omnipotens ipsius teneat & retineat brachium? ubi est tam fortis ac robustus agger ad retinendum torrentem odii infiniti, quo fertur in peccatum? Nam si peccator repellet misericordiam, nonne necesse est, ut in manus cadat justitiæ DEI sui? si non acceptet veniam, nonne est opus recipere pœnam? si non salvetur amore, nonne perire oportet odio? Verum tamen obduratus peccator nec unum, nec alterum experitur in personâ suâ; nec peccata ipsius remittuntur, nec peccata ipsius puniuntur. Unde venit hoc? Tu dicis: Hunc esse triumphum Patientiæ DEI super malitiam ejus. Sed quanta esse potest magnitudo patientiæ eùsque pertingentis?

Quomodo peccatum excreat patientiam DEI.

Experimur in nobismetipsis malum, quod toleramus exercere nostram patientiam, etiamsi leve sit & parvum; si magnum sit malum, defatigat nostram patientiam: Si malum sit maximum, prosternit; & si perseverat, ita, ut semper augeatur, non est patientia, quæ non periclitetur, quæ non cedat, quæ sub onere non deficiat. Jam probè novimus, unicum malum, quod DEUM exercere potest, esse peccatum. Unicum solum peccatum est malum infinitum, quia opponitur conitati infinitæ DEI; videtur igitur ipsum sufficere solum ad exhauriendam totam patientiam infinitam DEI. Interim video duo peccata, hæc sunt duo mala infinita: Video decem peccata, hæc sunt decem mala infinita: video centum peccata, hæc ergò sunt centum mala infinita, & quot sunt peccata, tot mala sunt infinita, quæ DEUS tolerat â malitia istius hominis; Et tamen patientia ipsius inconcussa manet ac impenetrabilis. Quanta debet esse magnitudo & robur ipsius? Si non esset infinitâ ratione infinita, quomodò sufficeret ad supportandum semper tam ingentem numerum infinitorum malorum? O Patientia DEI mei, quàm es incomprehensibilis!

Argumentum & divisio consultationis.

Eheu! sæpius usu venit, longam hanc patientiam DEI præbere ansam maximis peccatoribus, sceleratam concipiendi fiduciam, quæ indormiscere illos faciat in peccatis suis. Sed si attentè consideretur, non est

motivum magis efficax ad incutiendum illis horrorem, quo abominentur & detestentur peccata sua, nec non reducendum ipsius quantocyùs ad DEUM: Ipsa enim mirum in modum ostendit & manifestat horrendam peccati enormitatem, magnam bonitatis DEI abundantiam, & maximum periculum animarum, quæ longo tempore perseverant in peccato.

Bonus quidam Pastor, vigilantissimus super custodia gregis sui sat magni, sibi â providentia DEI commissi, probè agnoscens obligationem suam reddendi DEO rationem de omnibus animabus, quas aspiciebat velut chara spolia passionis Redemptoris sui, insatigabili zelo ipsarum invigilabat saluti: sed tantum non intuebatur laboris sui fructum, quantum ferventissima ipsius exoptaverat charitas. Habebat inter alios peccatorem inveteratum, tam induratum in perversitate vitæ suæ, tamque factum insensibilem, ut illum nunquam flectere aut movere potuerit omnibus suis affectuosis exhortationibus, quas faciebat è pulpito. Statuit igitur in illius sese conferre ædes, ipsumque urgere consideratione magnæ hujus patientiæ DEI, quâ tanto jam tempore abutebatur. Fecit id tam efficacibus cum argumentis, tamque felici successu, ut ipsum tandem Deo fuerit lucratus. Ipsorum consultatio ejusmodi tenoris fuit,

ARGUMENTUM.

1. Nihil melius ostendit magnitudinem peccati, quàm longa patientia DEI in illo supportando.

2. Ipse plus sustinet ex uno peccato diuturno tempore continuato, quàm sustinuerit in monte Calvariæ.

Peccator est ægrotus fugiens remedium.

NOn sunt ejusdem rationis mala animæ, cujus sunt illa Corporum. Is, qui patitur in corpore, non majori perfunditur gaudio, quàm si liceat sibi suum præsentem cernere medicum: Ille, qui patitur in animâ, nil sæpiùs abhorret magis, quàm præsentiam ejus, qui possit illum sanare. Inveteratus hic ægrotus, qui circumferebat animam ferè mortuam ex diuturnitate & multitudine morborum suorum spiritualium, videns Pastorem suum visitatum se venisse, non malè judicabat, parata sibi illum afferre remedia, quæ sibi parùm futura erant accepta: non intermisit tamen ipsum omni cum humanitate, & maximâ excipere benevolentiâ, & depositâ utrinque primâ

mâ salute, vultu ad omnem hilaritatem compositio dixit ipsi: Nonne huc venis in domum meam ad persequendum me, postquàm tam longo tempore è suggestu me sugillâsti in omnibus tuis Concionibus; neminem enim ad hoc præter me solum habere videris. Indies dicentem te audio mira de magnitudine DEI, & non levi timore percellere nos putas, dum nobis inquis, offendere nos illum sedentem in throno Majestatis suæ: Prô quàm miseri, quàm parvuli terræ homunculi sumus! omnipotentem hunc, qui offendamus? Ipse in cœlo est, gloriæ suæ fruens deliciis, quæ parvis nostris non perturbantur malis. An persuadere mihi voles, ipsum, qui occupatus est semetipso & excellentiis suis, nostris occupari velle crepundiis, quæ nullius omninò sunt ponderis? An ignoramus, divinitatem immortalem esse, & invulnerabilem? Si Deus offendi aut vulnerari posset ab omnibus peccatis, quæ commissa sunt ab hominibus in universo mundo, jam dudum non amplius esset DEus.

DEUS assumpsit corpus, ut offenderet, quantum offendatur à peccato.

Haud obscurè video, mi frater, respondet ipsi Pastor, cor suum commotum sentiens maximâ ergà cœcitatem ipsius compassione; Probè adverto, quod non credas, offendere te Deum tam crudeliter, uti facis: Non enim potuisses te resolvere ad perseverandum tam diu in offendendo ipsum, sicut fecisti hactenùs. Verum quidem dicis, divinitatem ipsius immortalem esse, ac invulnerabilem; sed ut propriis oculis nostris corporeis demonstraret, quàm sævè â peccatis nostris se offensum credat, sensibilem se, palpabilem ac visibilem reddere voluit. Probè nôsti, divinitatem absconditam esse sub sancta humanitate salvatoris tui; Ipse verè homo, & verè Deus tuus est: Oculi tui corporales vident humanitatẽ ejus, de hoc dubitare non potes; & oculi fidei tuæ vident quóque divinitatem ejus, dequo minùs dubitare licet: Fides enim infinito modo certior est sensibus nostris. Ipsemet vide, quomodò hic Deus-homo visibiliter tractatus sit â peccatis nostris supra Golgothæum verticem, & cognosce ex hoc injurias, quibus proscindunt divinitatem ejus inviſibiliter.

Quomodo peccatum tractaverit Christum JEsum in cruce.

Ah! non amplius difficulter credo, quod peccatum meum modo infinitâ ratione indigno tractet, & excipiat DEUM in throno Majestatis suæ, dum video, quàm barbarâ crudelitate in Throno Crucis suæ id tractet ipsum. Video, quod ipsum obruat injuriis; video, quod ipsum dilaniet virgis; video, quod ipsũ perforet spinis; video, quod ipsũ repleat plagis ac vulneribus; video, quod ipsum crudeliter torque-

queat, ipsum crucifigat, ipsum manibus pedibusque pertusis infami appendat ligno, & tandem ipsi cum sanguine eruat vitam.

Videte oculi mei injuriam, quâ peccatum meum afficit DEUM invisibiliter in divinitate ipsius, per enormem illam sævitiem, quâ vel maximè visibiliter torquet ipsum in Humanitate ejus. Videte an exerceat, an fatiget Patientiam ipsius, an Patientia alia, quàm illâ DEI sit idonea ad tolerandam crudelitatem tam barbaram, qualem hæc tolerat â peccatis nostris.

Peccatum demolitur templum Sanctitatis humanæ. Ezech. 8.

Vade in templum, mi Vates, inquit DEUS Ezechieli; hic locus Sanctissimus est in universâ terrâ: Vade & fode parietem, & vide per foramen istud abominationes pessimas, quas isti faciunt hic. Sanctissima Humanitas Christi JESU adorandum divinitatis est templum, ubi videre licet abominandam enormitatem peccata, & sævas infinitâ ratione injurias, quæ inferuntur divinitati; inspicere solummodò oportet foramina, ruinas, & universalem demolitionem sacratissimi templi hujus; ipsius pedes, ipsius manus, ipsius caput, ipsius latus, omnia sunt perforata, omnia destructa in augusto hoc templo: Spectaculum hoc fuit adeò horrendum, ut tota exin natura fuerit concussa, præ horrore tremuerit terra, fremuerit præ pavore cœlum, sol absconderit se præ pudore, sciſſæ sint petræ præ dolore, omnes creaturæ induerint se luctu, dæmones ipsi, & totus infernus fuerit expavefactus, facturæ omnes lugubri voce & totæ lachrymis perfusæ se effuderint in threnos & planctus exclamando: Quàm monstrum horribile est peccatum, dum ita tractare non abhorruit ipsum DEUM! & tu dicas adhuc omnipotentem hunc offendi non posse â peccatis hominum?

Et nihilominus verum est, ipsum non hic maximas, sed majores alibi recepisse injurias. Tu id nôsti, Domine, tu id nôsti, quantò incomparabiliter majori contumelia, magisq; indignè tractatus fueris alibi, quàm in monte Calvariæ. Ubi ergò omnium maximas toleravit, omnium gravissimas supportavit offensas? An audire id poteris, mi Frater? Et si audias, an poteris credere? Et si credas, an possibile est, quin moriaris præ dolore, præ pudore, & præ timore? Penes te ipsum est, in corde tuo est, quando committis unicum peccatum mortale; Hìc, hìc infinita Patientia DEI cunctis suis indiget viribus ad supportandam crudelitatem, quâ sævis in illum. Imò, verisimum est hoc, juxta litteram, non est hæc simplex meditatio, non est exaggeratio, est

JEsus Christus plura sustinet à peccatore, quàm in monte Calvariæ.

est positiva veritas, quam fides nos docet, & magnus Apostolus Paulus hoc Spiritûs Sancti instrumentum verbis expressis exaratam nobis reliquit, pro totius Ecclesiæ informatione, & omnium sæculorum terrore: *Rursum crucifigentes Filium DEI, & ostentui habentes.* Quando committis peccatum lethale, denuò crucifigis JEsum Christum in te ipso, ipsumque habes ludibrio

Heb. 6.

Imponamus Silentium hìc omni humani intellectûs discursui, seponamus sensuum nostrorum experimenta, audiamus id, quod fides nos docet. Verum est, non cernere me oculis meis corporalibus, quod iterum crucifigam CHRISTUM JESUM in me ipso tunc, quando peccatum mortale committo. Fateor, non comprehendere me per lumen rationis meæ naturalis, quod hoc sit verum: Haud novi, quâ ratione id fiat, nec explicare id possem, sed benè novi, quod res sit verissima, cùm sacræ paginæ luculentis verbis id nobis contestentur, in Sexto Epistolæ ad Hebræos capite. Rursum crucifigentes sibimet Filium DEI; & idipsum repetant in Epistola ad Galatas, ubi Sanctus Paulus illos arguit, quod proscripserint CHRISTUM JESUM, illumque crucifixerint in seipsis: *Et in vobis crucifixus.* Colloco igitur grandem hanc & magni ponderis veritatem inter articulos fidei meæ, eòquod purum sit Verbum Dei; nec magis credo, ipsum crucifixum esse per manus Satellitum in monte Calvariæ, quàm credam, ipsum de novo crucifigi in corde malorum Christianorum, quando peccati mortalis se faciunt reos. Aspice ergò modò, mi frater, quantâ crudelitate exceperis hùc usque JEsum Christum DEum tuum, & amabilem Redemptorem tuum: Excepisti eum, sicut exceptus fuit in passione suâ; flagellasti igitur ipsum de novo, clavis perforâsti manus ac pedes ipsius, pungenti vepreto cruentâsti iterum ipsius verticem, vitâque exspoliâsti ipsum ac denuò ipsius Sanguinem effudisti: Crede quoad hoc non tuis sensibus, nec tuæ rationi; sed crede fidei crede Deo ipsi, qui expressis id tibi terminis affirmavit: Rursum crucifigentes sibimet Filium DEI. Si horrorem tibi pariunt perfidi Judæi, qui nefandum hoc Deicidium patrare non sunt veriti, abhorre ergò temetipsum, qui tam ingentis abominationis te fecisti participem.

Requiritur hic fides, non sensus, nec ratio.

Sed utinam, mi Christiane, non crucifixisses JEsum Christum modò magis perversò, quàm fecerint Judæi! Audi, in quo magis perversus sis, & benè id capies, eritque impossibile, quin totus obruaris pavore. In pri-

Peccator Christianus crucifigit Christum JEsum crudelius Judæis

Galat. 3.

primis Judæi crucifixerunt ipsum, abs eo, quod ipsum agnoverint: Nunquam enim ausi fuissent ejusmodi attentare crimen, si constitissset ipsis, hunc suum esse DEUM. Christiane tu crucifixisti ipsum, probè ipsum cognoscens: tu firmâ credis fide, ipsum esse DEUM tuum; tu speciem refers, quasi adores ipsum, & crucifigis cum in corde tuo. Secundò Judæi in crucem egerunt illum illum, juratos sese declarando ipsius hostes; sed tu Christiane, tu crucis ipsum agis in lignum, profitendo, te ipsius esse amicum, ipsius discipulum, ipsius famulum, proprium ipsius Filium. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; Tu verò homo unanimis.* Quod inimici mei tantâ in me debacchati sint sævitie; patientia! erant inimici mei; sed tu Christiane, qui meus es Filius, quem propriâ meâ nutrivi carnis substantiâ; Ah quantò magis dolent vulnera, â manu amici inflicta! Tertiò non crucifixerunt ipsum Judæi, nisi unicâ tantùm vice; sed tu, Christiane, toties ipsum crucifixisti, quoties noxam lethalem commisisti. Mitte in numerum peccata tua; commisisti illorum decem viginti, quinquaginta, centum; certus est, & velut fidei articulum tene, quod toties realiter & crudeliter crucifixeris ipsum in te ipso: Verum igitur est, offensas Deo â te per peccata tua factas, majores esse illis Judæorum, quando crucifixerunt ipsum in monte Calvariæ.

Psal. 45.

Nonne fateberis mihi, si oculi tui testes forent, si manus tuæ palparent tantam abominationem, vel ratio tua humana id clarè comprehenderet, impossibile fore, quin vehemntissimo tangereris dolore, quamvis durissima ceu ære fusa tibi foret anima? Ah! unde est, quod fides, quæ infinitâ ratione certior est & tuis sensibus, & ratione tuâ humanâ, de veritate hâc assecurans te verbis adeò expressis: *Rursus crucifigentes sibimet Filium DEI*; tam parum apud te inveniat fidei, ut ita permaneas insensibilis, quasi id foret mera imaginatio? an igitur magis sit opus urgere te, tibique manibus palpandam præbere veritatem maximè luculentem, sed tam stupendam, ut, si cor tuum non sit durius marmore, dolore id scindi debeat, quod tempore tam longo in tuis perseveraveris peccatis.

Qui non movetur, non habet fidem.

Nonsufficit dicere, quod iterum crucifigas Christum JEsum intemetipso, quoties peccas; sed etiam quando voluntariè in malè sanâ tuâ conscientiâ foves & conservas peccatum. Pro quantum obominationes tuæ plus ultra adhuc procedunt absque com-

Peccatum conservatum in anima, est pervus omnifex Christi JESU.

comparatione! Eccur hoc? quia, cùm verum sit, quod peccatum sit carnifex ipsum crucifigens, quamdiu hic Carnifex actualiter vivit in anima tua, crudelitas etiam, quam exercet, actualiter semper perdurat, ita ut semper crucifigat Christum JEsum, sicut in primo momento, quo id incepit. Hoc igitur est, semper habere virgas in manibus ad ipsum flagellandum; Hoc igitur est semper clavos & malleum tenere in manu ad perforandos ipsius pedes & manus; Hoc igitur est, spineam coronam nunquam non ipsius implectere capiti, ad ipsum vulnerandum; Hoc igitur est, lanceam semper habere infixam in ipsius latus, ad transverberandum cor ejus, furibundi hostis in morem, qui non contentus suum mactasse hostem, actualiter semper pugionem infixum tenet in ipsius sinu, per diem, per mensem, per integrum annum, abs eo, quod rabiem suam tam diuturno tempore valeat satiare. Hæc crudelitatis tam desperatæ continuatio, quæ toti naturæ incuteret horrorem, nonne morte ipsâ magis foret obominanda? Et ita feciſti, mi frater, dum voluntariè foviſti & alicuiſti peccatum in animâ tuâ per ſeptimanas, per menſes, per annos integros. Eheu! Tu nôſti, quot & quantos per annos.

Maximum est malum committere peccatum, sed hoc non semper obstirmatam habet malitiam: quandóque obcœcata passio, aliàs vehemens tentatio urget & solicitat tam potenter, ut ex imbecillitate se quis sinat illuc abripi: Sæpius occasio præsens tantâ facilitate promovet ad malum, ut ex fragilitate quis labatur & corruat in illud. Verum est, omnia hæc ex toto haud excausare peccatum; sed exinde videtur multò levius, & minus indignum misericordiâ. Sed quando passione sedatâ, tentatione cessante, occasione non ampliùs præsente, aliquis sibi teddi-tus abominandum hoc peccati monstrum in suâ videt conscientiâ, & pro eo, quod inde concipiat horrorem, & quantocyus illud â se excutiat, id voluntariè fovet & conservat, non provocatus, non irritatus in eo perseverat, & ratione quâdam per novum assensum confirmat; nonne hoc sit pugionem semper infixum tenere in sinu Christi JEsu, & continuare Deicidium, quod peccarum hoc in anima vivens & regnans, committit semper actualiter, quamdiu is in suâ perdurat malitiâ, sævitie execrandâ, quæ horrore percellat ipsos quóque dæmones.

Majus est malum permanere in peccato, quàm in illud decidisse.

Et itáne, mi frater? An supportare poteris præsentiam supremi Judicis vivorum & mortuo-

Permanere in peccato est irridere passionem, Christi Domini.

tuorum, quando crimen tuum apparebit coram illo incomparabiliter magis abominabile; quàm illud Hebræorum? Adhuc Deicidæ illi, postquam cruci affixerant ipsum, videntes statum, quò ipsum redegerunt, pœnitentiâ moti conceperunt exin horrorem: *Et revertebantur percutientes pectora sua.* Et tu crudelior his Deicidis, postquam iterum crucifixisti ipsum in temetipso tam procul abes, ut mox pœniteas, & scelératum tuum percutias pectus, ut potius prosequaris semper immanem tuam crudelitatem quasi insatiabilis esses in affligendo & cruciando Christo JESU? Mors, quàm immisericors alias est, emollita fuit, DEum immortalem, dum vidit in cruce morientem; ita ut aperiens tumulos ac sepulchra, quæ ipsius sunt ergastula, reddiderit eos, quos tenebat sub suâ tyrannide captivos. Et tu magis insensibilis & durior morte, non aperis saltem fœtens ac horridum malæ tuæ conscientiæ sepulchrum, ut educas inde tot cadavera occlusa, quot nidificant illic peccata mortalia? Tu nôsti, tu probè nôsti, quàm portentosum eorundem cumulum tumulaveris intra temetipsum, plures per annos, quibus facinorosam tuam prosecutus es vitam, quantúmque & quoties fatigaveris patientiam DEI, toties in teipso iterum crucifigendo Filium ejus unigenitum: Et in hoc statu consolatus adhuc potuisti vivere? Et omnes hos JESU Christi occisores fovere & conservare vivos in teipso voluisti, quasi complacentiam adhuc ex ipsius hausisses morte, & cruciatibus ipsius illudere voluisses.

Hinc est, quod Sanctus adjecerit Paulus: *Et ostentui habentes.* Post omnes injurias ipsi illatas, adhuc ludibrio ipsum habes: Quoties peccatum committis mortale, denuò ipsum agis in crucem, dúmque voluntariè in hoc perseveras peccato, ostentui ipsum habes, inquit Sanctus Paulus, ludibrio ipsum excipis, ac insolenter de omnibus illatis ipsi contumeliis triumphas. Et sic per tot annorum decursum mirũ in modũm defatigasti patientiam DEI. An igitur prosternere omninò ipsam cogitas, ac supplicia ipsius extorquere manibus; reluctante ejusdem bonitate, quæ te exspectat ad misericordiam? Imponere tandem finem tuæ satagas obdurationi, antequam DEUS suæ finem imponat patientiæ, tibique succedat dies ac tempus salutis. Quid nôsti, an non proximus omninò sis termino, & hæc ultima sit gratia, quam offert tibi DEUS per os meum? abs mora, mi frater, jam præsentissimum est tempus revertendi ad DEUM. Ecce horam,

horam, quâ respondere oportet voci gratiæ ipsius ad cordis tui januam pulsantis.

Dum bonus hic Pastor loquebatur hæc verba sancto animata Zelo, erranti suæ oviculæ, in antiquis peccatis suis adeò obfirmatæ, advertit mutationem coloris in vultu viri, mox enim erubuit, mox expalluit, totus cogitationibus defixus, videbatur in animo suo omninò mutatus, quasi luculentis hisce veritatibus, quas percipiebat, jam captus esset & convictus: Ex oris habitu tamen licebat colligere, quasi defendere se vellet, quod bono Pastori ansam præbuit, ipsum ulteriùs urgendi, sicut videbitis.

ARGUMENTUM.

1. *Quod longa Patientia DEI terrere magis debeat peccatorem, quàm ipsius supplicia.*

2. *Quodque nunquam severius tractet ipsum, nisi quando illum non punit in hâc vitâ:*

Articulus II.

Immerito peccator confidit patientiæ DEI, ut differat conversionem suam.

VErum est, sceleratissimum me esse, inquiebat infelix hic peccator jam semiconversus; sed bonitas DEI abs comparatione major est omnibus iniquitatibus meis. Jam diuturno tempore in meis me supportavit peccatis, sed thesaurus patientiæ ipsius nondum est exhaustus, & eundem nunquam exhaustum iri confido. Nunquam non tantâ me excepit & habuit bonitate, ut velut optimam interpreter notam, quod perdere me nolit, quodque non adeò sit irritatus contra me, sicut tibi persuadere videris. Veniet tempus, quo tandem conversionis gratiam mihi impendet; Indies dicam ipsi illa verba Evangelii: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi,* Adhuc parum patientiæ mi DEUS, & omnia mea debita solvam tibi. Experientia, quam de ipsius habeo patientiâ, me consolatur.

Matth. 18.

Malè rem interpretaris, respondit Pastor: equidem prorsus è contrario, nihil est, quod majori te debeat percellere timore suppliciorum ejus, quàm longitudo ipsius patientiæ. Pondera benè veritates superiùs tibi â me explanatas, & vide, an illarum robori ac valori tuus possis resistere animus. Ecce, quod mirabile mihi videtur, & dignum consideratione. Imprimis certum est, Deum infinito odio odisse peccatum, ex eo, quod malum sit infinitum; est autem malum infinitum, quia opponitur bonitati DEI, quæ infinita est. Odium, quo fertur in malum hoc infinitum, æquè est magnum, ac ipsi

DEUS odit peccatum infinito odio.

ac ipsi æquè necessarium, sicut amor quo propriam suam prosequitur divinitatem: Adhæc est æquè impossibile, ut cesset odisse peccatum ex totâ magnitudine infiniti sui odii, sicut impossibile est, ut cesset amare bonitatem suam ex totâ magnitudine amoris sui, qui infinitus est, & sicut verum est, quod amor velit bonum, & infinitus amor infinitum velit bonum objecto, quod amat; sic verum quoque est, quod odium velit malum, & infinitum odium infinitum velit malum objecto, puod odit. Certum igitur est, quod DEUS, dum odit peccatum odio infinito, ipsi velit malum infinitum.

Plura odia infinita in corde DEI.

Imaginare ergò tibi, quod anima, quæ commisit unum peccatum mortale, excitet in corde DEI unum odium infinitum, quódque hoc odium gravidum sit malo infinito, quod quantocyus paratus est fulminare super ipsam. Quemadmodùm percusit & feriit omnes rebelles Angelos in ipso instanti, quo suum commiserunt peccatum, sic certum quóque est, quod feriret infelicem hanc animam, quam primùm peccavit, si patientia sua non retardaret ipsum. Si secundum committat peccatum, jam sunt duo odia infinita, quæ suscitat in corde DEI, & hoc ipsum quoque refertum est malo infinito, quod parat & vult pec-

cato. Interim patientia DEI suas congeminat vires ad retardandum & continendum etiam istud. Si vigesimum committat peccatum, jam sunt edia infinita viginti, & horum quodlibet infinito suo obarmatur malo, quod ejaculari in sceleratum istum vellet, nisi Patientia DEI suum quóque vigesies conduplicaret robur, ad repellenda illa. Et si progrediatur usque ad centesimi commissionem peccati, torrens odiorum & malorum infinitorum augetur & excrescit semper juxta proportionem peccatorum, magis & magis semper multiplicatorum: & patientia infinita DEI, unicus est agger horrendum hunc retinens torrentem, qui illâ non obstante in instanti se effunderet super peccatorem.

Quid reddat patientiam DEI maximè formidabilem.

Jam quæro, an dum video torrentem furorum & malorum infinitorum capiti meo imminentem, qui excrescat semper, quique non retardetur, nisi vi ipsi factâ â Patientia illius, quem offendi; & si horam ignorem, quâ rumpi debeat ipsius agger, ad diffundendum sese integrum super me, & ego ex parte meâ faciam, quod possum, ad ampliandum & adaugendum illum semper magis per peccata mea: Quæro, an ex eo, quod longo tempore exspectarit disrumpere cataractam séque effundere, minus

minus sit formidandus; ánque longanimis hæc DEI patientia, quæ ipsum retardat vi magnâ tam diuturno tempore, mihi ansam præbeat, ut credam, me magnâ potiri securitate? Nonne hoc potius omnibus momentis vitæ meæ mihi lethalem incutere deberet horrorem? Nam si semper magis magisque excrescat, indubitatum est, quod magis magisque invalescat & expeditus fiat ad diffringendum suum aggerem, quàm fuerit unquam: Hujus nec horam novi, nec momentum, nisi quod certus sim, quantò diutiùs vi factâ retinetur, tantò magis mihi timendum esse, ne horâ, quâ minus crederem, erumpat, nisi quantocyùs promptâ ac seriâ id prohibeam ac impediam pœnitentiâ.

DEUS manifestat summam omnipotentiam supportans peccatores

Oportet DEUM omnipotentem esse, ad supportandum tam longanimi patientiâ peccata hominum; & magnus Apostolus Sanctus Paulus hâc de re tam benè judicavit, ut scribens ad Romanos illis stupenda hæc intonet

Rom. 9.

Verba: *Volens DEUS ostendere potentiam suam, sustinuit in multâ patientiâ vasa iræ.* Quod DEUS, cùm manifestare vellet omnibus hominibus, quoúsque extendat se maximum omnipotentiæ suæ robur, invincibili patientiâ sustinuerit vasa iræ, obstans invincibili quâdam virtute, ne â justissima sua iracundiâ frangerentur in frusta. Jam, quænam sunt hæc vasa iræ, hæc vasa iracundiæ, hæc vasa furoris & vindictæ, de quibus loquitur Sanctus Paulus? Hæc corda sunt hominum, quando sunt plena peccatis. Ne inquiras, quare nuncupet illa vasa iræ & vindictæ: Id proprium ipsorum nomen est, egregiè explicans naturam & qualitates ipsorum: siquidem nonne sit in funestis hisce vasis, hisque hortoris abyssis, quod liquare & solvere debeat omnem iracundiam & vindictam DEI?

Aspice in hæc vasa, demitte oculos tuos, mi frater, eósque vibra in profundam abyssum propril cordis tui: quid videbis illic? Bona DEUS! quàm horrenda monstra, tot nempe, quot peccata jam senio fermè putrefacta! fortassis plura adulteria, fornicationes, impudicitias innumerabiles? fortassis blasphemias, obtrectationes, diffamationes proximi? Fortassis odia lethalia, proditiones, vindictas, furta, injustitias abs termino? Fortassis ebrietates, dissolutiones, impietates execrandas? Tu uôsti, tu optimè id nôsti, quid cõacervatum ibi lateat post tantos annos; & omnia hæc monstra habent singula hiantes suas fauces, voces terrificas, quæ penetrant cœlos, & inclamant justi-

Cor peccatoris est vas iræ.

justitiam DEI in throno suo, ipsumque urgent ac solicitant ad vindictam. Ecce tibi hæc vasa iræ, quæ admiranda DEI patientia supportat tot annis.

Peccata sunt materia iræ Dei.

Omnia abominanda hæc spectra, materiæ sunt iricundiæ DEI; sed materiæ tam proximæ, tam dispositæ, ut nitrum & sulphur magis disposita non sint ad concipiendum ignem, quàm omnia hæc sint peccata ad succendendum justam DEI iracundiam. Ipse odit illa odio infinito, ipse vult illis malum infinitum, & justitia illis permittere non potest, ut transeant impunita: necesse est ut ipsemet hæc puniat in ripore, si non puniat ipsa peccata suâ pœnitentiâ. Quis ergò omnipotens ipsius remoratur brachium? Quis obstat, ne feriat magnos hos gloriæ suæ inimicos, quos abs horrore nequit aspicere, nisi prodigium nunquam intermissum invincibilis ipsius patientiæ? oportet esse DEUM infinitâ ratione bonum, omnis alia bonitas, quam sua id facere haud posset. Sed, O Deus, quod hæc bonitas formidabilem se reddat per patientiam suam! Quando audio Sanctum Joannem in Apocalypsi cum tremore interrogantem DEUM:

Apoc. 15. *Quis non timebit te Domine?* Quis ille ex cunctis hominibus tantæ fuerit audaciæ, O magne Deus! qui sub tua potentia non expavescat præ horrore? Credebam ipsum dicturum fuisse: Quia tu es DEUS percutiens & severissimè puniens peccata hominum; sed aliam hujus longè efficaciorem dat rationem: *Quia solus pius es:* quia tantæ es pietatis, tantæ dulcedinis, tantæ bonitatis, tantæ patientiæ ut sufferas omnia; Non tua severitas, Domine, non tua vindicta me enecant pavore, sed invincibilis tua id facit patientia. Ecce tibi rationem hujus ab Apostolo allatam.

Quando DEUS tantâ cum patientiâ supportat vasa iræ & furoris, ignoras præcipuum bonitatis ejus consilium esse, ut te convertat & perducat ad pœnitentiam: ignoras id, nec facis desuper reflexionem, & semper tua multiplicas peccata, indignissimè ipsius abutens patientiâ & non advertis, secundum ipsius consilium, si primo non acquieveris, esse, quod accumulare te permittat in abominandis hisce vasis thesaurum iræ ac supplicio-

Patientia DEI est formidabilior ipsius ira.

rum, magno illo ultionum suarum die: *Ignoras, quia benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit; secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ.* Avarus, qui aliud non agit, nisi coäcervare & corradere, abs intermissione novas adjiciens gazas thesauro suo, absque mensura,

mensura, absque numero accumulans semper, & nunquam aliquid inde accipiens, tandem ita locupletatur, ut ipsemet ignoret, quid habeat. Et tu, inveterate peccator, qui accumulas peccata peccatis abs metâ, abs termino ac numero, non faciens quasi desuper aliquam reflexionem, habes in conscientiâ tuâ fundum sine fundo, ubi accumulas, abs eo, quod advertas, thesaurum infinitorum ac æternorum malorum. Quot committis peccata, tot coacervas infernos, semper unum superaddens alteri, abs eo, quod illorum agnoscas numerum: & DEus te suffert, neque te punit, invincibili ejus patientiâ permittente, ut facias, quidquid placuerit. Ecce miserabilem thesaurum tuum!

Thesaurus subterraneus iræ DEI

Sed DEUS suum quoque habet thesaurum, qui tuo correspondet, & juxta proportionem tui augetur & crescit. Eodem tempore, quo tuum tu reples thesaurum, DEUS replet & suum; thesaurus tuus repletur peccato, & thesaurus DEI repletur vindictâ. Tertullianus valdè acutè nuncupat infernum thesaurum subterraneum iræ DEI: *Iræ divinæ subterraneus thesaurus.* Est hic thesaurus absconditus sub terrâ, quem videre non potes: est sepultus in terræ centro, quo sola manus DEI ipsum potuit collocare; Et non nisi ipse solus protendere illuc manum potest, ut inde ipsum tollat. Sed funestas divitias, quas complectitur hic thesaurus, quis nôsse potest? Tu nôsti, mi Frater, ita, tu benè nôsti; Si nôsti thesaurum peccatorum, quæ tot annorum spatio accumulâsti in corde tuo: Hi namque duo thesauri, ita ad amussim sibi correspondent, ut nunquam unus magis repletus sit altero.

Peccator nescit funestas divitias thesauri sui.

Sed an nôsti funestas divitias thesauri tui? an illas numerâsti? an cognoscis ipsarum valorem, pondus, numerum, qualitatem? An omnes ipsius portiones, fragmenta, particulas cum otio & successivè misisti in numerum? Ex hoc constabit tibi quantitas & qualitas thesauri iræ DEI, totus namque tuo æqualis est. Sed non, haud nôsti illum: siquidem ita tangereris ex eo, ut morereris mox vel præ dolore peccatorum tuorum, vel præ pavore pœnarum horribilium, quas præparat tibi DEUS. Interim vitam ducis quietam & jucundam, quia nescis, nec quid portes in thesauro tuo, nec quid absconditum sit in thesauro iræ DEI. Ah itáne! nunquam hunc nôris? nunquam ingrediaris in thesaurum iniquitatum tuarum, ut illas numeres, illas pensiculatè, & cum morâ ponderes successivè omnes, ut cognito illius

numero ac valore æstimare possis ipsum? Non: Etenim protervum, durum ac impœnitens cor tuum, quod clausum est Deo, est quóque clausum tibi ipsi.

Duò thesauri contriti & inter se confusi.

Tandem igitur portare debebis abominandum tuum peccatorum thesaurum, ita clausum & incognitum tibi ipsi in horrendum thesaurum iræ DEI: *Iræ DEI thesaurus subterraneus.* An exspectare voles, quod duo hi thesauri sese illidant, atterant & invicem confringant, quódque thesaurus criminum tuorum graviter impingens in thesaurum iræ DEI, & hic omnipotenti cum robore feriens ac percutiens tuum, ambo allisi & contriti, inter se invicem misceantur & confundantur, cùm nempe longissima DEI patientia, in implacabilem mutata fuerit furorem? O DEus immortalis, DEUS omnipotens, DEUS severe ultor criminum cordis indurati, tuam sic irritantis patientiam! Hoc erit tunc, quando peccator videbit invitus, quod, quantum malitiæ inventum fuerit clausum in thesauro tuo, tantum justarum claudendum sit pœnarum in thesauro iræ DEI. Sed an facilè extricare poterit implicatas has amborum thesaurorum divitias, quæ ratione hæc inter se invicem commiscebuntur?

Numera modò, numera singillatim, modò dum easdem omnes possides divitias: Otium tibi erit illarum faciendi supputationem in omnem æternitatem. Pro tali peccato, quod commisi tali momento vitæ meæ, talis infernus in æternum. Sed quàm ingens est portio hæc æternitas! An benè portionem hanc ponderare poteris? An poteris dicere, quantis constet diebus, mensibus, annis, sæculis, millionibus sæculorum, millenis sæculorum millionibus? An horum inire poteris numerum? una æternitas nimia non erit, ad dinumerandam unicam hanc portionem. Sed hæc non est nisi unica portio thesauri tui, pluris ejusmodi æqualis ponderis tibi restant: Quando in iis dinumerandis omnibus poteris attingere metam? Ah! quomodò congregare potuisti tam ingentem infelicium harum divitiarum acervum, intra tam parvum annorum numerum? Inde est, quod patientia DEI, quæ non castigabat peccata mea, impiam confidentiam induxit animo, ut illa multiplicarem absque fine. Ah! patientia DEI, quàm severa fuisti, dum ita mihi pepercisti; permittebas me facere, quidquid volebam, & ego credebam, me perhumaniter à te tractari. Ah quàm modò probè video, te crudeliorem fuisse in me, supportando me ita in peccatis meis, quàm si fulminis ictu me contrivisses, quoties illa

Peccator otium habebit in inferno numerandi infernales suas divitias.

illa committebam! Quare operari non sinebas rigorem justitiæ, qui criminum meorum inhibuisset cursum? Quare ita suspendebas ea, quæ promerebar, supplicia, ut sineres incessanter me unum accumulare alteri?

Patientia DEI est terribilis.

Quàm cœcus eram! Metuebam supplicia cœli, & nunquam non levabam ad te manus, O nimium longa patientia DEI mei, & non videbam, temetipsam longè magis esse horribilem quàm vindictæ omnes, quas justa DEI iracundia exercet in peccatores, dum tradit illos cunctis desideriis Cordis eorum, relinquens ipsis libertatem incessanter agglomerandi peccata peccatis, & consequenter quoque necessariò accumulandi infernum inferno. O Patientia DEI terribilior omnibus suppliciis tuis! Non cognoscebam te, collocabam in te spem meam, & apparenti tuo confidebam dulcori; sed modò, dum cognosco te, te aspiciens contremisco; quantò longiorem te video, tantò magis te timeo; Quantò plus in peccatis me suffers, tantò plus rigoris præ te fers. Cessa, O nimium longa patientia DEI mei! cessa me ita punire tantâ cum severitate, differendo me diu punire. Mox ubi offendo te, castiga me, ut diutiùs non pergam offendere te.

Iste Pastoris discursus plurimùm commovit hunc hominem, qui non nisi oculorum suorum lachrymis, suique tunsione pectoris respondit ipsi; & credebat, quod si ulterius ipsum urgeret, timendum foret, ne in aliquã laberetur desperationem. Ecce quare proposuerit illi aliam considerationem, quæ non nihil nimium ipsius moderabatur timorem, mediante quodam spei ac fiduciæ radio, ex aspectu longæ patientiæ DEI emisso.

ARGUMENTUM.

1. *Patientia DEI supportando peccata hominum est continuum quoddam miraculum.*

2. *Hoc Miraculum est quoddam problema, an scilicet effectus sit justitiæ, an misericordiæ DEI.*

Articulus III.

NOs ita assueti sumus videre patientiam DEI supportantem semper peccata hominum, abs eo, quod, nisi rarissimè, adjiciat pœnam culpæ, ut credamus hoc esse rem adeò naturalem, sicut videre solem nunquam non diffundentem jubar suum, abs eo, quod nonnisi rarissimè, ecclypsetur. Nihilominùs hæc patientia DEI ergà peccatores, quæ consueto repugnat rerum cursui, majus abs comparatione

ne miraculum est, quàm suspendisse activitatem naturalem ignis ad impediendum, ne combusserit tres pueros in fornace Babylonis. Perpende benè, quod tibi dicam, & ipse judica, an congruat veritati.

Est continuum miraculum patientiæ DEI, quod peccatum non agat in abyssum peccatorem.

Est axioma indubitatum in Philosophia, ipsâq; demonstratum experientiâ, quod omnis res, quæ naturaliter agit, producat semper proprium suum effectum, ubicunque illa sit, & producat ipsum necessariò, nisi vi quâdam extrinsecâ impediatur. Jam peccatum est causa naturaliter agens; producit ergò semper proprium suum effectum necessariò. Non dico, quod ipsummet necessariò producatur; scio, id potiùs esse liberum defectum voluntatis, quæ nec cogi, nec necessitari potest, ad illum committendum; sed cum semel productum fuerit cum libertate, tum evadit causa naturalis, quæ producit semper effectum suum, & producit ipsum necessariò, ubicunque est. Et quisnam est effectus proprius & naturalis peccati? Est illud vipera quædam, disrumpens ventrem se concipientem; Est parricida occidens patrem se gignentem. Vide, quomodo tractaverit primum Angelum in cœlo: Nobilis hic spiritus, qui plus habebat roboris ipse solus, quàm omnes homines totius alicujus regni, primo congressu attritus fuit per peccatum; Oportebat Cœlorum globos, quamvis æris in morem essent solidi, disrumpi sub pedibus ejus, ejus mole ac pondere velut diffracti. Unicum peccatum, quod cecidit super potentissimum angelorum, fuit pondus, quo præcipitatus est in profundum, cujus motus tam celer, rapidúsque fuit, ut in ictu oculi emensus fuerit totum spatium ab altissimis cœlorum, usque ad centrum terræ. Viden effectum ipsius naturalem. Ubicunque est, produceret eundem effectum, & produceret ipsum semper necessariò, nisi impediretur á potentiâ quâdam majori & fortitudine brachii cujusdam omnipotentis: & consequenter certum est, quod nunquam homo, cui non est robur Angeli, committeret unicum duntaxat peccatum, quin in instanti ageretur præceps, velut Lucifer, in barathrum inferni. Eadem enim causa, quæ agit naturaliter, producit semper eosdem effectus: *Idem quamdiu idem, semper facit idem.*

Quid ergò impedit, quod peccatum violentam hanc stragem non inferat homini, qui non solùm unicum commisit peccatum, sed horum plurima in suâ circumfert conscientiâ? Ut quid ergò attritus non fuit hujus mole

le ponderis, cui portando Angelicæ non sufficerant vires? ut quid in instanti non demersus est in abyssum averni, cùm naturalis hic sit & necessarius effectus peccati? Quis non cernit requiri prodigium & miraculum, ad suspendendum naturalis hujus causæ effectum, quæ tanto aliàs cum robore ageret, nisi impediretur? Quis non fatebitur, hunc admirabilem esse triumphum infinitæ patientiæ DEI? O quàm continuum divinæ bonitatis miraculum, dum ita supportat ac sustinet vasa iræ, portando quasi illa in manibus suis, licet immunditiis plena sint ac sordibus horrore percellentibus ipsum, sicq; custodiendo ac impediendo illa, ne forsan confringantur! Nos parvi pendimus hoc prodigium, quod in admirationem cœlestes rapit Genios, cùm ita consuetum & frequens sit nobis, ut ne quidem de illo cogitemus seriò. Verùm defixâ mente perpendite illud, & videbitis majus hoc esse portentum, quam si DEUS omnes omnipotentis brachii sui vires intendisset, ad exenterandum, si ita loqui licet, ventrem ac sinũ nihili, & extrahendum inde omnes mundos possibiles sibi. Affirmare ratione quâdam possumus, omnia hæc non esse prodigium adeò stupendum, sicut videre ipsum supportantem solummodò animam, quæ peccatum patravit lethale. Siquidem, quod DEUS, qui infinitus fons est omnis esse, communicat esse suis creaturis; Quod ille, qui bonitas est per essentiam, bonis accumulet entia cuncta; res est ipsi propria & naturalis, quæque nihili constet ipsi. Sed sustinere peccatorem, sed conservare sceleratum, ne in ipso pereat instanti, proprii peccati sui attritus mole; sed portare in sinu suo peccata hominum infinitâ ratione ipsi displicentium, hoc naturæ ipsius videtur adversari.

Cur Deus tàm diù supportet peccatorem.

Ah! quis obligat te ad hoc, Bonitas infinita? ut quid continuum misericordiæ tuæ operaris prodigium, ad impediendu o ita inimicorum tuorum ruinam? Ut quid illos tanto complexaris favore, invincibili patientiâ, nunquam non sustinendo ipsos? ut quid cursum naturalem haud permit is rebus, inter quas peccatum velut virus lethalissimum, producendo effectum sibi proprium ac naturalem, interitum absque spe ac remedio, inferret illis in instanti, quo illud in suam admississent animam? Nonne hoc æquissimum foret? tua vindicaretur injuria, tua glorificaretur justitia, purgaretur terra horribilissimo, quod in sinu circumfert, monstro, quod peccatum est, eòquod in ipso, quo nasceretur instanti, interiret denuò; retardares peccati cursum,

reprimeres insolentiam peccatorum omnium, incuteres timorem tui; cùm econtra, Domine, jam videaris contemni. Patientia tua tibi infert injuriam: Siquidem quantos reperire est, qui velut cœcum te æstimant DEUM, qui videas nihil; vel DEUM imbellem ac impotentem, qui valeas nihil pro defensione tuâ? Et hinc effrœnem illam arripiunt licentiam, quâ sua prosequuntur crimina, quæ committere non auderent, nisi tam longam in iis supportandis patientiam demonstrares.

Magis stupendum est, quod DEUS supportet peccata, quàm si illa condonaret aut puniret.

Innumeras intueor rationes; quæ impellant te, quæque necessitatem quodamodò, opinione meâ, tibi imponant castigandi peccata hominum: sed quæro, & nullam invenio, quæ movere te possit ad supportandum illa. Verum est, si adorandum tuum cor subeam, invenire me ibi inexhaustum bonitatum Oceanum, quæ urgeant te ad exhibendum illis misericordiam, ac remittendum ipsis peccata. Si considerem quoque infinitum odium, quo peccatum prosequeris, quodque tam ardens est, quàm amor infinitus, quo diligis teipsum, tuæ video rigores justitiæ, quibus urgearis ad puniendum illud severissimè. Sive ergò viderem peccatum â tuâ remissum misericordiâ, sive peccatum â tuâ castigatum justitiâ, non admirarer ideò: Sed nec unum nec alterum facere, illudque tam longo tempore invincibili supportare patientiâ, quâ nec remittatur, nec puniatur, hoc incomprehensibile omninò mihi videtur. Quod operari non permittas nec amorem tuum, nec odium tuum, nec misericordiam tuam, nec justitiam tuam, quodque videatur infinita tua patientia suspendere utrumque: Quare hoc? quid portendit longa hæc DEI patientia ergà peccatores?

Patientia DEI problema est, circa quod sæpius discurrendum.

Ingens & stupendum problema est, an scilicet sit effectus misericordiæ DEI, vel sit decretum ipsius justitiæ; An ipsius sit bonitas, an ipsius sit rigor; quo exstimuletur, ad exhibendum nobis tam longam patientiam. Problema est, circa quod permissum est nobis discurrere seriò nobiscum ipsis, illudque semper, si velimus, decidere possumus in favorem nostrum. Siquidem si teneam, terrificum id esse consilium justitiæ DEI, quæ non supportet me tam longanimi cum patientiâ, nisi ut liberè me sequi sinat proclivitatem inordinatorum meorum affectuum, abs eo, quod per aliquod me retineat supplicium, eòquod tradere me velit in prædam ac spolium peccato, sicut traditus est Daniel famescentium leonum gutturi; Nonne hoc sit severiùs

tractare

tractare me, quàm si me vivum præcipitem ageret in barathrum inferni, méque actualiter traderet Dæmonum furori? Imò dubio procul, relinquere me cunctis desideriis cordis mei, quo liberè committere permittat ingentem peccatorum numerum, ipso inferno crudelius est supplicium; Hinc non immeritò affirmavit Sanctus Ambrosius, conditionem ejus, qui vivit pacificè in peccatis suis, quique illa liberrimè indies multiplicat, lamentabiliorem & infeliciorem esse, illâ miserabilium damnatorum, qui jamjam æternaliter ardent in flammis inferni. Et rationem hujus, quam affero, egregia est; eòquod impius, quamdiu sceleratam suam prosequitur vitam, nunquam non multiplicat peccata sua, & consequenter necessariò accumulat & coacervat infernum inferno. Sed miser hic damnatus, quamvis infernum jam sustineat in æternitate, saltem certus est, se nec peccata suâ, nec infernum suum ampliùs multiplicaturum.

Si ergò aspiciam longam hanc DEI patientiam velut effectum justitiæ ipsius, juxta apparentiam quidem me non punientis, reipsâ autem punientis severissimè: Nonne justi concipiam affectus timoris, qui me humiliet coram DEO, qui reverti in meipsum me faciat, quique accelerare me meam persuadeat efficaciter conversionem, magis, quàm si flagellatus essem ab omnibus infirmitatibus, omnium bonorum oppressus jacturâ, omnibus divexatus malis sensibilibus, quibus homo obrui potest in præsenti hâc vitâ, eòquod hæc omnia nihil sint respectu rigoris, quo justitia DEI flagellat me, dum in peccatis meis tam longâ patientiâ me supportans, libertatem mihi relinquit multiplicando peccata mea abs numero & abs fine: & consequenter, si exponam hoc problema ex parte justitiæ, timore perstringi sentio cor meum.

Si ex adverso mihi persuadeam, quod longa DEI patientia me in peccatis meis supportans, effectus sit puræ ipsius misericordiæ, consultò penes merita punire me differens, eóquod damnare me nolit, sed potius suâ me bonitate lucrari & deducere ad pœnitentiam: quâ ratione inhibere potero cor meum, quin vehementissimo amoris affectu ergà tantam feratur bonitatem? Itáne, mi DEUS, incessanter offendo te, & tu nunquam non amas me? tuam non desino iritare iracundiam, & tu tecum statuere nescis, ut perdas me, quia infinitâ ratione me magis amas, quàm Patrum optimus suum amet Filium. Tu omnipotens tuum impendis & exten-

Patientia DEI addit animos.

extendis brachium, ut quasi vi factâ sustineas me super apertos abyssûs infernalis rictus, quo immensum culparum mearum pondus deprimere me contendit. Ego ipse millenos adhibeo nisus, meâ ut moliar & enitar perditionem, & tu solo te his opponis, exspectans me semper mirâ benignitate & patientiâ ad pœnitentiam! O Bonitas ineffabilis! O Bonitas infinito modo amabilis, sine quâ jam tot annis inquilinus forem inferni, an aspicere te possim, nec amare? An tot annis gustâsse tuæ dulcorem patientiæ, & me tibi non devovere? Ament te boni, ob innumera, quæ illis confers, bona; sed hæc quid sunt respectu malorum, quæ supportando me suffers, abs eo, quod disperdere me velis? quid hæc sunt respectu inferorum, quos promeruerant, quò etiam jam dudum fuissem præcipitatus, nisi tu me conservâsses, invincibili patientiâ meam exspectans conversionem? O Bonitas infinita DEI mei, dubitare nullus possum, quin mihi exhibere velis misericordiam, cùm hucusque consignare me nolueris tuæ rigori justitiæ? Ita, cedo, tuus sum, non est cor ita durum, quod tuis non flectatur, non emolliatur illecebris. O si agnoscereris, amabilis nimium bonitas DEI mei, impossibile foret, quin omnes amarent te homines; Non ampliùs alerer peccatores terra, cùm certissimum sit, te omnium lucraturum corda. Explanato hâc ratione problemate ex parte misericordiæ, indubitatum est, quin ingenti amore succensam tuam experturus sis animam.

Et consequenter verum est, quod longa DEI patientia, cùm dubium sit problema, sive proficiscatur è dulcore misericordiæ, sive è rigore justitiæ, in quamcunque explanaveris partem, te urgeat ac impellat, ut quantocyus te convertas. Tu ne es, divina justitiæ, quæ tanto tempore me toleras in erroribus meis, ut implere me sinas peccatorum meorum mensuram? Id metuo, ideóque perculsum me sentio ingenti judiciorum tuorum timore. Tu ne es, adoranda misericordia, quæ non cessas supportare me in criminibus meis, eòquod disperdere me nolis, sed benignè convertere & dirigere ad pœnitentiam? Credo id, & bonitatis tuæ intuitus me replet spe, confidentiâ & amore. Ah! quid opus est animæ ad operandum in illâ conversionem veram ac solidam, nisi timore & amore? Illam incipit timor, illam perficit amor. Ipsâ ergò sola sufficit, si benè ipsam considerem, ad inchoandam & consummandam conversionem meam.

Problema urgens peccatorem ad se convertendum.

Ad hæc quid inquis, mi frater?

ter? adjunxit Pastor, se convertens ad hunc hominem aliàs obduratum, sed qui modò totus videbatur emollitus: An cor tuum nec timori cedet nec amori? seria consideratio invincibilis patientiæ DEI, quæ tum minatur, tum blanditur tibi, tum evitabilia tibi præparat supplicia, tum coronas tibi offert obtentu tam faciles, an sat valida non erit ad superandam & expugnandam animam tuam? Si ipsum te non amas, ut bona tibi acquiras æterna; saltem tibi ipsi compatere, ut ab æternis te custodias suppliciis. Tempus est quid certi desuper statuendi, non nisi unum de duobus tibi restat; Vel dicere absolutè: Renuntio in æternum Cœlo, renuntio possessioni DEI, & omnibus bonis æternis, méque ultimatâ determinatione devoveo æternæ, ad ardendum æternaliter in camino inferni cum diabolis. Vel potiùs dicere: desidero constanti voluntate meam custodire animam ab igne æterno; volo absolutè, quanticunque steterit mihi, laborare & contendere ad acquirendam æternitatem beatam: Pondera benè utrumque, è duobus quodnam arripias consilium. Ex hoc is homo rationum pondere convictus, magis autem gratiæ cor suum tangentis potenti attractu impulsus, altum in cœlos suspirium evibrans, ita fari incepit.

ARGUMENTUM.

1. *Patientia DEI prosternit duritiam cordis obstinatissimi.*
2. *Quàm efficacia motiva amandi DEUM habeat anima ex intuitu invincibilis ipsius Patientiæ.*

Articulus IV.

Peccator aspiciens patientiam DEI, non potest non timere & amara ejulare.

AH itane! mi DEUS, possibile sit, diutiùs perseverare me in duritia Cordis mei, transcendendo longam tuam patientiam, longiore meâ obstinatione ac proterviâ? O Patientia incomprehensicilis DEI mei; tot annis dormire in peccatis meis sinebas me, quia non respiciebam te: sed modò dum me excitas, dumque te considero, tam potenter me excitas, ut pari ratione impossibile mihi sit, quin timeam te, quin amem te. Contremisco, dum considero, te tanto tempore supportare me in peccatis meis. Siquidem eheu! quid aliud feci toto vitæ meæ cutriculo, nisi quod incessanter adauxerim torrentem justæ iracundiæ tuæ? quomodò non millies jamjam erupit, séque effudit in caput meum? Et quid scio momentum, quo tua in supportando me defatigata patientia in

furore suo conterat me, sicut abundè nimis promerui. Sed quomodò amare te non possim, O misericors patientia DEI mei, conspiciens, quantâ bonitate huc usque me defenderis â dentibus ferocium bestiarum, impediens, ne devorarer â tot draconibus, leonibus, tygridibus, quot in conscientiâ meâ facinorosâ circumferebam crimina? Ut quid huc usque occlusisti guttur ipsis, nunquam non prohibens, ne meam depascerentur, prædatitium velut epulum, animam, nisi quia desideras me ex ipsorum eruere unguibus, méque restituere in libertatem filiorum DEI per gratiam tuam?

Affectus gratus peccatoris erga patientiam DEI

Quis igitur es, mi DEUS, qui conservâsti me tam solicitè, custodisti me tam amicè, tractâsti me tam indulgenter & benignè, dum offendebam te? Et quis sum ego, ego tuam qui ausus fui fatigare tot annis patientiam? Tu, DEUS omnipotens, DEUS æternus, DEUS immensus; tu, Majestas infinita, coram qua tom hoc universum minus est omo, sustinuisti patienter â me ntemni, offendi, injuriari; â e misero, â me vili & abjecto lviculo, quem tuâ ipsemet potentiâ extraxisti è nihilo, quem tuâ tam affectuosè conservâsti providentiâ, quem tantis cumulâsti & onerâsti beneficiis, quem constanti favore prosecutus nil intermisisti, ut ipsius lucrareris cor, ipsúmque obligares ad te amandum. Et ingratus ego, dum non cessabas à conferendis in me beneficiis, non cessabam offendere te. Et tu, ineffabilis Bonitas, admirabili cum patientiâ sustinuisti id semper; non solùm autem sustinuisti, abs eo, quod punires me juxta merita; sed semper prævenisti me, quæsiisti me, blanditus es mihi, flagitâsti me, ursisti me gratiis tuis, ut reconciliarem me tecum, & intimus tuus esse vellem amicus.

Admirabilis bonitas DEI,

O magnitudo immensa! Majestas infinita! quid negoti habes cum parvo hoc nihilo, quod requiris tanto cum amore, dum id tantâ te despexit cum insolentiâ? An tuus ab illo dependet honor? Quid perdidisses, si perire id permisisses? Nonne justitia tua semper glorificata fuisset in inferni barathro? Ah! quid est homo peccator, qui nihil est ex conditione suâ naturali, qui factus est minor nihilo ex conscientiâ suâ criminali, qui nihil potest ex suâ impotentiâ, qui nihil valet ex suâ malitiâ, & â quo impossibile est, ut aliquod recipias bonum? Et ipsum tu amas? Domine, quasi insignis tu us foret benefactor? Apponis ergâ ipsum cor tuum, quasi is alter foret tu ipse? Quando fugit â te, curris post ipsum, contendis

dis ipsum denuò lucrari, & abs eo, quod defatigeris supportando ipsum in suâ rebellione, exspectas ipsum, quoad redeat ad te, invincibili cum patientiâ. O DEUS amoris! O abundantia bonitatis! quam comprehendere nemo potest! Nonne cor sit insensibilius marmore, durius in malitiâ suâ cunctis dæmonibus, quod tuâ se dulcedine flecti ac emolliri non sinat!

DEUS requirit peccatorem.

Quando feror oculis in præteritæ vitæ meæ cursum, totum me invenio exterrefactum, mihique ipsi sum horrori: Siquidem nil intueor nisi abyssus & barathra, quibus meipsum ex uno in alterum immersi; & Patientia DEI mei nunquam non in suis me sustinuit manibus, ne deglutirer. Quoties tetigit me interius per suas gratias? quoties admonuit me exteriùs per suos famulos? quoties experiri me fecit remorsus ac stimulos conscientiæ? quoties excitavit & animavit me, ponens mihi ob oculos bona exempla mei æqualium, sed non mei similium? toties solicitatus, exoratus, stimulatus fui ad deserendum peccata mea: & insipiens ego honori ducebam mihi in nullo cedere, in omnibus inflexibilem esse, méque semper magis in malitiâ meâ confirmare; & omnibus me eminere credebam, dum impunè peccare me cernebam; gloriabar constantiâ mea in malo, ac si malitia mea triumphare voluissem de bonitate infinita DEI. Quomodò possibile est, patienciam ipsius tantis me annis sustinuisse?

Impatientia hominis opposita patientiæ DEI.

O bone DEUS, quàm inexhausto patientiæ thesauro ipsi erat opus ad suppeditandum hæc omnia, abs eo, quod unquam defatigabatur videndo se offensum, & incessanter sufferendo per tot annos? An minimam patientiæ hujus particellam habere potuissem pro me ipso? Eheu! Aspicio impatientiam meam, quæ tanta est, ut, si minima mihi inuratur injuria, vertar in rabiem, & quantocyùs ulcisci me velim: Opus est tot submissionibus, tot precibus, tot mediatoribus, & vix me patior pacificari. Si idem rediêrit secunda me vice offendendo, vix petiturus veniam in meum audet venire conspectum, tantâ abripior impatientiâ, tantâ succendor iracundiâ; Et si eòusque devenerit, ut triginta, quadraginta, quinquaginta me aggravet injuriis, novam & maximam mihi inferri crederem offensam, si duntaxat, ut supportarem ipsum, fieret propositio. Et nihilominùs, quis est, qui me offendit? est mei similis: Et quam mihi intulit offensam? sæpiùs in rebus nihili, & parvum hoc nihilum sufferre non possum: illatâ primitùs parvâ offensâ mea est exhau-

sta patientia tota, ita ut credam, rationem me habere nihil ejusmodi deinceps amplius sufferendi.

Deus interponit admirabilem mediatorem, ut obliget peccatorem ad faciendam pacem,

Et tu, O grandis Majestas, quàm reverentur omnia sustinuisti â me parvo terræ vermiculo, milliones offensarum lethalium, abs eo, quod unquam patientia tua vel minimum ergà me demonstrâsset rigorem. Pro eo, quod debuissem interponere mediatores ad obtinendam â te maximorum meorum criminum veniam: Tu, O omnipotens DEus, quem continuò offendi, toties mihi duos misisti legatos, ut me solicitarent, ut me conjurarent, ad ineundam & stabiliendam tecum pacem. Tu, qui immortalis es Deus, & supremum omnium entium, dimittis te, & mittis rogare me miserabile & parvum nihilum, ut pacem tecum statuam, & tuus esse velim amicus. An igitur huc usque se extendit tuæ magnitudo patientiæ? An igitur huc usque ineffabilis tuæ bonitatis te compellit excessus? Et ego miserabilis, me ita requisitum videns â Rege meo, quid feci? Renui per tot defluxum annorum inire pacem tecum, tuos despexi legatos, tuas gratias, tuas exhortationes, requisitiones tuas omnes, nihili tuam feci amicitiam, tuas irrisi pollicitationes, amabiles tuas solicitationes verti in ludos, meis te postposui voluptatibus, malui vivere mancipiũ Diaboli, sub crudeli peccatorũ meorũ tyrannide, quàm eo potiri honore, ut tuam per gratiam, adoptivus tuus evaderem filius, tuique hæres regni: & patientia tua tantos post annos sustinuit hæc omnia, & nondum post hæc omnia abjicere me voluit in tartara, in averni barathra. O Bonitas! infinita Bonitas! milliones cordium si haberem, nondum sufficerent, ad tantum, quantum tenor, amandum te!

Peccator abhorret dicere, quod non timet facere,

Si dicere ausus fuissem ore & altâ voce, coram universo mundo: Malo peccatum, quàm omnes gratias DEI; malo infernum, quàm paradisum; malo diabolum, quàm DEUM: & si pessimus omnium, horrori tamen fuissem ipsi mihi, & nunquam condonare mihi potuissem crimen, tam execrandis patratum verbis, ut diabolum ipsum percellere debuissent terrore, totumque fremitu concutere infernum. Nihilominùs quod dicere non fuissem ausus, haud difficulter facere ausus fui, nempè tunc, dum tempore tanto sceleratam meam protelavi & prosecutus sum vitam, abs eo, quod unquam convertere me vellem, quidquid mihi vel dictum fuerit, vel dici potuerit. Eram in peccatis, malens illa potius, quàm gratiam mihi oblatam: Eram victima dedicata

dicata inferno, & incolore malebam horrendum hoc diversorium, quàm paradisum mihi præsentatum; eram mancipium diaboli imperantis mihi, & malebam ipsum quàm DEUM, qui solicitabat me, ad deferendam ipsius tyrannidem, & amplectendum suum jugum suave ac sui dulcedinem imperii. Sed clarè loquebatur vita, mea enuntiabant opera, quæ lingua proferre nunquam fuisset ausa. Exhibere præsumpsi injuriam DEO, quam effari non præsumpsissem, imò nec cogitare; & in horrore talis vitæ, quæ armare suppliciis debuisset justitiæ ipsius manum, ipsius me supportavit patientia, meque defendit tot diebus, tot mensibus, tot annis, usque huc, ut exspectaret me ad pœnitentiam, misericordiam exin concessura & indulgentiam.

Affectus pœnitentis animæ.

Plusquàm nimis, plusquàm nimis, infinita Bonitas, restiti tibi, depono nunc arma, tibique me dedo, sed totum me dedo tuũ ad arbitrium, absq; exceptione, absque ullâ conditione, fac mecum quidquid placuerit tibi. Quid vis, ut faciam, Domine? Quæ sufficiet pœnitentia ad compensandum aliquatenus enormitatem peccatorum præteritæ vitæ meæ. Aperi mihi, O misericors DEUS, aperi mihi fontem lachrymarum, & effundam harum plures, quàm in suâ effuderint pœnitentiâ Sanctus Petrus & Magdalena. Sed nondum sufficiet hoc, ad submergendum infinitum culparum mearum numerum in sanguineo hoc cordis mei diluvio Percute, O vere ac divine Moyses, qui liberâsti me è peccatorum meorum captivitate, mecq; transire fecisti per mare rubrum pretiosi sanguinis tui, percute bis, imò decies, percute petram hanc, & ictuum vehementiâ aquas fac ipsum deducere in abundantiâ: contere duritiam petræ hujus, quæ tanto tempore vehementissimis gratiarum tuarum restitit impulsibus.

Magnitudo & multitudo peccatorum meorum horrenda est; sed firmam confidentiam in ineffabilem tuam colloco bonitatem stabiliente me hac in spe Verbo tuo divino, qnod cor contritum & humiliatum non despicies. Sed quis largietur mihi illam, quæ necessaria est, contritionis abundantiam? Quidvé pro obtentu illius facere potero? Tu scis mi DEUS, quod desiderem illam, lubensq; vitam meam, ad obtinendum illam velim effundere. O si scirem, quod enuntiando verba actum contritionis significantia, tantæ hæc essent virtutis in ore meo, cujus sunt verba consecrationis pretiosi Corporis tui in ore sacerdotis;

Qui verè habuerit hunc affectum, veram habebit contritionem.

Si scirem, quod dicendo tibi: Doleo ex toto corde meo, me tantum offendisse te, verba hæc virtutem haberent, conterendi virtute contritionis cor meum, ita ut reipsâ, cineris in morem, minutum redigeretur in pulverem, moxque ego ad tuos exspirarem pedes, doloris mei & pœnitentiæ meæ consumptus vehementiâ, quàm vellem ex toto corde meo quantocyùs pronuntiare illa, abs eo, quod vivere vellem vel unico ampliùs momento.

O bone DEUS, fac me ergò longæ tuæ patientiæ colligere fructus, vel potiùs collige tu ipse, reddendo te absolutum ac supremum Dominum Cordis mei, quod toties tibi dico ac consecro, quoties sacrilegè id tibi abstuleram. Averte faciem tuam â peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele tuarum abundantiâ gratiarum. Omnes elapsæ vitæ meæ annos deperditos censeo, nec alius mihi inde restat census, nisi unicus dolor, quo lugeo istos tam malè impensos: Et solum hoc est, quod offerre tibi possum in reparationem omnium injuriarum, quibus peccando te affeci. Hodie igitur tuis renasci incipio obsequiis, hodie exordior tibi esse fidelis, tibi servire, téque amare, sed quoniam tam tardè incepi, congeminabo gradum, ad resarciendum, quantum possibile erit, quod amiseram: gradu deinceps gigantæo curram in viis tuis, nec ullum amplius vitæ meæ dilabi permittam momentum, quod non omnibus repleam bonis, quorum cognitionem & affectus mihi dare placuerit tibi.

Hic felix erat successus totius consulationis: Difficile autem fuerit enuntiare, quâ ex parte maximum extiterit gaudium vel in corde Neo-huius Conversi, vel in animo charitativi ipsius Pastoris, vel in totâ Curiâ cœlesti, ubi Evangelium nos docet, mirum in modum gaudere Angelos super uno peccatore pœnitentiam agente.

CON-

CONSULTATIO XXII.

De Sapientia DEI.

Ante omnia studere oportet sapientiæ.

QUid egimus huc usque loquendo tam abjectè, tamque indignè de excellentiis DEI, nisi quod quandam fatuitatis nobis inusserimus notam; Eòquod nondum divinam inquisîerimus Sapientiam, extra quam omnia sunt Vanitas, mendacium & mera fatuitas. Nihil frequentiùs nobis sacra Scriptura inculcat, quàm exhortationes, quibus Spiritus DEI nos urget ac impellit, ut super omnia studeamus Sapientiæ, ut omnes nostros impendamus sensus, omnes intellectûs nostri intendamus nervos, omnes cordis nostri adhibeamus affectus ad inquirendam illam ante omnia, velut illam, in cujus solâ est facultate faciendi nos beatos. Omnes libri Job, Proverbia Salomonis, Sapientia, Ecclesiasticus miris scatent hujus Sapientiæ Elogiis, seriisque admonitionibus, ut ipsam amemus, ipsam inquiramus.

Sapientia est in Deo, velut in suo principio.

Vis originem ipsius ac principium videre? Sublimissimum est, æternum est, profundissimum, ac penitus incomprehensibile: *Sapientia trahitur ex occultis*: Siquidem DEUS Pater est, qui omnem illius inexhaustum in seipso, possidet fontem; Ipse est, qui per divini intellectûs sui solem incessanter illius splendidum ac immensum effundit lumen, quo constituitur magnus dies æternitatis. Cognitio ipsi9 infinita, verbum ipsius adorandum, Filius ipsius unigenitus, divina ipsius est Sapientia: Sic ipsum magnus nuncupat Apostolus: *Christum DEI Sapientiam*. 1. Cor. 1. Ipsa est unica hæc Sapientia, eòquod DEUS Pater simul & semel effundens omnia divini intellectus sui lumina, absque ullâ reservatione, nesciat multiplicare illa. Ipsa est simplicissima, quia non consistit, nisi in unico solo directo intuitu, qui tolerare non possit neque reflexionem ullam, neque discursum. Ipsa est invariabilis, cùm sit actus purus, qui nunquam incepit, nec finietur unquam, sed nec unico duntaxat unquam interruptus est momento. Denique ipsa sufficit DEO ad implendum illum summo gaudio, honore & gloriâ, omnique infinitâ beatitudine, quâ plenè id fruitur in semetipso: Eòquod per illam cognoscat se perfectissimè, infinito modo se amet,

amet, se possideat, ac æternaliter quiescat in seipso. Et si per impossibile quis alius possideret divinam hanc sapientiam tam perfectè, sicut DEUS Pater, æquè magnus & beatus foret ac ipse.

DEus solus possidet sapientiam, Beati eidem student.

Verùm hic pretiosus ipsius est thesaurus, cujus infinitæ divitiæ, quas omnes includit in corde suo, tanto sunt ipsi in pretio, ut illas nec velit nec possit unquam communicare ulli è creaturis: complectitur is abyssum luminum tam amplorum, támque resplendentium, ut nonnisi oculi DEI capaces ac idonei sint, omnem illius aspicere pulchritudinem, intueri Majestatem, penitùs illius perscutari profunditatem: *Sapientiam DEI præcedentem omnia, quis investigavit?* Verum est, permittere ipsum cunctis Angelis & omnibus Beatis Cœli inquilinis, ut in æternum studeant in magno hoc divinæ Suæ Sapientiæ volumine. Et quia naturalis ipsorum intellectus nimium abjectus, nimiúmque foret imbecillis ad evibrandum illuc oculos, elevat & confortat eundem lumine quodam gloriæ, cujus minimus radiolus splendore omnes hominum scientias longè antecellit. Adjiciunt ipsi in omnem æternitatem studium & animam suum contemplandis divinæ hujus sapientiæ prodigiis, juxta omnem cognitionum ac luminum suorum amplitudinem; & nullus illorum nec omnes simul comprehendent unquam vel minimam illius partem, quamvis omnem possideant libertatem intuendi ipsam clarè in seipsâ & per seipsam.

Eccli. 1.

Quid ergò faciemus nos, aut facere possumus, nos miseri mortales, qui reptamus hic in terris in cœcitate, in exilio, in tenebris, privati illo lumine gloriæ, sine quo nullus unquam creatus intellectus sufferre potest splendores infinitæ Majestatis DEI. Quomodò attollere audeamus oculos ad considerandum excellentias divinæ sapientiæ in seipsâ & principio suo, cùm Sacra Scriptura affirmet, inhabitare ipsam lucem inaccessibilem? Nonne major hæc foret temeritas, quàm si oculorum vellemus aciem intendere in faciem Solis, dum meridianos suos explicat splendores? Relinquamus Aquilis, dico Angelis ac Beatis, qui volatu suo transcenderunt omnem hanc inferiorem caducarum rerum regionem, qui jamjam penetrârunt ultra Cœlos, & ingressi sunt radios divini hujus Solis, in facie contueri eandem: Prærogativa hæc sola est habitantium in cœlis, nostrum non est aspicere pulchritudinem divinæ Sapientiæ in semetipsâ. Verùm considerare saltem illam nobis licet

Aspicere possumus sapientiam DEI in operibus

in

in certis quibusdam ſtupendis omninò lineamentis, in quibus ſe noſtris depingere voluit oculis, in ſuis nimirum operibus. Siquidem videtur complacuiſſe ſibi, producere ſe, & abſcondere ſe in omnibus creaturis, ad permittendum duntaxat ſe ſtrictim & extranscurſu conſpici, ad noſtros exſtimulandum animos, ut poſt ſe currant, utpote attractos voluptate, quam propinat illis, & animatos adhuc majore, quam ipſis pollicetur, quando magis cognoverint ipſam. Et hoc ipſum eſt, quod voluptate demulcet omnes, qui divinæ huic ſapientiæ ſuam navant operam, in quâ reperiunt Conſolationes, quarum virtute facilè deſpiciunt alias omnes terrenas, quibusque modo tam admirabili deliniuntur, ut bene affirmari poſſit, quod ſi Paradiſus cœli, eſt intueri divinam ſapientiam in ſemetipſâ, paradiſus terræ ſit ipſam inquirere, ipſi ſtudere, ipſam adorare in omnibus ſuis operibus.

Sancti demulcebantur voluptate videndo pulchritudinem Sapientiæ divinæ in operibus ſuis.

Regius Vates, magnus hic contemplativus, tantas in hoc ſtudio inveniebat delicias, ut totus extra ſeipſum raptus, deductâ ad finem meditatione ſuâ, ſuam, quâ perculſus fuerat, admirationem, nobis hiſce detexerit verbis: *Quam magnificata ſunt opera tua, Domine? omnia in Sapientia feciſti.* Video ipſam ubiq; adoro ipſam ubique, admiror ipſam ubiq;, admiror ipſam ubique; Verùm omnia ipſius non capio nec comprehendo prodigia. Sanctus Hieronymus in deſerto ſuo, ubi alteri non intendebat negotio, niſi divini hujus Sapientiæ contemplationi, mediante quâ ſolicitè inquirebat ipſam in omnibus illius facturis ac operibus, ipſemet affirmavit nobis, quod tam ſtupendas & admirabiles in illa detexerit & aſpexerit pulchritudines, ut totus hæſerit deſtitutus animo, totus extra ſe raptus, & quâdam quaſi affectûs fatuitate: *Totus obſtupui, & ſenſu humanitatis amiſſo, in Sanctam amentiam converſus ſum.* Eheu! quid immoramur, noſtrámque venamur voluptatem in aſſectandis millenis vanitatibus curioſis, quæ non niſi fatigant & decipiunt nos, nec nobis unquam conferunt illam, quam deſideramus, ſolidam animæ pacem, cordisq; tranquillitatem. Ecce Deus ipſe, ipſa Sapientia æterna, quæ tam perfectè ſatiat omnes Beatos in Cœlo, omnes ſuas illis manifeſtans pulchritudines, ſeſe exponit oculis noſtris, ac ſufficienter ſe nobis demonſtrat, ut noſtrum cognitionibus conſolatoriis repleat animum: Et certè beati viveremus ac felices, ſi applicare nos vellemus ad conſiderandum ipſam in omnibus operibus ſuis.

S. Hieron. in Habac. c. 13.

Hominum simplicissimus inveniret ubique colloquium valdè jucundum animo suo, & facilè perficere posset exercitium quasi continuum, orationis mentalis, semel legere si assuevisset in magno hoc libro sapientiæ divinæ, cujus Characteres omnes sunt creaturæ, eòquod hic nunquam non cerneret prodigia Auctoris earum, â quibus cum gaudio ac voluptate deduceretur ad cognitionem & amorem ipsius. Experientia demonstravit id aliquando in conversatione quâdam valde jucundâ, ubi fortuitò convenerant quatuor personæ conditionis satis diversæ, sed animi non multum absimilis, in hoc, quod cum omnes timerent Deum, & desiderio arderent tum cognoscendi, tum diligendi ipsum, magnâ invigilarent curiositate, ad observanda divinæ ipsius Sapientiæ prodigia, in omnibus rebus professionem suam concernentibus. Unus habitabat ruri in domo quâdam solitarius, ubi more antiquorum Romanorum post servitia bono publico in diversis muneribus, quæ gerebat, præstita, aliud non cogitabat, nisi quomodò frueretur in quiete innocuis vitæ campestris voluptatibus. Alter erat pictor, qui, postquam ubivis terrarum circumvagatus, suam peritissimis Magistris navâsset operam, tandem secum conclusit alterum deinceps non sequi Magistrum, nisi ipsam naturam, cujus omnes contendebat imitari, ac penicillo exprimere pulchritudines. Tertius erat Medicus, qui relictâ artis suæ praxi, aliud non agebat, nisi anxiè naturæ rimari arcana, unde quotidie tot nova eruebat mysteria, ut cùm omnia illius prodigia, animo suo solus admirari satis non posset, magnâ caperetur voluptate, suis cum familiaribus discurrendo de illis. Et quartus erat insignis Astrologus, qui neglectis rebus terrenis, omnes intellectûs sui intendit nervos ad contemplandũ pulchritudinem Cœlorum ac siderum, Haud levis erat curiositatis, videre, quâ ratione quivis ipsorum credebat, se tam rara, tamque mira in divinæ sapientiæ operibus observâsse, ut persuadere sibi non posset, quenquam aliorum ejusmodi quid observare potuisse. Ipsorum Consultatio ita suum sumpsit exordium.

Quatuor personæ, quæ consultationem hanc instituunt.

ARGU-

ARGUMENTUM.

1. *Diversæ pulchritudines, quibus Sapientiæ Creatoris placuit exornare terram, juxta diversas anni tempestates.*
2. *Quomodo ipsam adornet tempore veris.*
3. *Quomodò ipsam condecoret tempore æstatis.*
4. *Quomodo ipsem locupletet tempore autumni.*
5. *Quomodo ipsam vestiat & coöperiat tempore hyemis.*

ARTICULUS I.

CUm omnes congregati essent in domo illius, qui solitarius habitabat ruri, curiositate ducti cuncta illius perlustrabant conclavia, quæ miris extollebant laudibus ab eximio decore & suppellectilis varietate, affirmando ipsi, quod nihil unquam tam venusti suis hauserint oculis: Sed ipse nil æstimabat ex his omnibus, eóquod refectum haberet animum aliis venustatibus abs comparatione pulchrioribus, quas per otium observaverat ab aliquot annis. quibus â turbis & mundi negotiis semotus, optatâ fruebatur solitudine. Nostrum non est, dicebat illis, pulchrâ suppellectile domos nostras habere instructas: Nonnisi summum condecet Monarcham, cujus universus hic mundus est palatium, suam instruere domum, eámq; abs numero tam raris támq; pretiosis condecorare apparatibus, munire instrumentis, locupletare utensilibus, ut, quando omnes mundi Principes suos exhaurirent thesauros, nihil ejusmodi proferre possent in medium.

Tertullianus protulit verbum, cujus primitùs non capiebam sensum, quod DEUS è nihilo extraxerit omnem hanc ingentem creaturarum massam: *In ornamentum Majestatis suæ.* Siquidem dicebam intra memetipsum: Nonne DEUS habet omnem suam pulchritudinem, omnem suum ornatum ex propriâ suâ essentiâ? Quod augmentum pulchritudinis, vel quam novam excellentiam recipere potest â suis creaturis, eòquod, cùm omnem infinitudinem perfectionum possideat in semetipso, impossibile sit, ut hæc vel minuatur, vel augeatur per aliquid, quod sit extra ipsum? magnam experiebar difficultatem in penetrando Verborum sensu gravis hujus Auctoris. Sed cùm altero die primo mox diluculo surrexissem, ut orienti & ex umbris emergenti adessem soli, annotavi, quod, ubi primùm è sinu

Apolog. c. 27.

Deus fecit omnes creaturas pro suo ornatu.

egressus est auroræ, quæ velut dierum nostrorum mater, illum omni mane nobis parit ac enititur; & incipiens conscendere cœlum, sese parvâ quâdam rubicundâ ac cærulea nube, velut tenui quodam obtexerit velo, è cujus transverso non intermittebat tenues quosdam & valdè moderatos evibrare radios, ut oculis meis cum voluptate exhiberet sese conspiciendum. Observabam, velum istud, quod propriis suis ipsemet inaurabat divitiis, pulcherrimum esse ornamentum pro hoc astrorum Rege; Non, quod nescirem, ipsum longè pulchriorem ac splendidiorem esse in semetipso, quàm appareat in hoc amictu; sed ideò, quod ita obvelatus nobis melius suas exhibeat conspiciendas pulchritudines, quæ dum in totâ gloriæ suæ Majestate refulgent, nimium habent roboris, quàm ut ab imbecillitate oculorum nostrorum possint aspiciendo tolerari.

Quamprimùm Tertulliani verba, quibus aliquanto tempore cogitabundus inhæseram, rediêrunt in mentem. Et benè, ajebam mecum, intelligo, ita se fermè habere, quod creaturæ sint ornamentum supremæ Majestatis DEI, non quod hæ pulchriorem ipsam reddere possint, aut majorem, quàm sit in seipsâ; sed quoniam ipsæ acceptâ quâdam ratione infinitæ ipsius gloriæ splendores nobis obvelent, quos detectos in seipsis aspicere non possemus ob oculorum nostrorum infirmitatem: cum voluptate autem contemplamur ipsam creaturarum suarum velo obvolutam. Hinc est, quod divina ipsius sapientia, quæ est universalis moderatrix omnium operum DEI complaceat sibi, immutare consultò nobis, quaternis vicibus faciem terræ per annum, quam semper induit diversi operis ornatu, ad excitandam nostram attentionem, nostrósq; attollendos animos, ad contemplandam ipsam & admirandam in hâc prodigiorum nunquam non enascentium multitudine, quam nostris explicat & exponit oculis; & super omnia, ad inflammandos nos semper magis magisq; in ipsius amore, cum videamus non cessare ipsam nos suis onerare beneficiis.

Pulchritudines temporis verni excedunt magnificentiam Salomonis

Quâ ratione quis non sentiat dilatari Cor suum gaudio, quando verno videmus tempore terram sterni & contegi ab ipsâ tapete tam pretioso, támque magnifico, ut omnia Monarcharum Palatia nil similis pompæ explicare, nil ejusmodi luxûs valeant demonstrare. Est videre hic fundum viridem, innumeris illustratum floribus tam diversis in suâ figurâ, in suâ magnitudine, in grato suo odore, in vivacitate

te ſuorum colorum, in pigmentis illis tam ſplendidis, tamque illuſtribus, quibus refulgent, ut nec Salomon in omni gloria ſua veſtitus fuerit, ſicut unicus duntaxat ex illis, licet ipſe tam dives fuerit ac magnificus, ut in Regio ſuo equili quinquaginta bis millenos nutriêrit equos, & nunquam non mille quadringentos currus tenuerit præparatos, inſuper ſibi erigi fecerit ſolium ſuſtentatum à quatuordecim magnis Leonibus ex auro ſolido fabrefactis, tandémque omnis ipſius apparatus tam prodigioſæ magnificentiæ fuerit conformis: Nihilominùs nec ipſe, nec omnes ſimul totius mundi homines unicum duntaxat è floribus minimis poſſent producere quos divina ſapientia tantâ cum prodigalitate, & quaſi neglectim effundit ſuper ingentem hunc tapetem ſubſtratorium terræ, quo tempore verno refulget.

Ubi ſunt theſauri, unde deſumis omnes has divitias, adoranda Sapientia DEI mei? paucis ⁊ diebus hæc omnia erant nihil; non apparebat, niſi terra nuda, ſicca, frigida, triſtis & melancholica. Ubi abſconditæ latebant omnes hæ pulchritudines? An extraxiſti illas è nihilo per creationem novam? Quando id feciſſes, non fuiſſet juxta apparentiam prodigium ac portentũ tam ingens: Siquidem, quod DEUS omnipotens educat è ſinu nihili omnia; quæcunque voluerit, id creditu haud foret difficile! ſed dediſſe tenuibus ac parvis radicibus herbarum, plantarum, florum, virtutem faciendi è nihilo, vel fermè nihilo, tot tantasq; res adeò ſpecioſas, magis id omnem excedit admirationem. Omnis hæc innumera pulchritudinum turma ac frequentia, quæ tempore verno coöperiebat faciem terræ, tempeſtate hyberna in radicibus ſuis latebat abſcondita. Sed in quo promptuario abſcondita ſervabant hæc omnia? Quare in magis intimo, & ſi volueris, in ipſis viſceribus & corde hujus radicis, & vide, an ibi invenias pulchritudinem, figuram, colores, odorem, eximium illum hujus floris ſplendorem, quem producere debeat; Horum omnia nil ipſa habet. Et nihilominus inviſibiles habet manus, quibus benè laborare, operamq; navare poterit conficiendo pulchro huic operi; inveniet benè penes ſe cum penicillo colores; habebit benè notitiam miſcendi illos, ac vividam tribuendi eidem colorum rationem & acrimoniam, ſplendorem, gratiam, venuſtatẽ, odorem, quibus mirum in modũ alliciantur omnes. Quis reddidit ipſam adeò peritam, abs eo, quod ab aliquo didicerit quidquam; Videbatur radix mortua,

Admirabilis sapientia DEI in productione florum.

stupida & insensibilis, quæque sepulta semper manebat sub terra, ubi ne quidem libertatem habet videndi opus, cui operam navat? Nonne cœcum esse oporteat, si quis non videat requiri necessariò admirabilem intellectum, qui tam exquisitum ac præclarum dirigat opus, cujus conficiendi radix, nullam habeat capacitatem, cùm omnia & maxima quæque totiùs mundi ingenia simul unita, fateri debeant, se cum omnibus suis studiis ac industriis eò attingere nunquam posse, ut alium producant eidem similem.

Sapientia divina eodem tempore incumbit diversis operibus.

Quando nonnisi in singulos annos, unicum ejusmodi naturæ opus produceretur in universa terra; si bene consideraretur sufficeret ad percellendos omnium hominum animos admiratione maximâ. Sed videre innumerabilem hanc multitudinẽ herbarum, frondium, plantarum, florum tam differentium in natura & in qualitate, qui eodem tempore se coram sistunt, superfaciem universæ terræ, quasi congregationem & conventum celebrassent, ad offerendum simul sua nobis obsequia: quod quilibet eorum novo appareat indutus amictu, sed tam pretiosè exornato, tamq; exquisitè omni ex parte compósito & dispósito, ut nihil ad perfectionem ipsi videatur deesse, abs eo, quod alius appareat artifex, qui manum admoverit, ad instruendum omnem hunc apparatum, nisi unica sola radix rudis & stupida, quæ & sensu careat & intellectu; Quænam es tu, erudita manus, quæ eodem tempore excolis & polis tam diversa opera in terra universa? Quænam es tu, Sapientia infinita, quæ infinita hæc, támque diversa cepisti consilia, per unicam solam & simplicissimam idæam, quæ depingis nobis tot pulchra & speciosa objecta abs ullo colore; quæque singulis annis hanc prodigiorum nobis renovas liberalitatem, iisdemque nos ditas, abs eo, quod curæ nobis solummodò sit illa à te expostulare? Tu te visibilem nostris reddis oculis, in tot tamque eximiis simulacris ac imaginibus, quibus temetipsam depingis ac repræsentas, & nemo te considerat.

DEUS majorem curám habet nostræ animæ, quàm omnium florum.

Verùm tu nos excitas ipse in Evangelio mediante consideratione hac, dum magna hæc enuntias verba: *Si ergo fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibano mittitur, DEUS sic vestit, quantò magis vos?* Quod si sapiens DEI providentia tantam gerit curam herbarum ac florum, quorum duratio tam est brevis, & æstimatio tam est levis, quantò majorem curam, & quantò incomparabiliter majorem geret solicitudinem animæ tuæ, quæ æter-

æterna est, quæ ad suam formata est imaginem, quámque pretioso suo redemit sanguine? Itane? Tu cernis, quod omnem aptitudinem, omnémque succursum necessarium submini-stret terrestri ac insensibili huic radici, ut pertingat ad finem, pro quo creavit illam, ad speciosum nempe producendum florem: & non credes, quod concessura sit tibi omnem directionem, & omnia auxilia animæ tuæ necessaria, ad producendos flores & fructus, quos ab illâ exspectat, effigiendam nempe vivam imaginem DEI in seipsâ? Ah si non majorem faceres resistentiam sacris impulsibus gratiæ ipsius, quàm radix hæc faciat concursui Dei: Quàm jucundum & amœnum in temetipsâ ver videres enasci! Quantos Flores millenorum bonorum desideriorum! Quàm pulchram varietatem millenorum Sanctorum affectuum! quantam abundantiam fructuum, infinitorum bonorum operum! Ah! nonne ad hoc nos invitat per universalem hanc, quam tempore verno conspicimus, renovationem? Relinque to totum absque reservatione sapienti directioni Spiritûs DEI, & id perspicies.

Pulchritudo æstatis in qua sapientia DEI apparet admirabilis.

Ecce tibi primum velum, quo admiranda DEI Sapientia se operit, sicq; aperit oculis nostris viam videndi se cum voluptate tempore veris. Sed postquam nonnullis mensibus nostrum tam jucundo aspectu recreavimus visum, aufert nobis omnia hæc ornamenta, amovet omnes hos pretiosos tapetes; & ad ostensionem suæ magnificentiæ, non vult ut sæpius, quàm unâ deserviant vice: pereant hæc omnia, & anno sequenti parare jam novero alia æquè pulchra, æquè speciosa. Nihilominùs tamen reperire hìc est, alios apparatus longè pulchriores, longè pretiosiores pro æstate.

Siquidem tempestatis hujus decursu complacet sibi ditare terram innumerabili multitudine fœcundarum messium; ubi nescias, quid admirêre magis, vel diversitatem, vel permixtionem, vel adeò prodigiosam fœcunditatem Camporum: Et in hoc sapientia Creatoris magis adhuc videtur incomprehensibilis. Siquidem quid videre est ingentem hanc terræ massam, velut matrem universalem, quæ infinitas nutriat proles, quas omnes suis admotas circumfert uberibus, perpetuò quidem sugentes, se tamen nunquam exhaurientes? Ipsa tam bene novit porrigere omnibus nutrimentũ sibi proprium, ut, licet gustus habeant tam diversos juxta diversitatem naturæ, omnes acceptum habeant id, quod illis suppeditat, vivántque opiparè ex eo. Interim nonnisi unicum ipsa possidet

fidet succum, & hunc valde crudum, valde insipidum, quem illis omnibus æqualiter offert pro unico suo alimento: & illæ, quæ etiam magis adhuc sunt teneræ, veluti proles modò prognatæ, non abnuunt id, quod universalis sua ipsis porrigit mater. Verùm non demittunt ipsæ nutrimentũ suum, sed potius ascendere faciunt in altum, quamvis cum grave sit, ex natura sua tendat deorsum; Sed nec sumunt alimentum suum ore, sed pedibus attrahunt & fugunt omnes.

Verùm quod admirationem auget, est, quod omnes mendacii arguant axioma illud philosophicum ita sonans: *Iisdem constamus, quibus nutrimur*, quod nempe ex iis componamur rebus, quas manducamus: Cùm ergò omnes ipsæ hæ proles, fruges, nempe & plantæ nutriantur terrâ, non nisi viventes ex uberibus matris suæ, benè dici potest, ipsas non nisi terram manducare: & nihilominus, an unica est ex ipsis, quæ non habeat gustum tam suavem, & saporem tam exquisitum, ut terræ omninò redoleat nihil? Unde mi DEUS, innumerabiles hi fructus, tam diversi in naturâ, in figurâ, in magnitudine, in colore, in gustu, desumunt hoc saccharum, hunc dulcorem, hoc nectar, hunc bonum odorem, has delicias, quas nobis propinant, cùm illas non nisi extraxerint è terrâ, quæ habet nonnisi succum insipidum, quem ipsis præsentet? Nonne tu es, divina sapientia, quæ velut universalis condimentaria laboras & operaris pro universo orbe, prospiciens non solùm necessitatibus, sed etiam deliciis hominum, tam innoxias illis præparando cupedias? Ingrati reficiunt se illis, velut animalia stupida & sensibus prorsùs absorpta, abs eo, quod beneficium â te profectum agnoscant, tibique grates exsolvere cogitent; cùm tu, O bonitas infinita, non desinas tam magnificâ ipsos liberalitate prosequi, non obstanti omni ipsorum ingratitudine.

Prodigium videntur tot ac tanti fructus diversorum gustuum, ex eadem terra nascentium.

Sed quis intellectus comprehendere poterit, O infinities admiranda sapientia DEI, quâ arte, quâve industria edoceas omnes plantas, ac omnes fructus facere distinctionem ac separationem crudi ac rudis illius liquoris, quem exuxerunt è terra, ad applicandam illius unam partem efformãdo scapo, aliam extendendis ramis, aliam foliis, aliam floribus, aliam cortici, & aliam substantiæ fructus? Et quâ dexteritate utuntur ad distribuendum tam æqualiter omnia, ut omnia ad amussim, quod ipsis convenit, accipiant? congregentur ingeniosissimi quiq; & expertissimi Chymici, ac dicant; an ita facere

Quomodo planta discernit universale suum nutrimentum.

re possent separationem unius ejusdémque substantiæ rudis & crassæ, in tot ac tantas diversas naturas: & detur ipsis materia maximè congrua, quàm ipsimet eligere voluerint, ac dicant, an efformare exinde possent unicam melopeponis plantam, quæ habeat suum stipitem, suas frondes, sua folia, suum fructum: laborent insuper in hoc & omnes intendant nervos toto tempore vitæ suæ, omnia sua eruant & impendant arcana, nunquam tamen operæ & operi suo colophonem imponent. Et Tu, O divina sapientia, è succo vilissimo, qui extrahitur è pupillo terræ, & fœtenti sterquilinio, producis unà innumeros hosce fructus & alios ejusmodi in universo orbe, abs eo, quod videatur laborare manus tua in omnibus his pretiosis operibus! Prodigia hæc indies nostris obversantur oculis, & cordi non sumimus, ut te agnoscamus, te admiremur, téque adoremus.

Prodigia alicujus campi messibus onusti.

Quomodò non hæremus attoniti, dum nostros ejaculamur oculos in spatiosum quendam campum, copiosis onustum messibus, ubi infinitas conspicimus spicas, quasi ad invidiam reciprocam sese attollentes: quasi, abs eo, quod terram deserant, conscendere vellent cœlos; vel quasi solicitæ forent ad offerendum illi munus ex omnibus suis divitiis, quas in suis verticibus portant inclusas? Et sapiens Patris cœlestis providentia, quasi gnara conatûs illius, quo sibi placere volunt, recipit ipsas in manus suas, & singulari tangitur curâ educandi ipsas; ita ut nec unicum harum omnium spicarum sit granulum, quod non æque integrâ suâ foveat, regat ac tegat curâ, ac si unicum tantum esset in universa terra. Nonne videmus, ipsam providere ac munire illud omnibus sibi necessariis, suo habitaculo, suo vestimento, suâ alimentatione, suis omninò ad se defendendum armis? videtur quamlibet frumenti spicam esse particularem quandam familiam, quæ habitet in specioso quodam palatio pluribus columnis innixo, ubi capitellum unius pro basi serviat alteri; & super omnia sapientia Creatoris noverit ædificare palatium quoddam è materia tam subtili & delicata, ut omnes mundi artifices non habeant instrumenta tam acuta, subtilia & exacta, quæ idonea sint ad laborandum in illâ; sed Palatium tamen tam solidum, tamque firmiter coagmentatum, ut nec venti, nec tempestates, adæquantes solo castra ac turres Principum, id evertendi vim habeant ac robur.

In Palatio hoc collocat ipsa omnia frumenti grana velut totidem fratres unius ejusdémque

Spica frumenti est palatium, in quo habitant plures fratres.

familiæ, in perfectissimo viventes simul consensu, & concordiâ; Et ne unum incomodo sit alteri, habet unumquódque conclave & cubile suum particulare, in quo tantâ cum pace & quiete manet, ut non exiret pro capienda possessione alicujus regni, quasi probè nosset, quod abs ulla sua incommoditatate, aut minimo impenso labore, sapientia Conditoris sui curam gerat portandi alimenta sua usqꝫ in cubile suum, quod nunquam non ab ea sit bene vestienda, & in omnibus suis, quæ occurrerint, prospicienda necessitatibus. Verum quidem est, omnes hos fratres, simul in eodem palatio habitantes, támque vicinos sibi invicem, ut non nisi tenuissimâ membranulâ separentur, sibi nunquam mutuò impendere visitationem; Et tamen tanta cohærent concordiâ pro communi sua defensione, ut quodlibet huc sua tendat & impendat arma. Quantas circa totum palatium intueris sarissas & hastas in bono ordine collocatas, & utrinque semper acuminatas, ad constituendum quasi præsidium stativum, quo impedietur accessus avium, insuper innumeris munitas parvis dentibus, ad mordendum muscas & araneas, omnésque alias minutas bestiolas, quæ afferre illis possent nocumentum.

Et videre milliones millionum ejusmodi Palatiorum, quorum unumquódque portetur in triumpho, super sublimes suas columnas, quibus integri repleantur campi! Et Sapientia infinita DEI dirigit & moderatur hæc omnia, abs eo, quod ullus hominum eorum curam gerat vel minimam, quamvis omnia ipsorum inserviant commodo: Et interim dum ipsi dormiunt, vel suis incumbunt negotiis, vel etiam nonnisi suis intendunt recreationibus, divina sapientia dies noctésque laborat pro ipsis, nec unico cessans momento suum prosequi opus, trahendum succum è terra, pluvias è cœlo, ignem è sole, ventos è thesauris suis, influentias ex astris, ut illud perficiat, & ad metam perducat. Ex in quando omnes spicæ integram suam assecutæ sunt maturitatem, sua versùm nos inclinant capita quasi dicturæ nobis: Recipite nos è munificâ manu communis nostri conditoris, qui nos dat vobis: Sed date operam, ut ipsum agnoscatis, ipsum laudetis, ipsum adoretis, ipsum ametis, ipsíque pro nobis & vobis rependatis gratias: *Quis sapiens, & intelliget hæc?* An igitur sit ullus, cui vel mica sit sapientiæ, qui non aperiat oculos, hánc ꝫ prodigiorum abundantiam consideret, ad cognoscendam, & contemplandam admirabilem DEI Sapientiam? Haud reperire est nec

Milliones palatiorum in aere, quæ DEUS sustentat.

Psal. 106.

rudem.

rudem, nec doctum, qui hìc non inveniat, quo jucundè se occupet totos dies, nunquam non corde repletus gaudio, si ita ubique vacaret considerandis excellentiis Creatoris sui.

Pulchritudines autumni, ubi terra est quasi universale convivium

Verumtamen, licet omnia hæc objecta, quæ Sapientia Dei tempore æstivo nostris exponit oculis, tantas habeant illecebras, tantásque pulchritudines, ut videatur nobis, illorum aspectu nunquam nos satis reficiac demulceri posse: Nihilominùs ne longa nimis ejusdem rei continuatio nos quodam obrueret tædio, commutat illa quóque post tres menses, & alio amictu incomparabili ter pretiosiore, magisque pomposo indutam comparere vult terram, Autumni nimirum tempore, ubi tam abundanter, támque munificè effundit & affundit nobis fructus, ut diceres, omnes creaturas porrigere nobis manus, ut quævis sigillatim de fructu sibi proprio nobis offerat munus & donarium. Videtur universum orbem factũ esse universale convivium à divina Sapientia præparatum, quò citat & invitat omnes, ut suas secum sectentur & capiant delicias: *Venite, comedite panem meum & bibite vinum, quòd miscui vobis.* Venite, venite omnes ad mensam meam, comedite panem meum, quem vobis præparavi in tam numerosis messibus, quas consultò donavi maturitate pro vobis; Bibite vinum meum, quod propino vobis in omnibus, quas aperui, cellis, quò non descendendum est, ut bibatur, sed potius ascendendum, cùm ut plurimùm elevatæ sint super clivos, ubi abs eo, quod opus vobis sit præparare aliquod vas, vobis asservo plusquã centenos milliones doliorum vini excellentis, & â totâ naturâ tam bene custoditi, ut nec unica quidem periret illius guttula. Venite, comedite fructus meos, quos vobis in tantâ porrigo abundantiâ, ut manus, quibus mando, ut illos vobis offerant, quandóque his ita onerentur, ut curventur sub mole, séque inclinent versùm vos, quasi invitare & rogare vos vellent, ut ipsas exoneretis.

Prov. 9.

Omnes sensus inveniunt suam satisfactionem tempore autumni.

Alio tempore satiare se possunt oculi aspectu infinitarum pulchritudinum, sese ipsis offerentium; sed omnes hic sensus integram suam invenire possunt satisfactionem. Desideras delectationem oculorum? Nec unicus est fructus, qui non habeat suam figuram, suam formam, diversam suam magnitudinem colorisque acrimoniam tam suavẽ ac vividam, ut occurrere nil pulchrius possit oculis. Quæris satisfactionem odoratûs? paucos reperire est fructus, quibus non sit odor adeò dulcis, ut reficiat cor modo quodam magis ac-

cepto, magisque naturali, quàm omnia odoramenta, unguenta, suffimenta, quæ ars componere posset, Ambis delicias gustûs? specialiter hìc non solùm suam habet satisfactionem, sed superabundat innocuis hisce deliciis, obrutum se experiens innumerabili multitudine diversorum saporum, quem quivis fructus in suum úsque ipsi affert, imò infert palatium, suum inquam palatum, ad offerendum ipsi exin munus, recepturus vicissim gratitudinis ergò ipsius approbationem. Et postquam illos omnes ejusmodi recepit benevolentiâ, dicere quasi non posset, quisnam alliciat ipsum magis, nisi quod omnes specialem suam habeant excellentiam, quâ admirabiles reddantur. Requiris similiter voluptatem tactûs? videmus, vix manus continere se posse, quin ferantur in fructum sibi propositum, eòquod horum aliqui quasi heteromallo videantur induti, alii sint læves expoliti marmoris in morem, alii naturali quodam illiti pigmento & fuco, cujus splendor invitet ad accipiendum ipsos manu, & accuratiùs aspiciendum è vicino: & omnes naturalem quandam habent frigiditatem, quæ manibus placet, illasque delectat.

Solæ igitur restant aures, quibus nullam fructus afferre videntur delectationem; sed illæ ratione quâdam sunt, quibus hi magis blandiuntur, lenocinantur magis: Siquidem cum careant voce in seipsis, invitant volucres cœli, parvulos hósce naturæ musicos, ut se congregent ad formandum ac modulandum jucundam quandam symphoniam, permittendo illis, ut deprædentur se, partemque capiant deliciarum, quas præparaverant hominibus, ut saltem obligatas se credant ad solvendas suas dapes, sicut faciunt cantando Musici, resonéntque nobis suave quoddam melos, ad nos dulcedine symphoniæ suæ exhilarandos.

Gratiarum actionem debemus DEO. Tertulliano

An possibile sit, inter hæc omnia non attollere homines animum suum ad DEUM, cognoscendo & admirando sapientiam magnæ hujus providentiæ, quæ omnia hæc in tam bono ordine, & tantâ dispositi cum magnificentiâ? An possibile sit, nullo ipsos amore ferri ergà patrem tam bonum, qui tantâ cum abundantiâ dat ipsis, & non solùm omnibus ipsorum providet necessitatibus, verùm etiam refocillationibus ac deliciis? *usq; ad delicias amamur.* An igitur verum sit tot ac tantis beneficiis, tantum non esse roboris, ut ipsorum flectant & lucrentur animos, ne tantæ incurrant notam ingratitudinis, ut ne quidem subeat cogitatio mentem, pro iis grates rependendi? Si nos mittamus ca-

lathum fructibus refertum amicorum cuipiam credimus ipsi in hoc non obscurum exhibere argumentum amicitiæ. Et exspectamus, ut saltem grates rependat nobis. Et tu non credas te obligatum ad exsolvendas incessanter grates tanto benefactori, qui omnes suos tibi largitur fructus, quique incessanter tantas è thesauris suis educit divitias, ut locupletet te illis, abs eo, quod vel tantillum laboris impendas, ut illas ab ipso petas. Ah! redde saltem ipsi, quod à te petit, quodque facillimè præstare potes, reminiscentiam tuam, laudes tuas, amorem tuum; & admirare, tantam ipsius esse bonitatem, ut nemo sit in mundo, nisi ipse solus, qui tantas tam levi pretio dare velit divitias.

Omnes fructus patrem suum portant in corde suo.

Quod amplam adhuc inveniam ansam, majori admiratione prosequendi incomprehensibilem Sapientiam DEI in cunctis suis fructibus, est, quod videam, nec unicum ex illis esse, qui non circumferat Patrem suum in corde suo. Quid enim est parvum hoc semen, quod in medio sui ipsius asservat, nisi ipsamet arbor, quæ ipsum produxit. Quamvis nihil exin nostris appareat oculis, Sapientia tamen Creatoris includere intus optimè noverat radicem, ramos, folia, flores, fructus magnæ cujusdam arboris. Ah! quis unquam concipere poterit, quâ arte id fieri posset? Quantum prodigium, quod toto vitæ nostræ tempore nos teneret admiratione suspensos, si nobis id novum foret; & si, cùm nunquam conspexisses hoc naturæ miraculum, aliquis manu tenens unicum solum pomi vel mali aurati granum, tibi diceret, id tibi monstrando, túque nescires, quid esset, nisi quod sit res, quæ appareat valde vilis & abjecta.

Ingens prodigium, si esset novum.

Noveris arcanum mihi esse, quo efficiam, ut è terra prodeat columna quasi ærea, ex qua nasci faciam diversarum, figurarum ramos, quorum unusquisque plura habebit brachia; & ex his ramis, qui virides omninò erunt, producam ingentem florum candidorum abundantiam, quibus erit odor tam acceptus, ut exinde educturus sim plures, quàm centum libras aquæ odoriferæ; Insuper exinde traham & prodire faciam quingenta poma aurea, quibus succus & dulcor erit admirabilis: & hoc meum arcanum adeò certum est, ut è centenis & millenis vicibus, nec unicâ vice me sit decepturum. Dicas mihi, quis tibi tunc stupor, quæ syncope mentis, dum primâ vice audires hominem sic ita jactantem de re, quam vidisses nunquam, quàmque credidisses impossibilem:

non continere te posses, quin ipsum interrogares: Prô! quali & quantâ utereris machinâ! Quot opificibus & operariis tibi foret opus! Quantum laboris, quantum temporis impenderes tam immani huic operi conficiendo? multòmagis adhuc stuperes, quando responderet tibi: Nullius omninò operâ indigeo, non stabit mihi nec minimo labore, sed nec alio utor artificio, nisi quod in terram projiciam id, quod gero in manibus, & exin haud ampliùs mihi curæ erit; paryulum hoc granum tanti est valoris, ut id solum confecturum sit ingens hoc opus, quod omnes homines in mundo simul conficere nunquam possent. Et si postea in operè videres, quod nunquam vel vidisses vel cogitâsses, nonne extra temetipsum rapereris totus?

Siquidem interrogares, quænam intelligentia, & quænam sapientia admirabilis parvo huic grano conferre potuit tantum dexteritatis, tantum roboris, talem operandi rationem, ut ipsum solum conficere potuerit id, quod cunctis potentissimis mundi Monarchis est impossibile, quodq; omnis acerrimorum ingeniorum scientia evincere non posset, nec comprehendere. Ah! video te, sapientia infinita magni orbis terrarum architecti, video benè, non nisi te solam esse, quæ conficere potueris tam exquisitum opus: Admiror te, adoro te, amabilis Sapientia DEI mei, quæ in prodigio hoc, tanto me percellis stupore. Si non nisi uniçâ id vice operata fuisses per omnem sæculorum decursum, te omnes admirarentur; sed quia incessanter operaris illa, vel similia, vel adhuc majora in universo orbe, non æstimatur, & nemo id considerat. Videtur te non amplius aut observari, aut admirationem ciere in aliquo, eòquod in omnibus sit nimium admirabilis; pretiosissima quæque vilescunt, si nimium sint assidua. Ideò tempus etiam est, O divina Sapientia, ut amoveas & tollas â nobis, magnum hunc apparatum, quem labente autumni tempestate ostentaveras in universo orbe: Quamvis enim æqualiter tum deliciis, tum divitiis abundet, si illis diuturno fruamur tempore, tandem vertentur in tædium.

Prodigia stupenda hyemis.

Ecce ergò tibi, qua ratione tandem quartâ vice immutet nobis faciem mundi, si non omninò prosternat, & susq; deq; vertat: Siquidem, dum hyems accedit, videtur divortium facere solem inter & terram, velut marem inter & fœminam; Et universa hæc ingens naturæ domus, cui concordia ipsorum omnem pepererat felicitatem, tota exin vide-

videtur desolata. Sol ex parte suâ recedit, & quasi totus stomachabundus magnam adversùs terram concepisset indignationem, non nisi ex obliquo dignatur aspicere illam; si ipsi quasdam adhuc visitationes impendat, hæ adeò sunt breves, ut vix parum spectandum se præbens, mox iterum dispareat; sæpius adhuc involvens se nubium spissarum velo, videri non vult, nec vel minimo terræ blanditur oculorum obtutu. Terra ex parte suâ haud parum huic disidio contribuere videtur: siquidem illa nunquam non tam morosum, tam exosum exhibet vultum, ut mœstum & molestum hunc oris sui habitum universus abhorreat mundus; pro eo, quod se aliàs monstraverit liberalem, officiosam, ergà omnes benè merendi studiosam, nemini ampliùs impertitur quidquam, clauditur tota, dura fit ac insensibilis, nunquam non occlusum ac obseratum soli tenet cor suum, quasi concluisset secum nullum amplius cum ipso colere amicitiam; Insuper se totam negligere videtur, nullius amplius studiosa ornamenti aut luxûs, quo se aliis temporibus amicire, sicque amicta sibi amicos quærere videbatur sollicita, quasi deinceps nulli amplius placere volens.

Quando omnes mundi potentiæ convenirent ad evincendam hoc tempore inter illos reconciliationem, non poterunt impedire, quin multum inter ipsos simultatis maneat simul & semper: Interim omnes domestici, & omnes magnæ hujus naturæ domûs filii, quorum ita discordant Pater & Mater, patiuntur & sustinent multum. Arbores exspoliantur & remanent prorsus nudæ magno durante frigore: Aves amputatam videntur habere linguam, altum tenentes silentium, excordes dicam an vecordes ob hanc discordiam; & quasi timerent displicere terræ, non amplius dicunt ave orienti Soli, juxta morem tempore observatum verno. Animalia omnia quærunt, & non inveniunt annonam suam consuetam, eòquod terra omnes suas subtraxerit provisiones, usque adeò est invisa, adeóque indignabunda, dedignans prospicere ipsis de alimoniâ. Unico verbo, tantos exercet rigores, ut tremore concutiat cordatissimos quósque.

Prodigia tempore hyemis.

Verùm an non demonstrabis hìc sicut alibi, sapientiæ tuæ prodigia, adorande mundi Creator? Venite & videte, observate & annotate illa benè, & annuetis, non minora illa esse, nec relucere minùs in universali hoc naturæ defectu, quàm cœteris anni tempestatibus. Inprimis miseretur terræ, quam ita nudatam

tam

tam & omni ornatu exutam conſpicit, ipſámque candido coöperit tapete, in ſignum ipſius innocentiæ, ad demonſtrandum, quod ipſa rea non ſit, neç cauſa omnium horum malorum, quibus vexat & affligit homines: amictu ex lanâ, quam per floccos Pſal. 147. dilabi facit è cœlo, reindui facit eam: *Qui dat nivem, ſicut lanam*: quæ absque ſuturâ ita ſe unit, támque bene ipſius ſe accommodat corpori, ut æqualiter montes tegat & valles, clivos & colles, arva & prata, ut ubique noſtris oculis eodem amicta videatur ornatu: & dicitur amictus hic, licet frigidiſſimus cenſeatur, haud parum calefacere illam.

Aliâ vice ſapientia divina ſibi complacet amicire illam ſyrmate è cryſtallo & margaritis confecto, ad majorem decorem adornato lemniſcis è ramis arborum dependentibus, tam delicatis in materiâ, tam diverſis in figurâ, tam curioſis in novitate, tam acceptis & jucundis viſu, ut, ſi omnes alicujus regni artifices toto vitæ ſuæ ſpatio laborarent & millenis ſe mactarent laboribus, ad producendum ejusmodi quid vel minimum, quod ipſa in univerſo producit orbe, unius noctis duntaxat decurſu, abs eo, quod obſtaculo ſint tenebræ conficiendi tam ſpecioſum & inſigne opus tantâ cum concinnitate & proportione, quæ non levem pariant admirationem.

Sed ubi invenient aves, quo vivant, vel unde cuncta animantia ſua deſument alimenta, dum ita ſub nive ſepulta tellus manebit, vel tota cryſtallino incluſa carcere, & velut mortua apparens non habebit, unde vitæ provideat viventium? Tuum hoc eſt, divina providentia, tu noveris cunctis ipſorum providere neceſſitatibus, curâ magis ſingulari, magiſç affectuoſâ, quàm ſuis amantiſima mater filiis; Tu noſti, ubi ſint promptuaria atç penaria, ubi aſſerves cuncta ipſorum alimenta; Et admirabilis tua Sapientia, velut univerſalis creaturarum omnium œconoma, bene noverit eorum facere diſtributionem cujusvis neceſſitati & indigentiæ conformem, tantâ cum dexteritate, quæ incomprehenſibilis omninò videatur. Aſpicimus hæc quotidie, & non deficimus præ admiratione.

Et poſt hæc non collocemus nos omnem noſtram confidentiam in paternæ ipſius providentiæ curam affectuoſiſſimam, dum adeò luculentum nobis ob oculos collocat exemplum, noſtram arguens, nobisque exprobrans diffi-

Confidere debemus Providentiæ DEI.

diffidentiam in Evangelio: *Respicite volatilia Cœli, quoniam non congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa.* Nonne videtis, cœli aviculas non magnas granariis suis inferre provisiones? quasi totum ipsarum negotium est, perpetuas creatori suo cantare, clangere & pangere laudes, & Pater vester cœlestis ipsis providet de annonâ: Nonne incomparabiliter magis vos amat? ut quid ergò laboribus ac curis mactatis vos, ut congregetis superflua, vobisq; non necessaria? Nonne mediocris rerum vobis sufficeret cura? O! si quæreretis primùm regnum DEI, si præcipuum vestrum tenderet studium extendendæ ipsius gloriæ, & promovendæ vestræ saluti: Nonne Pater vester cœlestis, qui majore tum amore, tum curâ vos solos prosequitur, quàm cuncta animantia terræ simul, nunquam permitteret vos eo destitui, quod vestræ foret opus necessitati?

Multa hìc & diu fuerat profatus, & plura, quàm ab initio statuerat secum; sed revera nullo societatem affecerat tædio, cùm tam pulchra, tam curiosa, tam idonea elevandi mentem ad cognoscenda & admiranda prodigia Sapientiæ DEI, resplendentis in omnibus operibus ipsius, ut alii longiori tempore exoptâssent pergrati prosecutionem discursûs. Sed ille ipse alia, quæ ignorabat, discendi cupidus, voluit quoque aliis permittere loquendi tempus. Unde pictor fari cepit, & proferre in medium plura notatu digna, quæ in exercitio artis suæ observaverat, circa prodigia admirabilis Sapientiæ DEI, quæ pulchritudine non cedebant iis, quæ jam audiêrant. Videbis illa, & tuum de iis feres judicium.

ARGUMENTUM.

1. Sapientia DEI admirabilis videtur in picturâ.

2. Natura ludit cum arte, quæ ipsam multo tempore poterit assequi.

Articulus II.

Laus picturæ.

VErum est, quod dicitur. Ex abundantia cordis os loquitur. Expoluit nobis dominatio sua perjucundè prodigia Sapientiæ DEI, quæ animadvertit in agriculturâ suâ, cui video, ipsam magnâ cum voluptate navâsse operam, per omnes quatuor anni tempestates; me quod attinet, qui omni amore omnique studio feror ergà picturam, fateor, ipsam mihi præbuisse ansam animadvertendi alia judicio

meo longè jucundiora, magisq; stupenda; & ut dicam, quod verum est, quando omnes intueor artes, nullam ex omnibus video, quæ sit nobilior, majoribus favoribus donata â DEO, magis universaliter in opus redacta, magisq; necessaria mundo, quàm pictura: Et videtur non esse inventa, nisi ut ubique divulget maxima infinitæ sapientiæ DEI prodigia.

DEUS est primus pictor.

Siquidem imprimis, quantus picturæ accrescit honor, si perpendatur, ipsummet DEUM primum esse pictorem, nec sublimiorem, sibiq; jucundiorem ipsum habere occupationem, quàm abs intermissione depingere semetipsum in imagine suâ? Imaginare tibi, ipsius immensitatem esse telam expansam, & eòusq; támque latè expansam, ut ipsemet videndo attingere non possit ipsius metam. Pulchritudo, quam habet ob oculos, quámque repræsentare intendit, est propria ipsius essentia. Colores, quibus utitur, sunt omnes adorandæ ipsius perfectiones, quæ omnes ipsi sunt necessariæ, quásque omnes absolutè adhibet, absque ulla exceptione. Penicilli locum obtinet divinus ipsius intellectus, quo nunquam plures, nisi unicam duntaxat efformat lineam. Et opus ipsius, quod nunquam incepit, quodque nunquam finiet, sed quod semper actualiter producit in omni perfectione suâ, est Filius ipsius unigenitus, quem Sanctus Paulus nuncupat *Imaginem DEI invisibilis.* Col. 1. Sed quid facit in hoc admirabilis & eximius hic pictor, nisi quod depingat Sapientiam? omnes enim novimus, verbum æternum esse Sapientiam DEI Patris sui. Ecce incomparabilem, quo insignitur pictura, honorem. DEUS Pater est primus pictor, & Sapientia increata est omne id, quod pingit in seipso. Nonne meritissimo jure dixi, artem hanc eximiâ hâc decorari prærogativâ super omnes alias artes, quod specialiter sit destinata ad manifesta prodigia infinitæ sapientiæ DEI?

Omnia entia visibilia sunt pictores.

Sed ut magis luculenter nobis ostendat, quanti eam æstimet, quando sese diffundit extra seipsum in creaturas, quamvis illas creaverit conditionis valde diversæ, illásque qualitatibus & muneribus donaverit conformibus ordini, quem tenent in mundo; voluit nihilominùs, ut omnes creaturæ visibiles pictores essent, & juxta exemplum DEI Patris non cessarent unquam depingere semetipsas. Ex illis nec unica est, cujuscunque sit conditionis, modò sit visibilis, quæ non faciat tam specialem hujus artis professionem, ut, quasi inseparabilis foret ab esse ipsius, mox illam destrueres, si impedi-

res,

res, ne se depingeret & repræsentaret in suâ imagine, ubicunque potest, sed arcano & dexteritate tam singulari, ut quatuor ingentia animadvertamus prodigia in exercitio artis suæ, quæ non solùm imitabilia non sunt, sed portenta sunt Sapientiæ DEI prorsùs incomprehensibilia.

Primum prodigium specierum intentionalium.

Inprimis nullum est objectum visibile, quod exprimere nesciat perfectam sui similitudinem, in specie suâ vel imagine suâ, quæ non est nisi simplicissimum accidens, vel tenuissima qualitas, quam extra seipsum emittit in totum, quo circumcingitur, spatium diaphanum, quo adusque videri potest: dico in totum spatium, ita ut ne quidem sit punctum, quod illâ non impleatur. Nihilominus hæc omnia perficit abs ullo tumultu, ita ut nemo vel minimum quid exinde percipiat; tam parvâ cum difficultate, ita ut nihil prorsus laboris intercurrat; tam exiguo in tempore, ut nonnisi unico indigeat momento; & imago ipsius tam perfecta, tamque elaborata est, ut omnibus creaturis impossibile sit illam meliùs repræsentare, quàm seipsum repræsentet & depingat objectum in hac specie, quam Philosophi appellant speciem intentionalem. Et si dubites, an ita ubivis indifferenter suam in hâc perfectione efformet imaginem, quære locum in toto illo spatio, quo collocare te potes ad illud aspiciendum, & videbis, quod non tam citò tuum in partem illam dirigere poteris aspectum, quin depictum jam sit in oculis tuis. Quis est, qui edocuit ipsum hanc artem, quam exercet tam perfectè in ictu oculi, ut peritissimus mundi pictor plurium annorum labore eò pertingeret nunquam? Quis non videt, hoc unum è tuis esse prodigiis, O divina Sapientia DEI!

Secundum prodigium dictarum specierum.

Secundò species hæ vel imagines objectorum visibilium non habent aliquem colorem, & nihilominùs exhibent & videre faciunt omnes colores; non habent aliquam magnitudinem, cùm sint indivisibiles; & nihilominùs demonstrant & proponunt quascunque magnitudines; non habent nec formam, nec figuram, & nihilominùs perfectè repræsentant omnes formas, omnes figuras. Quale prodigium est hoc? congrega mihi omnes pictores mundi, & dic eis: Volo, ut faciatis mihi pulchram imaginem, sed nolo, ut aliquem adhibeatis colorem: Volo, ut repræsentet pyramidem altam quinquaginta cubitis, sed nolo, ut detis illi aliquam magnitudinem: Volo, ut ornata & onerata appareat armorum trophæis, florum fructuúmque variegata decore, sed nolo, ut imagini ve-

ſtræ detis ullam aut formam, aut minimam figuram. Nonne omnes dicerent: Rem poſtulas impoſſibilem, quæque ſubire non poſſit mentem hominis mortalis. Quis ergò eſt, qui edocuerit minimum objectum viſibile, quod ſit in mundo, efformare perfectisſimam ſui ipſius imaginem in oculis tuis, quæ tam naturaliter repræſentet & exhibeat ipſius colores, ipſius magnitudinem, ipſius habitum & figuram, abs eo, quòd utatur aliquo colore, abs eo, quod adjiciat aliquam magnitudinem vel figuram imagini ſuæ? Tu ſola es, O admiranda Sapientia DEI! Tu admirabilis apparès in rebus minimis, & nemo te conſiderat. Unde venit, totum mundum non attendere hæc prodigia, quæ ipſum tenerent continuâ excellentiarum DEI admiratione defixum? ſed ecce plura adhuc: ſiquidem

Tertiò omnes hæ objectorum viſibilium ſpecies ſunt tam providæ, modeſtæ & obſequioſæ, ut ſe invicem non incommodent; Et licet in infinitum multiplicentur, & conditionis ſint diverſæ, ſicut illæ res omnes, à quibus producuntur, quælibet tamen non attendit, niſi ut ſuum pacificè conficiat opus, abs eo, quod impediat opus & operam aliorum. Vellem rogare vos, Domini pictores, ut efformetis mihi imaginem, quæ repræſentet ingentem quendam alicujus regionis tractum, ubi videre ſit omnis generis varietates, montes, ſcopulos, ſylvas, campos, prata, flumina, aves, villas, flores, fructus, greges, homines, utque ad repræſentandum hæc omnia ad vivum, & absque confuſione, adhibeantur omnes colores, quibus uſus eſſe poſſit in pictura: Sed vellem, ut omnia hæc pingerentur in ſpatio tam parvo, quale alicujus acûs eſt caput. Bone DEUS! Quid hic poſtulas? impoſſibile foret, tot colores oppoſitos, album & nigrum, flavum & cœruleum, viridem & rubrum, & omnes alios non confundi ac invicem commiſceri, cùm omnes in ſpatio tam arcto forent inclusi: Nonniſi confuſum id chaos foret, in quo nihil diſtingui poſſet.

Tertium prodigium ſpecierum intentionalium.

Sed quando aſpicis amplam quandam regionis plagam, ubi obſervas centum res diverſas, & in his innumerabilem diverſorum colorum numerum: an advertis illos confundi in pupilla oculorum tuorum, ubi omnes ſunt depicti, abs eo, quòd majus ibi ſit ſpatium, quàm caput majoris alicujus acûs complectatur? Nonne diſtinctiſſimè diſcernis album & nigrum, & omnes illos colores, omnes omnium illorum diverſorum objectorum diſpoſitiones, absque ulla confuſione?

Quis

Quis est magnus ille pictor, qui arcanum hoc noverat excogitare, illiusque notitiam conferre tot stupidis ac insensibilibus creaturis, quæ exactissimè id efficiunt, nunquam non redigentes in opus tarum hoc prodigium, abs eo, quod unquam hic deficiant, dum se in oculis nostris depingunt. O adoranda sapientia DEI mei, quàm es admirabilis! Quantum transcendis omnem captum nostrum! ut quid tantis tuis prodigiis non rapis tum omnium corda, tum mentes & ingenia hominum?

Quantum prodigium memoratarum specierum.

Animadverto adhuc post hæc omnia quartum prodigium Sapientiæ DEI in hoc picturæ genere, quod non minus cæteris stupendum & incomprehensibile mihi videtur. Quomodò fit, omnes hos pictores naturales suppeditare ad pingendum semper posse, abs eo, quod unquam defatigentur, abs eo, quod vel unico momento desinant, abs eo, quod unquâ exhauriantur? Non admiror, DEUM Patrem, primum hunc pictorem, & æternum hunc pictorem, pingere semper divinam suam imaginem, seque effundere totum integrum in illam, exhauriendo se totum, abs eo, quod unquam se exhauriat, ad producendum illam æquè magnam ac se, æquè perfectam ac se: eòquod infinita ipsius fœcunditas inexhauribilis existat. Sed quod minimum objectum visibile, quantumvis tenuissimum, imitetur ita fœcunditatem cœlestis Patris, ut effundat incessanter sui speciem, & perfectam sui imaginem extra seipsum, quodque id etiam multùm extendat ultra esse suum, suppeditando semper ad id, abs eo, quod unquâ exhauriatur, abs eo, quod defatigetur, abs eo, quod cum tempore debilitetur: Quis diffitebitur, hoc esse prodigium omnem nostrum excedens intellectum, quodque fœcundissimum nobis præbeat argumentum admirandi excellentias Dei?

Et magis adhuc, si consideremus, quantâ vi, & quanto robore omnia hæc objecta visibilia, suas versùm nos species impellant: Siquidem, cùm verum sit, ipsas non esse, nisi accidentia, quæ abs intermissione indigeant aliquâ substantiâ, cui adhæreant, & â quâ sustententur, necesse est, ipsas adhærere & affixas esse aëri, qui est objectum inter & oculos nostros. Et unde venit, quod, cùm aër fortiter commoveatur & agitetur à ventis, species nihilominùs semper maneant tam inconcussæ & immotæ, ut videamus semper idem objectum, absque vacillatione, haud aliter, quàm si aër illas portans & sustentans, totus esset tranquillus? Quando studiis integros consecraremus annos, penetrare haud possemus minimam horum ar-

canorum partem, quæ magna Dei Sapientia minimas edocuit creaturas, dum formavit ex illis Magistros pictores, objectorum visibilium ordini ac numero easdem inserendo.

Considératio melius ostendens admirabilem DEI Sapientiam.

Verùm si pensiculatiùs consideretis, quàm necessarium fuerit, Sapientiam Creatoris nostri hâc ratione procedere, perspicietis adhuc meliùs, unde admiremini prodigia ejus. Siquidem quid mundus evaderet, si inhiberet DEus hisce pictoribus, hoc suum pingendi exercitium? Non videremus nec unicum ex his objectis, quæ modò nobis sunt visibilia, eòquod non pingerent amplius imagines suas in oculis nostris, quod unicum est, quod videre nos facit. Et nisi implerent ipsa speciebus suis totum aëris, quo circumdantur, spatium, sed tantùm aliquas illius partes, hinc & inde, omnes alias relinquendo vacuas, quâ ratione illa videre possemus? Siquidem necessarium omninò foret in incertum quærere & indagare punctum visûs, ubi species illæ essent, quod nobis tædium & incomparabilem pareret laborem. Et si non semper suas effunderent species, sed certis tantummodò diei horis; vel si non in instanti suam depingerent imaginem in oculis nostris, sed exspectare oporteret, quoad cum otio perficerent opus suum, sicut si quis pingi curaret imaginem â manu hominis, quæ patientia sufferre id posset? Sed si omnes hi pictores uti deberent coloribus, quæ obsecro horum requireretur quantitas, & unde desumeretur ab illis? Et si ipsorum imagines aliquam haberent magnitudinem, vel quampiam figuram, quomodo possent intrare in oculos nostros? Ulterius si hæ species essent visibiles, si occuparent aliquem locum, si invicem sese contunderent, si invicem confunderentur, quomodò intueri possemus tot objecta diversa, & illa videre clarissimè unico aspectu, abs eo, quod oculi nostri advertant vel repletionem, vel minimam incommoditatem?

Sola sapientia DEI invenire potuit hanc artem.

Ut igitur immunes essemus ab innumeris hisce & inevitabilibus inconvenientiis, excogitari debebat ars picturæ, mediante quâ pictores possent pingere semper, pingere ubique, absque labore, in unico instanti, absque coloribus, absque penicillo, absque figura, absque forma, absque obstaculo, absque impedimento, quod inferre posset ingens aliorum pictorum copia, qui eodem tempore ingentem numerum aliarum imaginum depingere vellent in eodem subjecto, nempe oculorum nostrorum pupillâ. Et quis, O magne DEUS, invenire poterat hanc artem, nisi intellectus DEI omnipotentis? Et

quomodo

quomodò tam perfectè docere hanc potuit cuncta objecta visibilia, ut magisterium in hâc obtineant, illámque excellenter exerceant abs ullo studio, in ipso, quo creata fuêre, instanti? si non manifestissimè ex hoc intelligamus prodigia Sapientiæ infinitæ DEI, si non admiremur illa, si illa laudibus non extollamus; nescio, quid dici debeat, ut melius illorum inculcetur nobis cognitio.

Pictores omne quidem reproducunt omne id, quod DEUS protulit.

Nihilominùs ut magis visibilem se redderet, â pluribus hominibus amari voluit hanc picturæ artem, utque contenderent non quidem ipsi aliquid superaddere, & altiùs illam attollere, vel admiranda more ipsius secreta invenire; sed saltem effingere & imitari speciosa ipsius opera, & laborare post illum in omnibus objectis visibilibus, quæ sunt in mundo. Siquidem robore omnipotentis brachii sui nihil condidit, nec fecit, quod pictura facere aut repræsentare non conetur delicato penicilli sui cuspide, quasi pictores post illum secundi essent Conditores mundi. Verum quidem est, ipsorum exemplaria longissimè abesse ab Archetyporum excellentiâ. Nihilominùs admirabile infinitæ Sapientiæ DEI fuit opus, dedisse homini intellectum, mediante quo invenire potuerit ingeniosam hanc artem, quæ insultare videtur morti ipsi, & homines invitâ illâ, rarione quâdam reddere immortales: postquam mors omni formâ & cultu Magnatis hujus vultum exspoliavit per morbos; postquam ipsius corrupit carnem, totúmque corpus sub tumbâ reduxit in pulverem; cum majestate adhuc aptus ipsius inter conventq & congregationes hominum & ubique adhuc præsentia ipsius excitat reverentiam, conservando ipsius memoriam: eóquod pictura ipsum nunquam non præsentem conservet in ambulacris, Xystis & aulis.

Majora adhuc præstat: quodamodò enim ipsum magis præsentem reddit post mortem, quàm extiterit in vitâ suâ. Siquidem non habuit, nisi unam solam præsentiam, & eodem tempore esse non potuit, nisi in loco unico; ast modò bene novit suas multiplicare præsentias, ita ut præsens fiat, seque coram exhibeat in pluribus domiciliis, in pluribus civitatibus, in pluribus regnis eodem tempore! & si velit, poterit hæc pluribus non solummodò ipsum reddere inquilinum totius orbis, sed semper ipsius conservare memoriam, ipsum præsentem redens inter vivos usque ad consummationem sæculorum. Nonne sic DEUS tractat fideles sibi famulos? nonne ipso facto memoria justi est æterna, nonne

est

est præsens in mille locis, nonne honoratur ubique in imaginibus suis atque picturis? Ille, qui ita studuit se subtrahere notitiæ hominum, qui abscondere se voluit in profundo nihili barathro, virtute humilitatis totus suis oculis abjectus. Sapientia divina, amore cujus insipientem se reddidit, judicio prudentum hujus seculi, bene noverit hoc invenire medium, ut ipsum semper, reluctante etiam morte suâ, vivere faciat in terris, sicq; inter mortales immortalem faciat ipsum.

DEus nititur pictura, ut semper vivere faciat memoriam servorum suorum.

Quærebat ipse tenebras, & sapientia divina exponit ipsum luci: anhelabat ipse incognitus esse mundo, & Sapientia divina producit ipsum in conspectum totius mundi: fugiebat ipse laudes, & sapientia divina replet ipsum honore, volens, ut non solùm in suâ personâ, sed etiam in suis honoretur imaginibus, coronetur floribus, ornetur magnificè, & ubivis locorum ipsius resonent elogia, loquantur panegyres. Et nonne hæc magna picturæ sit gloria, quod serviat ceu instrumentum DEO pro executione magni hujus consilii, & ut fit velut vox verbi, quo propagetur in terris honor illorum, quos ipse honorat in cœlis. Volebat olim hæresis ex universa Ecclesia ejicere & proscribere picturas atque imagines. Eheu! hoc fuisset imponere silentium innumeris prædicatoribus, qui loquuntur ad oculos totius mundi, & annuntiant vel maximè rudibus & indoctis laudes DEI ac gloriam omnium Sanctorum. Vide, ob quam causam antiqui Patres Ecclesiæ voluerint imaginet collocari in locis demissis, & vicinas oculis, ut possent tantò meliùs è vincino videri, & etiam fixis cum reverentia oculis honorari, certi, habere ipsas virtutem specialem imprimendi mentibus eximios in DEUM affectus, quando majori cum attentione considerarentur.

Pictores, qui ita sua cernunt honorari opera, nonne concipiendæ vanæ gloriæ possent subire periculum? Quando nobis est animus quemquam arguere ob stolidam quandam vanitatem, dicere solemus: Pictoris instar superbit; sed sapiens Providentia Dei suppeditavit illis aliunde millena summè se humiliandi argumenta: Nam quanta illis confusio, quod dicatur peritissimum illorum pervenire non posse ad imitandum petfectè minimum ex omnibus DEI operibus? Nihil ipsius proponere vellem nisi caudam pavonis, videbunt ipsam velut Argum, totam coopertam oculis: intendant omnes nervos, ut efforment unicam solam, quæ sit ejusdem cum illarum minimâ

Quid pictores ad humiliationem inducat.

mâ pulchritudinis, quam in ipsorum circumfert confusionem; & habitâ omni suâ scientiâ, omni suo impenso labore, omnibus suis coloribus selectissimis & viridissimis affricatis, fateri tandem cogentur, quod nondum illam attigerint, nec unquam attingere possint: Nam unde desument illam lucem, illum nitorem, illam Majestatem, & nescio quam vivacitatem, & quasi animam ipsam, quæ satiant, & delectatione replent omnium intuentium oculos? Quando hæc avis intumescit gloriâ & ad ostentandam suam pulchritudinem, omnes has speciosas plumas explicat & expandit soli, accurrunt omnes ad videndum illam, quivis cum voluptate ipsum considerat, quivis ipsam admiratur; & diceres, quod omnium hominum oculos erunt, ut ipsos suæ annectat caudæ, sicque suorum adaugeat numerum oculorum.

Sed quis consideret hoc pulchritudinis prodigiũ nostris obversans oculis, qui non continuò suum ad cœlos attollat animum, & adoret eum, qui hujus auctor est & principium? Quis est, mi DEUS, qui conficere tam speciosum potuit opus? Estne hæc avis, quæ caret intellectu, & nescit, quid faciat? Suntne homines, qui illam admirantur, quicq; confitentur, se omni suâ scientiâ nil posse conficere, quod vel à longè accedat ad perfectionem tam exquisiti operis? Tuum est opus, O divina Sapientia. Nonne cœcum esse oporteat, si quis tam numerosis cum oculis non videat manum sapientem, quæ elaboravit illam? Et nonne videtur, te non apposuisse tot oculos caudæ hujus pennatæ pecudis, nisi ut in illis demonstrares te, & tua ostenderes prodigia, illâque omnium hominũ exponeres admirationi? Et nos contenti simus Corporalium nostrorum oculorum delectatione, leviter transeamus cuncta DEI opera, abs eo, quod seriâ consideratione immoremur & immoriamur illis? Nonne dolendum, quod, cùm conditi simus, ad extollendam nostram animam ad DEum, miserè semper repamus super terram?

Tantæ Sapientiæ non fuit Salomon, nisi quia seriò studuit cognoscere prodigia divinæ Sapientiæ, in omnibus operibus ejus. Et hoc est, quod Sacer Codex nobis vult innuere, dum dicit: *Quod disputaverit super lignis â cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete*: id est, à rebus summis usque ad res minimas: quod studii genus adeò necessarium judicat, postquam expertus est maximam, quam inde hauserat, utilitatem, ut nobis hanc foriat maximi momenti adhortatio- 3. Reg. 4.

nem: *Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis*; quasi dicat: Fili mi, ne tam leviter obeas oculis tuis opera DEI, immorare illis, mi chare fili, & defixâ mente perpende illa; ipsorum artificium solerter rimare, & invenies ibi miras, quibus demulcearis, pulchritudines ac delicias. Est postquam admiratus illa fueris, illorum indaga Auctorem, & millenis ipsum extolle encomiis; grates illi de tantis repende beneficiis, teque exstimula ad amandum ipsum ex toto corde tuo. Nec unica è creaturis est, quæ tibi non serviat, si velis, pro duce fideli, ad docendum te contemplari in omnibus excellentias DEI.

Prov. 3.

Bonus hic Pictor mentis suæ sensa sat vivis delineavit coloribus, ut congregatæ acciderint gratæ societati, quæ etiam contestata est, haud parum sibi illa placuisse: Nonnisi medicus erat, qui nimium jejuna, & minoris, quàm par erat, ipsa judicabat soliditatis. Cùm enim vir esset metitabundus & studiis prorsus absorptus, mos illi erat, penitiùs rimari & perscrutari omnes materias, quibus animum addicebat, non contentus immorari tantummodò exterioribus, quæ cadunt sub sensum: Insuper libentiùs suam navabat operam iis argumentis, quæ abscondita magis & obscura videbantur, quàm illis, quæ captu magis erant facilia. Et quia ipsum hujus indolis esse noverant, avidi erant audire, quod in suâ volvebat mente. Ecce igitur, quomodò loquebatur illis.

ARGUMENTUM.

1. *DEUS complacet sibi ostendere nobis, quàm sit incomprehensibilis.*
2. *Plura naturæ prodigia, quæ videmus, quorumq; ignoramus rationem, admirari nos faciunt Sapientiam infinitam DEI.*

ARTICULUS III.

MAximè æstimo, Domini mei, vestras omnes notitias & rationes speciosas, & fateor conferre illas posse levem aliquam cognitionem de excellentiis DEI; sed malim ego tenebras profundæ alicujus cognitionis, quæ de eo nil aliud mihi permitterent cognoscere, nisi quod absolutè sit nobis incomprehensibilis. Novi probè, Theologos nobis dicere, ipsum melius cognosci ab hominibus per doctam quandam ignorantiam, quam per omnes suas doctrinas ignó-

Doctâ ignorantiâ cognoscitur DEus.

gnorantes, duásque esse vias, quibus ad ipsum accedere debeamus: Unam appellant negativam, quæ consistit in sciendo & cognoscendo id, quod non est; Aliam nuncupant affirmativam, quæ consistit in sciendo & intelligendo id, quod est. Prima magis solida est, magisq; secura. Permittite igitur mihi hâc incedere, & ambulare viâ, vobisque dicere, non id, quod scio, quodque bene comprehendo; Sed id, quod nescio, quodque comprehendere non possum de excellentiis DEI.

In quo sapientia Dei videatur incomprehensibilis.

I. Si intuear universum mundum, non comprehendo, quomodò DEUS, cùm condiderit ipsum pro suâ gloriâ, toleret aut tolerare possit, quod ad aliud quasi non serviat, quàm ad inferendam sibi injuriam, & oppugnandum tam insolenter suam gloriam, quasi omni loco, & quasi omni tempore, ubique quasi & semper. Siquidem pro unico solo homine, qui paulisper ipsum cognoscat, & quandoque parum quid faciat pro ipsius gloriâ, & ad ipsius obsequium, erunt aliorum mille, qui ipsum non cognoscant, qui ipsum contemnant, quique non vivant, uti videtur, nisi ut ipsum indesinenter offendant. Et pro uno solo bono opere, quod factum fuerit pro ipsius gloriâ, committentur eodem instanti decies millena peccata enormia, quibus afficiunt ipsum injuriâ. Et verum est, plus mali esse in unico peccato mortali, quàm boni sit in omnibus bonis operibus justorum, qui extiterunt à creatione mundi, qui adhuc existunt in terrâ, & qui existent in sæcula futura, usque ad consummationem temporum. Ratio est, quod unicum solum peccatum mortale sit malum infinitum, & omnia opera bona Sanctorum simul conjuncta, non sint bonum infinitum; Nonnisi DEUS est, qui bonum sit infinitum, sicut non nisi solum peccatum ipsi oppositum esse potest malum infinitum.

Si DEus datâ operâ creasset mundum, ut ab eo afficeretur injuriâ, optimè sibi propositum obtinuisset finem. Verùm creavit ipsum pro suâ gloriâ, & videns continuò ab ipso suam gloriam oppugnari, non desinit ipsum conservare, incessanter ipsum suis replet beneficiis, omnes creaturas suas maximorum peccatorum deputat servitio, non absque curâ paternæ suæ providentiæ, quæ tanta videtur, & quandoque etiam major ergà facinorosos, qui ipsum offendunt, quàm ergà justos, qui ipsi famulantur. Ecce tibi id, quod non comprehendo. An forsan sibi complacet ita offensum se videns? Hoc est impossibile: siquidem eò usque ipsi displicet peccatum

catum, ut infinito illud prosequatur odio! Et minoris staret ipse producere mundum novum, totum refertum creaturis innocentibus, quàm supportare unicum solum peccatum, etiam veniale, coram oculis suis commissum. Ut quid ergò suffert & tolerat tot milliones criminum enormissimorum, quæ singulis horis in ipsius patrantur conspectu per universum orbem? An ideò, quod illa impedire non posset, si vellet? Nonne auferre posset omnibus peccatoribus liberum illud, quo ipsos dotavit, arbitrium, eòquod tam indignè abutantur illo, & permittere more bestiarum vivere ipsos, quandoquidem ita vellent? Et tunc non peccarent amplius. Nonne severissimè punire illos posset commisso quolibet peccato, cùm id optimè promereantur? Et severa castigatio redderet ipsos magis sapientes. Vel nonne concedere illis posset omnibus, gratias tam fortes, tamque efficaces, quarum virtute infallibiliter concipèrent horrorem à peccatis suis, ac de illis omnibus agerent pœnitentiam? Et tunc totus homo repleretur gloriâ DEI, pro eo, quòd repleatur nonnisi criminibus, nonnisi horroribus, nonnisi magnis abominationibus. Ecce ergò id non facit?

Sed potiùs cur ausus sum ego arripere libertatem interrogandi ipsum? *Quis potest dicere ei: cur ita facis?* An meum est intrare consilia divinæ providentiæ, ut indagem ex ipso hujus, quod vult facere, rationem. Verum est, me ipsum non comprehendere, sed in hoc ipso incipio paulisper cognoscere ipsum, adoro ipsius magnitudinem, agnosco ipsum pro DEO meo, eòquod videam ipsum esse incomprehensibilem. Si plus non esset, nisi quod comprehendere possum, non esset quid magnum, nec credere possem, ipsum esse DEUM meum; Sed consilia ipsius impenetrabilia sunt mihi. Video divinam ipsius Sapientiam elevatam supra verticem æternitatis ipsius, unde contemplatur in momento omnes rerum eventus, & moderatur omnia secundùm Consilia sua infinito modo justa: & quando illorum intueor executionem, quæ adversari videatur sensibus meis, tenuem ipsam excedere rationem humanam, pro eo, ut temeraria ipsi cum censurâ perstringam, adoro id, quod comprehendere non possum, & oculis elevatis in cœlum ac manibus O divina Sapientia DEI mei, quàm es incomprehensibilis!

Non est nostrum exigere à DEO rationem illius quod facit.

II. Si descendam magis ad particularia, considerando eventus

Sapientia DEI demonstrat admirabiliter in excidiis mundi.

tus extraordinarios, qui labentibus Sæculis acciderunt sæpius, quibusq; videbatur debuisse tumulari mundus, non comprehendo, quâ ratione nunquam non permaneat idem, abs eo, quod tantæ strages & ruinæ, quæ videbantur universales, ipsum destruere nondum potuerint, post septies millenos, quibus stat & durat, circiter annos: modò enim videre fuit diluvium quoddam universale, modò horrendos terræ motus in spatioso quodam regionis alicujus tractu, modò cruenta bella, quæ videbantur maclare debuisse universum genus humanum; modò pestilentias tam crudeles & sævas, ut devastarent omnia; modò universalem annonæ caritatem, quæ minitabatur miserandam, feriente fame, cunctis mortalibus cœdem; modò imperiorum ac regnorum transmutationes, incessabilesque populorum oppressiones, ac innumeros acerbos eventus. Quoties auditus est gemere totus mundus & conqueri: omnia sunt perdita, totum mundum perire necesse est: Et tamen nihil adhuc est perditum, mundus adhuc stat, & suam prosequitur viam, abs eo, quod videatur, ipsum tolerasse aliquam ruinam: *Ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ.* Quis hoc comprehendere posset? decies centena millia hominum non sufficiunt ad reparandas unius duntaxat Civitatis vel parvæ cujusdam regionis ruinas, quando devastata fortassis est à quodam incendio aut terræ motu. Et tu sola O divina Sapientia, quæ totum hoc universum moderaris, restituis cuncta bono ordini majori cum facilitate, quàm nos communeremus unicum arenæ granulum: Tibi ludi sunt horrendissimæ quæq; subversiones, convulsiones, demolitiones, quæ tremore percellunt cunctos mortales: *Ludens in orbe terrarum.* Ubi est animus, qui comprehendere possit admirandam regiminis tui rationem, quæ non solùm non permittit, ut cunctæ ingentes ruinæ, nullam nec minimam mundo inferant ruinam; Sed quæ insuper novit uti illis, ad cuncta reintegranda, ac meliorem collocanda in statum? O infinita Sapientia DEI mei, quomodò possibile est, non aspicere à cunctis oculis, non laudari te ab omnibus linguis, cum admiratione suspici ab omnibus mentibus, sed super omnia ardentissimè amari ab omnib9 cordibus hominum? Nonne tantò es magis amabilis, quantò magis es incomprehensibilis!

Prov. 8.

1 Pet. 3.

Sapientia DEI mirabiliter apparet in instinctu animalium.

3. Verum quidem est, DEum reliquisse nobis quædam vestigia excellentiarum suarum; & præcipuè divinæ suæ Sapientiæ, in omnibus, etiam minimis quibusque

que creaturis. Sed nihil video, ubi magis admirabilis videatur, nisi in certis quibusdam industriis, solertiis ac artificiis, quibus pleraque ditavit ac dotavit animalia, quorum consideratio non mediocri me sæpiùs demulsit voluptate. Reperire est plura ipsorum, quæ sequi videantur regulas ac discursus sapientissimorum quorumvis politicorum civili prudentiâ haud leviter instructorum. Norunt stratagemata bellorum, technas ac insidias venationum, observant politicæ administrationis rationem, & regiminis quandam speciem, ubi hæc gubernant, & alia obtemperant; suis stringuntur legibus, suis attemperantur disciplinis; & sua tum habent supplicia, tum præmia. Quis ipsa edocuit hæc omnia nisi tu, O admirabilis Sapientia DEI, quæ gubernas illa?

Mira scientia ursorum.

Sunt alia ex ipsis; quibus multòmajor prudentia & Sapientia esse videtur, quàm hominibus; diceres esse Astrologos, qui melius prævideant bona vel mala tempora, quàm illi, qui efformant & disponunt Calendaria. Quis hanc ipsis edocuit scientiam? Quis dixit ursis, quod, quando purificante Virgine secundo Februarii paulisper viderint micare solem, parúmque Serenitate indui aërem, suis adhuc antris manere debeant inclusi, nec ante quadragesimum diem prodire ex illis, ob magnam, quæ adhuc futura est, frigoris vehementiam? Nihilominus hoc nôrunt & observant, facti in hoc Magistri & pædagogi hominum. Quot alia edocuerunt medicinam? Alia aperire venam & mittere sanguinem; alia potiones ordinare medicas, & purgare alvum; Alia cognoscere & penetrare virtutem herbarum; Et omnia agnoscunt tempus transmigrationis suæ, quandoque mutare debeant aërem, & quale sit ipsis magis favorabile clima, quodque alimenti genus sibi conveniens, dum probiuntur Sanitate, & quale, dum infirmantur? Quis illis hanc contulit intelligentiam, quæ longè transcendit illam hominum? *Quis sapiens, & intelligit hæc?* An ratione utàmur, si prodigia hæc non defixâ ruminemur mente? Et nonne cœcum esse oporteat, si quis non videt, infinitam quandam esse Sapientiam, quâ in omnibus tam exactè dirigantur, ut nec in minimo unquam deficiant, eòquod, cum propriâ careant voluntate, quâ ipsi contradicant, ipsa, quæ sibi placuerint, faciat omnia. Eheu! An propria nostra voluntas nobis tanto sit præjudicio, ut, cùm renuamus nos tradere totos gubernationi infinitæ Sapientiæ DEI, ipsa non labi in centenas permittat stoliditates.

Sed

Mirum prodigium Tarantulæ

Sed omnia, quæ dixi, non sunt, quæ magis admiror: totus attonitus & stupefactus hæreo, dum certa intueor animalcula, ut vilissima sic contemptissima, quibus arcana sunt tam stupenda, ut omnem transcendant intelligentiam humanam. An vilius, an contemptibilius quid sit araneâ? Invenitur certa harum species, araneis annumerata terrestribus, quæ nascitur â pulvere terræ, nihil quodammodò habens apparentiæ; Et tamen parvum hoc animalculum è maximis mundi prodigiis videtur haud esse minimum, luculenter evulgans & annuntians magnalia Dei. Siquidem exilis hæc bestiola, dum hominem pungit, abs eo, quod mortem inferat, vel ullum quasi dolorem conciliet, infundit ipsi per tenuem hanc plagam virus adeò inusitatum, ut se mox per totum diffundat corpus; & effectus, quem causat, est, quod ab initio aliquem conciliet languorem, & exin infirmitatẽ, quæ periculum mortis afferre videatur, nullo nec sanabilis, sed nec quidem alleviabilis medicamento. Hoc perspecto cognoscitur ipsum admorsum fuisse ab exili & vili hâc araneâ, quæ vulgari nomine appellatur tarantula: Unicum quo sanetur, remedium est, ut saltet ægrotus; ad quod etiam tanto fertur & rapitur impetu, ut præ desiderio quasi moriatur; sed venenum tantâ ipsum vehementiâ obruit, ut impossibile illi sit vel manum movere, vel pedem.

Quatuor valdè observatu digna.

Oportet ergò ipsi suum præparare medicamentum, sed cum quatuor his circumstantiis adeò stupendis, ut ipsi aspicientes, quæ propriis hauriunt oculis, credere vix possint esse vera. Inprimis opus est, ut audiat sonum musici alicujus instrumenti; Voces humanæ quamvis suavissimæ & jucundissimæ nihil prorsus virtutis habent. Secundò non omnes toni, harmoniæ & concentus ipsi conveniunt, non est nisi unicus, quem si non inveniant, nihil prorsus movetur: mox autem, ubi perceperit ipsum, novum videtur resumere spiritum, movere ab initio cernitur pedum manuúmque extremitates in lecto, ubi decumbit, exin ad numerum brachia movet & tibias, & uno posthæc impetu se proripiens è strato, saltare incipit in loci medio, admirandâ cum agilitate, quamvis foret decrepitus, gravis annis & expers virium. Et quod tertiam circumstantiam prorsùs reddit stupendam, est, quod, licet rudissimus esset, & nullâ omninò saltandi arte imbutus, hoc veneno ejusdem adeò reddatur peritus, ut ad amussim sequatur numeros, suósque majori cum concinnitate moderetur gradus, quàm si plu-

rium

rium annorum decursu ab expertissimis id didicisset Magistris. Et quarta circumstantia est, quod â saltando non desistat, quoad veneni istius minimum quid adhuc in corpore est superstes: Id enim est, quod ad saltandum ipsi præbeat vires; quod ubi totum dissipatum fuerit sudore ac labore, concidit velut mortuus, verum tamen ex eo sanus: Nam reportatus ad lectum alio non indiget, nisi ut suas recuperet vires. Quis unquam imaginari sibi potuisset ejusmodi morbum, & ejusmodi remedium?

Nihilominùs sanatus non est pro semper: Quamdiu enim Tarantula, quæ ipsum admordit, est in vita, quamvis centum ab ipso stadiis remota, virus ipsius suam semper conservat virtutem, & aliquod in ægroto relinquit fermentum, quod si cum tempore excrescat, & totum denuò ipsius corpus occupet, pristinum quoque iterum incipiet producere effectum. Ast ubi tarantula est mortua, in instanti absque ullo sanatur medicamento.

Jam interrogo, quis saltatoriæ artis magister, saltandi numeros edocuit hoc animal; & quâ ratione ipsius virus secum circumfert hanc artem, ut absque studio edoceat hanc illum, quem admordet. Sed quomodò hoc est, quod tantas conferat vires seni, qui ambulare non potest, ut possit saltare, in aërem se attollere, in orbem se versare majori cum agilitate, quàm robustissimus facere posset juvenis? Et quomodò tandem parva bestiola, pisi magnitudinem vix æquans, movere potest hominum magnum, imò severâ gravitate exuere virum senatoriâ dignitate pollentem; & abs eo, quod illi appropinquet, â centum leucis urgere ad saltandum. Meditare centum annis, scrutare totâ vita tua, & vide, an comprehendere possis stupendum hoc arcanum, quod infinita Creatoris Sapientia in parvulo hoc concluſit animali. Nonne videtur tibi, confundere ipsam voluisse maximorum ingeniorum arrogantiam, rei tam parvæ exhibitione, quam capere non possint, quasi dixisset ipsis: Credebatis comprehendere vos posse omnia prodigia excellentiarum DEI, qui capere non potestis prodigium, quod in parvâ cernitis araneâ? *Ne laboretis, neque enim comprehendetis.* O magne DEUS, qui sumus nos, abjecti terræ pulviſculi, ut oculos attollere ad te audeamus? Non prætendimus cognoscere te, qualis es: sufficit, imò nimia pro nobis est felicitas, si permittas nobis admirari te, adorare te, & amare te. Eccli. 43.

Rerùm quot alia animalia proprietates habent tam stupendas, ut in admirationem universum rapi- Mirabile certamen inter bufonem & muſtelam.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rapiant mundum? Quis capere posſit, quâ virtute bufo, qui elevare ſe non posſit è terra, venationem inſtituat in aëre? & unde venit, quod, cùm aliud non agat, niſi quod aperiat turpe ac fœtidum guttur ſuum, attrahat aliquam muſtelam, arbori ſe longè altiori inſidentem? Habet ipſa plenam libertatem; habet, uti videtur, nullum fugiendi obſtaculum, videt inimicum ſuum ſibi inſidiantem, aſpicit mortem ſibi proximam, tumulum ſuum jam apertum in faucibus horribilis hujus animalis, probè cernit, illum usque ad ſe aſcendere non poſſe, ſummum gerit erga ipſum horrorem; lethali retinetur timore, ne appropinquet ipſi, contendit præmunire ſe ab inimico, â quo non tangitur; Ipſa vadit, ipſa venit, ipſa aſcendit, ipſa deſcendit, ipſa gemit; mille adhibet conatus, ut eximat ſe â periculo; & tandem ipſamet ſe præcipitat in virulentum hoc barathrum, ubi perit, paritque ſibi excidium. Quis vidit unquam ejusmodi vennatorem, qui capiat ſuam prædam, abs eo, quod indigeat vel retibus, laqueis, vel pedicis, aut alio artificio, quàm fauces duntaxat aperiendo & guttur? ſi videres hominem, qui extendens ſolummodò manum adimere poſſet avibus per æthrã circumvolitantibus libertatem, ne avolarent ulteriùs, ſed cogeret eas ad ſe venire, ſéque ſibi in prædam tradere; nonne diceres, id absque ſortilegio ac maleficio haud quaquàm fieri? Quis igitur edocuit hoc animal tam tardum, támque ſtupidum, id genus incantationis naturalis, quâ ita attrahere poſſit ad ſe de longinquo prædam ac ſpolium ſuum? O magna Sapientia DEI, quàm es admirabilis in operum tuorum minimo!

Incaſſum præſens eſſes huic certamini, ut caſſes evaderet muſtela; nec enim impedires, quin in ſuam rueret præceps infelicitatem: ſed colloca duntaxat inter ambos ramuſculum rutæ, quæ nonniſi exigua eſt hortenſis herba, in ipſo inſtanti ceſſat pugna, & quivis illorum ſuas ambulat vias. Quantum placuerit, adnitere & contende, ut comprehendas horum arcanorum finem; nonne tandem elevatis in cœlum oculis fateri, & dicere cogêris. O magna intelligentia! O Sapientia infinita, quæ effundis te, ſicut tibi placuerit, ſuper omnia opera tua! Quot alia prodigia abſcondis nobis in omnibus creaturis tuis, quæ nunquam cognoſcemus? Et quando ſtudiorum aſſiduitate detegimus & eruimus quandoque ipſorum quodpiam, quod nobis ſit novum, ſummo corripimur gaudio, eòquod parvum duntaxat, huncq; ſtrictim videamus pulchritudinis tuæ radium,

dium. Quid igitur erit, O bone DEUS, quando videbimus manifestè, & in pleno gloriæ tuæ meridie impenetrabilia divinæ Sapientiæ tuæ arcana? Imò videbimus ipsammet totam integram; & animi nostri feliciter deliciarum tuarum absorbebuntur torrepte; videbimus illam, & corda nostra dulciter submergentur in magno divinorum gaudiorum tuorum oceano. Eheu! quando hoc erit? Quando videbimus felix faustumque hoc momentum? O Pulchritudo æterna, an adhuc te nostris subduces oculis, te nostris suffurabêre luminibus? Nos ubivis te hic quærimus, sed non invenimus, nisi tenues quasdam scintillas, quæ aliud non agunt, nisi quod accendant in nobis majora te videndi desideria. Eheu! quid hic nos agimus? An diu adhuc relinques nos in terra languentes tædio, & aspirantes ad charam ac pretiosam possessionem tuam?

Bonus hic DEI famulus, qui loquebatur hæc multò magis ex corde, quàm ore, eousque progressus est in bonis suis affectibus, ut amissâ loquelâ hæserit velut immobilis, defixis in cœlum oculis: Nemo autem audebat interpellare ipsum; cùm omnes maximâ deliniret voluptate hoc ipsius silentium, nec minori, quàm delinierant ipsius verba; Et devotus hic oris corporisque habitus tam validè tangebat ipsos, ut continere se non possent, quin suspiria quædam, intuendo ipsum, evibrarent in cœlum. Et hoc erat, quod ansam præbuit quarto prosequendi & concludendi totam hanc consultationem. Cum enim huc usque altum servâssent silentium, audientes loqui de rebus, quæ eveniunt hic in terris; ipse, qui non nisi rebus cœlestibus intendebat, videns ipsos eo usque jam elevatos, ipsis sic loqui exorsus est.

ARGUMENTUM.

1. *Divina Sapientia magis videtur admirabilis in cœlo, quàm in reliquis omnibus operibus ejus.*

2. *Ipsa voluit terram recipere documenta sua à cœlo, ut imitando illud, evaderet cœlum.*

Sapientia DEI in fabrica cœlorum.

ADmirabar, Domini, quod, cum omnes tanto ardeatis desiderio inveniendi DEUM, illumq; quæratis tantâ cum solicitudine in omnibus creaturis illius, nondum vestras sustuleritis mentes usque ad cœlum. An ignoratis, hoc solium esse gloriæ ipsius, ubi regnare & cuncta moderari complacet sibi? An nesci-

neſcitis, hanc ipſius regiam eſſe ac aulam, in quâ conſpiciendum ſe præbet Beatorum oculis in lucidisſimis majeſtatis ſuæ ſpendoribus? ſi tam effictim appetatis divinæ ipſius Sapientiæ contemplari prodigia, ut quid indagatis ipſa alibi? Nonne ipſamet affirmat nobis, ſe ibi ſuum fixiſſe domicilium? *Ego Sapientia in altisſimis habitavi.* Nonne dicit nobis, quod præparaverit cœlos, cœruleos ipſorum fornices rotundaverit in globos, laquearia ipſorum tot adornaverit aſtris ac luminibus, quodque ubivis moderata fuerit opus tam ſpecioſum támque magnificum manuum DEI? *Quando præparabat cœlos, aderam, eum eo cuncta componens;* de cœteris ſuis operibus nullam ejusmodi fecit oſtentationem, quaſi ad conſiderationem hujo præcipuè nos vellet invitare.

Eccl. 24.

Prov. 8.

Aſtra annuntiant gloriam DEI.

Et certe cùm videamus, univerſam terram, non eſſe piſo majorem, comparatam cum cœlis, bene judicare poſſumus, omnia prodigia infinitæ Sapientiæ DEI, quæ obſervare poſſumus in omnibus creaturis inferioris huius mundi, quamvis nobis magna videantur, & re ipſâ etiam ſtupenda ſint, fermè nihil eſſe, ſi in comparationem veniant cũ illis, quæ latè extendit, quæque cum Majeſtate reſplendere facit in ædificio cœlorum. Verùm nos tam remoti ab ipſis ſumus, ut vix pertingere illuc noſtris poſſimus Oculis; nec unquam licuiſſet nobis aliquid exinde cognoſcere, niſi digitis DEI complacuiſſet, exarare divinæ hujus Sapientiæ prodigia in prodigioſo hoc volumine, characteribus tam magnis ac reſplendentibus qualia aſtra ſunt & ſidera. Non omnes ſcripturam hànc nôrunt legere, & etiam periculoſum eſt nimiâ curioſitate velle addiſcere illam; fortaſſis enim addiſceretur quoddam genus ſcientiæ, quâ raperetur in tam profundam abyſſum animus, unde non poſſet ampliùs emergere, ſicut plures videre fuit, qui ſeipſos perdiderint illic. Sed ſaltem, quicunque habet oculos ad intuendum illos, abs eo, quod ſciat, quid ſignificent, habent etiam animum, quo admiretur excellentias DEI, habet animam, quâ ipſum adoret, habet cor, quo ipſum amet: & hoc ſufficit.

Aſtrologia Chriſtiana.

Eram aliquando valdè curioſus in Aſtrologiæ ſcientiâ, & credebam primitus, videre me ibi mirabilia; ſed fateor, dolere me modò de pluribus horis bonis, malè ibi collocatis, quæ nil aliud præſtiterunt mihi, niſi quod oppleverint pluribus vanis curioſitatibus caput, è quibus tantum abeſt, ut quidquam hauſerim profectûs, ut potius periculo expoſuerint devovendi me incantationibus diabolicæ iſtius ſcien-

tiæ, Astrologiæ inquam judiciariæ, quæ sæpiùs jam condemnata est tum â Sanctis Patribus, tum â Conciliis Ecclesiæ, quámque ipsimet prudentissimi antiqui Philosophi contempserunt, maximóque horrore sunt detestati, tædium illius mihi pepererunt propria mea experimenta, quibꝰ ipsemet didici fraudem illius ac vanitatem; augebatur autem tædium ex eo, quod sentirem, vanam hanc curiositatem ingerere & suggerere animo res de DEO. Nihilominùs non poteram me abstrahere â vehementi affectu contemplandi cœlum, & scientiæ astronomicæ navandi operam, eòquod astra viderentur mihi, sicut re ipsâ sunt, speciosissima ac pulcherrima inter omnes creaturas purè corporeas. Sed resolvi me non ampliùs vacare illis velut curiosus & vanus Philosophus, sed velut Christianꝰ zelo gloriæ DEI & salutis suæ accensus, consecrare me totum volens speciali studio Astrologiæ Christianæ, ubi abs eo, quod addiscere curarem scientiam horoscoporum, aut nôsse & penetrare virtutem constellationum, vel singulas plantarum proprietates, super omnia me devovi considerationi eorum, quæ provehere me poterant ad cognitionem excellentiarum DEI, méque exstimulare ad amorem infinitæ bonitatis ipsius. Et verum est, in hoc studio, sapientiam DEI, illius omnipotentiam, illius bonitatem, mihi tam magnas, támque admirabiles fuisse visas, ut impossibile mihi foret declarare id, quod de iis intellexi.

Machinæ cœlorum est prodigium Sapientiæ DEI.

Quàm admirabilis Sapientia magni Architecti, qui ingentem hanc exstruxit machinam, tam magnificam, tamq; prodigiosam in suâ magnitudine; quod omnes hosce Globos, qui immensi videbantur, noverit sibi invicem immittere & includere, eâ ferè ratione, quâ disponeret & accommodaret aliquis rotas alicujus horologii; quodque illorum quemlibet posuerit in loco suo, tantâ cum concinnitate & firmitate, ut, cùm aliis abripiant alios per motum violentum, alii habeant motum specialem è contrario prorsus incedentem, nonnulli motum teneant velut obliquum, aliqui motum trepidationis, quo mediante recedunt & veniunt, hæc tamen omnia tam benè consonent, conveniant & concordent, ut tota horribilis hæc machina incessanter supra vertices nostros circumacta, vel potius absque alis volitans, tantâ cum celeritate, tantâ cum festinatione ac præcipitantiâ, ut credi vix possit, cum mediante ipsâ primum mobile circiter viginti milliones leucarum, intra spatium unius horæ emetiatur; nihilominùs â septem millenis annis, per cur-

cursum adeò rapidum in minimo non sit perturbata, læsa vel fracta, insuper immensa hæc machina ita currat perpetuò, ut nunquam nec unico momento â suo desistat aut retardetur cursu? omnia hìc tam ordinate incedunt, tamque exactè observantur, ut perpetuæ fieri possent Ephemerides ad prænuntiandum occursum astrorum, Eclypses Solis ac Lunæ, & reliqua omnia, quæ â motu cœlorum dependent, & hoc tam infallibiliter, ut nec unico instanti quis deciperetur post elapsos decies millenos annos. O divina Sapientia DEI mei, quæ post omnia hæc moderaris, quàm admirabilis in tua existis gubernatione! quàm es incomprehensibilis! O quàm es concinna & accurata in omnibus operibus tuis!

Prodigium est, omnes globos cœlestes non conflagrare.

Sed quod magis stupendum mihi videtur, quâ ratione fieri potest, quod omnes cœlestis hujus horologii ingentes rotæ, non accendantur & consumantur incendio, eòquod nunquam intermisso tamque vehementi motu abripiuntur continuò? Experientia docet nos, motu corporali causari calorem, & quantò vehementior est atque diuturnior, tantò magis calorem excrescere. Quando navis obsecundantibus ventis, velisque expansis in alto provehitur, & sine pedibus super cœruleos illos campos decurrit velociùs, quàm volitet avis pennarum suarum remigio in aëre, videtur aliquando, virtute motûs tam rapi circum circa illam succendi ignem, & si non esset, non solùm proxima remedio, imò intra remedium ipsum, quod est aqua, in periculo forsan esset conflagrandi igne, quem labore suo è proprio excitavit & eduxit corpore. Unde igitur venit, globos hos cœlestes, qui per unam horam velociùs currunt, quàm omnia Oceani navigia per integrum annum, non accendi nec conflagrare igne? ut quid non consumuntur omninò, cùm aquâ careant, quâ refrigerentur? sacer Codex commemorat, esse aquas super cœlos, quæ laudes resonent Nomini divini Numinis: *Aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Psal. 148. An fortasis ibi sunt ad refrigerandum magni hujus Orbis terrarum horologii rotas, ut sic impediant, ne motu suo tam rapido, tamque continuo non inflammentur, hócque suo munere divinæ Sapientiæ manifestent prodigia, ut quæ illis tam stupendo prospexit prodigio? sed non: Nam communiter Sacræ Scripturæ interpretes intelligunt per has aquas, quæ super cœlos sunt, pluvias, quæ statis temporibus è cœlo destillantur in terram. Nullam igitur videmus rationem, quare cœlorum globi suo motu non ac-

cendantur & comburantur omnino, nisi quod hoc opus & arcanum sit divinæ Sapientiæ, quod comprehendere non possimus.

Quare cœli nunquam fatigentur currendo.

Ulterius nonne prodigium sit omni nostro captu superius, quod ingentia hæc corpora currant tam velociter, & nullum impendant laborem; quod rapiantur motu tam continuo, & semper in eodem permaneant loco; Quod semper in actione sint, & opere, & in centro suo quiescant tam tranquillè; quod post emensum tot sæculorum cursum non magis sint fessa, quàm primo momento, quo inceperunt? Unde venit hoc, mi DEUS? nisi quod omnium creaturarum quies & beatitudo sit, tuam facere & perficere voluntatem. O! quàm probè ex hoc intelligo, quod omnia nos fatigent, omnia nos affligant, omnia tormentum nobis sint ac supplicium, quando sumus extra viam DEI, ut nostras quæramus, nostras sectemur proprias voluptates! Sed quantus labor, maxima est quies animæ, quæ nonnisi in omnibus adimplere studet voluntatem DEI! capit ipsa quietem in ipso labore, pro eo, quod alii lassentur in ipsâ quiete imaginariarum suarum consolationum. Tu ita ordinâsti, mi DEUS, admirandâ divinæ Sapientiæ tuæ dispositione, ut nihil invenire possit quietem suam, nec satisfactionem suam, nisi in proprio suo centro. Nobis aliud centrum non est, nisi tu, adeóque impossibile est nobis, quidquid faciamus, invenire quietem nostram, nec solidam consolationem, quæ nobis satisfaciat, nisi in te.

Eheu! totius rei cardo vertitur in hoc solo, quod nemo satis consideret; Esse in centro suo, vel extra centrum suum; esse in DEO per gratiam suam & perfectam adimpletionem voluntatis suæ; vel esse extra DEUM per peccatum, & adhærendo propriæ nostræ voluntati, ac faciendo id, quidquid nobis placuerit. An es extra DEUM? nunquam fruêris quidquid feceris, vel potueris facere, quiete. Sis Monarcha, superabundes divitiis, honoribus, voluptatibus, quas mens concipere, cor exoptare potest, indulgeas genio, captes vitæ delicias, quantas volueris, non es in centro tuo: venaris in vanum, dum indagas & speras hìc quietem; omnes creaturæ simul, ut hanc tibi donent, idoneæ non sunt. Contende nervis omnibus contentare teipsum maximâ & perfectissimâ, quam imaginare tibi poteris, quiete; quies tua ipsa erit labor tuus: Non poteris hìc esse absque molestiâ, absque supplicio, quod mactabit & occidet te fastidio.

Sed an in DEO es, unicè affixus divinæ ipsius voluntati? nunquam

Magnum secretum ut aliquis semper vivere possit consolatus & felix.

quam non, quidquid feceris, perfectissimâ frui poteris quiete, eò quod existas in centro tuo. Quando ex suppositione, exhauriendus tibi foret labor ita continuus ac interruptus, qualis est ille cœlorum, nullam experîêre fatigationem, sed magnam quietem, quam conferet tibi centrum tuum, in quo existis. Quando rapieris per vim contra propriam inclinationem tuam, velut cœli inferiores rapiuntur per motum primi mobilis; volo dicere: Quando ex ordinatione divinæ voluntatis ambulare debebis viam prorsùs contrariam illi, quam tua amplecti volet natura: volet hæc honores, & divina voluntas obrui te permittet contemptu ac infâmiâ; volet hæc vitam suavem & commodam, voluptatibus & deliciis refertam; & divina voluntas deducit illam per viam prorsùs oppositam, vitam amaram, laboriosam, cruce & amaritudine plenam. Ecce primum mobile, quod rapit per vim omnes cœlos inferiores se, illósque perficere copit motum omninò oppositum motui, quem sibi habent connaturalem: & nihilominus non obstantibus duobus hisce motibus & continuâ hâc violentiâ gaudent omnimodâ tranquillitate, támque perfectâ fruuntur quiete, ut â septem millenis annis, quibus perdurant in hoc statu, nec sint lassati, nec tædio affecti, nec diuturno labore attriti. Et unica hujus, quæ afferri potest, est ratio, quod sint in centro suo, divinamq; adimpleant voluntatem. Et ex stupendissimis divinæ sapientiæ dispositionibus hæc una est, nec minima; ordinâsse, quod, dum res aliqua est in centro suo, ac DEI exequitur voluntatem, quidquid contigerit illi, semper fruatur perfectâ quiete, quâ illi satisfiat, & beata reddatur, quantum esset & fieri poterit.

O æterne & inexhaustæ veritatis fons, adoranda Sapientia DEI mei, quæ consultò exarare voluisti nobis magnum hoc documentum in omnibus paginis magni hujus voluminis cœlorum, & idipsum splendidissimis siderum annotare characteribus, ut tantò magis nobis esset visibile, &, cùm semper versaretur nobis ob oculos, id abs intermissione legere, & tam bene addiscere possemus, ut toti ab illo occupati, convicti & persuasi, ipsius sequeremur dictamen, velut fundamenti principalis, unde vitæ nostræ dependet felicitas! Insculpe idipsum ita animo meo, ut nullo alio affectu, nullo alio tenear & abripiar desiderio, nisi firmiter conservandi me in centro meo, quod tu solus es, O mi DEUS, summum bonum meum, & in perfectissimâ voluntatis tuæ divinæ adimpletione; & exin mecum

cum fac, quidquid tibi placuerit. Nihil est, quod impedire me possit, quin perfectâ fruar quiete, & & maneam nunquam non beatus.

Siquidem quando obruar omni afflictionum genere, morbis paupertate, imperfectionibus contemptu, & ut paucis complectar omnibus miseriis, quibus vita hominis mortalis occupari potest, dicam intra memetipsum: si sum in centro meo, sum benè; si inter hæc omnia hanc habere possim certitudinem: Ego sum in DEO, qui unicum est centrum felicitatis meæ, & æterna ipsius voluntas sibi complacet, seque glorificat in hoc statu, in quo me collocat: Si non levem duntaxat hujus veritatis habuero cognigtionem, sed magni ipsam æstimem, ipsâ afficiar & movear, ipsâ occupetur mens mea, penetretur cor meum; amaritudines meæ mihi erunt meri dulcores, labor meus mihi erit perfecta quies, dolores mei mihi erunt deliciæ ac voluptates; unico verbo, omnes meæ miseriæ festivæ mihi erunt feriæ, tantæque compendium felicitatis, ut in eâ & cum eâ perfectè consolatus, ullam aliam exoptare nequeam. Hinc pro certo teneo, quod si damnati ipsi dicere possent cum veritate: Ego sum in DEO, qui est verum centrum meum, & ego sanctam ipsius adimpleo voluntatem? Si ita loquendo dicerent verum, & hanc veritatem benè degustarent; perfectâ fruerentur requie, & forent beati, non obstantibus horrendis suppliciis, quibus torquentur in inferno.

Magnâ hâc detectâ & manifestata veritate suam concluserunt consultationem, locupletati novâ cognitione excellentiarum DEI, ac majori desiderio se unicè devovendi ipsius servitio. Et quia possibile non est tam excellentem attingere finem, si non arripiantur ejusdem obtinendi remedia: Ecce tibi pulcherrimum documentum, quod unus ex ipsis observavit, aliisq; abituriens pro valedictione reliquit. Sanctus Dionysius Areopagita admirabatur magna intellectûs lumina, & sublimes cordis affectus, quos observavit in Sancto Hierotheo, suo olim Magistro & amico intimo; de quo dicit, quod summum perfectionis apicem attigerit, tribus excellentibus remediis. I. *Ex multâ luctatione circa Sacram Scripturam.* De divin. Nom. c. 2.

Scrutabatur solicitè ac solerter omnia, quæcunque in Sacris legebat Scripturis; maximæque, quæ occurrebant difficultates, animabant ipsum ampliùs, ut inquireret earum sensum ac intelligentiam. Ecce remedium ipsius primum. Secundum: *Divini ore inspiratione doctus, non so-* Tria eximia media perveniendi ad DEUM.

lùm discens, sed patiens divina. Videns, quod sacrarum literarum studium non sufficeret, magno cum fervore incumbebat orationi, & DEum consulebat, ut disceret ab ipsomet & cognoscere & amare ipsum: Sed admodùm passivè se gessit, quamvis non absque magna attentione, in oratione suâ, magis paratus ad recipiendum â DEO, quod sibi dare volebat, quàm ad eliciendos vehementes actus ergà DEum. Et tandem tertium ipsius remedium: *Ex compassione ad ipsa, quæ doceri non possunt.* Per ardens desiderium, quod habebat cognoscendi DEUM; id, quod non alius, nisi ipse DEUs poteras ipsum docere. Et ardens hoc desiderium, præcipuus fuit pædagogus, quo informante evasit ita doctus. Amor est admirabilis Magister, qui abs verborum strepitu, inspirare novit animæ sublimissimas cognitiones, & præcipuè insculpere cordi excellentias objecti, quod amat. Amemus Deum ardenter, & sumus sapientes.

Affirmamus omnes, desiderio nos teneri cognoscendi DEUM ut ipsum amemus; & nihilominùs nunquam eò pertingimus: An mirum hoc sit? Inde est, quod congrua ad hoc non arripiamus media. I. Deest nobis ardens affectus ergà res DEI, quem, uti videtur, totum propendere permittimus ergà res mundi; sed, quæ DEUM concernunt, transimus leviter & quasi per cæremoniam. II. Non satis frequentamus exercitium orationis, quæ vera est schola, in qua Spiritus Sanctus docet animas cognoscere & amare DEUM; sed nostrum replemus animum omni genere vanarum curiositatum, quæ constrictam tenent animam nostram in profundâ ignorantiâ & fastidio rerum divinarum. III. Denique non amamus satis studium Sacrarum literarum, nec bonorum librorum lectionem, sed magis navamus operam profanis ac inutilibus; vel si aperiamus quandoque librum bonum, sæpiùs duntaxat fit, ut percurramus ipsum oculis, non perserutemur animo, nec rimemur cum attentione & otio negotioso, quæ nobis proponit documenta, quæ salutis nostræ spectant negotia. Quâ ratione igitur pertingere valeamus tum ad cognitionem, tum ad amorem DEI, nisi congrua illuc perveniendi apprehendamus remedia? Id opere ipso præstandi bona cepêre consilia, & sic constituti animo â se invicem recessêre.

Consultatio XXIII.

De Sanctitate DEI.

Videtur Sanctitas magis esse essentialis DEO, quàm cœtera attributa.

UT verum fatear, Sanctitas non est perfectio DEI, est DEUS ipse. Impossibile est, formare sibi intellectum aliquam divinitatis idæam, quin concipiat ipsam velut Sanctitatem infinitam. Incongruè prorsus loqueremur, dicendo, quod DEUS habeat Sanctitatem; sed dicendum est, quod ipse sit Sanctitas ipsa. Insuper, si enuntiando hanc propositionem: *DEUS est Sanctitas*; concipiamus, quasi ipsius esse, & ipsius Sanctitas essent duæ res ratione quâdam ab invicem distinctæ; propositio nostra foret falsissima; hìc enim aliter res se habet, quàm cum cœteris ipsius attributis. Quando dicimus, quod DEUS sit æternus, vel quod DEUS sit immensus, intellectus noster invenire potest parvum quoddam fundamentum, ad concipiendam levem aliquam distinctionem inter esse DEI, & ipsius æternitatem, quæ est velut duratio ipsius esse: pariter quoque inter esse DEI, & ipsius immensitatem, quæ est velut magnitudo ipsius esse. Sed quando mihi efformo aliquam idæam de DEO, nihil concipio nisi Sanctitatem quandam infinitam; totum ipsius esse est Sanctitas, & Sanctitas est totum ipsius esse, juxta egregiam hanc Sententiam divini Areopagitæ: *Sanctitas & omninò immaculata munditia DEUS est*: ita ut DEUS & Sanctitas infinita sint duo ver' aSynonyma, uon nisi eandem rem significantia; ac si dicerem: DEus est DEUS. De div. Nom. c. 1.

Quare ad canticum non sit in cœlo, nisi Trisagium.

Nonne videmus, admirabile illud Canticum, quod tota Curia Cœlestis in æternum modulatur DEO in cœlis, non consistere in alio, nisi quod gloriam reddat Sanctitati ipsius, ad ostendendum nobis, quod ipsa sola exprimat divinitatem totam integram, id est, essentiam & omnes perfectiones DEI. Sed quasi Zelotypiâ laborarent divinæ tres Personæ circa augustum hoc elogium, cœlestes choragi resonantes suavissimum hoc Carmen, in mandatis habent, ut tertiâ id vice repetant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, & exin adjiciunt duntaxat semel: *Dominus DEUS Sabaoth*: nobis insinuare volentes, ter Sanctum esse DEUM. Pater est Sanctus, Filius est Sanctus, Spi- Isai. 6.

Spiritus Sanctus est Sanctus. Quilibet ipsorum possidet totam Sanctitatis infinitudinem in seipso, eòquod possideat totam divinitatem, quæ est Sanctitas ipsa: & omnes tres non sunt sancti, nisi per eandem Sanctitatem ipsis comunem, sicut omnes tres non sunt DEUS, nisi per eandem divinitatem, quæ est unica & indivisibilis in omnibus tribus. Adorandæ hæ tres Personæ, in quibus æternaliter subsistit divinitas, testimonium reddunt infinito modo illustre Sanctitati DEI, sed testimonium triplex, juxta nostrum intelligendi modum: Nam Pater est sanctus, quia est Pater omnipotens: Filius est sanctus quia est sapientia infinita DEI Patris sui: Spiritus sanctus est sanctus, quia ipse est bonitas per essentiam, & perfectio sanctitatis.

Omnipotentia Patris reddit certum testimonium Sanctitati DEI; siquidem, cum sit omnipotens, peccare non potest; Potest quidem omnia, nihilum autem non potest. Potest quidem producere omne esse, sive sit esse increatũ in semetipso, ubi producit Filium & Spiritum sanctum: sive sit esse creatum extra seipsum, ubi producit totum hoc ingens opus mundi, & producere potest infinitos alios vel similes, vel majores, sicut ipsi placuerit, eòquod sit omnipotens. Sed nihilum producere non potest; præcipuè nihilum peccati, quia hoc non est effectus potentiæ alicujus agentis, sed est defectus potentiæ alicujus succumbentis, & quæ vera est impotentia, qualis in DEO esse non potest. Sanctus igitur est, & peccare non potest, quia est omnipotens.

Sapientia infinita Filii, magnificum quoque reddit testimonium Sanctitati DEI, quia cum sit infinito modo sapiens, committere non potest stoliditatum omnium maximam, qualis est peccatum; & quia profundam abyssum essentiæ & divinarum perfectionum penetrans, ibi conspicit pulchritudines infinito modo amabiles; necesse est, ut illas infinito modo amet, & consequenter impossibile est, vel momento se ab illis separare; ergò impossibile quoque est, ut peccet, quia peccatum non est aliud, nisi separatio à DEO. Insuper hæc ipsa Sapientia infinita videt in peccato, quod est oppositum DEO, horrores infinitos, quos detestatur & odit modo infinito; & consequenter impossibile est, ut approximet illi: mallet potius non esse DEUS, quàm consentire peccato. Est igitur infinito modo Sanctus, quia est infinito modo sapiens.

Tandem infinita Bonitas Spiritûs Sancti luculentissimũ quoque reddit testimonium Sanctitati DEI; cùm enim sit bonitas essentialis ex propriâ suâ naturâ, cessaret quam primùm esse, quod

est; & potiùs defineret esse, quàm tolerare in seipso minimum defectum bonitatis. Est igitur impossibile, ut peccatum appropinquet illi, quia hoc infinitum est malum. Et sic Sanctitas infinita DEI confirmatur â tribus hisce illustribus testimoniis, quæ non nisi unum sunt, sùntque velut tres in æternum immotæ bases; omnipotentia Patris, Sapientia Filii, & Bonitas Spiritûs Sancti, quibus innititur, & â quibus solidatur. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*; Nemo sanctus est, sicut DEUS, dicit nobis Spiritus Sanctus in Sacro codice. Nonnisi tuum est, Domine, Sanctum esse â te ipso, & nemo alius esse potest, nisi per te.

2. Pet. 5.

Nihilominùs dicit nobis DEUS, quod oporteat nos esse Sanctos, ex eo, quod ipse Sanctus sit: *Scriptum est, Sancti eritis, quia ego sanctus sum*: quasi nobis diceret: Volo vos esse, quia Ego sum; volo quoque vos esse Sanctos, quia Ego Sanctus sum. Impossibile est, habere nos esse naturale, quod nos distinguat â nihilo, nisi habeamus parvam aliquam participationem, vel tenuem quandam emanationem essentiæ DEI: Non dico essentiæ divinæ, sed cujusdam essentiæ, quæ nobis venit â DEO. Impossibile quoque est, habere nos esse supernaturale Sanctitatis, quæ nos distinguat â peccatoribus & reprobis, nisi habeamus participationem quandam Sanctitatis DEI. Me quod attinet, nollem habere esse naturale absque Sanctitate: Quid enim prodesset nobis? Non haberem nisi infelix quoddam esse, quod DEO me privatum relinqueret in omnem æternitatem. Sed quomodò illuc pertingere possumus? Nam si sanctitas Dei innititur Omnipotentiæ, æternæ sapientiæ, & infinitæ Bonitati suæ, velut tribus excelsis montibus, infinito modo super nos elevatis; Quid facere possumus, nisi ipsam â longè aspicere, ipsam admirari? Sed illuc appropinquare velle, nos, qui non sumus nisi infirmitas, ignorantia, & miseria humana, non habentes, nisi malas inclinationes, nonne magna foret temeritas?

DEus vult nos sanctos esse.

Non, hæc temeritas non est: Nam quemadmodum, quando vox DEI evocavit omnes creaturas è fundo nihili ad dandam illis exiſtentiam; si ex suppositione præditæ fuissent ratione, magnæ temeritatis ipsis inussisset notam, si obtemperare noluissent, sub prætextu dicentes: non audemus, Domine, aspirare ad tam sublimia, prensare tam alta, cum infinito spatio distet miserabile nostrum esse, in quo sumus, â statu sublimi, ad quem vocare nos

Eadem vox Dei, quæ nos vocat ad esse, etiam nos vocat ad Sanctitatem.

tibi

tibi complacet: Sic etiam maximæ nobis imputaretur temeritati, si idem DEus omnipotens loquendo nobis è throno gloriæ suæ, vocaret nos ad Sanctitatem, per tot quasi frequẽtatas ac multiplicatas voces, quot verba complectitur & numerat Sacra Scriptura: *Vocavit nos vocatione suâ sanctâ, ut essemus sancti*; abnueremus obtemperare illi, sub obtentu & obductâ specie, quod nimis quàm miserabiles simus, quod infinito intervallo nostra distet conditio humana & purè naturalis, ab illâ Sanctitatis suæ, ad quam invitet nos & provocet? Eamus, obediamus, non attendendo infirmitatem nostram humanam, nec aspiciendo id, quod sumus, aspiremus & tendamus illuc, quò nos accersit; securi, quod vox, quæ vocat nos, quæque centenos milliones mundorum extrahere potest è nihilo, abundè satis sit potens, nos eò deducere, quò nos vocat.

1. Tim. 1.

Quis est, qui non experiatur animam suam elevari in altum supra omnes res mortales, illásque dum aspicit, despiciat summè? Et quis non sentiet animatũ cor suum generositate invincibili, ad superandas omnes difficultates, quando est certus, quod Monarcha omnipotens, qui unico verbo se jamjam traxerat è fundo nihili, sese per aliud verbum magis efficax, magisq; amabile denuò vocet & trahere velit ad statum adeò sublimem, qualis est ille, participem reddi Sanctitatis ipsius: *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum*; quódque absolutè velit se eò deducere, nisi seipsum consiliis infinitæ bonitatis suæ super se formatis opponat?

1. Pet. 1.

Non alleges, nec profers infirmitatem tuam naturalem, Deus, qui meliùs te cognoscit ipsam, non intermittit vocare te ad sanctitatem, quia omnipotentiam suam vult esse fulcimentum infirmitatis tuæ, Nec tuam prætendas ignorantiam, DEus, qui videt ipsam, benè noverit dissipare omnes tuas tenebras, divinæ suæ sapientiæ splendore. Et tandem, ne perdas animum ex eo, quod sentias in teipso perversas ac malas inclinationes, quæ haud parùm oppugnare videantur sanctitatem, DEUS, qui novit illas, illarúmque miseretur, bene noverit emendare malæ indolis tuæ defectum, liberali infinitæ illius bonitatis profusione, cujus ipse fons est & origo. Aspice duntaxat firmo oculo exemplar Sanctitatis DEI tibi propositum, velut scopum ac metam desideriorum tuorum ac fiduciæ tuæ: Inspice, & fac secundùm exemplar. Aspice, aspira, labora.

Cognitio nostræ imbecillitatis non debet nos absterrere.

Adnitor in hâc consultatione proponere tibi idæam sanctitatis infinitæ DEI, non talem, qualis est in seipsâ; quia hoc nobis est

impossibile, sed talem, qualem nobis licet concipere. Adhæc porrigere vobis studebo efficacia motiva, quæ vos exstimulant ad aspirandum illuc, & invenietis vos ipsi media valdè idonea, nihilominùs facilia eò pertingendi; Et hæc vobis tribus consigno ac illa ad vos dirigo. Primò ad te, qui tantùm diffidis infirmitati tuæ. II. Ad te, qui conquereris de ignorantiâ tuâ. III. Ad te, qui perdis animum ob repugnantiam malæ tuæ indolis, malignæ tuæ propensionis. Loquar vobis omnibus successivè. I. Tibi infirme, ut tibi demonstrem, sanctitatem inniti omnipotentiæ DEI, quæ tibi porrigit manum, ad sustentandam infirmitatem tuam. II. Tibi ignare, ut tibi ostendam, inniti ipsam infinitæ Sapientiæ DEI, quæ cognitionis suæ lumen tibi offert & affert in tenebris animæ tuæ. III. Et tibi tandem, qui te adeò proclivem sentis ad malum, ut declarem tibi, sustentari ipsam ab infinitâ bonitate DEI, qui novit è lapidibus suscitare filios Abrahæ. Loquar igitur vobis omnibus successivè, sed cum conditione, ut audiatis omnes simul,

ARGUMENTUM.

1. *Nouniſi ad DEum ſpectat, eſſe ſanctum â ſeipſo, quia ipſe ſolus eſt, qui ſit omnipotens.*

2. *Homo in tantum eſt ſanctus, in quantum innititur omnipotentiæ DEI.*

Articulus I.

Sanctitas honoratur ab omnibus creaturis.

ASpicere DEUM velit infinitâ ratione sanctum, est aspectus, nescio quid habens, quod repleat totam animam non solùm æstimatione maximâ, sed etiam profundissimâ ergà Majestatem ipsius veneratione ac reverentiâ; Insuper speciali quâdam unctione, gustu prorsus divino, qui affectuosò nos accendat desiderio, accedendi propiùs ad ipsum, ad participandum aliquid Sanctitatis suæ. Siquidem Sanctitas nescio quas habet illecebras, quibus omnia trahit post se, etiam inter homines, qui non nisi parvam ejusdem habent scintillam. Leones honorârunt illam in tot Sanctis Eremicolis, qui habitabant cum ipsis in sylvis: Tygrides reveritæ sunt illam in tot Sanctis Martyribus, qui projecti fuerant illis in Amphitheatro ad devorandum, quot autem accedere ac illorum corpora attingere non audebant. Mare inserviebat ipsi in tot Sanctis hominibus, se solidum ac calcabile præbens veluti marmor sub ipsorum pedibus, beatum sese æstimans, portando ipsorum sanctitatem velut in triumpho supra dorsum suum. Ipsi videmus maximâ frequentiâ

quentiâ accurrere populos post hominem, quem velut sanctum æstimant & intuentur; magno se honore affectos credunt, si ipsorum plantis devota sibi figere liceat basia, si parvulam è vestimentis ipsorum obtineant particulam, quam anxiè veluti pretiosas custodiunt reliquias. Unico verbo, minimum quid, quod spectat ad Sanctum, creditur sanctum esse & dignũ veneratione.

Sanctitas infinita Dei rapere deberet omnium corda.

Verùm si videamus, tenuissimum quendam Sanctitatis atomum, quem conspicimus in creaturis, tantam possidere vim, ad trahenda post se omnia: Quid est ergò, mi DEUS, cum infinitâ Sanctitate tuâ, cujus intuitu omnis illa creaturarum simul unitarum minor est pulvisculo respectu Solis. O Sanctitas infinita Sancti Sanctorum! si cognoscereris! si aspicereris, quæ duritia, quæ insensibilitas tuis posset resistere illecebris? ut quid omnes creaturæ non currunt post te? Ut quid omnium hominum corda non inflammantur desiderio erga te? Ut quid non omnia, quæ spectant ad te, osculamur cum reverentiâ, usque ad lapides & saxa, quæ sunt opera tua? sicut minimas venerabundè osculamur Sanctorum reliquias? plurimi Sanctorum fecerunt id, qui contemplabantur te, quique manifestè agnoscebant te in omnibus creaturis tuis.

Dum operam do, ut cognoscam te, O Sanctitas infinita DEI mei, me tua obruit Majestas. Siquidem considero, quod si est esse sanctum, habere bonitatem, Tu bonitas es infinita; Ergò infinito modo sanctus es. Si est esse sanctum, esse justum, tua justitia infinita est, ergò infinito modo sanctus es. Si est esse sanctum perfectissimè amare Deum, ipsúmq; plenè possidere, tu infinito modo te amas, & totum infinito modo divitem possides divinitatis thesaurum; ergò infinito modo sanctus es. Si est esse sanctum, magnas habere perfectiones, tu habes omnes, & omnes sunt in te infinito modo infinitæ; ergò infinito modo sanctus es. Si est esse sanctum, esse unitum DEO intimè, quis magis unitus est DEO, quàm Deus ipse? Pater est totus integer in Filio suo unigenito, Filius unigenitus totus in suo Patre, Spiritus Sanctus in utroque, & uterq; in Sp. Sancto, & omnes tres non sunt duntaxat strictissimè invicem uniti, sed non sunt nisi una simplicissima unitas essentiæ divinæ; ergò infinito modo sanctus es. O ingens Sanctitatis abyssus, quàm omnia sunt sancta in te! tua æternitas sancta est, tua immensitas sancta est, tua misericordia sancta est, tu solus sanctus es ex propriâ tuâ essentiâ, & omnia opera tua sancta sunt: *Non est sanctus, ut est*

Universalis idæa Sanctitatis.

De-

Dominus, neq; enim est aliqs extra te.

1. Reg. 2. Nemo potest esse sanctus, sicut tu, & nemo vel minimam habere potest sanctitatis participationem nisi â te & per te.

Deus est sanctus, quia est omnipotens.

Sed quamvis verum sit, sanctitatem Dei mirũ in modum resulgere, in omnibus adorandis ejus perfectionibus; nihilominùs St. Thomas considerat omnipotentiam velut rationem præcipuam infinitæ ipsius Sanctitatis; & ecce discursum ipsius: Ideò Deus peccare non potest, quia est omnipotens. Dicit DEUM esse infinitâ ratione sanctum, quia infinitâ ratione est oppositus peccato, quod est contrarium sanctitati, ita ut peccare non possit. Jam ratio, quare peccare non possit, est, quia est omnipotens: nam peccare posse, est posse deficere in actione suâ, & deficere posse in actione suâ, non est potentia, sed impotentia; impotentia autem est incompatibilis cũ omnipotentiâ Dei: & ideò verum est, quod, cũ Deus sit omnipotens, nullam habeat impotentiã in se; & cùm nullam habeat impotentiam, in nullo possit deficere; & cùm in nullo possit deficere, in nullo possit peccare; & cùm in nullo possit peccare, infinitâ ratione remotus sit ab eo, quod oppositum est Sanctitati, quod solum est peccatum. Veritati igitur congruit, quod cùm Deus sit omnipotẽs, ipsũ oporteat infinitâ ratione esse sanctum.

Pulcher discursus S. Thomæ 1. 2. q. 25. a. 3.

Extollamus hic mentem nostrã, & intelligere studeamus, quò ferat nos sublimis hæc veritas, considerantes omnipotentiam Dei velut ingens fulcimentum infinitæ ipsius sanctitatis. Novimus probè, omnipotentiam Dei respicere nihilum, ut illud destruat. Sed duo sunt genera nihili: unum est nihilum existentiæ, alterum est nihilum peccati, hæc sunt duo barathra infinito modo profunda, quibus si aliquis absorptus fuerit, non potest inde exire, nisi virtute infinitâ omnipotentiæ Dei; sed unum ex his barathris est innocens, & alterum criminosũm; unum non continet, nisi creaturas possibiles, quas Deus potest producere; alterum non continet nisi crimina, quæ Deus non potest committere. Nihilominùs utrumq; respicit omnipotentiam Dei, quæ sole extendere potest manũ in profunda hæc barathra, ad extrahẽdum exinde, quidquid sibi placuerit: haurit illa reipsâ ex utroque; ex nihilo existentiæ educit omnes creaturas, è quibus componit totum hoc universum; è nihilo peccati extrahit peccatores, & facit ex illis sanctos. Sed operatur ipsa tam diversimodè super utrumq;, ut valde luculenter nobis demonstret, abs comparatione facilius esse, totum integrum producere mundum, infinitis entibus naturalibus refertum, quàm facere unicum tantummodò Sanctum.

Exten-

Facile est Deo extrahere mundum è nihilo existentiæ.

Extende brachium tuum in barathrũ nihili existentiæ ad extrahendum inde totum hunc mundum, O Creator omnipotens, ut videam, quem conatum adhibeas & contentionem: Non magno utar conatu, inquit, unicum verbum mihi sufficiet. Verbum meum, quod primus fœcunditatis meæ est terminus, gestat in seipso semina infinitæ cujusdã fœcunditatis: modò parumper hæc spargat super amplum & vastum hoc nihili barathrum, producet exin & nasci faciet, quidquid voluerit; loquatur solùm, & facta erunt omnia: *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Psal. 148.

Mira difficultas in extrahendo aliquem Sanctum è nihilo peccati.

Sed extende quoque manum in alterum nihili barathrũ, nempè peccati, ut extrahas ex illo Sanctos, videámque quomodò & quid hic agas. O quàm aliud hoc opus est, non tam facilè factu! erit quidem adhuc verbum meum, ipsissimum verbum meum erit, quod producet idipsum; sed necesse est, ut ipsummet veniat in personâ, ipsummet descendat in profundum hoc barathrum, se illi immergat, se annihilet inter peccatores, ut ipsos ex hoc barathro educat; aliàs nunquam exinde prodibunt. Et quando hoc erit, Domine, quid facere oportet omnipotẽs hoc verbum, quod unico verbo creat mundos, quando sibi placuerit? circumfert ipsum in semetipso totum thesaurum infinitæ Sanctitatis DEI: oportebit aperire ipsis hunc thesaurum, hunc ipsis præsentare, ut ex eo hauriant, & omnes sancti fiant, si velint. Sed hoc non volent; quod ut velint, ipsúmque recipiant, oportebit ipsos rogare, ipsos exhortari, ipsis ad persuadendum offerre omnis generis motiva; Oportebit huc ipsum impendere omnes vitæ suæ labores, vigilias, sudores, lachrymas, orationes, jejunia, prædicationes, miracula sua, nullique parcat ad extrahendos ipsos è profundo barathro peccatorum suorum.

Hoc nondum sufficiet; oportebit, ut oneret semetipsum omnibus illorum miseriis, ut ab his ipsos liberet: Oportebit ipsorum assumere infirmitatem, ut suam illis conferat fortitudinem: oportebit induere se ipsorum humanitate, ut suam illis communicet divinitatem: oportebit imponere sibi ipsi ipsorum peccata, ut illis suam largiatur Sanctitatem. Et denique assumere oportebit propriam ipsorum mortem, ut suâ illos potiri faciat vitâ. Sic per labores omnipotentis hujus verbi non habebunt ipsi amplius, nec miserias, nec infirmitates, nec peccata, nec mortem; sed pro his omnibus habebunt thesaurum Sanctitatis DEI totum apertum, ex quo poterint haurire, si voluerint, seque locupletare; & si con-

sensum tantummodò præbeant, ad recipienda inæstimabilia bona, quæ portabuntur usq; ad manus ipsorum, usq; ad ipsorum corda, cum gaudio exibunt è profundo nihilo suorum criminum, & omnes evadent Sancti.

Gratitudinis affectus erga Deum, quod nos traxerit è nihilo peccati.

Ah! itane mi DEUS, oportebat hæc fieri omnia, ad extrahendum hominem è barathro peccatorum suorum, ut evaderet ex eo sanctus? Itane ergò, infinita Sanctitas DEI mei, tantas oportebat facere impensas, teque ita totum integrum effundere super vastũ hoc barathrum abominabilis hujus nihili peccaminosi, cui immersus fueram, ut ex eo me liberares, & moriendo mihi dares vitam, téque perdendo, si ita loqui licet, me perditum salvares? O misericors DEUS! ineffabilis bonitas, quanto tibi steti pretio; ut me traheres è nihilo; pluris steti tibi solus, quàm creatio centies millenorum mundorum; nec ita laborâsti, nisi ut faceres è peccatore sanctum, è nihilo infelicissimo Filium DEI & hæredem regni tui æterni. Tu vis illud, Domine, de hoc dubitare mihi non licet, eòquod tanta pro hoc egeris, pro hoc tanta toleraveris. Opera tua loquuntur, & dolores tui clariùs adhuc loquuntur, mihique efficaciter persuadent, meque convincunt, te plura fecisse, ut faceres me sanctum, quàm opus foret ad producendos centies millenos mundos, magnitudine præsenti mundo non impares. Nonne miserrimus & infelicissimus forem, si labores tuos redderem inutiles, & si gloriosâ Sancti & Filii tui dignitate, quam tantis impensis comparâsti mihi, contemptâ, mallem me denuò miserabiliter immergere infami peccati barathro, unde extraxisti me potenti brachii tui virtute, & tuarum abundantiâ gratiarum?

Non est, quod dicam ulteriùs, sanctitatem statum esse nimis eminentem pro misero me, quàm quod illuc audeam aspirare. Certus sum, me â DEO vocari illuc, ipsùmq; me velle huc dirigere, eòquod hâc de causâ & tulerit, & fecerit tanta. Certò mihi constat, ipsum quoque velle, ut huc aspirem, omnésque intendam nervos ut huc perveniam, aliàs summè displicebo ipsi, & pœnâ dignum me constituam æternâ. Quid ergò tandem esse volem, nisi velim esse sanctus? velle deberem esse reprobus & miser ac infelix damnatus; nam inter duo hæc non datur medium, aut sanctum esse aut reprobum.

Nec ampliùs mihi dicendum est, non permittere infirmitatem meam, ut sanctus evadam. Optimè novi, me nihil esse â meipso, nisi miseriam & fragilitatem; Novi autem similiter,

Re-

Ut fiamus sancti, induendus nobis est Christus JESUS, Sanctus Sanctorum

Redemptorem meum, qui nihil non fecit, ut faceret me sanctum, meas assumpsit infirmitates, ut suâ me indueret fortitudine, & ego cum magno Apostolo possim dicere: Omnia possum in eo, qui me confortat. Quid ergò mihi faciendum est, ut verè sanctus fiam juxta intentionem Christi JEsu ad Sanctitatem me vocantis? Nil aliud, nisi ut ipsomet me induam juxta doctrinam magni ipsius Apostoli: *Induimini Dominum JEsum Christum*: An aliquid faciliùs sit, modò bona mihi sit voluntas. Totum hocce divinum indumentum, quod ipsemet è cœlo apportavit in terram, in alio non consistit, nisi in tribus solumodò punctis, paupertate, contemptu & afflictione. Si benè me his induere velim, ut fiam sanctus, tantum inveniam facilitatis, ut neminem inventurus sim contrarium; sed potiùs mihi omnes erunt subsidio, nec alios oppugnandos habebo inimicos, nisi propriæ meæ repugnantiam naturæ; & si verè bonam habuero voluntatem, & hanc facillimè vincam. Quando enim voluntas superior, divinâ adjuta gratiâ, ardens est & fortis; inferior, quæ est illa sensuum & naturalium inclinationum plurimùm debilitatur, adeóque repugnantiæ ejusdem facili superantur negotio.

Rom. 13.

Si opus foret magnas accumulare divitias, ut sancti simus, plurima occurrerent obstacula; nam has, qui habet, habet neminem â quo non oppugnetur. Sed illas negligere, illas contemnere, illas relinquere volentibus ipsas habere, & ditiorem feliciorem-que se æstimare amplectendo & amando paupertatem juxta exemplar Christi JEsu, quàm si omnes mundi possiderentur thesauri; contentum esse rebus dumtaxat necessariis, quas Providentia Patris nostri cœlestis nunquã servis suis patitur deesse; hoc est, quod nunquam te implicabit aliquâ cum aliis controversiâ, quodque eripiendo te â senties millenis solicitudinibus, conservabit tibi pacem tam exteriorem, quàm interiorem, admirabili cum libertate vacandi & famulandi Deo. Et hoc jam est, magnum feciſſe progressum in negotio obtinendæ Sanctitatis; quod abs comparatione longè facilius est, quàm ipsius oppositum: possidere omnia, nemo; contemnere quisque potest.

Status paupertatis obtinetur facillimè.

Seneca.

Si requireretur, ut magnus quis evaderet sanctus, elevari ad summos honores, præcipuas occupare dignitates, prima obire munera, tanti constaret Sanctitas, ut plerique illam assequi nunquam possent. Sed vitam humilem ducere & abjectã, non aspirare ad excelsa, nõ velle emine-

Status abjectionis possidetur absque invidia.

re aliis, amare abjectionem, & recipere libenti animo despectus & vilipensiones, reminiscendo, has exquisitissimas fuisse dapes CHristi JESU; *Saturatus sum opprobriis*; sicut & Sanctorum ipsi-usApostolorum, qui revertebantur cum gaudio: *Quoniam digni habiti sunt, pro nomine JEsu contumeliam pati*; hoc est, quod nullius ergà te provocabit vel iracundiam, vel invidiam; leviſſimo id quoque habebis pretio, cùm nemo non futurus sit, qui ejusmodi dapes & fercula, haud magno tibi suppeditaturus sit impendio: Et si semel ibi noveris invenire gustum, quem invenerunt sancti suo jucundissimum palato, consolatus vives & felix, jamque feceris in via sanctitatis obtinendæ, duos haud contemnendos progressus.

Threni 3.

Actor. 5.

Tandem si necesse foret natare in deliciis ad magnæ sanctitatis obtinendum fastigium, intolerabilis tibi in iis comparandis exantlandus foret labor; constarent tibi plurimi, oporteret te facere expensas, gerere curam, â rebus dependere plurimis; & sæpiùs non invenires nisi amaritudinem, ubi te gustaturum sperabas voluptatem ac dulcedinem. Sed sensuum contemnere voluptates, omnes patienter sufferre cruces, quibus conditio nostra humana inseparabiliter subditur; malle vitam pœnosam, laboriosam, austeram, præ vitâ voluptuosâ, molli, delicatâ, hoc tibi stat nec curis, nec expensis, nec ullâ dependentiâ. Si amas affligi, invenies ubique, unde tua compleantur desideria; sic enim sunt omnia cruce & afflictione referta super terram, ut quocunque te feres, inventurus illarum sis plurimas: si ipsas ames, felix es; suggerent namque tibi, ut sanctus evadas, efficax remedium; siquidem cùm semper affixus fueris cruci, conformis eris imagini JESU CHRISTI.

Status afflictionis à Semine infestatur.

Ah itane! mi Deus, tam durum ergò sit persuadere nobis, ut amemus hæc tria, quæ Christo Jesus tam ardenter adamavit, & in quibus tota consistit essentia sanctitatis Christianæ, paupertatem, contemptum, afflictionem? Hæc tria sæpissimè nobis occurrunt, ut currere nos faciant in viâ ad sanctitatem; & nos summè abhorremus ab ipsis, velut ab inimicis nostris lethalibus, pro eo, quod liberalissimè â nobis forent excipienda, velut amici fideles, afferentes nobis sanctitatem, beatitudinem & cœlum in manibus suis. Verum est, repugnantias naturæ nostræ quas experimur, esse magnas & vehementes; sed gratia Christi JEsu, quæ in subsidium nobis venit, nonne abs comparatione est fortior? hæc cum sit epitome & quinta velut essentia divi-

Non est difficile nobis fieri sancto, si velimus.

divini ipsius spiritûs, portat & affert prima illius principia, regulas, leges, affectus in animam, in quâ recipitur, ut faciat illam amare, quod ipse amavit, ut ipsam denuò inducat fortitudine quâdam divinâ, & virtute quâdam supernaturali amplecti faciat ipsam, quod ex naturali quâdam abhorruit inclinatione. Et quot Sancti, qui homines erant sicuti nos, & ejusdem nobiscum conditionis, hauriebant plus consolationes ex altissimâ suâ paupertate, quam omnes totius mundi divites è gazis & thesauris suis? quot videre est, qui majori perfusi sunt voluptate in medio confusionũ, maximorúmque contemptuum, quàm ambitiosissimi quiq; in suis honoribus? & quot numerantur, qui tanto abundantiore delibuti sunt gaudio, quantò graviore afflictionum ingemiscebant sub pondere: quod quidem gaudium majus fuerat, quam quod omnes mundi sectatores è suis hauriunt voluptatibus.

O Vita Christiana, quàm parùm cognosceris, & ideò â paucis quoque æstimaris! O Sanctitas vitæ Christianæ, aspiciunt te homines cum horrore, quia credunt amaram te esse, duram, severam, intolerabilem; sed ex eo, quod non gustârint, nec experti sint te. O si quis vel parùm gustâsset te, vel tui cepisset experimentum, amabilis dulcedo sanctitatis, ad quam nos DEus invitat! Indubiè fateretur, abs comparatione faciliorem & jucundiorem esse vitam vivere Sanctorum, quàm vivere vitam peccatorum, passionumque tyrannidem infinitâ ratione duriorem esse jugo & imperio Christi JEsu. Perpende hoc benè, qui ita tuæ diffidis infirmitati, ut anhelare non audeas ad Sanctitatem, eòquod credas, illam tibi esse impossibilem. Aspice magna Dei super te consilia, ac potentem gratiarum ipsius succursum: impossibile erit, quin tuo exinde robur accrescat animo. Jam loquar ad te, qui de tuâ conquereris ignorantiâ.

Facilius est esse sanctum, quàm peccatorem.

ARGUMENTUM.

1. *Cùm DEUS infinito modo sit sapiens, oportet, ut infinito modo sit sanctus.*
2. *Nemo potest esse sanctus, nisi dirigatur lumine divinæ hujus sapientiæ.*

Articulus II.

TEnebræ, stultitia, peccatum, infernus, sunt quatuor inseparabilia, quæ contribuunt ad constituendam supremam infeli-

hendat malum pro bono. Peccatum est monstrum, quod stultitia ipsam facit anteferre summo bono, ipsamque inter & DEUM infinitam conciliat oppositionem. Et denique infernus est æternus carcer, ignem evomens & flammas, ut æternaliter absorpta maneat in profundâ abysso tenebrarum suarum, stultitiæ suæ, ac peccatorum suorum.

Oppositum igitur verum est, quod lumen, Sapientia, Sanctitas, paradisus inseparabiles sint in DEO, constituentes summum gloriæ ac excellentiarum ipsius fastigium & complementum. Deus lumen est puriſſimum, in quo tenebræ non sunt ullæ, sicut nobis Sacra Scriptura affirmat. Hoc est infinitum quoddam lumen, quod totam replet amplitudinem intellectûs Patris, ut cognoscere ipsum faciat omnem veritatem, & in seipso, & extra se ipsum. Per fœcundum hoc lumen producit Sapientiam æternam, quæ est Filius ipsius unigenitus. Et hæc sapientia est ipsius vita, cùm sit ipsius intelligentia: Verum enim est, quod intelligentia sit vita rerum intellectualium, sicut dicit Philosophus: *Intelligentibus intelligere est vivere.* Et hæc vita divina est Sanctitas ipsius infinita, eòquod per illam fruatur propriâ suâ divinitate, illámque possideat perfectissimè. Et tandem hoc lumen, hæc Sapientia, hæc Sanctitas infinita constituit Paradisum DEI, eòquod hìc contentus ac beatus quiescat in omnem æternitatem.

Aristot.

An dubitare possumus, quod Deus, cùm totus sit lumen: *Quoniam Deus lux est*, sit etiam totus Sanctitas, quodq; lumen ipsius infinitum, infinita ipsius sit Sanctitas; cùm videamus, totam Sanctitatem Sanctorum, qui jam toti in splendoribus gloriæ ipsius divinæ sunt absorpti, non consistere nisi in ipsorum lumine? quantum habent ipsi Sanctitatis? tantum, quantum luminis ad intuendam clarè essentiam DEI. Qui hujus luminis plus habet, major & dignior est sanctus; & si per impossibile ipsorum quispiam tantum illius, quantum ipse DEus, haberet, æquè sanctus esset ac Deus. Sed accipe lumè maximi Sanctorum, accipe omnia lumina omnium Sanctorum simul, & omnium beatorum Angelorum, & exin nonnisi unicum magnum confice lumen; hoc nondum tantæ erit magnitudinis, respectu infiniti luminis Dei, quantæ est minima ignis scintilla intuitu Solis: Et hinc est, quod Sanctitas omnium Sanctorum simul non sit, nisi parvus atomus, in comparatione cum Sanctitate DEI. O Sancti cœlorum, quâ ratione aspicitis

Sanctitas Sanctorum in cœlo consistit in lumine gloriæ, quo gaudent, quanto magis illa DEI,

citis vosmetipsos, & cuncta vestra splendentia lumina, & omnem vestram Sanctitatem respectu Sanctitatis DEI? O quàm facile est captu, quod oblituri sitis vestri ipsorum, quodque toti extra vos rapti, toti gaudio & admiratione absorpti, ex aspectu impenetrabilium harum abyssuum luminis & Sanctitatis infinitæ DEI, cessaturi sitis nunquam cantare hoc canticum laudis in omnem æternitatem: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS Sabaoth.*

Non in terra non possumus esse Sancti, nisi per lumen fidei

Verùm si Sanctitas DEI, & illa Sanctorum, qui sunt in cœlo, consistit in hoc divino lumine, quâ ratione nos miseri mortales, qui reptamus hic super terram, aspirare possumus ad Sanctitatem, cùm nihil divini istius habeamus luminis? quid dicitis, quod nihil divini luminis habeatis in terrâ? quid ergò est fides, quæ docet vos in terris res prorsus easdem, quas Sancti vident in cœlis? verum est, habitare nos in regione umbræ mortis; sed magnum è cœlo nobis apparuit lumen ad nos illustrandos. Verum hoc lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, verbum adorandum Patris, thesaurus ille, in quo absconditæ sunt omnes divitiæ, Sapientiæ, & Scientiæ DEI, nonne eo solùm nomine in personâ propriâ descendit è cœlo, ut repleret terram cognitione & Sanctitate DEI? Nonnisi oculi ad ipsum dirigendi & elevandi sunt, qui vocat & invitat nos; *Ego sum lux mundi.* Munde cœce, nec de tuis amplius conquerare tenebris, nec dicas ulterius, invito te, ab illis te agi in præcipitia: deinceps nec tenebræ amplius, nec peccata te infestabunt, nisi per tuammet malitiam. Aspice me, ego sum lux mundi; peccata, quæ nonnisi tenebras amant, incompatibilia sunt cum hoc lumine; sed Sanctitas inseparabilis est ab illo. Aperi cor tuum, eodem tempore hauries, & lumen divinum & Sanctitatem.

JESUS CHristus est lumen quo omnes christiani videre possunt: ipsorum cœcitas est prodigium.

Nonne mirum sit, inveniri homines, qui dicantur habere oculos, & tamen in pleno meridie nil videant? Unde oritur tantos reperiri Christianos, qui dicantur habere fidem, quæ oculus est animæ, & tamen in hâc veritatis luce, in pleno hoc meridie magnorum luminum, quæ JESUS CHRISTUS, fulgentissimus æternitatis sol in totam suam effundit Ecclesiam, ambulent adhuc more cœcorum, nec videant horrorem peccati, nec pulchritudinem virtutis; nec considerēt rerum temporalium vanitatem, nec æternorum valorem ac pretium; præferendo atomum boni perituri & caduci, toti immensitati bonorum ineffabilium cœli,

li, levissimum voluptatis momẽtum, universo Oceano deliciarũ Paradisi; & ut unico verbo complectar, quàm cœci sunt, dum magis amant peccatum, quàm sanctitatem; servitutem diaboli, quàm libertatem Filiorum Dei; infernum, quàm paradisum? quomodò possibile est, quod idem lumen æternum & lumen infinitum, quo videt Deus omnes suas pulchritudines, & omnes sancti in cœlo splendores gloriæ ipsius, quibus delectantur; quod idem lumen, idem verbum adorandum, exponat ipsorum oculis omnes has pulchritudines, omnia hæc bona tam delectabilia, quæ afficiunt & voluptate complent cor omnium Sanctorum in cœlo, imò cor DEI ipsius, & tamen aspectu horum omnium ipsi non afficiantur, imò ne moveantur quidem, illa nihili æstiment, sed nec videre videantur?

Tres mundi qui habent tres soles.

Ah itáne! divine sol, adorande JEsu, Sapientia æterna, qui recondis in te omnes thesauros scientiæ DEI, quique eo nomine in hunc mundum venisti, ut illos nostris exponeres oculis, nonne tu lux es mundi? nonne tu affirmas, quod illumines omnem hominem venientem in hunc mundum? Imò. Sed de quo mundo arbitramur ipsum loqui. Tria mundorum genera mihi imaginor â se invicem valde diversa. Primus est mundus naturalis, secundus est mundus criminosus, tertius est mundus christianus. Quilibet ex his mundis habet suum solem, quo illuminetur, & quo non illuminentur alii. Sol mundi naturalis est splendidum hoc astrum, quod abs intermissione supra nostros circumvolvitur vertices, ut indies conficiat iter circa totum hoc universum, effundens ubique, ubi transit, torrentes magni luminis, quo omne animal oculos habens corporeos illuminatur.

Diabolus est sol mundi criminosi, Joan. 11.

Sol mundi criminosi est diabolus, qui in Evangelio nuncupatur *Princeps hujus mundi*. Mundus criminosus, cujus ipse sol est, est sæculum, quod sæpiùs in prædicationibus suis exagitavit, objurgavit, insectatus est Christus JEsus, eò usque, ut velut excomunicatum ipsum tractaret, maledictionibus obrueret, dicendo, quod non sit de hoc mundo, quódq; sui etiam non essent de illo. Infelix hic mundus alium solem non habet, nisi Principem tenebrarum; & quia hic sol eclypsatus est, hinc ipsi nullum affundit splendorem ad ipsum illuminandum, & ostendendum ipsi veritatem, sed profundas errorũ, ignorantiæ ac malitiæ tenebras, quibus excœcatur & præceps ruit in ingnita enormia crimina: ipse enim est, qui condit leges mundi, qui excogitat ipsi9 technas qui confirmat prima ipsius principia, illis

illis Sancti Evangelii prorsus contraria, quique auctoritate suâ tam bene firmat & approbat effrænatam morum licentiam, ut nonnisi virtutes contemptu, laudibus & encomiis prosequatur crimina.

Probrum animæ Christianæ mundo adhærentis

Nescio, quâ ratione anima Christiana audeat sectari mundũ, adimplere ipsius placita, & velle, ut dicatur, quod bene se suo accommodet mundo: Nescio, quâ ratione custodire præsumat ipsius leges, tam exactam & accuratam se exhibere exequendis ipsius ritibus, illósque æstimare pluris, quàm cuncta Evangelii oracula. Non capio, quâ ratione circumferre quis possit nomen Christiani, & apparenter sectando institutum Religionis Christianæ, sibi persuadere, quod vivere quis possit juxta spiritum sæculi, qui non est, nisi vanitas, voluntas, divitiæ delectationes, honores, tripudia, abs eo, quod quidquam vel remittatur, vel omittatur ex eo, quod facere quis potest, ut inter mundi sectatores emineat, & cunctis eripiat palmam; modò quis caveat â committendo peccato mortali, quod manifestè mandatis DEI adversetur, dicetur, quod bonus sit Christianus, quamtumvis sit de mundo. Dicent, qui eiusmodi sunt, liberè, se non tenere nec amplecti institutum, in quo obligentur, vel velint esse sancti, eoquod sint de Mundo, habere se tamen conscientiam æquè bonam ac alii, & in omni conditione ac statu posse quemvis suam assequi & promovere salutem. Quid prodest tali ratione loqui, quandò opera clarius loquuntur & contradicunt, meliusque verbis demonstrant veritatem, manifestè enuntiando id, quod os maximè protervum enuntiare & palam proferre non auderet? Ego sum de mundo, nec facio professionem, quâ debeam vel velim esse sancto, ut canonizari me faciam; hoc est, dicere: Ego sum famulus, famula diaboli, ipse meus est Princeps, sub ipsius mereor imperio, ipsius leges custodio, ipsius conformo me regulis, ipsius obtempero placitis, ipsius spiritui, in quantum potero, ubivis me accommodo. Relinquo quidem exterius ementitam aliquam speciem, fucatámque apparentiam Christo JEsu, sed reipsâ consecro meum cor, meam æstimationem, meum affectum mundo, capitali ipsius inimico. Quis est, qui ita loquens, suam crederet sic operari salutem? DEUS bone! nonne eiusmodi verbis horrorem incuterent audienti? Quis ergò est, qui ipso exercens opere, quod foret horribile dictu, suam possit sperare salutem?

IEsus Christus est sol mundi christiani.

JESUS Christus non est lumen, neque sol alicujus ex hisce duobus mundis, sed sol est & lumen mundi Christiani

Mundus hic habet leges, placita, affectus, exercitia prorsus divina. Sed nonnisi lumen supernaturale divini hujus Solis, illorum nobis ostendere potest pulchritudinem; nonnisi solus ipsius Spiritus, gustandam nobis præbere ipsorum saporem ac dulcedinem: Illo qui privantur, cœci sunt, & nihil hic vident. Frustra loquereris cœco nato de pulchra dispositione mundi, de magnitudine cœlorum, de splendore lucis, de varietate & vivacitate colorum, de omnibus artificiosis picturis, speciosum aliquod ambulacrum adornantibus, & millenis aliis rebus: audiret te quidem cum aliquali satisfactione, & crederet hæc omnia re ipsâ valdè pulchra esse, te idipsum affirmante; sed te sic audiens comprehendere exin nil posset: Quod si per miraculum ipsi DEUS concesserit visum, unicus duntaxat exigui luminis radius intra quartam horæ partem, ipsum plura comprehendere faciet, quam tu intra plures fecisses annos: ipsemet videbit, quod sibi nunquam poterat imaginari, & mirum in modum delectabitur eo, quod videbit.

Exemplum de mundi amatore à Deo illuminato.

Sic invanum loquemur animæ de pulchritudine mundi christiani, de sanctis ipsius legibus, de sublimibus ipsius regulis, de eximiis ipsius exercitiis, de nobilissimis ipsius affectibus, quos Christus JEsus ipsemet in adorando suo concepit corde; denicq; de eminenti perfectione vitæ hujus prorsus divinæ, quam unigenitus Dei Filius elegerat pro seipso, quamque omnes secuti sunt sancti, velut unicam viam, deducentem homines ad perfectam, quã anhelamus, felicitatem: esse quidem poterit, quod submissurus se sit intellectus, atque magnum quidpiam his omnibus inesse, crediturus; sed anima exin gustabit nihil, nec quidquam comprehendet: non flectetur, neq; convincetur, quamvis amplectatur & in opus redigat hanc viam & vitam, quoad divinus hic mundi Christiani sol aperiat ipsi oculos, illámque aliquo divinæ suæ lucis illuminet radio. Verùm si hoc dignatitur ipsam, O quàm citò, moxq; in instanti videbit pulchritudines admirandas, quibus rapietur, quasque sibi nunquam potuisset imaginari! Nam ex his omnibus nihil est, quod cadere possit sub sensum, nihil, quod ratio humana comprehendere; videt omnia modo prorsus alio.

Juvenis quidam nobilis mundo & vanitatibus ejus apprimè deditus, tactus fuit à DEO unâ è gratiis illis efficacibus, quæ nunquam non obtemperantem sibi habent eum, quem tetigerunt: firmiter igitur secum statuit, seriò deinceps suæ invigilare saluti; ad quam, ut se disponeret, re-

recepit se in solitudinem, quinque aut sex dierum in quodam monasterio, ad postulandam à DEO gratiam vocationis suæ; quo tempore amabilis ipsius Redemptor, qui non alio nomine ipsum in hanc solitudinem deduxerat, nisi, ut loqueretur ad cor ejus, ipsumque experimento doceret, se esse lucem mundi christiani, luculenter commonstravit ipsi tot & tantas pulchritudines in hâc vitâ divinâ, tantasq; abominationes in vitâ sæculi, mundi inquam criminosi, ut se totum in instanti repererit immutatum ac penitùs inversum: Omnia videbantur ipsi modò quodam oppositò, quàm fuerant antehàc & olim visa, quasi nihil nisi nigrum, quasi nihil vidisset nisi album. Quâ de re ita obstupit, & admiratione attonitus hæsit, ut non comprehendens, quid sibi contigisset, suum accesserit Confessarium, virum prudentem, & in rebus divinis haud leviter expertum.

Crediderim, mi Pater, delirum me esse & insanum, animum meum invenio totum ac penitùs inversum: Omnia mihi modò aliâ omninò ratione videtur, quàm videbantur in mundo, ubi iisdem cognoscendis me diuturno tempore occupavi. Nunquam non felices æstimavi illos, qui magnis instructi sunt divitiis, illos, qui vivunt in deliciis, diesque suos jucundè transigunt; illos, qui præcipuos possident dignitatum gradus, qui magni æstimantur, qui ambiunt honorari, & dicier, hic est: Omnem vidi mundum, hujus esse opinionis, hæc universalis est sententia, & omnes prudentes in hoc conveniunt. Verumtamen, quò meum abscessit judicium, quæ animi mei est facto immutatio; dicendum omninò est, dementem me esse, cum in omnibus his non videam, nisi illusiones, nisi turpitudines, nisi miserias.

Aspicio divites velut infelices & ditiores velut infeliciores, siquidem videtur mihi quasi mancipia, quasi servi aureis catenis in aliqua triremi onerati, ubi incessanter remigant, ut felicitatis portum obtineant, quem tamen obtinebunt nunquam. Non video, quid lucri reportent è magnis suis divitiis, nisi quod pluribus affligantur molestiis, pluribus fatigentur laboribus, pluribus torqueantur curis, pluribus vexentur inquietudinibus, plures tolerent inimicos domesticos, à quibus devorentur, prodantur & consumantur. Ad quid illis hæc omnia? nonne habent non nisi unicum corpus, quod nutriant, quodve induant, sicut reliqui hominum? Et post omnia tormenta, quibus seipsos mactant, nonne pauperes & omninò nudi denuò ingrediuntur in sinum terræ, matris suæ, sicut

cœteri mortalium, divites in momento, & mendici in æternum. Nihil aspicio, ut mihi videtur, in ipsorum statu, quod non magis timendum, quàm desiderandum sit; & aliàs illa omnia tanti feci, tanto in pretio habui. An cœcus tunc fueram, an modò cœcitate percussus?

Amatores voluptatum, non nisi delectationibus sensuum immersi, non minùs miserabiles mihi videntur: similes enim bestiis mihi videntur in pascuis, quæ aliò non tendunt, nisi ut se impinguent; in hoc autem animantibus istis magis bestiæ, quod illa impinguent sua corpora pro hominibus; hi autem sua pro vermibus. Quantum probrum, animam habere spiritualem, & reddere illam totam carnalem; putrefieri totum vivum morbis & lasciviis, sæpiúsque dimidium vitæ suæ perdere, ad sepeliendum alterum vitâ bestiarum? Hoc adeò horrendum mihi videtur, ut inde pudore suffundar.

Ambitiosi illi, qui vento se pascunt, & fumo inebriant, judicio meo, magis inepti, insulsi ac ridiculi sunt cœteris omnibus: nôsse enim vellem, quidnam sit id, quod appellatur honor, nisi pura imaginatio dependens â phantasiâ aliorum, prolibitu ac arbitrio suo illam mutantium; quæque nec vobis dare, nec tollere potest meritum vel minimum; deniq; non video amplius quidquam ex omnibus his, quæ huc usque tanti æstimaveram in mundo, quod maximo despicatu mihi dignum non videatur.

Sed quod magis me reddit attonitum, est, quod omnia illa, quæ toto vitæ meæ curriculo mihi maximo fuêre tædio ac fastidio, paupertas, contemptus, afflictiones vitæ austeræ, mihi haud amplius displiceant: Nescio quàm strictim & quasi pertranscursum hîc video pulchritudinem, & dicere non possem, quidnam sit hæc. Unde mihi oritur hæc animi commutatio, quæ â communi sensu & sententia me abstrahit quàm longissimè. Si conversandum mihi modò foret cum mundo in statu, quem teneo, nullius assensurum me crederem opinioni hominis. Certè, mi Pater, dicas mihi, an delirus sim factus & insanus?

Confessiario raptus ex eo, quod ingentem hanc in juvene hoc viderit mutationem dexteræ Altissimi, amplexans illum, inquit ipsi: Imò, mi chare Fili, probè video, te factum esse delirum! & insipientem, sed sapiente illâ insipientiâ, quam Sanctus Paulus omnibus exoptat Christianis, dicens illis: *Si quis inter vos videtur sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens*; Quasi diceret: si aliquis è vobis sapiês est, falsâ istâ sapientiâ mundi, quæ ipsius animo inducat eandem cum sapientibus sæculi sep-

Esse insipientem coram mundo, est magna sapientia coram DEO.

sententiam, ipse perdat hanc sapientiam, & fiat stultus, fiat insipiens, ut sapiens sit verâ sapientiâ cœli, quæ habet regulas, placita ac dogmata, illis mundi omninò contraria. Benedic Deum, qui parvum tibi largitus est radium ex magno illo æternitatis sole, in Evangelio nobis dicente: *Ego sum lux mundi.* Divina hæc lux pari ratione ostendit tum horrores mundi criminosi, tum pulchritudines mundi Christiani. Aspexisti jam parvum & quasi per transennam utrumque; sed lux tua non est adhuc nisi lux auroræ, crescet ipsa & plenum diem constituet in animâ tuâ. Sequere hoc lumen, & videbis, quod juxta proportionem, quâ crescet in te, mirabiliter gustare te faciet dulcores vitæ omninò supernaturalis, licet exercitiis plius amara videantur sensibus, solidè ac firmiter in te stabiliens Sanctitatem vitæ christianæ.

Gaudium cœcinati, qui recepto visu, aspiceret illicò pulchritudines mundi naturalis, quas sibi nunquam imaginari poterat tam jucundas, sicut videret illas, non accedit ad jubilum animæ, quam divinus mundi christiani Sol Christus JESUS illustrare dignatur quodam cœlestis hujus luminis radio, qui tum videre, tum gustare facit excellentias vitæ christianæ. Omnia videntur ipsi tam pulchra, tam nobilia, tam amabilia, tam consolatoria, ut unicum hujus vitæ diem, quamvis totum crucibus & adversitatibus refertum, prorsus abjectum, & omninò sensibus amarum, omnibusque exspoliatum, DEO solo excepto, præferret integro sæculo vitæ, quam mundus omnibus deliciis ac solatiis plenum dare & propinare posset. Sed abs aliquo radio illius, qui dicit: *Ego sum lux mundi*; hic nihil videmus, cum lumina nostra naturalia hisce pulchritudinibus aspiciendis, utpote cœca, haud sint idonea.

Gaudium animæ à DEO illuminatæ.

Tu igitur, qui conqueris aggretuâ ignorantiâ, nam, quæ ducit di & ambula[illegible]tem, ex eo, quod care[illegible]diminibus sapientum, quibus eò dirigaris, quando tibi esset acerrimi naturalis vis ingenii, quãdo imbutus esses omni scientiarum humanarum genere, quæ docentur in scholis, omnia hæc nec minimùm tibi prodessent, sed potiùs non parùm nocerent, ad dirigendum te ad Sanctitatem vitæ christianæ. Sed exhibe & fiste te radiis divini hujus Solis, qui mundi christiani Lux est, docens in momento, quod omnes homines annis pluribus addiscere non possent; accede ad ipsum, & illuminaberis. Postula ab ipso sæpiùs frequentatis suspiriis ac gemitibus, ut tuis lucem accendat tenebris: *Deus meus, illumina tenebras*

bras meas; sicut ipsum rogavit vates regius, & cœcus natus: *Domine ut videam lumen:* magis Psal. 17. expeditus est ipse ad dandum, quàm tu ad petendum; & certus esto, tantos te facturum progressus in verâ sanctitate, quantum habueris luminis hujus divini, quo omnes constituuntur & fiunt sancti.

ARGUMENTUM.

1. *Bonitas infinita DEI, quæ complementum est Sanctitatis ipsius, est origo omnis Sanctitatis Justorum.*

2. *Ipsa majus desiderium habet communicandi se nobis, quàm nos habeamus ipsam recipiendi.*

Articulus III.

Quare tertia vocatur Spiritus Sanctus.

EX omnibus Personis divinis, per antonomasiam honoratur Tertia nomine & elogio Sancti rationum licet omnes tres paritâ sanctitate [illegible] sint, eâdem infinitâ sanctitate [illegible] communi, nihilominùs non dicitur Pater Sanctus, Filius Sanctus, sed dicitur Spiritus Sanctus; Hujus Theologi plures assignant rationes; sed ego harum assignabo solummodò tres, quæ propositò nostro mihi magis congruere videntur. Prima est, quod tertia Persona sit complementum ultimum, conclusio vel plenitudo omnium divinarum emanationũ; hæc juxta nostrum concipiendi modum absolvit omnem perfectionem Sanctitatis DEI. Cùm enim loqui non possimus de Deo, nisi juxta nostrum modum, qui infinitâ ratione inferior est ipsius excellentiâ essentiæ, concipimus summam beatitudinem DEI, velut inceptam tunc, quando DEUS Pater cognoscit se per productionem Filii sui unigeniti, qui est imago ipsius; & velut absolutam tunc, quando se amat per Spiritum Sanctum, qui est tertia Persona. Si ergò judicamus de Sanctitate Dei, eâ ratione, quâ judicamus de illâ hominum, non dicimus, ipsos magnos esse Sanctos, quando magnam habent cognitionem de DEO, sed quando magno feruntur ergà Deum amore. Si [illegible]itur amor forma est & velut quinta [illegible]ntia Sanctitatis, ne interroges, quare tertia Persona adorandæ Trinitatis Sancta potiùs vocetur, quàm aliæ: ipsa totus est amor; ergò ultimam perfectionem confert infinitæ Sanctitati Dei. Et omnes divinæ tres Personæ non essent, sicuti sunt, Spiritus infinitâ ratione Sanctus, si per impossibile non haberent Spiritum Sanctum.

Prima ratio.

Tertia ratio.

Secunda ratio.

Secunda ratio, plausibilior primâ, est, quia ipsi specialiter attribuitur bonitas: Nam sicut Patri omnipotentia, Filio Sapientia, sic Spiritui Sancto attribuitur bonitas.

tas. Jam bonitas est quasi anima & substantia Sanctitatis. An unquam obtinuit quispiam opinionem & nomen Sancti, nisi ex eo, quod habuerit aliquid bonitatis: & quam ob rem æstimatur unus major Sanctus alio, nisi quia habet plus bonitatis? Et qui maximam haberet bonitatem, maximus foret sanctus. Jam cogita ipse tecum. Cui ex omnibus divinis Personis poterat congruentiùs dari nomen Sanctitatis, vel Sanctæ, nisi quam aspicimus velut bonitatem infinitam? Pater est Spiritus, sed non est Spiritus Sanctus; Filius etiam est Spiritus, sed non est Spiritus Sanctus. Non igitur nisi tertia Persona ex prærogativâ Augustum portat nomẽ Spiritûs Sancti, eò quod ipsa sola sit, cui attribuatur bonitas, velut excellentia ipsius specialis.

Tertia ratio.

Sed tertia ratio, profundè nostro insculpenda animo, cur tertia adorandæ Trinitatis Persona, infinitus & inexhaustus bonitatis thesaurus portet nomen Spiritûs Sancti, est; Eò quod, cùm ipsa sit complementum Sanctitatis DEI, sit quoque fœcundus fons & scaturigo omnis Sanctitatis Justorum. Quanta nobis gloria adorare DEUM infinitâ ratione sanctum? sed & quantum nobis solatium, videre, quod infinita ipsius Sanctitas consistat in infinitâ ipsius bonitate, quod & magnus hic bonitatis Oceanus aliud non quærat, nisi se communicare, seq; effundere, ad faciendos ubiq; tot Sanctos, quot invenerit corda, quæ se ipsi aperiant, ipsumq; recipere velint. O DEUS amoris quàm solidum fiduciarum nostrarum fulcimentum, quod exstimulare nos debet, nobisq; miseris addere animos aspirandi ad Sanctitatem, nobisq; promittendi, nos facilè illuc perventuros, modò ipsi velimus! nam ecce tibi considerationẽ, quæ efficax mihi videtur & consolatoria.

Bonitas DEI vult se communicare, ut faciat sanctos.

Bonitas desiderat se communicare; hæc est inclinatio velut essentialis bonitati; & quò major est bonitas, eò magis se communicare desiderat. Aspicio DEum Patrem totum plenum bonitate & sanctitate infinitâ: hæc plenitudo impellit ipsum tam fortiter ad communicandum se alteri Personæ, ut, quando per impossibile vellet, non posset illam retinere totam in solâ suâ Personâ concluſam; necessariò effundenda est, & felici necessitate tota integra communicanda Filio suo unigenito, quem totum producit plenum eâdem bonitate, & infinitâ eâdem sanctitate, quâ nihilominus ipse adhuc totus plenus manet. Bonitas hæc non est imminuta, nec suam immutavit naturam, eò quod à Patre suo communicata sit Filio, cùm eadem omninò sit in utroque:

Hanc

hanc igitur tam fortem inclinationem se communicandi non perdidit; ita ut, quando per impossibile illam conclusam in solis suis Personis retinere vellent, haud quaquam possent: necesse est, ut ipsam communicent adhuc alteri tertiæ Personæ; & hæc est Spiritus sanctus, in quem effundunt omnem suam bonitatem, & omnem suam Sanctitatem infinitam, absq; ullâ reservatione, qui consequenter se æquè plenum reperit bonitate & sanctitate, sicut Pater & Filius, cum certum sit, quod nil habeant in seipsis, quod non sit in illo.

Cur esse non possit quarta Persona in Deo.

Sed quia eadem est bonitas, quæ est in Patre, & in Filio, & in Spiritu Sancto, æquali ratione perfecta in omnibus tribus; nihil ex suâ perdidit abundantiâ, eòquod communicata sit Spiritui Sancto: procul dubio. Nihil ergò imminuta est in nobili hâc inclinatione se communicandi alteri Personæ ad replendum illam quoque bonitate & Sanctitate: Hoc quoque verum est; sed an faciet hoc? An facere hoc potest in Spiritu Sancto? Non: quamvis enim sit æquè dives excellentiis & perfectionibus, in hâc tertia Persona, sicut in duabus aliis, omninò tamen cum plenitudine abundantiæ suæ arctatur & constringitur, ut possibile ipsi non sit, quartam aliam producere personam divinam. Ratio est, quod DEUS sit Spiritus. Jam Spiritus non nisi duas habet se communicandi vias, intellectum & voluntatem. Quando adorandus hic Spiritus se effundit per intellectum, producit Personam Filii; quando se effundit per voluntatem, producit Personam Spiritûs Sancti. Novi, divinam hanc bonitatem æquè divitem ac abundantem esse in Persona Spiritûs Sancti, sicut in duabus aliis; sed ampliùs non habet, quò se effundat intra DEum, eòquod Spiritus nonnisi duas habeat potentias, intellectum & voluntatem. Utraque se jam impendit in producendo Filio & Spiritu Sancto, amplius quid facere non potest.

DEus creavit animas nostras eo nomine, ut ipsis communicaret bonitatem & sanctitatem suam, Isai. 66.

Itáne ergò infinita hæc bonitas permanere debebit sterilis in Personâ Spiritûs Sancti? & nobilis hæc connaturalisq; ipsi communicandi se inclinatio, in æternum frustata manebit eo', quod tam ardenter desiderat? *Nunquid quæ alios parere facio, ipsa non pariam?* vide, considera, admirabiles inventiones bonitatis hujus. Non potest ipsa se ampliùs communicare intra DEum; sed noverit adhuc producere Deum-Hominem extra DEum. Hoc nondum sufficit ipsi; nasci igitur faciet innumerabilem numerum hominum, qui animas habebunt formatas ad imaginem Dei. Omnes hæ animæ erunt Spiritus, sicq;

sicut Deus; hi spiritus habebunt, sicut ipse, duas solummodò facultates, intellectum & voluntatem; & Spiritus Sanctus per has duas potentias effundet se in has animas, ad replendum illas bonitate & sanctitate: & maximæ huic suæ inclinationi satisfaciet tanto cum gaudio, ut dici possit, quod, sicut Pater infinitâ cum delectatione communicat totam suam bonitatem Filio suo unigenito; sicut Pater & Filius communicant infinitâ cum voluptate omnem bonitatem suam Spiritui Sancto; ita summum & maximum sit gaudium Spiritûs Sancti, communicare bonitatem suam & Sanctitatem omnibus animabus non ponentibus obstaculum ad recipiendum ipsam; siquidem ab abundantiâ suâ urgetur, non quærit nisi vasa vacua, ad replendum illa largè olei sui copiâ, quod fluere nunquam cessabit, quoad volemus nos idipsum recipere.

Deus ardenter nos solicitat, ut velimus esse Sancti. Cant. 5.

Ipse est, qui loquitur nobis in sacro Epithalamio, nostrasque tanto cum amore solicitat animas: *Aperi mihi, soror mea sponsa.* Soror mea, sponsa mea, dilecta mea, aperi mihi portam cordis tui, ut repleam illud meâ præsentiâ, meâ bonitate & sanctitate meâ. Ipse est, qui ad nos clamat in Apocalypsi: *Ego sto ad ostium & pulso.* Exspecto ad januam, percutio hanc & ferio, urgeo per inspirationes frequentes; exspectans hic exspecto, quoad mihi aperiatur, & ingrediar in animam tuam, illámq; repleto gratiâ & sanctitate. Ipse iterum declarat in proverbiis: *Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum*: Voluptas mea, gaudium meum, delectatio mea est, esse in corde tuo; hoc est templum meum, hoc est Sanctuarium meum, hoc est meus extra Deum paradisus; & post infinitas delicias divinitatis meæ, dulciores mihi non sunt, nisi quiescere in animâ tuâ, illamq; replere sanctitate; imple mea desideria, & ego implebo tua; fac me in temetipso frui deliciosò hoc paradiso, qui omnibus simul creaturis corporeis mihi est jucundior, & ego æternaliter frui te faciam paradiso propriæ meæ divinitatis. O si sciremus, quàm ardentibus desideriis accendatur â bonitate suâ effundendi se in animas nostras, ut impleat ipsas abundantiâ Sanctitatis suæ! Junge mihi simul desideria omnium creaturarum, ab impotenti accensa amore & efforma nonnisi unicum ex ipsis desiderium, & hoc nonnisi tepor & frigus in comparatione erit.

Apoc. 3.

Prov. 8.

Et exin credamus ad tam sublimia aspirandum nobis haud esse & temeritati nobis fore imputandum prensare & ambire Sanctitatem, â quâ tam procul distamus, abs eo, quod consideramus, non graviùs contristare non posse Spiritum Sanctum, nisi rejiciendo,

Facimus DEO injuriam, nisi aspiremus ad Sanctitatem.

endo, nec accéptando ingens hoc donum, quod tanto nobis offert & affert cum amore? abs eo, quod advertamus, renuntiare Sanctitati vitæ Christianæ, aliud haud esse, nisi nosmetipsos judicare indignos ingressu cœlorum, & necessarium esse unum è duobus, vel esse sanctum, vel esse damnatum: inter duo hæc medium non est. Sufficit, non esse sanctum, ad hoc, ut in æternum quis damnetur. Ah! abjectum cor, anima pigra, & indigna, quæ honoreris glorioso charactere similitudinis DEI! ut quid ergò accepisti spiritum tam nobilem, intellectum hunc immortalem, voluntatem hanc tam amplam, ut repleri & satiari nunquam possit, nisi solâ possessione boni infiniti? Erat ne hoc, ut altius non tenderent nostra vota, nostra consilia, quàm illa bestiarum nonnisi sensibus omninò sepultarum, utpote quæ capaces non sint sublimioris felicitatis, nisi illius, quam conferre illis vita potest animalis? si debueras tam indignè tuam in pulvere trahere & raptare animam, nonne abundè erat habere ad hanc solummodò animam bestiæ? sed nonne melius pro te id fuerat, eòquod desiisset esse hæc anima cum corpore tuo? Et tua durabit in æternum, ut in æternum durare sua videat supplicia; cum enim non habueris sat alacritatis, sat animi aspirandi eò, ut esses sanctus, consentire suspirando debebis, ut sis in æternum infelix ac miser damnatus.

Exprobratio æterna quam faciet DEUS animæ, quæ sancta esse non voluit.

Ah! piger Christiane, & indigne, qui insignitus fueris charactere tam honorifico Filii Dei in baptismo tuo; quid respondebis voci huic, quæ millies transfodiet cor tuum, exprobrando tibi: Quoties volui, & noluisti? quoties deducere te volui ad Sanctitatem vitæ christianæ, & per sanctitatẽ ad possessionem bonorum æternorum, & tu nunquam voluisti! nonne consultò creaveram te capacem, ut cognosceres & amares me, & tandem intrares in gaudium meum, æternas delicias meas, exprobrabit tibi omnipotentia DEI Patris, creatoris tui? nonne poteram te facere lapidem vel plantam, vel animal rationis expers, nisi magis benevolo ergà te fuissem animo? Quoties gustare te feci fastidium fallorum & inanium bonorum terræ, & ecótra sacram cœlestium bonorum famem? quoties te illuc tirigere volebam, & tu nunquam volebas.

Nonne deditâ redemeram te operâ, mei pretio sanguinis, intentabit tibi sapientia incarnata, Redemptor tuus? An toto poteram ergà te ferri amore, ut consultò annihilarem me in abysso miseriarum tuarum; sustinerem pro te tam diuturnos labores toto tempore vitæ meæ, dolores tam sævos, probra tam indigna,

tam

tam infamia? Et tandem an amare te tantùm poteram, ut morerer pro te, meum pro te sanguinem, meam darem & consecrarem vitam, nisi voluissem, voluntate maximè seriâ, conducere te ad sanctitatem vitæ christianæ, & per sanctitatem ad possidendum æternaliter regnum DEI, Patris mei? quoties omni viarum & mediorum genere te illuc ducere volebam? Admonebam te in tempore, extra tempus, interiùs, exteriùs, modò per cruces, modò per consolationes; relinquens totum thesaurum gratiarum mearum tibi apertum in Sacramentis. Denique nihil intermisi in adnitendo, ut facerẽ te sanctum, & tu nunquam voluisti? *quoties volui, & noluisti?*

Nonne sanctificaveram te de industriâ jam à cunabulis tuis; coarguet te, bonitas infinita spiritûs sancti? nonne adoptaveram te in Filium DEI, largiendo tibi cum gratiâ gloriosam hanc adoptionem, semina sublimissimæ sanctitatis vitæ christianæ, quæ sunt habitus virtutum infusarum, fides, spes, charitas, eo fine, ut illarum tu eliceres actus, ipsasque virtutes ipso exerceres opere, toto cursu vitæ tuæ. Quoties te volui huc adducere per millenas solicitationes amoris plenissimas, & nunquam tu voluisti. Quid respondebis tribus hisce augustissimis testibus, omnipotentiæ Patris, sapientiæ æternæ Filii, bonitati infinitæ Spiritûs Sancti, qui exbrobrabunt tibi magnos, quos adhibuêre conatus, ut facerent te sanctum & beatum, tu autem repulisti illos, & noluisti! *Quoties volui, & noluisti?*

Consilia DEI super nos, ut simus sancti tàm manifesta sunt, ut negari non possint.

An negabis beneficium creationis tuæ, in quâ manus DEI non alio consilio te talem, qualis es, fecit, nisi ut sanctus esses? & tamen audebis dicere: Non cupio esse sanctus. An negabis beneficium Redemptionis tuæ, in quâ adorandus sanguis Filii Dei non aliâ intentione est effusus, nisi ut sanctus esses? & nihilominùs tam parvo eris animo, ut dicas: nolo esse sanctus. An diffiteberis ineffabile beneficium justificationis tuæ, in quâ bonitas infinita Spiritûs Sancti, non alio fine per suas gratias in te effusa est, nisi ut esses sanctus? An his omnibus, quæ diffiteri non poteris, renuntiabis, & dices? Non quæro, non ambio, non prætendo esse sanctus; oppugnabo omnes voluntates cœli, adversabor consiliis ac studiis omnibus Patris, Filii & Spiritûs sancti, & non obstante omni conatu, quem impendunt, invitando & dirigendo me ad sanctitatem, non illuc anhelo, non illuc aspiro, nec laboro quidquam, ut illuc pertingam: malo privari illâ, & non

esse unquam, nisi reprobus & miser damnatus.

Exhortatio ad concipiendam Spem Sanctitatis.

Quid dices ad hæc, mi frater? voles equidem, sed experieris in te ipso tantas difficultates obtinendæ Sanctitati se opponentes, ut illas oppugnandi deficiat animus, eòquod vincendi ipsas & robore careas & spe. Ast eccur non nisi tuam attendis infirmitatem? leva oculos in montes, & respice potens auxilium ab alto, quod offert tibi DEus. Si absterret infirmitas; Ecce tibi omnipotentiam Patris, quæ confortabit te: Si versaris in tenebris, attolle ad illum oculos, qui vocat te, dicendo de se: Ego sum lux mundi. Si sentis inclinationes ad malum; Ecce tibi omnes thesauros gratiarum Spiritûs Sancti, qui aliud non cupit, nisi se in te effundere, ad replendum te abundantiâ bonitatis suæ & Sanctitatis suæ infinitæ. Quid tibi deesse potest, si introitum permittas Spiritui Sancto in animam tuam? Ipse est Spiritus fortitudinis, ut tuam corroboret infirmitatem; est Spiritus veritatis, ut tuas illuminet tenebras; est spiritus amoris, ut purificet cor tuum ab omni eo, quod adversari potest DEO.

An ignoras, quod eo nomine descenderit de cœlo, quò nondum reversus est, quôdque permaneat in terris, ad sanctificandâ totam Ecclesiam, apparens ad hoc Apostolis, qui prima erant ejusdem fundamenta, in formâ linguarum ignitarum, ad demonstrandum nobis, quod ipse lingua sit, quæ loquatur animæ; quod ignis sit, qui illuminet intellectum; quod instrumentum sit, quod conferat cordi gustum rerum cœlestium. Gustate & videte, quàm suavis sit Dominus; & invenietis majorem voluptatem infatigabiliter laborando in omnibus exercitiis ad Sanctitatem vitæ Christianæ conducentibus, quàm voluptuosissimi quique mundi asseclæ, sectando fallaces sæculi delicias ac illecebras.

Facile nobis est esse sanctos, si velimus, probatur pulchrè parabolâ seminis, Luc. 8.

Nec dicere velis ultra, ipsum multa habiturum in te reformanda, quoad in magnum Sanctum efformet te. An ignoras, gratias DEI esse omnipotentes ad transformandum te tempore brevissimo alium in hominem? Nonne considerâsti parabolam seminis, cujus mentionem facit Sanctus Lucas. Semen hoc est gratia, qui seminat, est Christus JEsus, ubivis locorum jaciens & spargens illud; una pars cecidit suprà petram, alia in viam, alia inter spinas, alia in terram bonam. An qui ita id spargit & committit subjectis ineptis ad proferendum fructum, vult disperdere illud? Non, dicit Sanctus Chrysostomus; probè enim novit, divinum hoc semen virtutem habere

re.

re mutandi lapides & spinas in terram bonam: *Possibile est enim terram & spinas fieri terram bonã.* Admirabilis hæc virtus est divini seminis, id est, gratiæ, quam Sanctus Joannes nuncupat *Semen Dei.* Hoc enim sibi simile producere potest, ubicunque recipitur. Recipe id solummodò in corde tuo, bene custodi illud; & videbis eum gaudio, producturum id esse in te sui simile; invenies te totum mutatum, è peccatore in Sanctum, ex inimico Dei, in verum Dei Filium. Quantos numerare est, qui remotiores longè â Sanctitate, quàm tu, pervenerunt illuc? Non est abbreviata manus Domini, spera in eo, aspira ad illum, & contendere non cessa, ut ad ipsum pertingas. Sæpè memineris effati hujus: necesse est, aut Sanctum esse, aut damnatum, nam medium hic non datur. Elige.

In catena aurea. 1. Joan. 3.

CONSULTATIO XXIV.

De Pulchritudine DEI.

Difficillimum est, habere ideam quandam pulchritudinis DEI. S. Aug. l. 1. de genes. 2. lit. c. D. Th. 1. 2. q. 17. a. 3.

QUâ ratione loqui possumus de Pulchritudine DEI, qui nunquam vidimus ipsam? Qui viderunt ipsam vel per modum transeuntis in hâc vitâ, sicut beatissima virgo, vel fortassis etiam Sanctus Apostolus Paulus juxta Sententiam S. Augustini & Sancti Thomæ; vel qui ipsam vident aspectu firmo & continuo, sicut Beati, qui illuminantur pleno meridie gloriæ ejus, nunquam hominibus, quid summa hæc pulchritudo sit, explanare potuerunt. Quomodò igitur formare poterimus vel minimam de ipsa ideam, nos, qui longè remotiores sumus ab immenso illius lumine, quàm medium sit noctis â pleno die? sed quia juxta vetus illud adagium: *In magnis voluisse, sat est*; non intermittamus balbutiendo effari & proferre id, quod addiscere potuimus è Theologiâ & Sanctis Patribus. Tam parum de ipsâ dicere non poterimus, quin semper sit multum ad nostrum profectum, cùm nullum argumentum magis sit idoneum ad insinuandum fortiter & suaviter animabus nostris affectus amoris DEI, quàm cognoscendo quidquam de infinitâ ipsius pulchritudine.

Videri non potest pulchritudo Dei, quin ametur.

Omnes perfectiones, quas considerare possumus in aliquâ re, sunt quidem aptæ ad inferendam mentibus nostris magnam de illis æstimationem, sed pulchritudo habet in hoc nescio quid speciale, quod tribuat ipsi ejusmodi in corda imperium, ut impossibile sit ipsam aspicere & non amare. O si pulchritudinem Dei cognosceremus, nulla amplius opus foret exhortatione, quâ inducere-

mur ad obſervandum perfectisſimè magnum legis præceptum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex totâ animâ tuâ, et ex totis viribus tuis. Abundè ſat eſſet, ut oſtenderet ſe nobis, impoſſibile enim foret illius ſeſe ſubducere lenociniis, allectamentis, blandimentis, illecebris: Viderentur quantocyùs omnes animæ verſus ipſam tanto cum ardore avolare, ut nihil in mundo tanti foret roboris, quod ipſas continere, aut remorari poſſet. Si ergò ſemel formare poſſemus magnam quandam tam amabilis hujus pulchritudinis idæam, illaque profundè inſculpta noſtris maneret mentibus; hoc unicum ſufficeret; obturare poſſemus aures omnibus humanis verbis; claudere poſſemus libros devotionem ſpirantes, & ſolùm inhærere ſummæ hujus pulchritudinis contemplationi. Non eſſet cor, quod exinde non repleretur æſtimatione, reverentiâ, deſiderio, amore, quodque totum non inundaret gaudio maximo, mediante firmâ hâc ſpe ac fiduciâ: videbo aliquando infinitam hanc pulchritudinem: imò videbo illam omninò detectam & manifeſtatam in omnem æternitatem.

Occaſio & argumentum hujus conſultationis.

Quando DEO placet ingerere animæ faſtidium vanitatum hujs ſæculi, ut ſibi tantò firmius adhæreat, ſæpiùs id facit imprimendo ipſi idæam quandam pulchritudinis ſuæ infinitæ. Communicabo vobis hic colloquium inſtitutum â tribus fidelibus DEI ſervis, qui transactis quibusdã vitæ ſuæ annis in miſerandâ ſervitute pulchritudinis mortalis ac perituræ, quâ corda ipſorum fuerant implexa, diverſis temporibus easdem è cœlo receperunt gratias, æqualis omninò naturæ, quæ abſtraxerunt ipſos ab hiſce vanitatibus, intuitu pulchritudinis infinitâ ratione magis amabilis illâ, quæ ipſos ita faſcinaverat. Unus ipſorum, cum viſitatum veniſſet duos alios, invenit ipſos ſimul colloquentes de mediis, quibus relevare poſſent faſtidium cujusdam amici ſui, quem zelotypia dies noctesque arrodebat, ipſumque reddebat tam miſerabilem, ut ipſôs ad comiſerationem commoviſſet inimicos. Poſtquam referre ipſos aliquamdiu audiviſſet funeſtos quosdã eventus, qui ipſi jam acciderant, prævidendo magis funeſtos adhuc, in quos incidere quamprimùm poterat, interpellavit ipſos, dicendo: Inſigne mihi conſtat remedium, quo illicò curabitur, ſi acceptare voluerit. Hem! quale remedium? reſponderunt eidem alii; hoc ipſum eſt, de quo laboramus.

Mala zelotypiæ.

Zelotypia, inquiebat ipſis, natu major amoris eſt Filia, quæ unicè ſtudet utilitati & comodo Patris ſui. Deſiderium, quo ardet, conſervandi ipſi totam poſſeſſionem ob-

objecti, quod amat, tam est vehemens, ut minima suspicio, quam habet, ne fortè sibi rapiatur, vel solummodò secum dividatur, ipsam in furiam agat; continuos enim excitat tumultus, conqueritur, inquietatur, agitatur, omnia susq; deq; vertit, neminem quiescere permittit: diceres hanc esse puteum abyssi, quem sanctus Joannes vidit in apocalypsi, unde prodibat fumus adeò crassus ac densus, ut velo obtexerit solem, obscurando speciosam ipsius lucem; & è medio hujus fumi exibat innumerabilis multitudo locustarum quæ sese effuderunt super faciem universæ terræ, ut consumerent homines, qui non habebant signum DEI in frontibus suis. Quis fumus magis obscurus est suspicionibus, phantasmatibus, funestis imaginationibus, quibus irretitur animus, ubi Zelotypia grassatur? Nec sol rationis, nec sidus veritatis, radiare aliquod lumen permittunt in hoc animo; & pejus est, quod ex horrendis hisce tenebris, quibus immersus est, prodeat tota legio fastidiorum, iracundiarum, furorum, malorum consiliorum, quæ sæpiùs per verba injuriosa, opera violenta, machinationes irrationabiles & temerarias, quæ stragem universalem inferunt omni eo, quidquid dulce & jucundum esse poterat in vitâ, nec aliud post se relinquunt, nisi desolationem & miseriam.

Ad liberandum de zelotypiâ, occidendus est ipsius pater.

Efferatum est monstrum Zelotypia, quod necessariò excutiendũ est, si quis exoptat potiri quiete; & huic monstro suffocando non nisi unicum supereſt remedium. Occidendus est ipsius Pater, & mox in instanti idipsum extinguetur. Expellendus est animo malignus amor, unde enascitur Zelotypia; Aliàs cuncta remedia, quæcunque adhibere poteris, efficacissima, prorsus erunt inutilia. Omnes fructus gerunt vermem suum, quibus arrodantur usque ad cor: & omnis amor desperatæ subditur Zelotypiæ, quo torquetur & devoratur usque ad cordis intima. Sive ames honores, sive ames divitias, sive ames voluptates, sive amore adhæreas cuicunque mortali pulchritudini: ubicunque invenies alios, qui rapere tibi volent id, quod amas, nec munire te poteris contra inquietudines zelotypiæ â quocunque amore inseparabilis omninò, quæ cruciabit te, invito te; nec unquam fruêris quiete, quoad abstraxeris cor tuum ab omni eo, quod amâsti.

Solus amor DEI est expers zelotypiæ.

Nonnisi unicus est amor, qui nulli subditur Zelotypiæ, nempe amor DEI. Pro eo, quod omnes alii zelotypiam habeant ceu filiam natu majorem, quæ prohibere volet cæteris omnibus possessionẽ objecti amati, ad conservandũ hanc totam integrã amori illi, qui suus est Pater; Amor Dei prorsus

prorsùs è contrario parit & generat Sanctum quendam zelum, qui majori non ardet desiderio, quàm plures habendi corrivales, & totum post se attrahendi mundum, si possibile sibi foret, ad amandũ & possidendum idem objectũ, quod ipse amat & possidet; Cùm enim probè noverit, ipsum infinito modo esse amabilem, totúmque cor suum non sufficere ad amandum ipsum tanto, quanto vellet, amore, ingens ipsius foret desiderium, ut omnes creaturæ mutarentur in corda, ut tantum amaretur, quantum meretur. Et certè mirum est, quod cor humanũ, cùm tantam habeat amoris famem, ut langueat, ut moriatur, si non amet; sicut oculi nostri mœrore tabescunt & cœcitate, si non videant; mirum inquam est, quod alibi quærat, quàm in Deo solo, unde sua expleat vota, sua satiet desideria. Quid enim quærere & indagare potest amabile, quod non in magno hoc bonitatis Oceano, velut in suo inveniat principio? Si vult bona, sive honores, gloria & divitiæ sunt in domo ejus: Si vult consolationes, harum totos torrentes inexhaustos effundit è sinu suo: Si amare quandam desiderat pulchritudinem: Hem! hæc pulchritudo est essentialis, æterna, immensa; hæc pulchritudo est ineffabilis, quæ omnes cœli oculos continuo in raptu sibi teneat affixos, à quâ nec unico momento abstrahi possint aut separari. Me quod attinet, nihil ita me afficit aut allicit, sicut aspectus infinitæ pulchritudinis DEI.

Sed an conspexisti illam, interpellârunt duo alii? Imò aspexi illam, & aspicio quotidiè tantâ cum voluptate, quæ totam meam exsatiet, maximóque gaudio repleat animam. Aspicere illam poteritis sicut ego, si advertere huc volueritis. Vultis ut dicam vobis, in quo admirabilis mihi videatur. Ecce!

ARGUMENTUM.

Pulchritudo DEI delineata appareret, licet valdè imperfectè in omnibus creaturis, quæ oculis nostris sunt expositæ.

Articulus I.

Effigies Abagari.

EXpertissimus ille Pictor, quẽ Rex Abagarus eo nomine miserat in Judæam, ut sibi penicillo exprimeret effigiem Christi JEsu, in formâ, quâ visibiliter conversabatur inter homines, tantâ oculorum caligine fuit offusus â splendoribus admirabilis istius pulchritudinis, quos divina ipsius evibrabat facies, ut ne unicum quidem ejusdem lineamentum observare, multò minùs effingere potuerit: Et mundi

di Salvator, solitæ suæ bonitatis affatu, misertus pictoris & satisfacturus devotioni Principis, demonstrare insuper volens omnibus sæculis, haud displicere sibi picturas & imagines sacras, suam ipsemet faciem impressit linteamini, quod suis duntaxat usurpaverat oculis. Et hæc est miraculosa prorsùs effigies, quæ hodiedum adhuc videtur Romæ in Ecclesia Sancti Sylvestri. Verùm si non habuit nec penicillum, nec colores, nec artem sufficientem ad depingendam pulchritudinem Humanitatis sanctæ Filii DEI, dum adhuc agebat super terram in corpore mortali: An mirandum sit, si careamus nos & cogitationibus, & affectibus, & luminibus, & verbis sufficientibus, ad depingendam pulchritudinem infinitam faciei ipsius in propria sua divinitate. Ipse solus depinxit se in Filio suo unigenito, qui est splendor gloriæ ipsius, & perfectissima imago infinitæ ipsius pulchritudinis: sed imago hæc asservatur in templo gloriæ suæ, nec ulli monstratur, nisi beatis habitantibus in sanctâ Civitate; estq; obtecta velamine ipsam oculis nostris abscondente. Verùm, O Domine, an nihil conspiciendum nobis dabitur pulchritudinis adorandæ faciei tuæ! *Ostende nobis faciem tuam, & salvi erimus.*

Imò, videmus Bonitatem DEI satisfacere voluisse aliquantisper piis desideriis animarum se amantium, se desiderantium, ac ardentibus votis suam intuendi pulchritudinem exæstuantium; & ideò delineavit nobis ipsemet parva quædam incomparabilis hujus pulchritudinis vestigia in creaturis. Est quidem verum, non referre hæc effigiem illam, quam Salvator noster misit olim Abagaro; non sunt hæc perfectæ & consummatæ imagines, plenos majestate splendores faciei ipsius representantes; non sunt, nisi ad summum umbræ, vel vestigia pedum ipsius: & nihilominùs tantum est illis illecebrarum, ut rapiant animos se considerantes, illisque præbeant ansam, magnum quid conjecturandi de pulchritudine DEI, quæ videtur ipsis incomprehensibilis.

Deus complacet sibi nobis suam depingere pulchritudinem in creaturis.

Si tempore verno meos defigam oculos in pratum floribus excultum, non video nisi illecebrosum naturæ risum, qui lucratur & rapit cor per oculos; verùm totidem ibi sunt oculi, meis se oculis repræsentantes, ut videre me faciant sui pulchritudinem Creatoris, quot diversos ibidem conspicio flores. Est innoxius illic fucus, qui manus DEI illimit, & condecorat terram, quæ toto tempore hyberno videbatur horrida, ubi confestim tot pulchritudinis prodigia

considerãda mihi occurrunt, ut omninò nesciam, cui potissimũ intendam. Horum forma & figura florum stupendæ est varietatis, & quivis particulari suâ resplendet pulchritudine, quæ non est in alio. Colores diversi tam benè collocati, támque jucundè commixti, admirabiles sunt in vivacitate suâ; & omnes tam speciale exhibent artificium, ut, quod est in uno, non appareat in altero. Ipsorum Encaustum, colorúmque acrimonia stuporem cient splendore suo, & omnes tam augusto refulgent decore, ut Salomon cum omni Majestate gloriæ suæ non accedat illuc. Quis es tu, O inexhauste pulchritudinũ fons, qui manu tam liberali effundis illas in viles & abjectas hasce creaturas, quæ nonnisi fœnum sunt pro pabulo bestiarum? Ubi perennis & jugis hic est thesaurus, unde desumis omnes has divitias, quas anuatim, absque eo, quod unquam imminuantur, effundis, quásque tam munificè in omnem spargis & dispertiris orbem? Hem! comprehendere quis poterit, quanta ergò sit propria pulchritudo tua, cùm parvi solummodò atomi, quibus vilissimas exornas creaturas, tam sint admirabiles! *Quantò his Dominator eorum speciosior est.* Benè judicare possum, omnes alias pulchritudines, quæ me alliciunt, in comparatione non esse nisi sordes, nisi deformitates?

Sap. 13.

Si meos attollam in Cœlum oculos, & vastam illius ridente æthrâ intuear amplitudinem: quantæ pulchritudines, O mi amabilis Creator! Est hic Campus cœruleus, innumeris locupletatus astris, velut totidem accensis facibus ad ostendendum, omniumque creaturarum oculis exponendum, ingens & magnificum hoc Supremi Conditoris totius mundi palatium. Verum quidem est, assiduitatem in illo conspiciendo, imminuere apud nos admirationẽ: Verùm si aliquis cœcus natus reciperet derepentè visum, illúmque mox evibraret in objectum tam sublime, tam amplum, tam magnificum, nonne raperetur in extasim, oppressus á Majestate gloriæ, quam ibi videret.

DEUS depingit nobis pulchritudinem suam in astris.

Sed cum primis, quando intueretur solem, ingentem hanc mundi facem, refulgens hoc divinarum pulchritudinũ speculum, qui nunquam non incedit gressu tam magnifico, portatus supra globos Cœlorum, velut triumphalem suprà currum, cunctis comitantibus astris, & aulico velut cultu suum prosequentibus Principem, propriâ suâ coronat? gloriâ, totusq; resplendentibus lucis suæ circumcinctus radiis, quos ubivis torrentis effundit in morem, inexhaustos in manibus suis portans thesauros, suarum ni-

nimirùm influentiarum, virtutum secretarum, calorum vehementium, activitatum mirabilium, quibus totam animat naturam, quæ suum ipsi aperit cor, dum supra hemisphærium sese attollit. O DEUS! Quis non alliciatur pulchritudine tam admirandâ, quæ supra frontem hujus refulget astri? Magna suspexerunt ipsum ingenia, nec inventus est ullus, á quo sua non habuerit elogia, adeò ut fuerint, qui ipsi velut DEO sua detulerint obsequia. Nunquid ergò tu es DEUS, quem oportet adorare me, astrum speciosum, tantâ refulgens Majestate & gloriâ? Non inquit ille, opus sum manuum ipsius, quod tuis exponit oculis, ut te illuminet; & Ego illumino te, ut deducam ad ipsum te. Verùm en depositarium te fecit omnis pulchritudinis suæ? Non, illius non habeo nisi minimam quandam scintillam.

Frustra reduplicatur pulchritudo astrorum, quia nunquàm attinget pulchritudinem Dei.

Si reduplicaveris centies & centies splendorem, gloriam, Majestatem, & omnes pulchritudines solis, ut ex illis unica solùm confletur pulchritudo, tu judica, quàm stupenda, quàm admirabilis illa foret; Et tamen hoc nihil omninò esset respectu pulchritudinis DEI. Reduplica iterum hanc pulchritudinem unicam centies millienis millibus vicinũ, & ex omnibus nonnisi unicam confice, omnes tam Angelorum quàm hominum intellectus non attingerent ipsius excellentiam, & tamen non tantum ipsa appropinquaret pulchritudini DEI, quantum terra appropinquat Cœlo. Incipe iterum sic facere spatio unius anni, & si volueris, spatio unius integri Sæculi, reduplicando ita singulis momentis incomprehensibilẽ hanc augmentationem pulchritudinis, an tandem eò pertinges, ut exæquare poteris pulchritudinem DEI? Nunquam. Ratio est, Eòquod omnia, quæ dicere vel cogitare poteris, sint finita, cùm semper ipsis quidquam adjici possit, & beatitudo DEI sit infinita: nunquam autem finitum, quantumcunque multiplicetur, assequetur & attinget infinitum. Quamcunq; ergò, O mi Deus, contentionem adhibuero, nunquã comprehendere potero, quæ & quanta sit tua pulchritudo. Ah! verũ est, non comprehendam ipsam, sed ipsa comprehendet me. Meus deperditur animus in magnis hisce abyssis. O Pulchritudo super omnes pulchritudines; Mea evanescit & deficit anima præ admiratione, reverentiâ, desiderio, vehementi cupiditate tua videndi prodigia; non videt ipsa amplius quid pulchri, aut quidquam amabilis extra te; tabesceret & moreretur ipsa præ tædio, nisi animarem ipsam dicendo: Ille promittit

tibi, anima mea, pulchritudinem hanc infinitam; Ille te certum reddit, visurum te ipsam, modò ipsum ames averis.

Nescio, quid magis admirer; vel quod levis atomus pulchritudinis, quam aspicimus in creaturis, tantum exerceat imperii in corda; vel quod pulchritudo infinita DEI tam parum nostras alliciat & afficiat animas. Quantacunq; pulchritudo observetur in reliquis creaturis, verum tamen est, non esse, nisi hominem, qui gloriam habeat, quod factus sit ad imaginẽ DEI. Videmus etiam, quod portare videatur nescio quid divini in vultu suo, ita ut timorem & reverentiam insinuet cunctis animantibus, quæ sufferre non possent splendorem ac lucem ipsius. Ipse theatrum est compendiosum valde in latitudine suâ, sed tam amplum, tamq; magnificum in suis, quæ ponit ob oculos, prodigiis, ut nec unicum è cunctis DEI operibus numeretur, in quo tantâ cum liberalitate divinas suas affulgere faciat pulchritudines.

Pulchritudo DEI possimum expressa est in homine.

Quis non admiretur, quod è millies millenis aspectibus, easdem omninò partes (Et quidem has non in tam magno numero) habentibus, vix videre & reperire sit binos sibi omninò & ex integro similes? Et tamen quivis illorum parvum quandam possident propriæ pulchritudinis suæ portionem, quam alii non habent: Portio hæc certè non est æqualis in omnibus, cum plures reperire sit, quorum unicus multò magis illâ dives quàm plures simul. Verùm da mihi pulchritudinẽ, quæ maxima & locupletissima sit totius mundi: Id, quod hanc possidet, valdè parum est respectu eorum omnium, quæ dispertita sunt inter alias omnes pulchritudines, quæ sunt super terram. Nihilominùs quis comprehendere posset, admirabilem potentiam unius duntaxat pulchritudinis parvæ ad occupandos animos, illósq; suo sub imperio captivandos? Bersabæa non erat Leo, nec ursus, nec Goliath, & pulchritudo ipsius fortior his omnibus prostravit illum, qui suffocavit Leones, qui discerpsit ursos, qui domitos suas ad plantas projecit Gigantes. Judith non erat exercitus centies millenos numerans virorum, quamprimùm tamen comparuit incomparabili illâ refulgens pulchritudine, quam contulerat illi DEUS, & ille, quẽ consultò assumpserat, ornatus; & tamen exspoliavit armis innumerabilem militiam Assyriorum, qui non amplius habebant manus ad pugnandum, sed tantummodò oculos ad aspiciendum illam cum admiratione, & corda

Victoriæ pulchritudinis.

corda ad consecrandum hæc velut mancipia unicæ huic pulchritudini. Quis est, dixerunt ad se invicem, qui contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his meritò pugnare contra eos debeamus? si caleat adhuc gutta sanguinis in venis, effundamus illam in hâc pugnâ, ut possideamus ipsas. Sed non finiit pulchritudinis hujus triumphus in gregario duntaxat milite: Holofernes totius militiæ summo cum imperio præpositus, & formidabilis hic populi DEI inimicus, ubi primùm vidit illam; *Captus est in oculis suis*; non habet ampliùs cor, non habet amplius brachia, non habet amplius rationem, & confestim non habebit amplius Caput. Unica duntaxat pulchritudo de toto triumphavit imperio.

Judith. c. 10. v. 18.

Prô! Quando tantummodò recenseri poterunt eorum nomina, qui unicæ pulchritudinis mortalis aspectu, protinùs ita capti, rapti & fascinati sunt, ut sua prodegerint bona, suam exposuerint vitam, suam perdiderint rationem, suum neglexerint, despexerint honorem? Et quod deterius est, propriam contempserunt salutem, devoventes animam suam diabolo, & conscientiam suam omnibus criminibus, incantati illecebris pulchritudinis creatæ: Testis est uxor Putipharis, quâ amentem fecit amor ergâ Joseph servum suum; testis est Ammon, quem mente & valetudine exuit amor Thamaris sororis suæ; Testis est Salomon hoc sapientiæ prodigium, qui prodigens rationem, factus est stolidissimus hominum & Cultor idolorum, ceu idolum adorans pulchritudinem Filiæ Pharaonis. Omnes historiæ tam sacræ, quàm profanæ ejusmodi refertæ sunt factis, quæ ad oculum declarant vim ac robur pulchritudinis, ad occupandum, quod ambit, in corda imperium.

Infinita pulhritudo DEI rapere deberet omnium corda.

Itane, mi DEUS, dicatur, pulchritudinem fragilem, quæ tanta non sit, quantus est atomus in aëre, respectu tuæ, exercere indies imperium hoc tam absolutum in Corda humana; & te, O pulchritudo infinita, pulchritudo infinita, pulchritudo æterna, immensum omnium pulchritudinum Oceanum, non trahere, non allicere, non ad te rapere omnium Corda hominum? An conqueri quis possit, quod non videaris? sed ubique te nostros statuis ob oculos: in quibuscunq; objectis vel scintilla micat pulchritudinis, demonstras te nobis: Unde enim receperunt illam nisi â te, quæ fons illius es, ac thesaurus inexhaustus. Et homines tantâ perculsi sunt cœcitate, ut parvis hisce luminum punctis immo-

rentur, abs eo, quod ejaculentur oculos ad immensum illum omnium pulchritudinem Solem, qui glorioſum illarum eſt principium. Ubi eſt ratio tua, O homo? Quæro ex te: ſi pulchritudo mediocris tibi videatur amabilis, nonne pulchritudo major magis amabilis videatur? Absq; dubio. Et pulchritudo centies millenis vicibus major, nonne centies milleſies ſit amabilior? ſed tandem pulchritudo ſuprema, ſumma, infinita omnes in ſeipsâ complectens pulchritudines, quàm amabilis, quanto amore ſit digna? An ideò, quod illa non ſit pulchritudo hæc originaria? An ideò, quod hæc mera ſit tantùm imaginatio? Nonne propriis tuis oculis deſcriptam ipſam vides totidem characteribus, quot ſunt creaturæ, aliquid pulchritudinis tibi exhibentes? Lege illam ubiq;, ſtude illi ubique, ſed ne immoreris characteribus de illa tibi loquentibus, ſicut parvuli facerent infantes, qui neſciunt legere, qui tantùm ſe deſtinent aſpectu literarum in libro, abs eo, quod nôrint, quid iñuant: rimare penitiùs veritatem, quam tibi explanant: dicunt namq; tibi, pulchritudinem eſſe ſuper omnes pulchritudines, quam inceſſanter oculis animæ te oporteat aſpicere, illã ubiq; contemplari, ut abs interміſſione aſpires ad ipſam, ames & diligas ipſã ex toto Corde tuo.

Nonne ſtolidum eſſet, confiderare velle eximiam aliquam pulchritudinem â pedibus & nullam faciei habere rationem? Sanctus Thomas dicit omnes creaturas, in quibus videre nos credimus pulchritudines aſpectu tam jucundas, aliud non eſſe niſi *veſtigia Creatoris*. Si illuſtris quædã fœmina eximiæ pulchritudinis obambulans ad litus maris, & greſſus ſuos imprimens arenæ, relinqueret ibi Veſtigia tam admirandæ ſpeciei & venuſtatis, ut Reges terræ arriperent arma & invicem concertarent, ad comparandum illorum dominium; ut avariſſimi quiq; coëmendis illis ſuos promptè daret & expenderent theſauros; ut deniq; omnes homines cuncta alia deſererent negotia, Eòquod non haberent, niſi unicum hoc vehemens deſiderium, bonam hanc obtinendi ſortem, ut videre tantummodò illa liceret, collocantes in hoc ſumum felicitatis ſuæ faſtigium, quod ferres judicium de hujus pulchritudine mulieris, videns pedum ipſius Veſtigia tantis abundare illecebris, ut univerſum ſuſq; deq; verterent mundum? Nonne diceres? Oportet eſſe prodigium, portentum pulchritudinis, quod tranſcendat omnia, quæcunq; ſubire poſſunt imaginatione hominũ.

1. p. q. 93. a. 3.

Si veſtigia pedum DEI tan-

O DEUS amoris! Quanto pretio habenda, quanta æſtimatione proſequenda nobis eſt ineffabilis

tum habent pulchritudinis, quid habebit adoranda ipsius facies,

fabilis tua pulchritudo, cùm omnes homines infatigabiliter laborent, cùm inter se prælientur, se invicem occidant allecti & fascinati vestigiis pedum tuorum? Eccur Reges & Imperatores belligerentur, nisi pro possessione magnitudinis & gloriæ humanæ? Ah! quid sunt magnitudines, regna & omnes divitiæ Principum mundi, nisi Vestigia pedum tuorum impressa terræ? *Vestigia Creatoris?* Eccur tot avari per mare, per terras currunt indefessi, ut aurum quærant & lapides pretiosos, nisi quia insolenti cupiditate in rerum harum feruntur pulchritudinem? Ah! Quid sunt illæ, nisi Vestigia pedum tuorum impressa materiæ corruptibili, *Vestigia Creatoris?* Eccur omnes sapientes Philosophi & acutissima quæq; mundi ingenia tantam invenerunt delectationem in investigandis naturæ arcanis, nisi quia in illis observabant pulchritudines, quibus mirũ in modum rapiebantur? Verùm quid hæ sint pulchritudines, nisi vestigia quædam pedum tuorum impressa creaturis, *Vestigia Creatoris?* Sicut is, qui ambulat super pulverem, relinquit quidem aliquas notas, quæ insinuant, ipsum illac transiisse, ipsius autem pulchritudinem neutiquam ostendunt.

Si ergò solæ impressiones pedum tuorum, velut in arena signatæ exhibent pulchritudines, quæ exstimulant omnium Corda; Splendores qui excitant omnium desideria; illecebras, quæ attrahunt omniũ animos; allectamenta, quæ captivant omnium affectus, & susq; deque vertunt mundum universum: Quis concipere poterit, quid sit intueri faciem tuam, O inexhauste fons pulchritudinum? *Valde mirabilis es, Domine; facies tua plena gratiarum.* Et quis nos impedit, quin aspiciamus & contemplemur illam absque intermissione, oculis saltem fidei, exspectantes felix illud momentum, quo clarè videbimus eandem per lumen gloriæ? O Pulchritudo infinita DEI mei, in quâ æterna mea consistit beatitudo, quando misericordiam exhibebis mihi, ut remoto velo ostendas mihi faciem tuam, quã constanter circumfero, meo impressam animo. Nunquam non meæ præsens esto memoriæ, unicus esto desideriorum meorũ scopus & meta; Si sæpiùs meminero tui, vivam semper excelsior mundo; impossibile erit Cordi meo vel amare, vel æstimare quidquã caducum, quidquam periturum. Hac ratione primus hic exposuit ipsis, qua ratione videret abs intermissione pulchritudinẽ DEI in parvis scintillis, quas omni ex parte evomit & spargit super creaturas.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Pulchritudo infinita DEI magis ad-huc resplendet in Creaturis spiritualibus.

Articulus II.

UNus è duobus, qui ipsum loquentem audîêat, advertit, hanc rationem considerandi pulchritudinem DEI, nimis esse materialem, & si ipsa tanto cum splendore affulgeat in corporibus, tam procul ab excellentiâ essentiæ divinæ remotis, ipsam longè majori cum jubare affulsuram, si aspiciatur in creaturis spiritualibus, magis ad ipsam accedentibus. Ecce cur altius atollere volens ipsorum considerationem, ipsis, ut sequitur, locutus est.

Pulchritudo humana est minor, quàm tela araneæ

Est quidem verum, parvum quoddam pulchritudinis lineamentum affulgere in floribus, in astris, & præsertim in facie humanâ; sed quid est pulchritudo hæc creaturæ humanæ, quæ tantâ cum voluptate alliciat ad se oculos, & trahat, imò rapiat post se Corda & animos? Aliud nil est, nisi bucca terræ animatæ & paulisper coloratæ, cui si summam cuticulam, gracilem velut telam aranex, & tenuissimo bombycino tenuiorẽ, colore illo imbutam abstraxeris, non erit, nisi monstrum tam horrendum, cujus Nemo deformitatem tolerare & aspicere posset. Nihil omninò omnium Corporum est pulchritudo respectu pulchritudinis animarum, quæ substantiæ sunt purè spirituales, magis abs comparatione appropinquantes ad illam DEI, quam corpora. Si separaveris corpus ab animâ, non erit nisi cadaver visu horribile; quod ipsi aspectu gratam confert formam, est anima, unde totam suam trahit pulchritudinem. Nihilominùs corpus, cui anima omnem suam largitur pulchritudinem, abscondit & subtrahit nobis pulchritudinem animæ.

Admirabilis pulchritudo animæ Spiritualis.

Quanta humiliatio, quod immortalis hic Spiritus habitet in carne corruptibili, velut si Rex captivus detineretur in ergastulo lutoso & sordido! Nihilominus tam acris & vivida est ipsius pulchritudo, ut sic captiva detineri non possit, quin prodat & manifestet se per sensus, evibret scintillas vitæ & lucis per oculos, depingat subrubicundam coloris acrimoniam super genas, effundat cum Majestate venustatem super faciem. Si aperit os & quædam proloquitur Verba, ad exprimendas Cogitationes animi, vel explanandos affectus cordis; Hæ pulchritudines sunt, quæ corporales omes agant in fugam, adeò excedunt has illæ nobilitate & excellentiâ. Qui vidisset animam unicam separatam,

Psal.

vatam, perfectionum ſnarum purè naturalium amictu ornatam, obſervaret in ipsâ ſolâ plures & majores pulchritudines, quàm videre ſit in omnibus Corporibus ſimul, replentibus univerſum hunc Orbem; fæterentur Omnes, ipſam vivam eſſe imaginem primæ & ſummæ pulchritudinis: Si namque verum eſt, veſtigia pedum Creatoris impreſſa apparere in creaturis aliis, verum quoque erit, ſupra frontem entis ſpiritualis, complacuiſſe ſibi magnum hunc Mundi architectum effigiare pulcherrima ſimilitudinis ſuæ lineamenta, juxta effatum illud pſalmi quarti: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine.* Pſal. 4.

Anima eſt facta ad imaginem DEI.

Quando hæc anima complectitur omnia tempora, quando recordatur præteritum, proſpicit futurum, conſiderat præſens, quando inſuper adhuc tranſit & fertur ultra ſæcula; Nonne hæc pulchra imago ſit æternitatis Dei, quæ includit in ſe omnia tempora, & transgreditur illa? quando diſcurrit de rebus univerſalibus, quando comprehendit veritates omnium ſcientiarum, quando contemplatur infinitum, nonne hæc delineatio quædam ſit ſummæ & infiniæ ſapientiæ Dei? Quando invenit tot diverſas fabricas, quando efformat machinas tot operum diverſæ naturæ, quæ naturam ipſam æmulari & imitari rontendant; Nonne parva hæc umbra ſit Omnipotentiæ Dei? Tandem, quando videmus hanc animam, unicam & ſimplicem in ſuâ ſubſtantiâ, tres habere facultates & potentias, ex eſſentiâ ſuâ emanantes, memoriam, intellectum & Voluntatem; quodque memoria ſemper fœcunda, ſuppeditans intellectui objecta cognitionis ſuæ, illorum in ſe ipsâ producat imaginem illa repræſentantem; quódque voluntas ſimiliter ſibi complacens in hoc opere intellectûs producat amorem, qui ſibi ſatisfaciat, ſeque repleat voluptate: Nonne hæc viva imago ſit Dei Trini & unius, ubi Pater ſuam contemplans eſſentiam producit verbum, vivam ſui imaginem, & ambo per ſuſpirium jubilo plenum producunt amorem infinitum, Spiritum Sanctum, qui infinito ipſos repleat gaudio?

Incomparabiliùs pulchratumæ animæ gratia ornatæ.

Verùm ſi unica anima ſeparata â materiâ, & in ſtatu ſuo purè naturali conſiderata, tantem habet pulchritudtnem, ut omnes pulchritudines corporales confundat, quid cogitandum erit de pulchritudine ſupernaturali, quâ exornatur â gratiâ & virtutibus? Pulchritudo centenorum mundorum, qualis eſt hic, non adæquat ipſam. Sed tandem, quid judicandum erit, de pulchritudine illâ æternâ, & prorſus divinâ, quam accipiet in gloriâ, tota in ſinum Dei abſorpta? Complectitur illa ſplendores tam amœnos, ut ſi videremus animam beatam in gloriæ ſuæ Majeſtate refulgentem, illicò proſterneremur in

terram, luminis adeò radiantis oppressi pondere, credentes nos ipsum vidisse Deum. Verùm si ita est, unicam animam tantum possidere pulchritudinis in naturâ, in gratiâ, & in gloriâ: Quid igitur erit, videre omnem simul pulchritudinem innumerabilis hujus numeri animarum, quas Deus creavit, quas per gratias suas sanctificavit, quásque glorificat in Cælo?

Quid sit unico intuitu aspicere pulchritudines civitatis Sanctæ.

Imaginare tibi, intueri te pulchritudinem sanctæ istius Civitatis, ubi omnes animæ beatæ, quæ in tanto sunt numero, ut sanctus Joannes dicat, quod ipsas nemo possit dinumerare, in pulcherrimo collocatæ sunt Ordine, velut totidem specula purissima, in quibus immensus ille æternitatis Sol depingere sibi complacet adorandæ faciei suæ pulchritudines, divinorum profusione luminum, ut pulchritudine ipsius Dei indutæ, velut totidem videantur referre Deos. Pró! quantus animorum raptus, videre omnes has pulchritudines simul conjunctas! Pró quàm alia hic est Regio, quàm aliud hic est pratum aliis floribus aspersum & excultum quàm videatur, séque exhibeat nobis in terris, tempore amœno veris? Et nihilominùs, quid omnis hæc pulchritudo, nisi unica parva scintilla infinitæ pulchritudinis Dei, quam illis voluit communicare: Et omnia hæc minora sunt atomo respectu totius universi: *Qnantò bis Dominator eorum specioſior eſt?* Sap. 13.

Ipse, qui Omnipotens est auctor, inexhaustus omnium harum pulchritudinum fons, nonne pulchrior, admirabilior, amabilior sit absque comparatione? Unde venit, quod horum omnium gnari, O mi Deus, non suspiremus continuò ad te? Unde venit, quod nullâ capiamur delectatione cogitando de te? Unde venit, unico Verbo, quod non toti ardeamus amore ergá te?

Pulchritudo DEI re lucet mirè in Angelis.

Sed parva adhuc sunt universa hæc, O Deus amoris! Quàm sublimem conciperemus idæam, de infinitâ pulchritudine Dei, si oculis attingere possemus supereminentem pulchritudinem Creaturarum purè spiritualium, quales sunt Angeli, quibus nullum cum materiâ est commercium? Videremus illos in tam pulchro collocatos ordine, ut nullus æqualis sit alteri, seu quivis semper possideat aliquem perfectionis & pulchritudinis gradum, quo careat sibi inferior. Jam plurimorum Theologorum est opinio, tantum ipsorum esse numerum, ut, cùm distinguantur in novem Choros, horum ultimus, qui minimus est in perfectione & multitudine, excedat & transcendat numerum hominum universorum; Cæteri octo Chori transcendunt se quoque invicem in numero, in excellentiâ, in pulchritudine juxta proportionem ipsorum sublimitati æqualem: ita ut, quantò Cœlestium spirituum ordo fuerit eminentior, tantò gradus pulchritudinis, quo superior

transcendit inferiorem, futurus sit major.

Scala cœli, quâ ascendatur ad pulchritudinem Dei.

Ex hoc prodigio alteram tibi confice scalam Jacob mysteriosam, quâ ascendas ad cognitionem pulchritudinis infinitæ Dei. Et ut incipias te attollere â terrâ, statue velut certum principium, ultimum Angelorum transcendere in pulchritudine omnes animas rationales, sicut pulchritudo animarum transcendit pulchritudinem Corporum. Pro secundo gradu considera, quod Angelus, qui antecedit ultimum, tantum excedat ipsum in pulchritudine, quantum animas rationales excedit ipse; & exin, quod tertius juxta proportionem elevationis suæ transcendat secundum; & quartus tertium; & sic de gradu in gradum, ubi superiores in ordine, semper etiam sunt eminentiores in excellentiâ & pulchritudine. Ascende sic gradus innumerabiles, nempe tot, quot sunt individua totius naturæ Angelicæ, quorum numerus tam est ingens, ut transcendat individua totius naturæ corporalis, juxta Sanctum Thomam, qui in hoc sequitur sententiam Doctoris profundissimi, Sancti Dionysii Areopagitæ, & docet in primâ parte, quæstione quinquagesimâ, articulo tertio, rationi consentaneum esse, quod substantiæ immateriales, nempe Angeli, incomparabiliter transcendant omnes substantias materiales: excedunt secundùm multitudinem quasi incomparabiliter. Quando concesseris in ultimo Angelorum pulchritudinem, quæ transcendat illam omnium animarum rationalium; & in secundo Angelo immediatè ipsum antecedente; pulchritudinem majorem; & in tertio adhuc majorem; & exin similiter in quarto, in quinto & in sexto, & sic in aliis, de gradu in gradum; Nonn, antequam pertingas solummodò ad duodecimum, nonne animus tuus obruetur pondere ingentis hujus idæa, quæ formanda est ad concipiendam omnem ipsorum pulchritudinem. Quis ergò comprehendere poterit pulchritudinem millesimi centesimi? Verùm quæ mens sufficiet minimam concipere idæam pulchritudinis, centies millies millesimi Centesimi, in quo nondum completur medietas numeri Angelorum? Et denique attingere quis poterit ad repræsentandam sibi admirabilem Angelorum primi & præcipui pulchritudinem?

D. Thom. 1. P. q. 50. a. 3. S. Dionys. de cœlest. Hierar. c. 14.

Et nihilominùs quando attigisses terminum tantæ sublimitatis, miraculosâ quâdam luminis infusi contentione & opera, quam eo fine tibi contulisset Deus, non hìc sistendum tibi foret, neque credendum, te quidquam concepisse de pulchritudine Dei; infinitâ namque ratione adhuc ab illius distares cognitione. Siquidem hujus ipse possideret thesauros tam inexhaustos, ut crearet posset alios milliones Angelorum in majori numero, quàm sint atomi in aëre, vel ramuscul

Pulchritudo Dei infinito modo superât illam Angelorum tàm actualium quàm possibilium

herbarum in terrâ, illósque locupletare excellentiis ac perfectionibus tantis, támque raris, ut ultimus ex omnibus plus haberet pulchritudinis, quàm habeat modò primus ex omnibus iis, quos jam extraxit è nihilo: & ut secundâ te instruam scalâ supra primam, quæ incomparabiliter te magis attollat ad considerationem infinitæ pulchritudinis Dei, disponere posset illos omnes in tali sub-ordinatione, ut duo nunquàm essent æquales, sed semper unus superior esset altero in excellentiâ, pulchritudine & decore. Et postquam consideraveris mente defixâ, & admiratione profundâ, quâ raptus quâdam specie tuus suspendi deberet animus, qualis & quanta hæc foret innumerabilis pulchritudinum sese invicem transcendentium multitudo? Et consequenter qualis & quanta deberet esse incomparabilis, & ratione quâdam incredibilis pulchritudo primæ & præcipuæ exhisce creaturis? Dic liberè & audacter, hæc omnia non accedere ad pulchritudinem infinitam Dei, hæc nihil propemodùm esse respectu illius: siquidem abs comparatione longius adhuc distat hæc pulchritudo tam pulchra ab infinitâ pulchritudine Dei, quantum maxima distat turpitudo & deformitas â pulchritudine hujus creaturæ: *Quantò his Dominator eorum* Sap. 13. *speciosior est?*

O Pulchritudo ineffabilis & incomprehensibilis omni alteri, quàm tibi ipsi! pulchritudo prorsus amabilis, & infinitâ ratione admirabilis! Si tenuis aliquis pulchritudinis atomus, visus â nobis in creaturis, tantas habet illecebras, ut ad sui trahat & rapiat amorem; Cur igitur tota immensitas pulchritudinis infinitæ, quam sinu tuo complecteris, o Deus meus, non rapit ad se & post se omnium Corda hominum? Nonne omnes cœcutimus, omni prorsùs destituti lumine & fidei & rationis, & ipsorum sensuum? ubi est fides tua, o homo, qui haberi vis Christianus, si non credas in pulchritudinem hanc infinitam, quæ æternaliter defixum & attentum tenet totum intellectum Dei; ad contemplandam se infinitâ cum voluptate, quæque omnes Beatos Cœlorum inquilinos continuo quodam raptu suspendit, ita ut ne unico quidem momento valeant ab illâ avelli? An hæc pulchritudo nihil sit? An ergò nec Deus, nec Paradisus, nec Beati hìc quidquam videant, quo delectentur? An magnam hanc veritatem ceu fabulam accipis aut meram imaginationem? Verùm si firmâ crederes fide, unam & eandem esse pulchritudinem, quæ infinito modo delectet & contentet ipsum Creatorem, & summè omnes creaturas, ipsam videntes; quodque tu creatus sis pro illâ, quod ipsa esse tua debeat possessio, quòd clarè visurus sis ipsam in magnum illum, diem æternitatis, si ipsam amaveris, si quæsiveris ipsam.

Cæcum et stupidum esse oportet eum, qui non ad licitur pulchritudinem Dei.

Ah!!

Ah! si hoc firmâ fide crederes, quàm ardentia forent desuper desideria Cordis tui, & tuæ Vota atque affectus animæ?

Ipsa ratio ostendit pulchritudinem Dei.

Verùm si fides tua mortua est, ubi saltem lumen rationis est tuæ; si non infers, oportere necessariò Auctorem tot tantarúmque pulchritudinum, quas in creaturis dispertitas vides, ab comparatione pulchriorem esse omnibus facturis suis; Adhæc possidere ipsum thesauros pulchritudinum prorsus inexhaustos, ad effundendas incessanter illas, tamque liberaliter in omnes Creaturas, ut nec minimam ex iis prætermittat? Ubi est ratio tua, nisi judices, quod si Creator tantas largiatur pulchritudines entibus materialibus, caducis & perituris, quæ fermè sunt nihil, ipsásque tuis exponat sensibus ad contentandum ipsos: aliam ergò oportet esse pulchritudinem, quam pro tuâ reservat animâ, tantò excellentiorem omni aliâ pulchritudine, quæ oculis cernitur corporeis, quando anima tua spiritualis, æternâ & immortalis, sublimior & excellentior est tuo Corpore? Nonne conspicis, omnes hasce fragiles & perituras pulchritudines quibus hic inhias, satiare & explere haud posse illam: sed aspirare potiùs desideria ipsius ad pulchritudinem quandam æternam, immensam, invariabilem, quâ in perpetuum satiari possit ac contentari? Ut quid ergò sequi detrectes prædara hæc animæ tuæ sensa, quin mente concipias magnam ac insignem infinitæ pulchritudinis Dei imaginem ac idæam, quâ exstimuleris ad desiderandam & exquirendam incessanter illam, velut rem unicam, quæ satiandi te plenè habeat facultatem.

Sensus sunt positi in capite hominis, ut videat ubique pulchritudinem DEI. 1. p. q. 91. a. 3.

Reipsâ igitur nec lumen fidei, nec lumen rationis habes, nisi tangaris quodam tum reverentiæ, tum amoris affectu erga infinitam pulchritudinem Dei. Verùm an quidquam tibi luminis restat in sensibus? Nonne oculos habes ad conspiciendam pulchritudinem Creatoris tui impressam ubique & cœlatam in creaturis? Nonne ipsemet advertis, quod in primâ suâ parte Doctor observavit angelicus, nempe quod Deus, cùm omnibus animantibus non dederit nisi corpus omninò curvum & inclinatum versùs terram Caput, Eóquod non quærant nisi pabulum corporale, quod inveniunt in terrâ; Homini autem dederit corpus rectum & elevatum versùs Cœlum, in quo circumfert velut duo lucida sidera, Oculos, quos omni ex parte facilè circumagere valeat, ad videndum omnia, quæ circùm se sunt, Eòquod magis se pascat pulchritudine operum Creatoris sui, quàm pabulo & nutrimento terræ. Ad quid pulchra hæc dispositio? Eccur oculi tui, & aures tuæ omnes sensus tui in capite; & caput ipsum velut in triumpho portatum in vertice Corporis omninò creati, quod terram non tan-

gat nisi extremâ pedum suorum plantâ? Nisi quia Intentio, scopus & finis Creatoris erat, ut attolleret te â pulchritudine visibili ad cognitionem pulchritudinis invisibilis: ut in omnibus intelligibilem colligeret veritatem. Cesset esse homo, necesse est, & quatuor incedat pedibus recurvus in terram, more animantium, & similis fiat illis, si quis â pulchritudine creaturarum nolit attollere se ad cognitionem pulchritudinis infinitæ Creatoris sui; Et qui illam non videt, qui illam non admiratur, qui illam non amat, benè ostendit, se non habere nec lumen fidei, velut Christianum, nec lumen rationis velut hominem, nec lumen sensuum velut creaturam rationalem, sed duntaxat more bestiarum.

Anima quæ magni æstimat pulchritudinem Dei, facilè omnem aliam contemnit.

Videmus probè per experientiam, oculos nostros nobilitate anr tecellere sensus cœteros, Eòquod majori polleant agendi virtute, magisque aliis in continuo sint exercitio! Experimur etiam, omnem ipsorum propensionem tendere & ferri eò, ut pulchra percipiant & videant objecta, ita ut dici possit, pulchritudinem speciales esse oculorum illecebras, hosque in illâ suam constituere felicitatem; cor, cui convenit cum illis, haud difficulter ipsorum sequitur inclinationem, & â pulchritudine, quæ jamjam rapuerat oculos, se quoque rapi, superari & occupari permittit: Et hinc est, quod sæpiùs pulchritudo sensibilis suffuretur Deo thesaurum suum, qui est amor cordis nostri: hoc enim unicum est, quod â nobis expostulat in lege suâ, & in infinitâ ratione est zelotypus. Difficillimum est, pretiosum hunc ipsi conservare thesaurum, quæcunque adhibeatur industriâ in continuâ, & nunquam intermissâ sensuum Custodiâ, nisi anima diuturnâ consuetudine contemplandi excellentias Dei; suam repleverit mentem tam pulchrâ idæâ, tamque ingenti æstimatione infinitæ pulchritudinis Creatoris sui, ut ipsi afferat tædium, neglectum, vel etiam certum quendam contemptum harum omnium exiguarum pulchritudinum, velut leviſſimorum atomorum, quibus demulceri posset â Creaturis. O quàm modicum Curiositatis residuum est animæ, usurpandi oculis & aspiciendi pulchritudines Mundi, postquam â Deo obtinuit favorem ac prærogativam, aspiciendi pauliſper pulchritudinem suam infinitam?

Nonnemo Ordinis Sanctiſſimi Generalis, dum visitans Galliam, Parisiis morabatur, quæ Civitas est, cui competit hodie elogium, quod sit omnium prodigiorum Mundi compendium, â pluribus fuit requisitus, ut visum iret certas quasdam raritates, quarum magnificentia & pulchritudo omnium exterorum rapiebant & oculos & animos. Sed ipse eludebat importunitatem solicitantium se ad videndum,

dendum, Verbis hisce duobus: Pulchriora vidi. Vidi quid pulchrius abs comparatione his omnibus; post eas, quas vidi pulchritudines, quarùmq; adhuc in animo meo conservo idæas, non teneor amplius curiositate cujusquam; cuncta alia quantumvis exquisitissima & pretiosissima, quæ videre possem, nonnisi mihi sordes, non nisi turpitudines mihi videntur. Erat is Vir magnæ orationis, qui abs intermissione contemplabatur excellentias Dei, quiq; tam insignem conceperat idæam pulchritudinis Dei, ut nonnisi hâc ipsius delectaretur anim9, nec quidquam aliud gustare is posset. O DEus! quàm consolati, quàm beati viveremus! quàm essemus immunes ac liberi â totâ legione vanarum solicitudinum, quibus nosmetipsos implicamus ad indagandum aliquid, quo nobis satisfiat! Et quàm magna foret nostræ pax animæ, si refertam haberemus ipsam magnâ æstimatione excellentiarum Dei; si ipsius bonitas, ipsius immensitas, ipsius æternitas, & præcipuè si vehemens quædam infinitæ ipsius pulchritudinis idæa, species & forma nostro præsens esset animo! Eheu! Nunquam non versamur in medio divinarum ejus perfectionum, ipsæ sunt in nobis, ipsæ replent nos, ipsæ penetrant nos, aliud non restat, nisi videre ipsas, ut eâdem fruamur beatitudine, quâ perfruuntur Beati in Cœlis. Nonne habemus Oculos fidei? Probè novi, non esse illos ita illuminatos, sunt tamen æquè certi, æquè assecurati ac est Visio beatifica. O si sæpiùs niteremur admirandas illas oculis fidei intueri pulchritudines, nonne hoc esset fruei jam Deo? Nonne hoc esset incipere beatitudinem præsentis temporis Vitæ?

Vera effectus si velimus.

Locutus est hic de Pulchritudine Dei, modo quodam sublimiori, magisque aperto, quàm primus; sed tertius transgressus est ambos. Nam quia doctus erat & valdè spiritualis, non inhærebat Considerationi duntaxat, sicut primus, creaturarum materialium, nec, sicut secundus, entium spiritualium; sed eò usque se sustulit in altum, ut voluerit intueri ipsam in seipsâ, quasi voluisset exhibere ipsis effigiem Dei, splendidioribus divinitatis suæ radiis illustratam. Et ecce quâ ratione locutus fuerit ipsis.

ARGUMENTUM.

Pulchritudo Dei considerata in semetipsâ, in admiranda nimirum attributorum suorum harmoniâ.

Articulus III.

NOn est pulchritudo simplex quædam qualitas, sed est speciosus splendor, resultans ex collectione plurium perfectionum, ad illam componendam sese unientium,

tium. Quando Sanctus Augustinus depingit nobis pulchritudinem corporalem in civitate Dei, præcipuè illam in duobus consistere affirmat. Primum est, apta & concinna proportio omnium partium corporis; Secundum est amœna quædam vivacitas & vivida amœ-
L. 11. c. 19. nitas Colorum. Omnis Corporis pulchritudo est partium congruentia, cum quâdam coloris suavitate. Verum est, si pulchritudinem hoc modo accipiamus, nullam esse pulchritudinem in Deo, cùm ipse non sit Corpus: est purus Spiritus, qui habere non potest diversas partes se componentes, nec colores, quibus visibilis reddatur oculis corporalibus. Verùm levem quandam idæam concipere possumus infinitæ ipsius pulchritudinis, juxta proportionem & conformitatem pulchritudinis corporalis, si dicamus & ipsam consistere in duobus. Primum in harmoniâ quâdam, consensu & consonantia divinarum ipsius perfectionum, quæ juxta nostrum intelligendi modum, respectu divinæ essentiæ, sunt id, quod sunt partes respectu Corporis: Secundum in infinitâ Vivacitate sui esse, id est, quod sit tota vita, totus actus, sed actus purus & necessarius, quod est, velut Coloris Vivacitas splendorem ac majestatem conferens pulchritudini huic infinitæ.

Qu'd constituat pulchritudinem DEI in seipsa.

Suavis consonantia immensitatis & æternitatis.

Quod primum attinet; harmonia & consonantia divinarum perfectionum inter se tam est admirabilis, ut in perpetuo raptu suspensos teneat & Angelos & Beatos in Cœlo ipsam considerantes. Qeanta pulchritudo, aspicere harmoniam æternitatis ipsius, cum ipsius immensitate? Una replet omne spatium, & altera complectitur omne tempus. Immensitas exhibet nobis Deum præsentem in omnibus locis, abs eo, quod loco aliquo includatur: est totus integer extra omnem locî speciem, abs eo, quod extendatur per quantitatem. Et æternitas repræsentat nobis ipsum tanquam possidentem esse suum in omnibus temporis momentis, abs eo, quod mensurari possit â tempore, & includentem in unico solo momento, omnem successivam sæculorum durationem, abs eo, quod habeat durationem aliquam successivam. Immensitas Dei nec terminum habet, nec quantitatem; & æternitas ipsius nec principium habet, nec finem, nec durationem, nostra velut tempora. Sed unum est in alio, abs eo, quod vel differat ab alio, vel confundatur cum alio. Immensitas est æterna, & æternitas est immensa. O Deus! Quantâ perfundentur Oculi voluptate, tam perfectæ consonantiæ aspicientes pulchritudinem.

Admirabilis harmonia misericordia & justitiæ DEI.

Quàm infinito modo illustris ac splendida est pulchritudo videre admirandum Consensum Misericor- & Justitiæ Dei. Misericordia coronas tenet in manibus, quas sem-

per

per distribuit cum Justitiâ; & Justitia supplicia gerit in manibus, quæ nunquam infligit absque misericordiâ. Misericordia est æterna in suis præmiis, & Justitia est æterna in suis pœnis. Sed Misericordia accipit è corde Dei ipsius benedictiones & gratias, quas liberaliter effundit super homines; & Justitia accipit è corde peccatorum materiam justæ condemnationis eorum: De suo bonus, de nostro justus. Nihilominus ambæ tam benè conveniunt in omni eo, quod faciunt, ut opera Misericordiæ sint infinito modo justa, quia sunt congrua infinitæ bonitati Dei, & effectus justitiæ sint infinitâ ratione misericordes, quia semper præmiat justos ultrà ipsorum merita, & punit similiter longè infra merita peccatores.

Oportet semper cantare simul misericordiam & justitiam.

Misericordia & justitia diversos habere videntur tonos, nihilominus tam suavem constituunt harmoniam, ut separari ab invicem non possent, abs eo, quod turbaretur Musica exaltans & decantans gloriam Dei, & homo exponatur summo salutis suæ periculo. Peccator cantat abs intermissione in terrâ: Misericordia, misericordia, misericordia Dei mei, expecto te; & interim dum tacet justitia, nunquam non is peccat contra justitiam; Veniet aliquando tempus, quo æternaliter clamabit in inferno: Justitia, justitia, justitia immisericors Dei, quæ subpondere suppliciorum tuorum proterisme, illidis me! Dum interim nec unicum sibi affulgere videbit misericordiæ radium. Eccur ipsas ita separâsti, ut non nisi una caneret post alteram? Quare non feciisti concentum & harmoniam è duabus simul juxta exemplum Vatis regii: *Misericordiam & judicium cantabo tibi, Domine.* Laudo, mi Deus, adoro, amo pari ratione tuam misericordiam & tuam justitiam; una timore percellit me, ac tremore, altera me, animat spe ac fiduciâ. Non mihi arrogo offendere te impunè, cùm non ignorem, infinitâ ratione te esse justum, ita quidem, ut potius cessaturus sis esse Deus, quàm unicum duntaxat peccatum dimissurus absque pœnâ: non tamen etiam despero obtinere â te remissionem peccatorum meorum, quantumvis maxima sint & numerosissima, cùm mihi constet, te infinitâ ratione esse misericordem. O admirabilem hujus harmoniæ pulchritudinem! Misericordia Dei quàm es justa! Justitia Dei, quàm es misericors! Ne separemus unquam unam ab aliâ, sed ambæ incessanter nostris resonent in auribus: Suavitas harmoniæ hujus mirum in modum conservabunt gloriam Dei & innocentiam animarum.

Pulchra consonantia intellectus & voluntatis.

Si oculis noſtris intueamur convenientiam & proportionem admirabilem intellectûs divini cum voluntate divinâ, quantæ nos rapiunt pulchritudinis portenta! Videbis in unâ lucem infinitam veritatis, quæ in Deo eſt, & in omnibus creaturis, veritatem: Videbis in alterâ ardorem quendam infinitum, qui amore æterno amet omne id, quod bonum eſt, ſive ſit in ente increato, ſive in omnibus entibus creatis. Intellectus cognoſcit omnes creaturas, non quia ipſæ ſunt, ſed ut ipſæ ſint tales, quales ipſas cognoſcit; & voluntas amat illas, non quia ipſæ ſunt bonæ, ſed ut illas faciat tam bonas, ſicut ipſas amat. Et quod magis eſt mirum, omnes tres divinæ Perſonæ, non habent niſi eundem intellectum. Filius & Spiritus ſanctus cognoſcunt tantum, quantum Pater, & tamen Pater ſolus per intellectum ſuum producit adorandum hunc cognitionis ſuæ terminum, qui Deus eſt, ſicut ipſe, quemque nuncupamus nos verbum ipſius divinum. Omnes tres etiam non habent niſi eandem voluntatem. Pater & Filius non habent plus amoris, quàm Spiritus ſanctus; & tamen non niſi hæ duæ Perſonæ per voluntatem ſuam producunt adorandum hunc terminum amoris ſui, qui Deus eſt, ſicut ipſi, quemque nos appellamus ſpiritum ſanctum, ſacrum ſuſpirium jubilum cordis ipſorum, vinculum æternum utriusque. Intellectus divinus, qui non eſt niſi lumen, non amat, & tamen totus accenſus eſt amore: & divina voluntas, quæ non eſt niſi amor, non cognoſcit, & tamen tota reſplendet infinitis luminibus intellectus divini. O Deus! ſi pulchritudo conſiſtit in conſonantiâ & proportione rerum, quàm infinita pulchritudo eſt illa Dei! Nos loquimur de illâ, ſicut ignari, quid dicamus nescii, ſicut loquerenturde coloribus cœci, qui verba dicerent, abs eo, quod intelligerent ipſorum ſenſum; ſolummodò certi ſumus, hæc omnia eſſe vera, quia fides ſic docet nos illa. Sed ſibi formare quis poteſt imaginem ac idæam incomprehenſibilium harum veritatum? O beatos oculos, qui vident illas! Ah! Quando hoc erit, Deus meus? Quando hoc erit, ut illas videamus?

Unitas & Trinitas in Deo infinitam conciliant pulchritudinem Eſther. 15.

Videre cupis pulchritudinem Dei aliâ ſub ratione, quæ tibi exhibebit ipſam tam amabilem, tamque admirabilem, utabſtinere vix poteris, quin totus amore & gaudio abſorptus exclames: *Valde mirabilis es Domine, & facies tua plena eſt gratiarum!* Penſiculatè conſidera incomprehenſibilem illam conſonantiam Unitatis eſſentiæ & Trinitatis divinarum Perſonarum. Quâ ratione fieri

fieri poteſt, ut unitas divina non confundat Trinitatem, & ſacroſancta Trinitas non dividat unitatem? Una eſſentia facit tres Perſonas non eſſe niſi unum ſolum Deum, & tres Perſonæ faciunt, unam ſolam eſſentiam eſſe Deum Trinum. Unitas aſſimilat perfectisſimè tres divinas Perſonas in perfectionibus abſolutis; & Trinitas perfectisſimè illas dividit in perfectionibus relativis. Unitas facit Deum eſſe ſolum, ſed Trinitas facit, ipſum non eſſe ſolitarium. Sic Majeſtas hæc infinita poſſidet unitatem ſine ſolitudine, & absque multitudine Trinitatem. O quæ mira nobis incomprehenſibilia! Quantæ pulchritudines, quæ æterno raptu ſuſpenſos tenent omnes Beatos, qui detectas inuentur illas in pleno ſplendore gloriæ! Quàm profunda myſteria, quæ nullo non tempore obruerunt animos omnium contemplativorum! Divinus Areopagita, ſublimisſimus ex omnibus iis, quos novimus, poſtquam evolaverat ſpiritu in præcelſos illos montes, exarata nobis reliquit tria hæc mole parva, ſpiritu magna verba, quæ pro occupatione ſervire poſſent animæ, toto vitæ tempore: *Ex pulchro iſto omnium concordiæ, amicitiæ & communiones ſunt.* Dicit, quod pulchritudo hæc infinita principium ſit omnium concordiarum, omnium amicitiarum, & omnium communicationum, quæ conſtituant totam felicitatem mundi, & omnes pulchritudines temporis & æternitatis. Concordia eſt harmonia plurium, nonniſi eandem intelligentiam habentium, eademque ſenſa & judicia. Amicitia eſt unio plurium, nonniſi eandem voluntatem, & eaſdem habentium affectiones: & communicatio tandem eſt mutua & reciprora correſpondentia actionum, reciproca donatio bonorum, quæ communia fiunt inter perſonas vinculo amicitiæ & concordiæ unitas.

Quomodo Concordia, amicitia, communicatio conſtituant pulchritudinem Dei, Trini & unius.

Sanctus Thomas exponens hæc Sancti Dionyſii Areopagitæ verba, affirmat, quod hæc tria non ſolùm pertineant ad pulchritudinem, verùm ſint eidem omninò eſſentialia, Eòquod illa conſiſtant in harmoniâ & conſonantiâ partium; & quantò plus fuerit concordiæ, amicitiæ & communicationis in rebus, tantò plus ipſæ poſſideant perfectionis & pulchritudinis. Jam quis ſatis admirari poſſit concordiam infinitam, quæ ab æterno ſubſiſtit inter tres divinas Perſonas, quæ facit, ut non ſolum conveniant in ſenſis ſuis & judiciis, ſed habeant eaſdem omninò cognitiones, eandem ſcientiam, eundē intellectum? Quis non attonitus hæreat, dum

considerat, quàm arcta conjungat ipsas amicitia, quæ facit, ut non solùm easdem prorsus habeant affectiones, quibus amant eâdem omninò ratione, easdem omninò res; sed omnes tres non habeant nisi unicum amorem, nisi unicam voluntatem? Et denique quis non experietur animam suam & amore & gaudio abripi, si defixâ mente consideret munificam liberalitatem infinitæ hujus communicationis inter Personas divinas, quæ sibi invicem donant omne suum esse, omnes suas perfectiones, & omne suum gaudium, absque divisione, absque imminutione, sed & absque ullâ confusione? Absque divisione, cùm verum sit, quod non dividant inter se divinitatem, sed quælibet ex ipsis illam possideat integram in Personâ suâ; nullaque prorsùs inter illas sit divisio: absque imminutione, cùm verùm sit, quod, dum suas sibi invicem communicant perfectiones, nulli ex illis vel quidpiam decedat, vel minimum amittatur: Veruntamen absque confusione, cùm verum sit, ipsas semper tam realiter & actualiter inter se distingui, ut impossibile omninò sit unam esse alteram. O Deus amoris! Quàm stupenda pulchritudo, cujus solus aspectus constituit totam vitam, & totum gaudium Dei ipsius! Ah! Beatitudo æterna, unde emanat ineffabilium illarum deliciarum torrens, quo tam dulciter inebriantur omnes Beati, sicque ebrii suaviter requiescunt in sinu Dei? Ah! si paulisper cognoscereris ab hominibus in terrâ! Impossibile foret, ut æstimarent adhuc vanitates, quibus occupantur & miserè seducuntur. Quis enim non sentiret in corde suo vehemens desiderium te clarè cognoscendi, te videndi, te possidendi? Tu promissa nobis es, O Beatitudo infinita, videbimus te aliquandò clarè; sed eheu! Quando felix hoc erit momentum? *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei*? Psal. 41.

Libertas & immutabilitas mirificè conveniunt in Deo.

Verùm si adhuc semel nobis attollere licet oculos ad aspiciendum pulchritudinem Dei, circa admirabilem consonantiam, quâ perfectissimè conjungitur immutabilitas cum libertate Dei: quis tolerare poterit splendores pulchritudinis summæ, quos prodire ex hoc prodigio videbimus inter omnia maximè incomprehensibili? siquidem hic sapientissimi quique Theologi suam fatentur incapacitatem, quâ concipere non possint, multòminus enucleatè explicare profundum hocce mysterium. Videmus quidem in creaturis simul stare non posse cum immutabilitate libertatem; Quod enim immutabile est, nunquam mutare potest, & quod est liberum, semper

semper potest mutare. Nihilominus fides nos docet, quod ambæ in Deo tam perfectè conveniant, ut non sint nisi una eademque res. Sed cognoscere, quâ ratione conveniant, abyssus est, quo oculi nostri penetrare non possunt.

Siquidem dicere, quod sit immutabilis, quod res, quæ sunt in ipso, & respectu propriæ suæ essentiæ: quod autem sit liber, quoad res, quæ sunt extra ipsum, respectu suarum Creaturarum: quasi ipsius immutabilitas æterna, & ipsius libertas essent duæ res diversæ; quodque ex unâ parte esset immutabilis, sed non liber; & ex alterâ parte esset liber, sed non immutabilis: hoc dici non potest, abs eo, quod injuria inferatur infinitis perfectionibus Dei. Immutabilitas ipsius & libertas ipsius tali ratione sunt inseparabiles, ut non sint nisi una eademque res: & utraque est adeò ipsi essentialis, ut, qui illas vellet separare, necessariò destrueret ipsius divinitatem. Confitenda igitur est nobis magna hæc veritas, quam fides nos docet, & adoranda reverenter abs eo, quod â nobis comprehendatur, quod Deus ab æterno sit liber, & ab æterno immutabilis. Ipse liber est in puncto semper actuali & semper constanti æternitatis suæ, respectu omnium creaturarum, quæ sunt extra ipsum, eòquod illas non velit necessariò, sed liberrimè; est nihilominus immutabilissimus respectu illarum, eòquod electio libera & voluntaria, quam circa illas fecit, vel ut melius loquar, quam circa illas semper actualiter facit, nunquam incepit, non interrumpitur, & nunquam mutatur, sed nec finietur unquam, non magis quàm amor, quâ propriam suam prosequitur essentiam. Nunquam ipsius voluntas indeterminata fuit, sed semper actualiter determinata, sicut id voluit, & sicut illud vult liberè.

Quomodo Libertas & immutabilitas Dei conveniant cum nostra libertate.

Hinc est, quod Theologi docent, decreta æterna Dei semper esse libera, licet sint semper invariabilia; & hæc libertas Dei, quæ mirificè subsistit cum ipsius immutabilitate, conservat etiam integrè nostram libertatem. Homo semper liber est, ut ferat vel ad ad bonum, vel ad malum; Quando est justus, Deus ipsum amat; & ipsum odit, quando est peccator. Hæc sententia, pro quâ communiter citatur sanctus Ambrosius: *Deus noverit benè suam mutare sententiam, si tu noveris tuum emendare delictum*; Verissima est, & denotat libertatem integram & omnimodam hominis. Sed omnia hæc non oppugnant immutabilitatem decretorum Dei; siquidem tota mutatio se tenet ex parte hominis, qui voluntariè se collocavit ad sinistram in seriem ac

ordinem reproborum, ibique invenit se objectum odii ac maledictionum Dei; Posthæc melius utens libertate suâ, adjutus gratiâ mutat & transit â sinistra ad dextram, cum Electis, per suam pœnitentiam, & fit objectum amoris & benedictionum Dei. Sic Deus ipsum amat, & postea ipsum odit abs eo, quod propterea fiat aliqua mutatio in Deo; quia voluntas æterna, quam habet amandi bonum, & odiendi malum, est invariabilis.

Potes facere ut sis prædestinatus.

Et si verum est, quod inveniatur hæc propositio in nonnullis sanctis Patribus, sicut aliqui pro illâ citant sanctum Augustinum, in quo fateor, me illam non legisse: *Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris.* Hoc facilè intelligi potest; Idem enim est, ac si diceret: si non es ad dexteram cum Electis, qui sunt justi, eòquod peccatum tuum te teneat ad sinistram, transi ad dextram per tuam conversionem: Tu id facere potes, te solum id tangit, quia Deus vult, ut salvus fias; Et vult id vera voluntate, quia pro te mortuus est, nec gratia ipsius te destituit.

Admirabilis igitur existit consonantia inter libertatem Dei nunquam non actualem, & immutabilitatem ipsius semper æternam. Novi perfectam unionem, quæ est inter ambas, esse verissimam, quia id fides me docet, sed quâ ratione fiat, nescio, cùm sit arcanum Dei incomprehensibile mortalibus. Benè capio, convenientiam admirabilem, utriusque constituere infinitam pulchritudinem Dei, cujus aspectus in æternum rapiet & attonitos tenebit omnes Beatos; sed ut illam concipiam, nullam mihi ejusdem formare possum idæam, quia infinita non esset, sicut est, nec incomprehensibilis, si concipere ipsam possem. Adoro igitur ipsam in silentio, acquiesco non perfectè cognoscens illam, modò ipsam perfectè & ardenter amem. Ah quàm mallem potius ipsam videre, quàm describere! Ulteriùs progredi non vellem, nisi id opus esset ad obtinendam levem quandam cognitionem pulchritudinis Dei, adjiciendo adhuc verba nonnulla de eo, quid repræsentet colorum suavitatem in ineffabili hac pulchritudine, cum sanctus Augustinus nos docuerit, in duobus consistere perfectam pulchritudinem, proportione partium & coloris suavitate. Diximus jam, admirandam divinarum perfectionum convenientiam haberi posse pro partium proportione & congruentiâ; restat igitur aliquid dicere de suavitate coloris. Quid ergò est hæc coloris suavitas?

ARGU-

ARGUMENTUM.

Quæ coloris sit suavitas, vivacitas & acrimonia conferens splendorem infinitæ Pulchritudini Dei.

Articulus IV.

Quomodo comprehendi possit, Deum esse actum purum.

HOc est, quod Deus ipsemet ostendere voluit Moysi, radiante splendore rubi ardentis, ad quem prohibuit ipsum accedere. Quando misit ipsum in Ægyptum, ut esset Deus Pharaonis, non aliud ipsi dicit, nisi magnum hoc verbum: *Ego sum qui sum.* Ecce tibi, quid faciat coloris suavitatem & acrimoniam, omnem splendorem, totamque gloriam in infinita pulchritudine Dei: Ipse est, qui est; hoc est; Ipse est purus actus. Sed quid sibi vult dicere purus actus? Est dicere, quod possideat actualiter omnem essendi plenitudinem; sed tam purè, ut nullam admittere possit in seipso alicujus non esse commixtionem. Quod ut facilè comprehendas, trium tibi propone considerationem, nempe creaturarum purè possibilium, creaturarum actualium, & Dei. Ipsorum comparatio aliquatenus tibi ostendet, quomodò sit intelligendum, quod Deus sit purus actus.

Creaturæ possibiles nihil sunt actu.

In quo statu jam sunt creaturæ purè possibiles, id est, illæ, quas Deus nondum traxit è nihilo, unde tamen omnes paratæ essent exire, si id unico præciperet verbo? Ipsæ omnes absorptæ sunt in puro non esse, ita ut omninò nil habeant esse actualis, sed solummodò esse possibile. Sic nihil actuale est in illis, & aliud nō sunt, nisi pura possibilitas

Creaturæ actuales habent plus possibilitatis quàm actus.

Considera exin, in quo statu multùm diverso existant creaturæ, quas Deus jam extraxit è nihilo per creationem. Ipsæ omnes parvam quandam possident scintillam esse actualis; sed hoc tam parum est, respectu & comparatione ejus, quod illis deest, ut dici possit, infinitam esse distantiam inter id, quod sunt, & id, quod non sunt. Dici quidē potest, ipsas esse in actu, eòquod actualiter existant. Sed non sunt actus purus, cùm totæ circumdatæ sint, & totæ permixtæ tantorum non entium numero, ut parvus entitatis atomus, quem possident, fermè sit nihil respectu eorum, quibus privantur: Accipe, exempli gratia, solem, creaturam adeō pulchram & eximiam: Verum est, ipsum actualiter esse aliquid, sed ipsius esse tam parum est in comparatione cum nihilo, quo circumcingitur, ut unico verbo dixeris omne id, quod est, & pluribus diebus dicere non posses id, quod non est. Dicito mihi, quidnam est pulchrum hoc astrum? Est sol, inquis, & omnia dixisti: sed dic mihi, quid non sit;

Non

Non pertinges ad metam longo tempore: Ipse enim non est cœlum, non est Angelus, non est Homo, non est planta, non est animal, non est mare, non est piscis, non est aër, non est avis. Recense ad longum omnes creaturas, quarum numerus tibi non est cognitus, non est nec una ex ipsis est nihil, nisi solus & unicus sol. O Deus! Quàm parvum est igitur esse, quod possidet, respectu ejus, quo est privatus!

Et si extra mundum te conferas, videbis infinitos alios mundos posibiles, qui repleti erunt innumerabili numero aliarum creaturarum: Et iterum nihil est ex his omnibus. Nonne igitur vides, quod minimum quid rei sit, respectu ejus, quod non est? Prô quàm procul distat ab eo, quod actus sit purus, absque admixtione alicujus non esse, cùm ipsius esse particulare sit velut parvus atomus, circumdatus ab infinitudine quâdam non entium ac nihilorum! Et adhuc parvum hoc esse, quod possidet, antecesit æternum quoddam nihilum, quo detinebatur, antequam ex eo per omnipotentiam creatoris sui fuerat erutum: Et potest post se trahere aliud quoddam nihilum æternum, quô redigeretur in instanti, si creator illius conservare desineret ipsum. Quod si sol ex eo, quod habeat multum splendoris, quodque â creatore suo collocatus sit in loco tam honorifico, gloriari vellet de excellentiâ quidditatis suæ, nonne humiliari unico posset verbo usque ad abyssum? Id respice, parva creatura, quod non es: Oculi tibi sunt valdè illuminati, & mirum in modum acuti, sed his penetrare nunquam poteris omnem, quæ te circumstat, nihili profunditatem: Videbis duntaxat, tam parum te esse, ut parva entitatis, quam possides, particula propemodùm sit nihil in comparationem adducta cum immensâ latitudine entitatum, quibus es privata.

Pulchra consideratio ad infundendam humilitatem.

O quàm vellem tantos in mundo superbos, qui, sibi divinitates imaginantur, quas adorare oporteat, quinque magnitudinem suam nullis arctatam sibi persuadent limitibus, quandoque adniti & operam adhibere, ut videant, an attingere possint metam cognoscendo id, quod non sunt! Et postquam decem dies integros in hâc collocarint operâ, ac probè viderint, se nondum attigisse medietatem laboris sui, permitterem illis, ut aspicerent, quid sint ipsi in medio hujus infinitudinis rerum, quæ ipsi non sunt. O quantum humiliationis argumentum pro illis, quèmque luculenter viderent, se non esse quid magni, ordinemque, quem tenent inter

cœteras

cœteras Creaturas, tam tenuis esse considerationis, ut, quando deficient ipsi, defectum hunc tam parum percepturus sit mundus, quàm perciperet aër, si unum è suis amitteret atomis! O quam ignarum & cœcum esse oportet, ut superbus quis sit, & credat, se magni quid esse! Ejusmodi est igitur conditio creaturæ, quam ita oportuit explicari, ut aliquo modo simpliciores capiant, quomodò sit intelligendum, quando dicitur, DEUM esse actum purum. Veniamus modò ad considerationem hujus actûs puri.

DEUS solus est purus actus absque admixtione non Entis.

DEUS EST. Nil opus est huic adjicere, ut bene declaretur, quid sit DEUS. Omnia dicta sunt, quãdo dicitur, quod sit; & quando additur, quod sit actus purus, hoc tantũ fit, ut declaretur, quod non sit, sicut est creatura, quæ non nisi tenuissimã entitatis habet particulam, quã præcedant, quam sequantur, quamque circumdent innumera non entia, nihila infinita. Sed DEUS actualiter possidet omnẽ essendi plenitudinẽ, absq; nullâ admixtioñe privationis, vel alicujus possibilitatis. Sed nunquam esse potuit, & nunquam esse poterit, & etiam nunc esse non potest; sed est actualiter, absque principio, absque fine, absque successione, & absque ullâ alteratione. Et ecce tibi, quid sit & dicatur actus purus. DEUS EST. Ipse non fuit, & ipse non erit; quia fuisse significat aliquid præteritum, & debere esse significat aliquid futurum. Nec aliquid præteritum, nec aliquid futurum est in DEO, sed ipse est actualiter, hoc est, ipse est purus act. Deus est. Sed Ipse non est hoc vel illud in particulari, quia ipse non est ens limitatum, sed est ens infinitum, quod includit in se omnem latitudinem entis. Ipse est igitur, omne ens, & nihil est ex omnibus entibus creatis; Sicut egregiè explicat sanctus Gregorius Nazianzenus in eleganti quodam metro: Tu omnia, Tu nihil rerum; & tali ratione est purus actus. DEUS EST. Sed Ipse non est post certum aliquod tempus, & non factus est DEUS â quodã alio: Ipse est ens æternum, ens necessarium, ens â seipso. Nam quis dedisset ipsi Suum esse, cùm Ipse fons sit & origo omnis esse? Quis limitâsset ipsi suum esse, cùm non acceperit id ab ullo alio? Ipse est solum ens infinitum & independens, qui procul expellit â se omne non ens. Et ecce quid significetur, quando dicitur, DEUS est actus purus. Sed mentes nostræ arctatæ nimiũ sunt ad id comprehẽdendũ, & verba nostra nimis rudia, ad loquendum de illo, Eòquòd infinitus ipse sit in omnibus, nosq;

nihil cognoscere, nihil effari possimus, nisi quod finitum est.

Actualitas DEI est color pulchritudinis ipsius.

Et hæc essentiæ ipsius infinita actualitas, est color spiritualis si ita loqui licet, qui confert splendorem & omnem perfectionem infinitæ pulchritudinis DEI. Nam sicut color universim se expandit super omnes faciei partes, ad animandam ipsius pulchritudinem, quæ sine hujus suavitate coloris languida & injucunda permaneret; sic etiam incomparabilis hæc excellentia, esse actum purum, se extendit super omnia attributa divina, quæ constituunt infinitam pulchritudinem DEI. Omnipotentia DEI est pulchra; sed pulchritudo ipsius consistit in hoc, quod sit actus purus, qui nullam admixtam habere potest impotentiam. Justitia DEI est pulchra, sed pulchritudo ipsius consistit in hoc, quod sit actus tam purus, ut mixtionem aliquam admittere non possit cum aliquâ injustitiâ. Æternitas DEI est pulchra, sed pulchritudo ipsius est, esse actum purum, qui nullam sciat successionem nostrorum temporum: quæ suum habent præteritum & suum futurum. Sic de cæteris perfectionibus DEI, quarum ingens pulchritudo consistit in hoc, quod sint actus infinito modo purus, qui mixtus esse non possit vel minimâ umbrâ alicujus defectus.

Tria proponuntur digna in contemplatione, quâ DEUS suam contemplatur pulchritudinem.

Sed in vanum occupantur in efformandâ nobis aliqua idæa, quæ accedat ad excellentiam ineffabilis hujus pulchritudinis, Jsaias recenset, quod viderit Seraphinos velantes faciem suam alis suis in præsentia augustissimæ ipsius Majestatis. Et sanctus Gregorius hunc Jsaiæ textum explanans ait; hoc ideò factum, quod supportare non potuerint splendorem gloriæ prodeuntē è divina illa pulchritudine: *Non ferentes radios, illinc proficiscentes.* Sed quid dico de Seraphinis? Video aliquid, quod melius ostendit mihi splendores infinita ratione conspicuos pulchritudinis DEI, quando considero, quod voluptas in contemplanda hac pulchritudine, totam constituat occupationem DEI in æternitate. Quid fecit ipse ante creationem mundi, nisi quod potitus fuerit infinitis propriæ suæ pulchritudinis deliciis? In quo tria prorsùs admiratione digna observo. Primū, quod aspectus unicæ hujus pulchritudinis rapiat totū intellectum DEI, quantumvis infinitum, ipsumq; tantis repleat deliciis, ut ipsi inseparabiliter intendat, abs eo, quod vel unico momento ab illa suos possit avertere oculos. Quantas ergò illecebras infinita ratione potentes habere debet hæc pulchritudo? Secundū, quod repleat ipsa cor DEI gaudio tā abundāti, ut, quā-

Cap. 10

vis

vis imẽsũ id sit, majus & abundantius capere non valeat. Tertiũ, quod admirabilis hæc pulchritudo, tantum habeat roboris & fortitudinis in omnipotentẽ DEI voluntatẽ, ut ipsum cogat ac necessitet ad amandum se, & quidem amandum amore æterno, & amore infinito, amore semper actuali, & denique amore tam necessario, tamque perfecto, ut producat terminum, & qui est DEUS, nempe Spiritum sanctũ. Si dicere possemus, adorandam hanc Personam habere Patrẽ vel Matrem, diceremus, alias ducas Personas esse ipsius Patrẽ, & infinitam pulchritudinem DEI esse ipsius Matrem: Certum est enim, quod per delectationem illam, qua demulcentur Pater & Filius ex aspectu hujus pulchritudinis, producant hunc Cordis sui jubilũ, amoris hoc suspiriũ, hoc voluntatis suæ gaudiũ. Sanctus Augustinus habere videtur totum os suum refertum eadem suavitate, qua divinæ perfunduntur Personæ, loquens de illa libro sexto de Trinitate: *Est Spiritus Sanctus Genitoris Genitiq; Suavitas, ingenti largitate atq; ubertate perfundens omnes creaturas.* Vult dicere, quod Suavitas, dulcedo, gaudium, summa voluptas Patris & Filii, quos aspect? ineffabilis suæ pulchritudinis necessitat ad amandum se reciprocè, producat per amorem hunc, DEUM sibi æqualẽ; quodq; super abundantia voluptatis, qua replẽtur, sollicitet bonitatẽ ipsius, ut effundat amorem suum super creaturas, ad dandum illis esse, tribuendumq; ipsis capacitatem, eandẽ secũ amandi pulchritudinẽ, quã infinito modo vident amabilem.

Creati sumus ad contemplandam & amandam pulchritudinem DEI

Quid ergò facimus, si ob finẽ tam nobilem ac sublimem accepimus esse, si locupletati sumus intellectu idoneo ad cotemplandũ, & voluntate capaci ad amandum eandum hanc pulchritudinem quã DEUS contemplatur & amat, infinita cũ voluptate in omnẽ æternitatẽ? Quid facimus? Eccur reptare sinimus animas nostras in pulvere terræ? Eccur occupari permittimus ipsas infantilibus mundi crepundiis? O DEUS! Quanta est nostra stupiditas? Quàm dura, quam insensibilis est anima nostra, si non sentiat nec amorem, nec desiderium, nec impulsum ergà infinitã DEI pulchritudinem!

Certũ est, quod si unicus damnatus in corde suo collectam & unitam haberet omnem rabiem & omne odiũ contra DEUM, quæ dispertita sunt inter malignas voluntates omniũ damnatorũ, & insuper illa ipsa forent roborata, radicata, confirmata quantum robarari, radicari, confirmari poterant per annos sex mille; Isque videret unicum tantum radium infinitæ pulchritudinis DEI, sufficeret ad expellendũ in

instanti omnem hanc odiorum ac furorum immensitatem è corde ipsius, & convertendum rabiem tam inveteratam, tamq; radicatam unico momento in reverentiam, in adorationem, in amorē: imò necessum foret, ipsum tanto amore ergà ineffabilem hanc pulchritudinem succensum iri, ut ampliùs non sentiret voracissimos ignis infernalis ardores, potiusq; centies & centies millies hos mallet congeminari, quàm privari hujus abundantiâ gaudii, quo perfunderetur cor ipsius ex aspectu infinitæ pulchritudinis DEI.

An igitur deterioris conditionis simus, quàm infelix ille? An verum sit, quod, dum pulchritudo DEI tot tantisq; modis manifestat se nobis, tum in rebus materialibus & visibilibus, tum in rebus spiritualibus & invisibilibus, tum per lumina fidei tam liberaliter nobis concessa, nihilominùs contemplari ipsam contemnamus, apponere ergà ipsā cor nostrum negligamus, & non nisi oculo & affectu pulchritudines amplectamur perituras & caducas? O Bone DEUS! O amabilis mi Creator, compatere cœcitati nostræ, exsolve nos dolo & illusione Sensuum nostrorum, & ad dissipandum tenebras nostras, imprime animabus nostris luculentam ineffabilis pulchritudinis tuæ idæam, insculpe cordibus nostris desiderium ardens illam videndi, illam ubiq; inquirendi, nil præter ipsam æstimandi, nonnisi de ipsa cogitandi, illā adorandi, illam admirandi, & deniq; clarè illam aspiciendi in Sæcula Sæculorum.

Consultatio XXV.

An DEUS amari possit, sicut amat.

Pulchritūdo est Mater amoris.

Considerată infinitâ pulchritudine DEI in præcedenti consultatione, impossibile est, quin abstineamus hic loqui de munificentiâ amoris, quem ineffabilis hæc pulchritudo liberaliter è sinu suo effundit in corda nostra, quem reciprocè à cordibus nostris sibi vult refundi. Quando antiqui finxerunt, Cupidinem fuisse Filium Veneris, si velum fabulæ abstrahamus, inveniemus pulchram valde nobis, ab ipsis traditam veritatem: Et est, quod amor nascatur è pulchritudine, sicut fructus è suo flore, vel sicut calor à lumine Solis; ubiq; amor & pulchri udo sunt inseparabiles, speciatim autem in DEO. Impossibile

bile est, quod, qui videt pulchritudinem ipsius infinitam, quæ suum repleat intellectum stupore, non amet ipsam amore infinito, qui repleat suum animũ tantâ abundantiâ gaudii, quo plenè satietur: ita ut verum sit, quod prima & summa pulchritudo non tantùm producat amorem, sed omnia ingenti hoc amore succendat, dicente ita Scripturâ, quod *DEUS noster ignis consumens sit*; sed quid consumit ignis hic prorsùs divinus? Non seipsum, non creaturas rationis expertes, quæ idoneæ nõ sunt ad recipiendos ipsius impulsus, nec ad concipiendos ipsius ardores. Animæ ergò nostræ sunt, quas consumit; sed non consumit aliquid in nobis destruendo, sicut ignis materialis suam consumit & destruit materiam, sed perficiendo, nosque totos transformando in DEUM.

Hebr. 12.

DEUS nos amat eodem amore, quo amat seipsum.

DEUS noster ignis consumens est: sed ignis est, non nisi unicam habens flammam, quamvis è duabus quasi enascatur fornacibus. Pater & Filius contemplando pulchritudinem infinitam, quæ est eadem in ambobus, non producunt nisi unicum Spiritum sanctum. Impossibile est Patrem infinito modo non amare Filium suum unicum, in quo tantum aspicit pulchritudinis; Impossibile quoque est, Filium tantùm non amare, divinum Patrem suum, in quo pulchritudinem intuetur eandem. Non miror, pulchritudinem infinitam amari amore infinito; sed quod mirum valde est, quodque nostra accendere deberet corda ardentissimo ergà DEUM amore, est, quod divinæ hæ duæ Personæ nos ament eodem amore infinito, & eodem Spiritu sancto, quo amant sese invicem. Nos, qui â nobis ipsis non sumus, nisi purum nihilum, qui non habemus nec bonitatem, nec pulchritudinem, nec aliquid amabile; Et tamen verum est, Patrem & Filium nos amare eodem Spiritu sancto, id est, eodem amore infinito, quo reciprocè se ipsos amant: Hæc est expressa doctrina Sancti Thomæ, qui oraculum est Scholarum: *Pater & Filius dicuntur diligere Spiritu sancto & se & nos.* Quantus nobis honor â tanto amari Monachâ, sed quantum felicitatis portentum, amari eodem amore infinito, quo DEUS amat seipsum.

D. Th. 1. p. q. 37. a. 2.

DEUS probat nobis amorem suum per donum, quod nobis confert.

Fortassis tantum favorem tibi persuadere non potuisses, qui superat omnes nostras cogitationes, transcendit omnia nostra desideria, quemque prensare non absq; horrore reformidâsset animus, probè gnarus, nos infinitâ ratione indignos esse, ut amemur â DEO eodem amore,

quo amat semetipsum. Ah! Quis sum ego, mi DEUS, ut ita cor tuum apponas ergà me? Quâ ratione convincam me, ut credã, me tantam possidere felicitatẽ? Verum est, stupendam valdè esse hanc veritatem, & difficillimam captu; sed nonne argumenta ejusdem habes tam fortia, tamq; evidentia, ut dubitare de illâ non liceat? Quando vides in manibus DEI donum, quod tibi confert, valoris infiniti, an dubitare potes, quin habeat in corde suo amorem infinitum, qui declaratur, qui producitur, qui probatur tam ingenti dono? Joan. 3. *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Metire amorem ipsius ex dono, quod tibi confert; vel metire donum, quod tibi confert ex amore, quo impellitur ad illud tibi conferendum: utrumq; ejusdem est magnitudinis: Donũ est DEUS pretii infiniti, & amor, quo donat, pariter infiniti pretii DEUS est. Quando recipis hoc donum infinitum, an dubitare poteris de amore infinito, qui est in corde ipsius? Quod efficacius argumentum hujus posses exquirere.

Si per impossibile capax fuisset Pater recipere aliquod donum à Filio suo; Et hic Filius unigenitus donum aliquod à Patre suo, æquale amori infinito, quo se invicem prosequuntur, non potuissent sibi dare quidquam pretiosius, quàm dant tibi, ad probandum & contestandum tibi amorem suum. Certum igitur est, & tu luculenter id vides è magnitudine doni, quod tibi impertiuntur; quod eodem amore te ament, quo amant seipsos. An possibile sit, nec tantum donum, nec tantum amorem, maximum ciere motum & affectum in cordibus nostris? O mi DEUS, quantâ cœcitate laborat anima, si non videat, te totum amorem esse pro ipsâ! Quot flammæ ex hoc fonte deberent erumpere, quæ veluti tot ardentes stimuli te animarent ad amorem DEI.

Occasio & argumentum hujus consultationis.

Verumtamen nescio, ex quo defectu fidei, vel è quâ fiduciæ in DEUM carentiâ, tam difficulter nobis persuadeamus, quod ita amemur ab infinitâ ipsius bonitate, ut semper credamus, nos magis certos esse de amore, quo ipsum prosequimur, quàm de eo, quo ipse prosequitur nos; Et infirmitas hæc affecit ipsos quoque Sanctos. Magna illa princeps, sancta Elisabeth, filia Andreæ Regis Ungariæ, sentiens in corde suo vehementem ignem amoris DEI, hâc cogitate diuturno tempore occupavit animum, beatum se fore, si certa

ra esset, quod ita amaretur à DEO, sicut ipsa amabat DEUM. Opus erat afferre illi plures rationes valde firmas & validas, ad auferendam ipsi hanc falsam persuasionem, & evidentissimè demonstrandum, impossibile esse, quod creatura reddat DEO suo amorem æqualem, sed nec amorem, qui vel parum accedat ad eum, quem recipit ab ipso; Et hoc fuit, quod ansam præbuit pulchræ huic Consultationi, quam ipsa desuper habuit cum sancto quodam Religioso Ordinis S. Francisci, qui Patrem ipsius agebat spiritualem. Recensetur hæc in Chronicis Fratrum Minorum, sed tam brevìter, ut historia nullam faciat mentionem ejus, quod ipsi rationis attulerit in medium. Verùm exponam tibi hic ad longum, quid afferre poterat, quidque convincere debeat animum; impossibile nobis esse, quando soli omnem omnium creaturarum haberemus amorem, ut DEO reddamus amorem reciprocum, & æqualem ei, quo prævenit nos ex abundantia misericordiæ suæ. L. 9. c. 11.

ARGUMENTUM.

1. *Majus est, amari nos à DEO, quàm ab omnibus creaturis.*
2. *Ipse solus magis luculenter demonstrat nobis amorem suum, quàm omnes creaturæ facere possent.*

Articulus I.

Quantò plus amari se quis videt, tantò magis urgetur ad reciprocè amandum.

INducere in animum non possum, mi Pater, inquit sancta Elisabeth, nec credere, quod tantum me DEUS amet, quantùm ipsum amo. Serenissima Domina, respondit ipsi sanctus hic Religiosus; si omnes homines, qui modò sunt in mundo, si omnes, qui incoluerunt illam, jam à creatione mundi, & omnes quoque qui debebunt incolere ipsũ in futuris sæculis, usq; ad consumationẽ temporũ, simul in unã irent sententiã, ut certatim & ad reciprocam invidiam amarent te, ex tota latitudine virium suarum, an diceres, quod amares plus illos, quàm amareris ab illis: Et si omnes desiderarent tibi maxima, quæ ipsorum mentem possent subire, bona, honores, divitias, voluptates, summas dignitates, & omne id, quod in votis habere posset cor humanum; Et si non solùm desiderarent tibi hæc omnia, sed eadem tibi procurarent, teq; reipsa in eorum mitterent possessionem, ementes & nundinantes tibi ea impensis suis, darentque ad acquirendum tibi illa, aliqui omnia bona sua, alii liber-

libertatem suam, alii proprios suos oculos, nonnulli tolerare vellent omnes injurias, contemptus, alapas, carceres, dolores; insuper omnes non majori tenerentur desiderio, quàm consecrandi sanguinem suum, & vitam suam ex amore ergà te, existimantes maximam pro se felicitatem, videre te in possessione bonorum omnium, quibus mundus hic locupletare te posset: Videndo te tot amoris flammis circumdatam, quibus tam evidenter omni ex parte urgereris, procul dubio, continere te non posses, quin amares infinitum hunc Personarum numerum, tam ingenti te amore prævenientium. Sed quidquid facere posses ad amandum ipsas ex toto corde tuo, an dicere posses, te plus amare illas, quàm ameris ab illis? An transcendere tu posses omnes simul, quando quælibet ex illis in particulari tibi contestaretur & ostenderet, plus amoris exhiberi tibi â se, quam ipsa recipiat â te, eòquod ipsa plus faceret pro te, quàm tu facias pro se? Et unde desumeres tu, quo reciprocum reddere posses amorem tot millionum millionibus hominum, cùm non habeas, quo satisfacias uni soli? Et si cor tuum ita vincatur ab uno solo, quid faceret obsessum ab infinitis cordibus tam vehementer amantibus, quæ velut totidem Sagittarii collimarent in ipsum solum, & unumquodque succensâ sagittâ sua transfigeret illud; an adhuc tunc diceres, te plus amare, quàm ameris?

Reciprocum impossibile.

Et nihilominus perpende ipsa tecum, quid essent hæc omnia respectu amoris, quo DEUS te prosequitur, & respectu beneficiorum, quibus incessanter te accumulat, vix non tumulat & obruit. Siquidem inprimis hæc non essent nisi corda humana, nunquam non valde limitata, etiamsi in maximo forent numero. An comparari possint cum corde DEI, quod infinitum est in suâ magnitudine, eòquod sit immensum? Infinitum in virtute, qua pollet ad amandum, eòquod producat DEUM sibi æqualem? Infinitum in bonitate sua, eòquod hujus possideat thesaurum tam divitem, ut exhaurire ipsum non valeat per omnem munificentiam suam, quam suis exhibere possit creaturis? Et hoc est magnum illud cor, quod te amat. Qua ratione haurire potes cogitationem, qua credas, te plus amare illud, quàm ameris ab illo? Habeas centies plus amoris ergà illum, quàm habeas modò; Et exin reduplica centies millies omnem hunc amorem; Et iterum incipe reduplicare illum, centum millienis millionum vicibus:

Reddere perfectum reciprocum amorem DEO, est nobis impossibile.

post

post hæc omnia, nunquam pertinges illuc, ut adæques amorem, quo ergà te afficitur.

Ulterius omnia hæc Corda humana, â quibus ita amareris, non haberent ergà te, nisi amorem valdè inefficacem. Nam concedo, quod desiderarent tibi bona quæcunque maxima, quorum sibi effingere possent cogitationem; hæc nunquam non forent vana duntaxat desideria, eòquod illorum possessionem tibi nunquam possent consignare. Sed concedo quoque, verum esse, quod eorum tibi consignaverint possessionem; non tamen hæc essent, nisi semper bona caduca, & peritura, quæ parvo durarent tempore, quæ exigui essent momenti, quæque inevitabili subderentur jacturæ. Et quid hæc sunt omnia respectu amoris, quo fertur in te DEUS? respectu amoris tam efficacis, ut satis ipsi sit voluisse bonum, ad tribuendum tibi id reipsâ? Respectu amoris tam liberalis, ut ipse sit, qui largiatur tibi cuncta bona naturæ per creationem; qui locupletet te omnibus bonis gratiæ per redemptionem; Et post hæc omnia tibi præparat bona gloriæ pro æternitate? Nonne vides, amorem hunc, infinito modo transcendere illum, quo omnes creaturæ simul ergà te affici possent? Si ergò fatearis, te vix sufficere posse ad reddendum perfectum amorem reciprocum uni soli creaturæ, quæ te amaret ex toto Corde suo: An cogitare adhuc audeas, te non solùm reciprocum amorem reddere tuo, sed plus amare te ipsum, quàm ipse te amet? O quàm procul distas ab eo, ut correspondeas suo ergà te amori? Credas oportet, intervallo infinito te distare ab eo.

Sed denique si fatearis, te fore victam, si videres omnes totius mundi homines simul, te tanto amare affectu, ut nonnulli darent omnia suà bona, aliqui suos oculos, alii propriam suam vitam ex amore ergà te; Ac impossibile tibi fore, tantum amare te illos, quantum amareris ab illis. Eheu! Quid essent hæc omnia? Quando omnes creaturæ, quas traxit DEUS è Sinu nihili, sacrificarentur & reducerentur in cineres, nonne hoc minus esset atomo, in comparatione cum essentiâ DEI omnipotentis, cum vitâ DEI æterni ex amore ergà te sacrificati, ut sui pretio sanguinis tibi infiniti boni obtineret possessionem? Nonne agnoscas, nonne fatearis libenter superatum ac victum te esse, ac impossibile tibi fore, tantum amare te DEUM, quantum amaris ab ipso? O quàm meritò dicendum, amorem ipsius ergà nos, infinitâ ratione nostras

transcendere cogitationes, eò quod pro bono & comodo nostro fecerit omnia, quæcunque fecit!

Exemplum stupendum Regis Moab, 4. Reg. 3.

Quando visus est Mesa Rex Moab ipsemet apprehendere Filium suum natu majorem, ipsumque propriis suis sacrificare manibus super muros civitatis suæ, in extrema desperatione, quò redact? fuerat ab armis inimicorum suorum; fuit hoc facinus tam stupendum, tamque horrendum videbatur, ut exercitus Jsraëlis ipsum obsidentis, & quasi jam in manibus habentis victoriam, eò usque fuerit perterritus, ut ceciderint animo, abjecerint arma, recesserint victi atque confusi; sed victi non armis Regis Moab; sed incredibili desiderio, quod demonstrabat conservandi regnum suum, eò quod magis illud, quàm proprium suum amaret sanguinem. Et prodigiosus hic amor, qui eò usque suos diffuderat radios, suos fudit, confudit & fugavit inimicos. Sed nonne res sit infinita ratione magis stupenda, vidisse supremum mundi Monarcham, magnum DEUM vivum sacrificare & morti tradere Filium suum unigenitum, revera eò coactum ab inimicis suis, qui sunt peccatores, non ut ab illis se liberaret, aut illos perderet, sed ut ipsos lucraretur, ipsosque sibi faceret amicos; non ex desiderio conservandi sibi proprium suum regnum, sed ex ardenti desiderio, nobis illud conferendi? Quis unquam vidit hominem tanto accensum desiderio omnia bona sua mittendi in possessionem inimicorum suorum, ut non tantùm solicitè in id incumberet, séque laboribus defatigaret & obrueret, sed insuper Filium suum unigenitum in ipsorũ præsentia sacrificaret, ad obtinendum ab ipsis, ut reciperent illa; quasi ipsis diceret: Ecce unicum hæredem omnium bonorum meorum, exspolio ipsum vita, eo duntaxat nomine, ut vos hæredes instituam omnium bonorum meorum; Vos, qui nonnisi magni mei estis inimici. Et amor tam victoriosus non eruat nobis arma è manibus, ut dedamus nos DEO ex toto corde nostro, dicamúsq; ipsi: Vicisti, Domine, vicisti O DEUS bone; nonnisi tuum est hac amare methodo, hac diligere ratione.

Quod DEUS fecit, magis stupendum est

Spiritus sanctus consultò annotavit nobis actionem Regis Moab in scriptura sancta, ut cuncta in admirationem & stuporem raperet sæcula. Sed quid erit in annalibus æternitatis exaratum & annotatum videre, quod Auctor vitæ sacrificaverit Filium suum unigenitum, ut acquireret nobis vitam

tam æternam, quodque Capiti suo proprio, spineam imposuerit coronam, ut nos in proprii sui regni mitteret possessionem, utque nos ibi vitæ suæ divinæ frueremur deliciis, voluit ex amore ergà nos, amaritudinem absorbere mortis. Si totum Cœlum accendere se studeret amore ergà tantam bonitatem; an dicere possent, se amare magis, quam amentur?

Omnia corda, dum hoc vident, adore deberent amore.

Quando magnum hoc sacrificium unigeniti Filii DEI vivi peractum est primâ vice in Golgothæo vertice, omnes creaturæ tanto fuerunt ex eo perculsæ terrore, ut Sol se absconderit præ pudore, Cœlum defecerit præ terrore, terra tremuerit præ horrore, petræ sciſſæ sint præ dolore, monumenta aperta sint præ timore, dederintque libertatem mortuis, & satellites ipsi reversi sint percutientes pectora sua, toti commoti, toti conversi. Quando veritatem hanc non videremus, nisi in historiâ sancti Evangelii, nonne sufficeret ad inducendum nos, ut incessanter nostra percuteremus pectora, quasi abs intermissione sacrificaturi omnia nostra initima DEO, ad conterendum fortitudine & virtute ictuum duritiam cordis nostri, vel ad eliciendum ignem ex hac petra incessantèr percutiendo illam?

Verùm videmus ipsam adhuc quotidiè propriis nostris oculis. Divinum hoc sacrificium repræsentatur & reiteratur indies super Altaria nostra. Videmus diebus singulis Filium unigenitum oculis Patris sui immolatum; Videmus effusum ipsius sanguinem. Ah! Magne Monarcha, qui regnas in Cœlis, quid facis? Eccur ita tuum sacrificas Filium unicum in præsentia nostra? Probè video, hoc esse in commodum regni tui; sed non ad conservandum illud tibi ipsi, sed ut nobis id dones. Et non fateamur, nos vinci ab infinita magni hujus amoris potentia, cùm prævaluerit ipsi DEO, ipsumque sacrificaverit pro nostra salute? Et non dicamus toti extra nosmetipsos rapti cum sancto Augustino: *Dilexisti me, Domine, plus quàm te, quia mori voluisti pro me.* [a soliloq. Qua ratione hoc esse potest, mi DEUS? Non capio, quod ipsemet video, quodque experientia fateri me cogit, verum esse, quod amaveris me plusquàm te, dum mori voluisti ex amore ergà me. His omnibus ita pensatis, an subire adhuc posset mentem creaturæ, se majori in DEUM ferri, quàm feratur ipse in se amore?

DEUS exivit extra seipsum, ex amore erga nos: sic & nos exire debemus extra nos ex amore erga ipsum,

Nonne omni sensu, ratione, & omni affectu animæ Christianæ careamus, nisi exeamus extra nos metipsos, ad nos totos immergendos in DEUM, videntes, quâ ratione exiverit ipse extra semetipsum, ad immergendum se miseriis nostris, velut ebrium sui ergà nos amoris abundantiâ? Sanctus Dionysius Areopagita considerans magnum hunc amoris excessum, qui traxit DEUM è Magnitudinis suæ throno, ipsumque velut amoris deliquio correptum, in nostras fecit dilabi manus, nescit, quibus terminis loqui debeat de prodigio tam stupendo. Nuncupat illud supereminentem quandam exstasim, quæ trahat extra se illum, qui intrare in seipsum non potest, eòquod â se non possit separari: *Amore trahitur secundùm extasim facientem super substantialem ejus virtutem â seipso ingressibilem.* Quæ potentia ipsum ad hunc potuit redigere statum? Video Abrahamũ exeuntem è terrâ suâ, sed hoc ex auctoritate supremâ DEI id præcipientis. Video Josephum exeuntem è domo paternâ, & abeuntem in Ægyptum, sed ex fraude fratrum suorum, qui vendiderunt ipsum velut mancipium Madianitis. Video Davidem exeuntem è palatio suo, & propriam derelinquentem aulam, sed ex necessitate, ad fugiendam persecutionem Filii sui Absolom. Verum quodnam præceptum, quæ fraus, quæ persecutio, te trahit extra temetipsum O magne Monarcha universi? Ah! Video unicum amorem tuum tibi præcipere, te fraudare, te persequi. Ipse è Cœlo te trahit, & compellit ire in terram; Ipse è throno gloriæ te rapit super Crucem ignominiæ; Ab Angelis, qui te laudant, inter latrones, qui te blasphemant; à stellis firmamenti subtus spinas coronæ tuæ. Tu correptus es extasi, Domine; emotus extra teipsum per amoris excessum, quo me prosequeris. Et anima, quam eòusque amas, cogitare poterit, quod amet te plus, quàm ames tu ipsam.

S. Dionys. de divin. nom. c. 4.

Ex hoc optima hæc Princeps probè cognovit & confessa est, impossibile esse, quod plus amoris habeat ergà DEUM, quàm ipse habeat ergà se. Nihilominùs sentiebat vehementẽ quendam ignem, quo succendebatur ipsius anima, & dilatabatur ipsius cor, uti videbatur, ad speciem quandam immensitatis, qua dimetiens cogitationes suas juxta zelum suum, persuadere sibi adhuc non poterat, quod, cùm desideria sua amandi DEUM nullis arctata sint limitibus, amor suus ergà DEUM fortassis non adæquet amorem

morem DEI ergà se. Et hæc fuit causa, cur Pater ipsius spiritualis, ut fraude ipsam eximeret, sum ita prosequebatur discursum.

ARGUMENTUM.

Amor Creaturæ ergà DEUM nunquam comparari potest cum amore Creatoris ergà ipsam, nec ex parte principii, nec ex parte objecti.

ARTICULUS II.

QUando ex suppositione ejus, quod non est, & ejus, quod nunquam esse potest, tantum amoris haberes ergà DEUM, quantum habet ille ergà te; semper tamen verum erit, te infinitâ ratione minùs amare DEUM, quã ipse te amet, sive consideres rẽ ex parte principii amãtis, sive ex parte objecti amati.

Tres conditiones admirabiles amoris DEI erga nos,

Siquidem, si ex unâ parte seriò tecum ipsa perpendas, quisnam sit ille, qui amat te; Et ex alterâ parte, quænam sis tu, quæ amaris ab ipso: Ille, qui amat te, est DEUS æternus, & amor ipsius ergà te æternus est, sicut ipse. Amor, quo ergà te fertur, nunquam incepit, non magis quàm amor, quo fertur ergà seipsum. Uterque pari ratione est æternus, quamvis unus sit necessarius & alius liber. Insuper, qui te amat, est DEUS immensus in magnitudine suâ; Et amor, quo te amat, eandẽ habet magnitudinem, quàm ipse: siquidem is amat te ex totâ voluntate suâ, non ex parte tantùm voluntatis suæ, cùm ipsa sit totum quoddam, quod partes non habet. Jam divina ipsius voluntas æquè magna est ac ipsius essentia, eòquod cum divinâ hâc essentiâ eadem omninò sit res. Essentia DEI est immensa: ergò etiam voluntas divina est immensa: ergò etiam amor, quo ergà te fertur, & quo tota hæc adoranda voluntas repletur, est immensus. Viden an comprehendere possis magnitudinem amoris DEI ergà te. Adhæc DEUS, qui te amat, est DEUS omnipotens; & amor, quo te amat, non minus potentiæ habet, quàm tota ipsius ipsamet omnipontentia: cùm enim verum sit, quod omnipotentia DEI sit in voluntate ipsius, hæcque divina voluntas plena sit amoris ergà te: necessario dici debet, omnipotentiam ipsius esse in manibus Sui erga te amoris. Videmus etiam, omnipotentiam DEI non impendere se in omni

eo, quod facit, nisi ut suum, quo ergà te fertur, amorem tibi ostendat. Quando extraxit ipsa totum hunc mundum visibilem è sinu nihili per creationem; id factum est ex amore ergà te; & innumeræ omnes creaturæ, quibus repletur, sunt tot famuli & famulæ, quos pro tuo produxit, & etiamnum conservat servitio. Et quando ipsa proprium DEI Filium extraxit è sinu Patris sui, ut ipsum tibi donaret, faciendo ipsum tibi similem, secundùm naturam humanam, quod maximum & nobilissimum est omnipotentiæ divinæ opus: benè nôsti, id factum esse ex magna amoris sui ergà te abundantiâ: ita ut, si consideres eum, qui te amat, inventura sis, quod sit DEUS, cujus amor locupletatur tribus hisce incomparabilibus prærogativis, quod sit æternus in suâ duratione, immensus in suâ magnitudine, omnipotens in suâ operatione.

Noster amor ergà DEUM habet tres conditiones oppositas,

Ingredere modò teipsam, & vide quænam sis tu, quæ DEUM amas. Tu creatura es paucorum annorum, creatura valdè limitata in esse tuo, & creatura, quamvis potentissima sis, plurimum habens infirmitatis. Compara nunc amorem, quo amplecteris DEUM, cum amore, quo is amplectitur te, in suâ duratione, in suâ magnitudine, in suâ potentiâ; & ipsamet vide, an æquiparari ratione quâdam poterit cum amore DEI. Dato, quod inceperis amare DEUM â primo instanti vitæ tuæ, nec unquam interruperis actuale amoris hujus exercitium, usque ad præsens momentum: hæc duratio tam brevis amoris tui an comparari possit cum amore æterno, quo flagrat ergà te? Nonne vides, hoc minus esse, quàm si comparâsses unicum temporis momentum cum duratione omnium sæculorum? Dato, quod verum sit, amare te DEUM ex toto corde tuo, ita nec minima ejusdem sit particula, quæ non tota sit plena, tota ardens, tota succensa divino ipsius amore. Sed magnitudo cordis tui an comparationem subire possit cum magnitudine cordis DEI, vel voluntatis DEI, quæ tota plena est amore ergà te? Nonne vides, hoc longè minus esse, quàm si comparâsses minimum pulvisculi granulum cum mundo universo? Dato denique, quod verum sit, amare te DEUM ex omnibus viribus tuis: sed quid omnes vires tuæ erunt, si comparentur cum omnipotentiâ DEI? Æquiori jure comparabuntur vires alicujus muscæ, cum viribus exercitûs, centum millenorum hominum.

O DEUS

O DEUS amoris! quâ ratione igitur creatura mortalis hanc animo suo admittere potest cogitationem, tantum se amare te, quantum amas tu ipsam? Tu amas ipsâm amore æterno, amore immenso, amore omnipotente: Ipsa non potest amare te, nisi amore parvi temporis, amore valdè limitato in suâ magnitudine, & amore, qui non est nisi infirmitas. An comparare ipsa ausit momentum cum æternitate, parvum punctum cum immensitate, & infirmitatem cum omnipotentiâ? O quàm verum est, Domine, te infinito modo, infinito modo, infinito modo in hoc excellere creaturas tuas; totumque amorem, quem ipsæ tibi reddere possent, in recognitionem amoris tui, quando etiam esset amor sublimissimorum Seraphim in Cœlo, non esse, nisi minimum nihil in præsentiâ tuâ!

Non possumus dare DEO amorem, nisi quem dat nobis,

Sed efficacem quandam adjicere hic oportet considerationem. Quando supposueris maximum quoddam impossibile; quod nempè habeas in corde tuo multò plus amoris, quem reddas DEO, quàm habeat ille in corde suo, quem impendat tibi, verum adhuc esset, nondum te tuum solvisse debitum, teque semper devinctum ipsi manere obligatione infinitâ. Ratio est evidentissima, si audias magnum Apostolum te interrogantem: *Quid habes, quod non accepisti?* Quid habes in teipso, quod non accepisti â DEO? 1. Cor. 4. Et quid ipsi offerre posses nisi amorem, quem is tibi dederit, ad eundem sibi reddendum? Siquidem cum â teipso nihil sis unde desumeres hunc amorem qui res est supernaturalis, tot divina, & pretiosissima? Hic favor est specialissimus, imò favorum omnium maximus posse amare DEUM. Semper ergò infinitâ ratione obstricta maneres DEO, si concedere tibi favorem amandi ipsum magis, quam ipse te amaret; Eò quod aliud non faceres, nisi quod tua solveres debita propriis ipsius bonis: Tu ipsi reddere non posses, nisi quod ipse dedisset tibi dono: Et tandem, quò plus solveris illi, tantò magis manebis ipsi obligatus ob summam gratiam, quam contulisset tibi, amandi ipsum amore tam perfecto. Sed DEUS prorsus ex opposito, desumit omnem amorem, quo fertur in te, è proprio corde suo: tu ipsi hunc non dedisti, ut eundem tibi reddat; Sed omnia desumit â seipso; & consequenter dupliciter ipsi manes obstrictus, tum de amore quo te prosequitur, tum de illo, quē ipsi tu reddis, quia uterq; est proprium ipsius bonū. Ecce quomodò verum

verum sit, quod, si consideretur amor ex parte principii amantis, impossibile sit, DEUM non infinito modo transcendere omnem amorem suarum creaturarum.

Quando nos amamus DEUM, est justitia, quando Ipse nos amat, est misericordia.

Verùm si rem considerare velis ex parte objecti amati, O DEUS, quantò luculentius patebit hæc veritas. Nam quid magni præstas, si amas DEUM, quem agnoscis infinito modo amabilem? Si diligis DEUM, cujus bonitas rapit corda omnia tum Angelorum, tum Beatorũ in Cœlo: An magnum quid sit, si rapiat similiter cor tuum? Si amas DEUM, cujus pulchritudo tantis deliciis plena videtur aspicientibus, ut illos irretiat necessario sui amore, quid mirum, si irretiat quoq; cor tuum amore eodem? Si denique amas DEum, cujus perfectiones infinitæ cognæ sunt infinito DEI amore: Quid facis, dum ipsum amas, nisi quod omni consentaneum est æquitati? Nisi id, quod teneris facere, & si omitteres, maximã committeres iniquitatem? Et si adjungas, quod non solùm sit DEUS infinito modo amabilis, verùm etiam ingens benefactor tuus, qui hucusque te affecit, & afficere non cessat innumeris beneficiis: hoc solo titulo obligatus fores amare ipsum summè ex justitiâ, quando etiam non esset infinito modo amabilis â seipso? Et quando haberes millies millena millia cordium ad amandum, nunquam non amares ipsum longè minus, quàm sit amabilis.

Jam si attendas, quid DEUS amet, quando te amat; quanta admirandi infinitæ ipsius bonitatis munificentiam ansa & argumentum! Amat Ipse objectum, quod amare non solùm non tenetur, sed quod nihil amabile in se habeat, nisi tantummodò id, quod conferre illi voluerit, ipsum amando: siquidem cùm verum sit, te â teipso non esse, nisi purum nihil, & nihil in seipso nil habeat, quod sit amabile; quando fertur ad amandum te, & amando ad volendum tibi voluntate efficaci, donandúmque tibi reipsâ bona naturæ, bona gratiæ, & illa gloriæ, quæ tibi præparat: quid impellere ipsum potuit, nisi solius bonitatis suæ motivùm quâ nullatenus eras dignus? sic quando ipsum amas, exerces justitiam, cum ipse infinitâ ratione sit dignus amore; Quando Ipse te amat, exhibet tibi favorem & misericordiam, cùm nullatenùs ipsius amore sis dignus. Ex quo ergò sequitur, ipsum non tibi obstringi, quando ipsum amas, eòquod semper ipsum minus ames, quàm mereatur; sed infinito modo tu obstringeris ipsi, quando te amat, eòquod

eò quod ex sola misericordia te amet, qua non es dignus.

Peccata nostra indignissimos nos reddunt amore Dei.

Nimis quàm parum est, simpliciter dicere, te non esse dignum; sed quod majorem ciet admirationem, quando positivè factus es indignus amore ipsius, ob peccatum tuum. Quando amas Deum, amas Amicum tuum, benefactorem tuum; sed quando is amat te, amat inimicum suum, qui se offendit, qui non nisi suum mereatur odium ac supplicium. O bone Deus! O misericordia infinita! Eodem tempore, quo nos tuam provocamus iracundiam, tu nobis tenerrimum exhibes affectum cordis paterni. O ardentem Charitatem, quam omnes aquæ ingratitudinis nostræ, & rebellionis nostræ extinguere non possunt! *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Cant. 8. O amorem omnipotentem! Qui triumphas de malitia nostra, velut ignis artificiosus, qui suas congeminat vires, ac majori succenditur ardore in medio glaciei; Quantum debet esse frigus animæ, quam calefaciendi sacræ tuæ flammæ non habent virtutem?

Vehemens amor Davidis erga rebellem Absolon.

Cuncta sæcula rapuit in stuporem affectuosissimus sancti Regis Davidis amor. Rebellis Absolom capessit arma adversus ipsum, & vita & regno exuere prætendens Patrem. Pater magis dives in bonitate, quàm perfida soboles in malitia mittit invitus exercitum suum ad obviandum & resistendum machinationi hujus parricidæ. Sed tam tenerè amat oppugnantem se, ut cunctis exercitûs sui demandaverit Præfectis: *Servate mihi puerum Absolom*: attendite cumprimis, ne quid mali contingat Absolom dilecto meo pignori. Et itane benigne nimium Parens, eousque pignus amas indignissimum? dedisti ipsi vitam, & ipse eripere tibi cuperet tuam; & dum manibus is armagerit ad disperdendum te, tu manus tendis & porrigis Præfectis tuis supplices, illosque rogas, ut conservent & incolumem custodiant ipsum. Ipse actualiter desperata insaniens rabie, in tuam ordinat mandata ruinam; & tu bonitate magis paterna tua ordinas jussa in ipsius favorem. Ah! Anxiè servate charissimum meum Filium Absolom, nullem aspicere totius exercitûs mei stragem, quàm illius tantummodò pati & tolerare jacturam.

Ingens amor cordis divini erga peccatorem rebellem.

Videtur vobis magnum quid esse tantos videre amoris affectus in corde Patris â proprio Filio suo offensi. Sed quid totum hoc est, nisi parvula scintilla, in comparatione cum ingenti incendio amoris, & amoris immensi, dominantis in corde Patris nostri cœlestis, dum nos in-

digni ipsius Filii, armatas habemus manus contra ipsum, dum facimus ex parte nostrâ, quæcunque fieri possunt, ad rapiendum ipsi coronam, ad evellendum ipsi sceptrum, ad deturbandũ ipsum solio, ad spoliandum ipsum vitâ, si perdere hæc posset omnia? Siquidem committere peccatum, est suos ipsum sternere subtus pedes, atrocissimo prorsus contemptu, est renuntiare supremo ipsius dominio, & velle, ne amplius sit Deus. Nonne hoc esset subministrare ipsi ansam infinitâ ratione se contristandi, adeòque suam amittendi felicitatem, dum ita indignè tractari se videret â proprio suo Filio, quem suo destinaverat regno, si ex parte suâ alicujus esset capax alterationis. Ecce omnes ipsius exercitûs paratos sese effundere super nos; omnes creaturæ incredibili ardent zelo ipsius vindicandi injuriam, nosque in instanti, quo ipsum offendimus, exterminandi. Quantum portentum bonitatis Dei! Tu es, O Pater misericordiarum, tu solus es O inexhauste bonitatis thesaure, qui contines ipsas, ipsisque præcipis, ut parcant nobis: *Servate mihi puerum Absolom.* Quantus amoris excessus ergà parricidas!

Bonitas Dei nos protegit, transfodiendo nobis eos.

Mandatum Davidis non obstabat, quin tribus lanceis transfoderet Joab cor perfidi Absolom, ipsumque miserando deleret fato. Sed quis comprehẽdat, quousque extendat se bonitatis tuæ ergà me abundantia, O divine mi Pater! ergà me, qui parricida sum, quem armatis contra te intueris manibus, dum te offendo! Tu ipse venis ad perforandum mihi cor tribus lanceis, nempe commiserationis, misericordiæ, & amoris tui, quæ pro eo, ut trucident me, conferunt mihi vitam. Tu infinito ardes amore, qui defendit me, meamque agit causam in corde tuo, dum crimina mea vindictam contra me clamant coram tribunali justitiæ tuæ; & expugnatus omnipotentis hujus Advocati persuasionibus, dissimulas, patientiam habes, ad pœnitentiam me expectas, ipsemet requiris me, mihique blandiris, ad lucrandum cor meum tot tantisque solicitudinibus, si ita loqui licet, quasi ab obtentu cordis mei tota tua penderet beatitudo. Quis hoc, abs eo, quod rapiatur extra se, secum potest considerare? Sanctus Augustinus ita abreptus est consideratione magnæ hujus veritatis, ut credat hanc fore illam, quæ abreptura sit in æternum Beatos omnes admiratione & amore ergà tam ingentem bonitatem, dum videbunt ipsum amâsse se, dum hujus maximè erant indigni. Offendebam ego ipsi, & ipse amabat me; Ego merebar, ut disperderet me, & ipse replere me voluit misericordiâ.

O bo-

O bonitas, infinita bonitas! Quis posset non amare te? *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt.*

S. Aug. in psal. 141.

Amor videtur tollere inæqualitatem inter Deum & creaturam.

Adnecto huic ultimam hanc considerationem, quæ valdè clarè ostendit, quàm procul absimus ab eo, quod reddere nobis liceat Deo amorem æqualem illi, quo nos prævenit, quove prior nos prosequitur: Quis nesciat potentiam amoris, quâ magna deprimit, & infima extollit, quâ tollit & aufert inæqualitatem, talemque inter amicos collocat similitudinem, ut, si duorum unus summâ pollebat Majestate, illam deponat, vel dissimulet? Et si alter absorptus fuerat miseriis, illum inde eripiat, & elevet ad solium, ut quilibet ipsorum affirmare possit: Amicus meus est alter Ego. O magne Deus! Quantus est tibi honor, dum Deus vult amare te, & vult, ut ames ipsum reciprocè? Amor hic, si verus est, videtur tollere inæqualitatem infinitam, quæ est inter creatorem & creaturam: is attollit te usque ad ipsum, & deprimit ipsum usq; ad te. Quid é duobus est magis stupendum? Vel quod amor extollat nihilum creaturæ, usque ad supremam magnitudinem Dei sui; vel quod amor deprimat supremam magnitudinem Dei usq; ad mihilum creaturæ suæ. Utrumque incomprehensibile omninò videtur. Sed quis stupor, æternâ admiratione suspensum teneat animum, dum videmus, quod utrumque fecerit simul, humiliando reipsâ infinitam majestatem Dei, usque ad nihilum creaturæ suæ, ut elevaret vilissimum hoc nihilum usque ad solium infinitæ majestatis Dei? Deus factus est homo, ut homo fieret Deus.

Admirabile prorsus est comercium, quod amor instituit inter amicos, ubi unus dat cor suum velut empturus illud amici sui, & hic reciprocè dat suum, ad comparandum sibi cor alterius. Sed nullâ hic opus est bilance; non sumit sibi otium amor, ut ponderet, quodnam majoris sit valoris; uterque contentus est, creditque tam bene se suum egisse comercium, ut beatum sese censeat. Est quidem sæpius hic maximam reperire inæqualitatem, sed amor cœcus est, nihilque hujusmodi, dum non cernit, discernit. Quid agis, sacrate amor, dum admirabile hoc tractas commercium cordium, Deum inter & creaturam ipsius? An ergò eòusque utrumque obcœcas, ut percipere non videantur inæqualitatem infinitam cordium suorum, quorum faciunt permutationem! Quis non obstupesceret, videndo, quod Deus sit prior, majusque exhibeat desiderium instituendi hoc commercium cum homine velut majus ex illo reportaturus lucrum? Ipse petit cor ipsius humanũ pro corde suo divino

Amor facit admirabilem permutationes cordium.

vino: Fili præbe mihi cor tuum. Mi Fili, an date mihi vis cor tuum pro meo? Ah! Itane adoranda Majestas, an non vides, nullam hîc adesse proportionem, teque dare bonum infinitum, ut obtineas nihilum? Ita, sed amor nullam percipit inæqualitatem inter amicos: ab instanti, quo amo ipsum, mihi tam pretiosus est, ut habeam ipsum voluit Deum, eoquod eodem, quo Deum, amem ipsum amore: non enim duo mihi amores sunt, unus, quo amem ipsum, alter, quo meam amem divinitatem: amo ipsũ eodem amore, ab eo, quod confiderem, ipsum hoc non dignum esse. Ah! dicere quid posset, Domine, hoc quisquis videret? Ego dicerem, debuisse amorem obcœcasse te, nisi metuerem notare te blasphemia.

Amor obcœcat amantes.

Sed quando Deus sic prævenit hominem, & ab ipso cor suum exposcit humanum, in permutationem cordis sui divini, stupidissimus foret homo, si non videret lucrum infinitâ ratione magnum quod sibi obtingere possit in hoc comercio? Annue confestim O homo, in instanti, & da libenter, quod â te petitur, quod nihil est; & accipe illud, quod tibi offertur, quod omnia est. Ita, sed quam primùm hoc facit, obcœcat ipsum amor, & non percipit amplius inæqualitatem, quæ infinita est, & solùm cogitat, hoc aliud nil esse, nisi dare cor pro corde, nisi amari ob amare, nisi tantum dare Deo, quantum recipit â Deo. Hæc fascinatio amoris est, qui stabilire contendit & audet æqualitatem inter amicos; hinc abs eo, quod respiciat, vel magnitudinem vel parvitatem, vel divitias vel paupertatem, vel dignitatem vel indignitatem, aliud nil attendit, nisi quod sit conventio facta inter duos amicos, quâ quilibet contentus vivat: Ipse habet cor meum, & ego possideo suum: Ipse credit, quod accepit, esse ejusdem valoris cum eo, quod mihi dedit, eò quod illo maneat contentus; & ego idem prorsus sentio; Ego amo ipsum, & Ipse amat me; amor ambulare nos facit pari omninò passu. Dico obcœcationem hanc esse amoris, qui perdit omnem respectum, qui obliviscitur inæqualitatis infinitæ inter Creatorem & creaturam, qui decipit animam sibi persuadentem, quod æqualem Deo suo possit reddere amorem, vel qui tantisper saltem accedat ad amorem, quem recipit ab eo. Et obcœcatio hæc crimine non vacaret, nisi esset præstigium amoris sacri, qui facere nil potest, quod displiceat Deo.

An igitur non vaco crimine, inquit desuper sancta Elisabeth, quod nutrire fuerim ausa cogitationem hanc in mente meâ, quod tantum amarem Deum, quantum Ipse amaret me, eò quod

eò quod ipsi redderem cor meum pro corde suo, & amor inter amicos nullam percipiat inæqualitatem. Non, serenissima Domina, respondit Pater spiritualis, decepta eras, sed vacabas crimine; divinus amor erat, quo cor tuum totum possessum & occupatum fuerat, qui fascinabat te. Sed dicam tibi quid amplius pro consolatione tuâ: & est, quod, cùm sacer amor hoc gerat & tractet commercium, istamque tam prodigiosam permutationem cordis cum corde: Deus non sit, qui lucretur aliquid in hoc mercatu; Tu sola es, quæ totum, quod inæstimabile est, reportas lucrum. Nam si cor tuum fit suum, cor suum etiam fit tuum, & in tuam devenit possessionem; quod ipse recipit, parum est, in comparatione cum illo, quod tu recipis; & ideò si non amaret te, nisi toto corde, quod accepit â te, & tu amares ipsum ex toto corde, quod accepisti ab ipso, dicere posses, te incomparabiliter magis amare ipsum, quàm ipse amet te. O Deus, quàm ingens est opus animæ tuæ! Quando ejacularis suspirium quoddam plenum amoris in cœlum, dicendo: Mi Deus, amo te ex toto corde meo: siquidem, cùm intelligendum sit, ex corde hoc novo, quod donavit tibi, majus nil fieri nec confici potest in præsenti hâc vitâ, quàm hâc ratione amare Deum, quia hoc est amare ipsum eodem corde, quo semetipsum amat Deus.

Anima infinitum lucrum reportat in commercio amoris Dei.

Hoc bonum foret, respondit sancta Elisabeth, si verum esset, quod cor Dei esset meum per reciprocæ leges amicitiæ, ipsiusque divina voluntas cũ sancto spiritu, qui præ ipsis ipsius est thesaurus, revera esset possessio mea, dum amo Deum. Sed quâ ratione tam ingentem felicitatem mihi potero persuadere? crederem potiùs, arborem istam, quam plantatam cernis ex alterâ parte fluminis (propè amnem enim tunc morabantur) transituram inde ad hanc partem, quàm credam, voluisse Deum admirabilem hanc facere permutationem, mihique cor suum dare pro meo. O Prodigium Bonitatis Dei! in ipso instanti, quo hæc enuntiavit verba, arbor cum omnibus suis radicibus visibiliter invisibili manu fuit evulsa, transportata & transplantata in partem alteram, ubi sancta hæc morabatur Princeps, ad convincendum ipsam tam luculenter, tamque manifestè, ut non amplius liceret ipsi de hoc dubitare. Quis effari posset, quis ipsi tunc sensus, quis mentis cordisque affectus, quis animi animæque raptus? Quasi correpta deliquio manebat absque sensu, absque verbo, absque respiratione, & timendum fuerat, ne moreretur illicò præ gaudio & amore. Nihilominus post aliquam tam

Argumentum evidens, quod Deus revera cor suum donet creaturæ per leges amoris.

dulcis saporis moram rediit ad se, & Pater spiritualis, qui animum adhuc habebat illuminatũ magnis circa hanc materiam, quam tractabant, documentis ac dogmatibus, suum prosequebatur discursum, sicut percipies.

ARGUMENTUM.

1. Quando per impossibile tantùm amaremus Deum, quantum nos amat, non tamen obligationi nostræ satisfaceremus. 2. Inæstimabiles divitiæ animæ amantis Deum. 3. Committit cum Deo speciem quandam usuræ infinitum afferentis lucrum.

Articulus III.

PLurimùm dilectus Domini nostri discipulus, qui Doctor est Doctorum, cum primis in scientiâ amoris Dei, invenire non potuit argumenta magis efficacia inducendi nos ad amandum Deum, quàm dicendo nobis, quod ipse prior nos dilexerit: 1. Joan. 4. *Et nos diligamus Deum, quia Ipse prior dilexit nos.* Tam ingens hæc est prærogativa, prævenire quenquam beneficiis & amore, ut ob id solum impossibile credatur prævenienti perfectum rependere posse amorem reciprocum. Semper enim verum erit, quod prior is fuerit in amando gratis, sine mercede, absque ullâ obligatione; Alter verò aliud non fecerit, nisi quod reddiderit ex justitia, quod absque ingratitudinis notâ haud poterat denegare. Deus prævenit nos amore æterno; & ideò, quidquid faciamus, obstricti manebimus illi ab omni æternitate, quæ præcessit primum momentum, quo incepimus ipsum cognoscere & amare; Quando etiam nec unico momento desisteremus ipsum amare amore semper actuali, per omnem æternitatem, quæ primum illud sequitur momentum; hoc enim ad summum aliud non esset, nisi præsenti, non autem præterito satisfacere debito. Sed quando etiam verum esset, quod amâssemus ipsum per omnem æternitatem, quæ nativitatem præcessit nostram, semper tamen nobis eriperet palmam, cùm nunquam non verum esset, quod prior dilexerit nos, etiam tunc, quando hoc favore eramus indignissimi. Tam insignis hæc est prærogativa, ut quando per impossibile tantùm amaremus ipsum, quantum nos amet, nondum tamen nostræ satisfeciissemus obligationi.

Mirabilis prærogativa ejus, qui prior amat

Sanctus Thomas insignè hanc tradit Theologiam, quod aliud non reddere illi, qui nos aliquo prævenit beneficio, quàm beneficium æquale, non sit satisfacere obligationi suæ; Huic namque ut satisfacias, requirit justitia, ut reddas aliquid plus, ad recompen-

Quando aliquis prævenit beneficio, plùs debet reddere, quam accepit. D. Th. 1. 2. q. 106. a. 6.

pensandum id, quod præventus fueris â benefactore tuo. Recompensatio gratiæ semper tendit, ut pro suo posse aliquid majus retribuat. O Bonitas infinita, quis obstrinxit te, ut ita prævenires nos? O amor ineffabilis, an contentus non eras, dum infinitâ ratione extiteras beatus in fruitione solius divinitatis tuæ, abs eo, quod opus habueris tuos demittere oculos, in profundũ nihili barathrum, ubi nihil erat, quod tuum mereretur amorem, aut foret idoneum vel unum adjicere atomum tuæ magnitudini, tuæ gloriæ? Velle nihilominus, ex solo affectu & effectu bonitatis tuæ, inde extrahere aliquam creaturam, ipsamque consultò ad tuam formare imaginẽ, ut sociam haberes ipsam in possessione ejusdem boni infiniti, quod tuam constituit beatitudinem: Quanta divinæ liberalitatis tuæ munificentia! sed quod ita amaveris ipsam, mox ubi te ipsum amâsti, ut velles ipsi id bonum jam tunc ab æternitate! Quantus triumphus amoris tui, ejusdem omninò tecum antiquitatis! sed denique, quod verũ sit, me felicem illam esse creaturam, quam tantis volueris prosequi favoribus! Ah si id comprehendere possem! si bene caperem hanc veritatem! Quàm urgens & efficax foret motivum, infinitâ ratione, & plus quàm infinitâ ratione amandi te, si in mea id foret facultate! sed eheu! Quàm procul absum, Domine, ab eo! Prô quantum intervallum â parvitate & infirmitate summâ amoris nostri, ad magnitudinem infinitam amoris tui?

Amor Dei est circulus admirabilis, ubi cum ipso circumvolvi possumus, c. 4.

Nihilominus video, unde paululùm tibi impendam solatii, in lumine illo, quod divinus Areopagita desuper accepit â Deo quodque reliquit nobis in libro de divinis nominibus; ubi dicit, quod amor Dei sit circulus, qui incipit â summo bono, velut suo principio, qui tendit ad bene faciendum nobis ex propria sua inclinatione, quæ liberalis est; qui denique clauditur, ad denuò nos conjungendos cum summo bono, velut ultimo nostro fine, cùm minora non volvat consilia pro nobis, nisi ut nos in possessionẽ mittat boni infiniti. In omnibus hisce aspicio, quo animare nos efficaciter possimus, si adnitendi nobis sit animus, reddendi Deo reciprocũ quendam amorem: siquidem considero, quod totus amor divinus, unus idemque sit circulus. Dico totũ amor divinus, tam ille, quo Deus nos prævenit, quàm iste, quẽ donat nobis, ut ipsum illi reddamus. Quando ipse amat me, amor ipsius incipit â bonitate ipsius, suo velut principio; & quando ego ipsũ amo amore supernaturali, hic amor, qui esse nõ potest effectũ solius meæ voluntatis naturalis, incipit ab eadẽ bonitate tan-

quàm suo principio. Ecce igitur initium circuli, quod idem omninò est in duobus. Posthæc si amor ipsius tendit ad faciendum mihi benè, ex inclinatione suâ prorsus liberali, amor meus ergà ipsum, si verus est, non tendit, nisi ut faciat ipsi bene, id est, ut ipsius promoveat & procuret gloriam. Ecce prosecutionem circuli, quæ est in ambobus eadem; ubi si aliquod invenitur discrimen, videtur majus accrescere lucrum creaturæ, procuranti gloriam Dei, quàm Deo procuranti gloriam creaturæ suæ. Et tandem si amor Dei se terminat ad conjungendum me denuò summo bono, velut ultimo fini meo, meque inducendum in possessionem boni infiniti; amor quoque meus se se terminat, ad volendum ipsi summum bonum, ipsumque collocandum in possessionem propriæ suæ divinitatis, si per impossibile illam non haberet, & in meâ id foret facultate. Ecce igitur conclusionem hujus circuli, quæ est eadem in ambobus, nisi quod ego Deo velle possim plus boni, quàm Ipse mihi velle possit: siquidem Ipse velle mihi non potest, ut Deus sim; Ego ipsi velle possum divinitatem suam, & gaudere de eo, quod possideat illam. Probè novi, hanc nonnisi inefficacissimam esse voluntatem, cùm ipsi dare non possim, quod possum ipsi velle. Sed ex hoc ipso maximam mihi fabricor felicitatem, gaudendo summè, quod dare ipsi non possim divinitatem suam, nec infinitas suas omnes excellentias, eòquod possideat illas â seipso necessariò.

Possum velle Deo plus boni, quàm ipse mihi velle possit.

Sed post omnia, si anima mea inveniat consolationem, circumvolvendo se in divino hoc circulo amoris Dei sui ergà se, & amoris reciproci, quem desiderat reddere Deo, intuendo, quod ab eodem procedat & oriatur principio, quod ad eundem tendat finem, quodque eodem claudatur termino, magno exinde demulcetur gaudio, dum conspicit, omnia debere se Deo; Videt namque se bis infinitâ ratione ipsi esse obstrictam, tum ob omnem amorem, quem ipsa rependit Deo, eoquod uterque non nisi sit donum infinitæ ipsius bonitatis. Quinimò, mi Domine, agnosco & confiteor, infinitâ ratione, me tibi debitorem esse: sed fateor, me non esse solvendo: apprehende illum, qui tibi tantam debet summam, & mitte eum in carcerem divini amoris tui, & non permittas eum inde exire; donec reddat usque ad ultimum quadrantem: Certus sum, ipsum illic permansurum in æternum, abs eo, quod unquam se possit eximere. Dat consensum suum, Domine, & perpetuus tuus vult esse captivus, quod maximum sui cordis est desiderium.

Quia Deum solvere non possumus, tenetur nos semper captivos in suo carcere, &c.

Hoc non est ita sumendū, quod non debeamus omnes intendere ner-

nervos in præsenti hâc vitâ, ut solvamus debita nostra ex iisdem thesauris DEI, quos eo nomine donavit nobis, ut satisfaciamus ipsi, nósque, quantum possumus, omni ergà ipsum obligatione liberemus. Sanctus Ambrosius in quartum caput Evangelii S. Lucæ, exponens sublimem illam Theologiam, quâ Salvator mundi proposuit Simoni Pharisæo, in cujus domo condonavit peccata Magdalenæ, dicens ipsi, quod ille, qui plus debet, sit ille, qui plus diligit. Quàm mirabilis modus solvendi est hic? Ille, qui plus diligit, est ille, qui plus debet: solvit sua debita per amorem, & quantò plus hâc solverit ratione, tantò magis manet debitor, eòquod non solverit ex pretioso hoc auro, nisi id, quod accepit ab eo, cui id solvit; nihilominùs ita solvendo, se debito liberat, quamvis se magis obstrictum faciat, eòquod DEUS aliud nil petat ab eo, nisi quod ipsi donat: Reddamus ergò amorem pro debito, concludit Sanctus Ambrosius. Nihil aliud ergò mihi faciendum est, quàm amare DEUM; & jam satisfeci infinitæ ipsius Majestati pro omnibus meis debitis. Accepi esse ab eo per creationem; hoc ipso permisit me frui pluribus annis per conservationem: totum ergò, quod sum, debeo ipsi; quid dare & exsolvere ipsi possum pro ingenti hoc debito? Si amem ipsum, suam jam habet solutionem. Accepi ab Ipso gratias & beneficia absque numero, indies adhuc me illis accumulat; Quid rependam ipsi pro tot ac tantis obligationibus? Si amem ipsum ex toto corde meo, immunem me faciam ab omnibus illis. Verùm totum semetipsum tradidit pro me; suam pro me consecravit vitam, suos labores, sua opera, suos cruciatus, suum Corpus, & suum sanguinem, & suam animam, & omnia, & denique sacrificari voluit & mori pro me in cruce: quâ ratione tot satisfaciam debitis, quæ infinita sunt? Reddamus amorem pro debito: si amorem possideam in corde meo, quem ipsi offeram; sufficit, satisfeci ipsi, & liberum dimittit me.

L. 6. c. 13.

Amor solus satisfacit pro omnibus debitis.

O quantas divitias habet anima, quæ possidet amorem DEI! Quàm pretiosæ sunt hæ super omnia, quæ possunt æstimari! invenit ipsa in hoc thesauro, unde facilè cuncta sua solvat debita. Quando jejunaveris, oraveris, centenas austeritates exercueris, & toleraveris usque ad mortem; Quando dederis eleemosynam, distribuendo omnia bona tua pauperibus; abs eo, quod habeas amorem DEI, nihil feceris. Sed quando facultatem

Nihil satisfacit absq. amore DEI.

tem non habueris faciendi hæc omnia, modò habeas amorem in Corde tuo, quem DEO offeras, satifeciſti omnibus. O DEUS bonitatis! Qui pretioſi hujus theſauri nóſſet valorem, daret omnia abs tædio, ut ipſum
Matth. 13. obtineret: *Dedit omnia ſua & comparavit eum.* Accipe omnia, Domine, & bona, ita ut nihil ex his omnibus maneat mihi reliquum, modò poſſideam pretioſum amoris tui aurum, jam abundè eſt mihi divitiarum: Nam ecce lucra innumera, quæ ex iis mihi licet haurire, quæ ſi defixâ paulisper mente conſiderarentur, cunctos homines illas poſſidendi tam ardenti accenderent deſiderio, ut ardentiſſima avarorũ in accumulandis bonis caducis vota, nonniſi glacies forent & frigus in comparatione cum illis.

Amor DEI eſt theſaurus, magnũ afferens lucrum.

Dicebam univerſale hoc eſſe ſolvendi genus, ad ſatisfaciendum omnibus debitis; ſed melius dicerem, eſſe amorem DEI certam quandam uſuræ ſpeciẽ, infinitâ ratione lucroſam, quam inſtituamus cum DEO. Elicio unicum actum amoris DEI, & omnia peccata mea mihi condonantur, etiam ſi in majori forent numero, quàm Capilli Capitis mei, aut ſtellæ Cœli; Unicus ſolus ſufficit ad delendũ in momento omnem hanc multitudinem; Nonne magna valde hæc ſit uſura? Exerceo actum amoris DEI, & meorum criminum enormitas, quantacunque illa ſit, prorſus annihilatur. Quando omnes creaturæ cunctas ſuas intenderent vires ad liberandum me ab unico duntaxat peccato mediocri â me commiſſo, id efficere haud poſſent; Et ſi culpabilis forem decies centenorum millium maxime nefandorum, & offerrem DEO unicum actum amoris ſui, remittit is mihi omnem immenſam debitorum meorum multitudinem: Nonne uſura hæc ſit maximum mihi afferens abs impendio compendium? Nonniſi unicum perago actum amoris DEI, & omnes æternæ pœnæ, quas pro meis promerueram peccatis, & fortaſſis adhuc reſidua pœnitentiæ opera, quæ mihi fuiſſent exantlanda, poſtquam culpa per pœnitentiæ ſacramentum jam deleta eſt, relaxantur, remittuntur, condonantur: quis æſtimare poſſit quantum emolumentum ex ejusmodi hauriam & referam uſurâ? Produco unicum ſolummodò actum amoris DEI, quem ipſi offero, & ipſe adauget in me amorem ſuum, donat mihi Spiritum ſanctum, qui inſeparabilis eſt ab amore ſacro; Et quantò plus ipſe recipit ex pretioſo hoc auro amoris

moris sui, quem ipsi offero, quemque is nunquam abnuit nec recusat; tantò plus ex illo elargitur & donat mihi, meque facit indies ditiorem, dum ex parte suâ me obligat ad amandum ipsum semper magis ac magis: An imaginari sibi quis possit usuram, majorem quæ animæ accumulet quæstum? Denique propello è Corde meo nonnisi unicum actum amoris, unico durantem momento; Et acquiro novum gloriæ gradum in Cœlo, quem virtute hujus actûs possidebo in æternum: Quis sibi effingere posset usuram magis stupendam? Et ut unico verbo dicam, non est miseria, â quâ non possim me custodire; non est bonum spirituale, quo me non possim locupletare; Non est Corona tam pretiosa in regno æterno DEI, cujus non possim mihi promittere possessionem, si possedero in animâ meâ purissimum charitatis aurum, & cum hisce divitiis bene potero negotiari. Concludendum igitur est cum sancto Augustino: *Væ mihi, si non dilexero.* Quis iste est miser, qui non diligat DEUM?

S. Ambros. ubi supra.

Infelix illa Vidua, onusta debitis, cum videret suos à Creditoribus in servitutem trahi filios, confugit ad Elisæum, quem plenum charitatis esse noverat. Iste vir DEI, tantâ olei abundantiâ locupletavit ipsam, ut debitis se totam exsolvens, tantum adhuc retinuerit, quo se suósque aleret & sustentaret Filios. Quamdiu fundebat ipsa ex hoc oleo, tamdiu semper augebatur, Quamprimùm autem fundere cessabat, stetit oleum. Sanctus Augustinus censet, oleum hoc esse symbolum amoris DEI, qui unicus sufficiat ad solvenda omnia animæ debita, illamque locupletandam: de quâ re egregiè sic loquitur: *Considerate Fratres, deficit oleum, & debitum crevit, crevit oleum, & perit debitum.* Videte Fratres mei prodigiũ, quando oleũ deficit, obruimur debitis, quando hujus habemus copiã, nihil debemus amplius. Solvendo non sumus nostra, quibus DEO obstringimur, debita, nisi per sanctam Charitatis oleum si hoc deficiat nobis, venundabimur & consignabimur â Justitia DEI servituti sempiternæ; si habuerimus oleum, non cessemus illud effundere, & effundendo nos locupletare. Non cessemus exercere actus atque sanctæ exercitia charitatis erga DEUM & proximum; dando namque exsolvimus debita, nósque insuper locupletamus; Quantò plus damus, tantò plus nobis restat, & nunquam plus

4. Reg. 4.

Serm. 2 . 4 de temp.

Oleum charit. sanctæ i. vit debita, & nostros ditat animas.

nostro adjecimus thesauro, nisi quando plura eidem subtraximus. O quàm dulce & facile est, hâc ratione se suis eximere debitis! Sed quàm ingens supplicium erit damnatis in inferno, ignem devorantem tolerare in æternum, eòquod noluerint accendi, imò nec calefieri blando amoris æstu in terris?

Væ illi, qui ignem profanum suo imponit thuribulo.

Quid contigit duobus Filiis Aaronis, Nabad & Abiud, dum thuribulis suis imponere maluerunt ignem profanum, quàm ignem sacrum. Ignis sacer continò ardebat super Altare, poterant inde absullo labore capere, & ex illo fuissent sanctificati; Sed quia potius adhibere voluerunt ignem profanum, sacer affirmat codex, ipsos devoratos

Levit. 10. fuisse ab igne sacro: *Egressus ignis à Domino devoravit eos.* Unde venit, quod ipsos non devoraverit ignis profanus, cum ipsum in suis tenuerint manibus? Videtur facillimum fuisse imponere illi mandatum, ad devorandum ipsos; Certum que est, illum promptissimè obtemperaturum fuisse voci DEI. Eccur ignis, quem non habebant, sese potius effudit super illos, ad comburendum & devorandum ipsos? Gravis quidam Auctor eximiam hujus assignat ratio-

Rudolphus in Luc. nem: *Istorum mors figura fuit æternæ mortis.* Affirmat voluisse DEUM ostendere imaginem æternæ mortis reproborum, in infelicium horum morte temporali. Comburit illos, non igne, quo fuerant usi, sed illo, quem contempserant, ad declarandum nobis, damnatos magis fore cruciandos igne sacro, quàm igne profano; plus igne Cœli, quàm igne inferni, maximúmque illis fore supplicium, non ex eo, quod amaverint creaturas, sed quod noluerint amare DEUM.

Ah! Quando reminiscentur, accepisse se cor idoneum ad amandum, fuisse sibi tam facilè amare, seque tantâ delibutos voluptate tam ardenter amando omnia, usque ad canes, usque ad aves, usque ad nugas infantiles, usque ad viles ineptias, usque ad vitia ipsa, quæ nõ dignabantur, nisi odio; seque noluisse amare DEUM infinito modo amabilem, â quo amabantur tam viscerosè, â quo replebantur beneficiis nunquam intermissis: Egressus ignis â Domino, devoravit eos; experientur hunc ignem Domini velut torrentem super se effundi, seque ab illo devorari; videbunt se privatos in æternum possessione DEI, eòquod amare noluerint DEUM. Ah! Quàm acerbus dolor! Quàm vehemens cruciatus! Sed coactum se videre ad ardendum æternaliter in flammis devorantibus ignis in-

infernalis, ex eo, quod in cor suum admittere noluerit dulces flammas amoris sacri, Ah! ignis sacer, tu magis me torques, sæviùs me crucias carbonibus inferni: tantum mihi extollebantur dulcores tui, noveram tam amabile esse imperium tuum, tam suave esse jugum tuum, & aperire tibi nolui cor meum; & ob hoc crudeles hæ flammæ me devorant in æternum. Quæ rabies, quæ desperatio! Ah! Itane ergò mi DEUS nos sapere oportuit aliorum fatuitate. Veni ignis sacrate, Venite Cœlestes DEI mei ardores, possidete Cor meum. Ah! Malo jam ardere æstu tuo cœlesti, quàm flagrare perpetim in flammis inferni.

ARGUMENTUM.

Eximia praxis amandi DEUM perfectè, quando putamus nos non posse amare DEUM.

ARTICULUS IV.

Cruciatus bonæ animæ, volentis amare DEUM, & ad hoc impotentis.

ERat hoc sanctæ hujus Principis cor sævo afficere cruciatu, dum ipsi luculenter adeò explanabantur excellentiæ amoris DEI: siquidem ex unâ parte incredibili ardebat desiderio, tam pretiosum possidendi thesaurum; sed ex alterâ parte retineri se sentiebat molestâ quâdam impotentiâ, ex quâ ingemiscebat præ tædio: erumpebat in querelas, quæ usitatæ sunt cunctis animabus bonis, quod amare vellent DEUM tam ardenter, sicut Seraphim in Cœlis, credentes hoc suam excedere facultatem. Quid juvat me, vana habere desideria, abs eo, quod prodeant in opus, & opere ipso exhibeam nihil, nihil in ipsam redigam praxin? Immeritò prorsus tibi dixi à principio, credere me non posse, quòd DEUS amet me tantum, quantum amem ipsum: probè jam video, quod nonnisi DEO conveniat amare, quodque infinita ratione plus amet me, quàm credere & capere possim; & quantum ad me, fateor, me nonnisi infirmitatem esse & socordiam, ignaram omninò artis amandi DEUM.

Eximiæ tres regulæ pro praxi amoris DEI.

Ad hæc Pater ipsius spiritualis (cùm videret, quod liberando ipsam à falsa persuasione, qua credebat amare se tantum, vel magis DEUM, quàm amaretur ab illo, ipsam aliqualiter redididerit pusillanimem) suppeditavit ipsi eximas tres regulas pro Consolatione sua, & facilitanda praxi amoris DEI, eo potissimum tempore, quo sentiret se

magis impotentem ad amandum ipsum. Et hæc fuit Conclusio & fructus Consultationis hujus.

Prima regula. Prima est, quod non debeat anima dicere, se habere vana desideria amandi DEUM, sed quod nesciat DEUM amare; eò quod certum sit, quod desiderare amare DEUM, sit verè ipsum amare; sicut ex adverso desiderare committere peccatum, est verè illud committere. Nonne Theologi dicunt, quod omnis amor DEI, quem hic habemus in terris, non sit nisi amor desideriorum & votorum, eòquod nondum possideamus, quod amamus; sicut omnis amor Beatorũ in Cœlo, est amor quietis & fruitionis, quia jam possident bonum infinitum, quod amant? Quamobrem, non affligas te ex eo, quod credas non habere te, nisi desideria; nunquam habebis aliud, quamdiu fueris in vitâ mortali; nec tua quiescent desideria, quoad intraveris in possessionem DEI. Sed ne nuncupes ea, desideria vana, cùm non sint velut desideria mundanorum, quæ semper sunt vacua, nihilque eorum, quæ desiderant, illis dare possunt. Sancta desideria bonæ animæ aspirantis ad amorem DEI, semper eo sunt plena, quod desiderat; siquidem impossibile est, ipsam verum habere desiderium amandi DEUM; quin possideat amorem DEI. Quod si crescat in desideriis, crescit quoque in pretiosâ hâc possessione, & quantò plus desiderat amare, tantò plus etiam amat; & ipsâ addiscit experientiâ, desideria sua non esse vana, cùm semper obtineant reipsâ id, quod desiderant; Experitur enim ipsa se nunquam â desideriis suis, quamvis ardentissima & vehementissima sint, inquietari, neque miseram aut infelicem reddi. Hæc prima regula inculcare tibi debet amorem bonorum desideriorum tuorum, quibus contenta magis vivas, quantò majus sumpserint incrementũ.

Secunda regula. Secunda regula, quã ipsi dedit, magis adhuc est Consolatoria. Et est, quod amare possit Deum, non solùm ex toto Corde suo, sed etiam ex toto corde eorum, qui amant ipsũ in Cœlo & in terrâ. O quàm admirabilis expugnator est amor! Extendit & dilatat potentiã suã, quocunq; voluerit; novit omnes animas DEUM amantes, tot divites esse thesauros pretioso hoc auro, in cujus comparatione omnes gazæ regum terræ, non sint nisi lutum platearũ, refertos: Huc suam extendit manum, abs eo, quod impediri â quoquã possit, & in illius se mittit possessionẽ, abs eo, quod privet eos, qui possident ipsum; & omnia hæc bona alterius facit

sua, ab eo, quod alteri esse cessent, qui tenet & possidet illa. Siquidem si magnus Apostolus dicat, nobisque in sacrâ Scripturâ exaratum relinquat, velut articulum fidei, quod non solum ii, qui committunt peccatum, sint ejusdem rei coram DEO, sed etiam quod ii, qui consentiunt peccato ab aliis comisso, sint digni morte: Eccur verum non sit, eos, qui consentiunt amori, quo omnes bonæ animæ afficiuntur erga DEUM, censendos esse amare ipsum cum illis?

Nonne hoc exercitium erat sancti Davidis Regis, qui postquàm omni diluculo adoraverat DEUM suum, se totum ipsius devovebat servitio, ipsique ceu sacrificium offerebat cor suum, ut totum velut holocaustum sacro consumeretur igne? sed dolens, quod sat amoris non haberet in corde suo ad amandum DEUM infinito modo amabilem, sua dilatabat desideria versùs omnia Corda amantiũ eum in Cœlo & in terrâ, ut uniret se illis, & consentiret cunctis bonis affectibus, quibus ferebantur in
Psalm. 118 DEUM: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Hem! Quid impedit, quin singulis diebus, vel potius singulis diei horis, idem obeas exercitium? Nonne toties poteris, quoties DEUS circa id tibi conferet lumen? Nonne circa illud tam validam contrahere poteris consuetudinem, ut tibi quasi semper futurum sit actuale? Prô quantus hic tibi stimulus, quando affectum te inveneris tædio, socordiâ, indispositione ac impotentiâ amandi DEUM! O Bonitas infinita, tu tanto amaris ardore ab omnibus Seraphinis in Cœlo, ab omnibus sanctis Angelis, & à cunctis Beatis, qui sunt in gloriâ: tu amaris tam perfectè ab omnibus bonis animabus, quæ incolunt terram: desidero amare te, omni hoc amore, quo omnes amplectuntur te, assentior omnibus illorum devotis affectibus, unio cor meũ cum omnibus illorum cordibus, voluntatem meam cum omnibus illorum voluntatibus. Accipe omnem hunc ardentem clibanum divini amoris tui, quasi prodeuntem è Corde meo, quia hoc desidero. Non nisi DEUS novit quanto hoc exercitium tibi futurũ sit adjumento, ad progrediendum magnis pasibus in viâ divini amoris.

Sed tertia Regula, quam ipsi reliquit, plurimùm antecellit duas alias. Certum est, DEUM non creâsse animas nostras, nisi pro se: Omnes aliæ creaturæ inferiores sunt creatæ pro nobis, & quælibet ad finem suum particularem est ordinata. Sed anima nostra est pro DEO solo, & alio nomine non accepit esse, nisi ut DEUM agnoscat, ipsumque

Tertia Regula.

que amet. Sed finis hic est supernaturalis, non possum illuc tendere, multò minus illuc pertingere solis viribus naturæ; non possum amare te, mi DEUS, nisi tu ipse mihi dederis amorem omnem, quem habere me, præcipis mihi. Sic semper tu amas te per voluntatem meam, quando illi confers amorē, quo te amat. Nonnisi propriè tuum est, amare te; non invenietur unquam verus amor DEI, sive amor increatus, sive amor creatus, nisi ille, qui procedit à te. Tu amas te ab æterno, & infinita ratione in temetipso per proprium cor tuum; sed complaces tibi quoque amare te extra teipsum per creaturas tuas. Tu dedita opera dedisti illis cor, ut serviret tibi ceu instrumentum ad excellentem hunc & prorsus divinum amorem, quem exercere voles tu ipse ergà teipsum: siquidem tu semper ipsemet es, qui amas te per creaturas tuas, eòquod tu amoris hujus primum sis principium, & ipsæ aliud non faciant, nisi quod tibi reddant id, quod dignatus fueras ipsis conferre? Quid ergò aliud mihi agendum, nisi ut sinam te facere cum corde meo, quidquid tibi placuerit? Relinquo id totum, Domine, potentiæ amoris tui, fac id servire, quantum tibi placuerit ad finem, ad quem creasti illud.

Ama igitur te ipsum, O mi DEus, sed ama te semper amplius per creaturam tuam, quia hic unicus es scopus & finis, ob quem traxisti ipsam è nihilo. Optimè novi, non posse te amare te amplius in temetipso, quàm ames te in æternitate; sed potes te semper amare amplius, extra teipsum per creaturas tuas. Ah! Domine, tu probè vides, esse te infinito modo magis amabilem, quàm ameris: Ama igitur te amplius, O DEUS Bonitatis! Eccur abnuas tibi ipsi, quod tibi est debitum? An posses facere quid excellentius, quàm semper amplius & amplius te amare? Id non posses per Cor tuum proprium divinum; sed id potes per illud, quod dedisti mihi. Ecce id Domine, consigno tibi id totum, ut totum consecres & devoveas huic obsequio; Et si minimo hæreat vinculo, quod te impediat, quin facias omne id cum eo, quod tibi placuerit, detestor illud, abominor illud, disrumpo illud, renuntio illi in perpetuum. Colloco igitur id in manus tuas totum liberum, ut te ames per illud semper amplius & semper amplius, usque ad extremum momentum vitæ meæ. Quis non fatebitur, tres hâsce regulas bene cordi insculptas ingentem allaturas ipsi Consolationem, maximam insuper suppeditaturas facilitatem pro praxi & exercitio amoris DEI?

Quomodo DEUS amari plus possit, quàm se amet.

Con-

CONSULTATIO XXVI.

De Supremo DEI Dominio super nos.

AUlicus quispiã redux ex aulâ offendit Religiosũ quendam amicum suum in nemore sancti Germani, qui humanissimo ei dicto ave, amplexabatur illum eâ cum affabilitate & benevolentiâ, qualis propria & quasi agnata esse solet Personis primariis & conditionis alterius. Sed pro eo, quod plerique ceu regulam tenent, cuilibet loquendi de rebus statum suum concernentibus, hic animum suum ita oppletum habebat excellentiis & magnificentiis Monarchæ nostri, ut aliud quàm de ipso loqui non posset. Dicebat ipsi, observare omnes nescio quid augusti, quid divini in facie incomprehensibilis hujus Principis, ut fateri oporteat, ipsum in tantum excedere & transgredi alios Reges quantùm hi excederent & transgrederentur populos; plurésque esse, qui judicent, supernaturale quid contineri in insolitâ hâc Majestate, quod Cœlum contulerit ipsi: Et quantum ad se, nisi Religio sibi prohiberet his uti terminis, nuncupaturum seipsum DEUM visibilem.

Verum quoque est, ajebat, quod præsentia ipsius tantum timori & reverentiæ imprimat, ut difficile si diutius ipsum fixis intueri oculis, quin cogatur aspiciens illos dejicere & avertere præ reverentiâ; Insuper unico oculi nictu, aut gestu levissimo volare faciat omnes ad suis obtemperandum mandatis. Nescio, an ullus unquam Monarcha habuerit, ut amaretur, & timeretur simul.

Affirmas verum, respondit ipsi Religiosus, quod oporteat adesse hic aliquid divinum & supernaturale. Siquidem unde venit, quod homo, qui est ejusmodi naturæ cum cœteris hominibus, quique dicere potest, quod dixit Salomon de seipso: Sum quidem & Ego mortalis Homo, similis omnibus, ejusdem Conditionis cum primo homine, qui formatus fuit è limo terræ â manibus DEI; conceptus & organizatus sum paulatim in Sinu Matris meæ, ex eâdem materiâ, & eâdem ratione, quâ cœteri hominum. Et Ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans. Sap. 7.

DEUS imprimit quendam radium divinitatis suæ super faciem Regum.

Et Egò natus accepi communẽ aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans. Egrediar inde nudus & exspoliatus omnibus, ut revertar in sinum terræ & consumar â vermibus sicut omnes alii; alia namque porta non est, per quam in vitã ingrediantur Reges, aut exeant ex illâ, quâm, eadẽ, per quam transeunt omnes populi; Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium. Unus ergò introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. Unde venit, quod talis homo reverentiam accipiat â tot millionibus aliorum hominũ sibi similium, quasi adesset hic quædam divinitas tantùm eminens ipsis, quantum Cœli eminent terrâ? Nisi, quod Reges, qui velut imagines supremũ referunt mundi Monarcham, quidpiam participent ex omnipotenti hoc Dominio, quod in omnes gerit creaturas; quodque DEUS fronti ipsorum imprimat quendam Majestatis suæ radium, qui tantum illis conciliet inter populos & timoris & reverentiæ affectum.

Verùm si principes terræ, ex eo, quod umbram tantummodò habeant & levem tincturam absolutæ potestatis DEI super nos, suos tanto percellant tremore subditos; Quid nobiscum esset, si concipere & firmiter animo nostro in sculptam circumferre possemus idæam infinitæ hujus potestatis, quam supremus mundi Monarcha super omnes habet creaturas? Nam quantò potestas, â quâ dependemus, major est atque formidabilior, tantò majorem imprimit timorem ac reverentiam, tantòque oportet magis sub potenti ipsius contremiscere manu. Fateor quidem magnam hanc Regum esse, sed illa DEI est infinita. Quando nonnisi unicam constitueres potentiam, ex illâ omnium Regum, qui regnârunt in terrâ, & unquam regnabunt in ipsâ, non esset nisi tenuis atomus in comparationem adducta cum illâ DEI. Si igitur percellamur tremore in præsentiâ alicujus Regis, nemóque tantæ temeritatis sit & audaciæ, qui ipsius contrairet mandato, quod proprio suo nobis faceret & propalaret ore. Quid non faciendum nobis in præsentiâ Majestatis DEI, qui infinitam hanc potestatem gerit super nos, si oculos apertos habeamus ad aspiciendum illam?

Majestas principum parva est respectu Majestatis DEI.

Pulchra certè est imaginatio, respondit subridens, hic aulæ assecla Religioso suo. Verùm hanc bonam pro vobis invenio, qui â mundo separati

Imaginationes singularium

parati aspirare non potestis ad magnas vitæ humanæ [consolationes. Bene facitis, pascendo vos animi mentisque vestræ speculationibus, repræsentantes vobis DEUM, velut magnum quendam Monarcham, qui semper defixos super vos teneat oculos, suâque vobis præsentia incutiat timorem. Vos indies ipsum bis terve vestris honoratis obsequiis, vos invisibiliter videtis ipsum. Vos loquimini ipsi in magno silentio, & ipse reciprocè vobis. Vos creditis, communicare sua ipsum vobis arcana, dare sua vobis jussa occulta, & infelices crederetis vos, nisi ad amussim fideliter obtemperaretis illis; sed quando benè exsolvistis, quod exigit à vobis, creditis ipsius obtinuisse favorem, & hujus gaudetis obtentu. Fateor hæc omnia bene effecta & excogitata esse, neminémque vituperare hæc posse in Personis extra mundum constitutis.

Sed nos, qui mundum sequimur, volumus aliquid magis reale, magisque sensibile. Non sat clarè videmus nos supremam hanc Majestatem, quæ tantum vobis inculcat venerationis ac reverentiæ; non percipimus magnam hanc potestatem, quam dicitis habere ipsum super nos. Sed nos videmus Regem, nos recipimus ipsius jussa, nos fortunatos suspicimus illos, quos suo complectitur favore. Ecce quid solidum; quod nos pascat. Quantum ad me, nolo pascua, quæ cogitatione tantummodò & imaginatione pascunt animum.

Verba hæc tetigerunt Cor Religiosi maximo compassionis affectu ob exiguum cognitionis lumen, quod videbat in anima amici sui, qui aliàs vir acri erat ingenio, sat bonas habens inclinationes, nisi mundus has paulisper depravâsset. Ah itane! dicit ipsi, an imaginationes credis omne id, quod sub sensus tuos non cadit? Oporteret ergò DEUM esse meram imaginationem, quia nullo percipi potest sensu: Oporteret animam tuam esse meram imaginationem, quia nec ullus ex sensibus tuis est, qui possit ipsam cognoscere; Oporteret omnes scientias, veritates universales, bona æterna, entia spiritualia omnia esse imaginationes, si nihil reale, nihil solidũ esse credas, nisi quod sensibus percipitur: Maximè cum oppositum magis congruit veritati, nihilque minus verum, nihil minus solidum, quàm quod sub sensus cadit. Nam si veritas habeat suos gradus eâ ratione, quâ ens,

Quantæ certitudinis sint veritates invisibiles.

dicendúmque sit, Veritatem & Ens pari semper passu ambulare juxta axioma illud Philosophicum: *Ens & verum convertuntur*, certum est, Ens universale, nullis perceptibile sensibus longè nobilius esse Ente singulari, quod sensibus exponitur. Ens & verum pari passu ambulant; Ergò certum est, quod veritates, quæ non cadunt sub sensus, absque comparatione validiores & solidiores esse veritatibus sensu perceptibilibus.

Vide modò pulchras Consequentias ex hoc principio deductas. Magis igitur verum est, habere te animam immortalem, quàm verum sit, habere te Corpus mortale. Magis igitur verum est, DEUM esse præsentem, quàm verum sit, temetipsum esse præsentem. Magis igitur etiam verum est absolutum DEI dominium super nos, quàm suprema auctoritas cujuscunque Monarchæ in sui imperii subditos. Magnam hanc veritatem tibi benè persuadeas velim, quod ut felicius & velociùs fiat, concede mihi unicam alloquii tui horam; Occasio est admodùm favorabilis, cùm videatur, providentiam DEI nostrum hoc loco occursum & congressum voluisse; locus insuper, in quo moramur, tam amœnus est, ut nullo tibi sit futurus tædio; spero quoque ea, quæ dicturus sum, nullam tibi paritura aut molestiam, aut displicentiam. Quamobrem statuerunt secum eximiam & sublimem instituere Consultationem de absoluto DEI Dominio super nos, sicut & de indispensabili obligatione, quâ habemus, eidem præstandi obedientiam. Ipsorum Consultatio sic incepit.

ARGUMENTUM.

1. *Dominium absolutum DEI in creaturas suas, tribus innititur principiis.*

2. *Omnia hæc principia ostendunt, hominem magis dependere à DEO, quàm omnes aliæ creaturæ.*

ARTICULUS I.

Supremum Dominium, quod DEUS habet in nos, quatuor innititur basibus.

OMnes Cognitiones, quas habemus de DEO, tam leves sunt ac tenues, ut nonnisi admodùm parum, nostros plerumque afficiant animos. Non concutimur tremore sub omnipotenti manu DEI; nec timore aut reverentiâ percellimur in præsentiâ illius Principis, qui Supremus noster est Monarcha; Et hoc ex eo, quod nunquam attentâ & defixâ mente perpenderi-

derimus ferò, quantum & quousq; sese extendat suprema & summa potestas, quam in omnes habet creaturas. Quod si eòusque penetraremus, videre liceret nobis, Supremum hoc dominium fundatum esse super quatuor principia tam solida, ut potius DEUS non esset DEUS, & potius omnes annihilarentur creaturæ, quàm supremum dominium, quod habet in eas, non maneret stabile, firmum & immotum, in omnem æternitatem. Inprimis Ipse est omnipotens Creator, qui dedit esse omnibus creaturis. Secundò Ipse est ipsarum Conservator, qui potenti manu suâ sustentat ipsas, ne relabantur in nihilũ. Tertiò Ipse est ipsarum supremus Monarcha, qui suâ ipsas gubernat & providentia & sapientiâ divinâ. Et quartò dirigit & deducit ipsas ad finem ultimum, ad quem pertingere non possunt absque ipso. In primo hoc articulo expono primum è quatuor hisce principiis, sequentes servient expositioni aliorum.

Cũm verum sit, DEUM esse omnipotentem *Creatorem Cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium*, uti in primo suo articulo nos docet symbolum fidei: sequitur, ipsum tam absolutum habere dominium super omnia opera manuum suarum, ut, cum hæc nihil habeant, nisi quod acceperunt ab ipso, nihil quoque sit, quod ipsi non debeant; Et cum omnes creaturæ nihil sint, nisi quod voluerit ipsas esse, ipsæ aliud facere non debeant, nisi quod voluerit facere ipsas. Nonne fateberis mihi, dependentiam effectûs à causâ suâ tam esse naturalem, támque necessariam, ut, quantò plus acceperit ab ipsâ, tantò plus quoque ab ipsâ dependeat: Cùm igitur creaturæ totum suum esse acceperint à DEO, dico, totum suum esse absque ullâ reservatione, sequitur ipsas dependere in omnibus & per omnia absque ullâ limitatione ab eo.

Artifex potest facere ex opere suo, quidquid voluerit.

Nonne meritissimò prætendit artifex talem habere potestatem in opus suum, ut exin, quidquid voluerit, facere possit? Si immutet ipsius dispositionem, si illud augeat, si illud imminuat, si, postquam fecit, iterum destruat, quis ipsum interrogare potest, cur ita facis? Et si opus ipsius conqueri de eo auderet, nonne diceret ipsi: Tu meum es, fecisti, sicut volui, & adhuc facere ex te possum, quidquid voluero. Et nihilominùs artifex aliud nihil dederit operi suo nisi simplicem formam, cum materia, in quâ laborat, non sit opus suum; ficque opus ad summum nonnisi dimidiam ab artifice suo habet dependentiam; Et tamen tam absolutus esse

prætendit ipsius Dominus, ut facere ex ipso possit, quidquid voluerit. O quàm multò major est absque comparatione de endentia creaturæ â Creatore suo, cùm hic ipsi dederit totum suum esse, trahens ipsam ex nihilo, ubi non habebat nec materiam, nec formam, nec quidquam aliud! Totũ esse, quod habe, ta est ab ipso solo, ut si resumeret, quod ipsi dedit, nil haberet amplius, nisi nihilum, & nihilum purissimum.

Contra vanitatem & superbiam. 1. Cor. 4.

Hinc est, quod magnus Apostolus, Sanctus Paulus efficacem hunc desuper efformet discursum, qui animi humani deprimat arrogantiam, ipsúmque exstimulet ad annihilandum se sub potenti manu Creatoris sui: *Quid habes, quod non accepisti?* An potes creatura putida & miserabilis, elevare te adversùs DEUM? An potes abnuere ipsi obedientiam, & tuam velle potiùs, quàm ipsius facere voluntatem? Quid habes, quod non accepisti ab eo? Habes Corpus instructum omnibus suis organis, omnibus suis sensibus, & omnibus suis facultatibus. An id ipsum dedisti ipse tibi? Habes animam nobilitatam facultatibus suis spiritualibus, intellectu, voluntate, memoriâ. An ipse tibi hoc munus contulisti? Habes forsan talenta quædam naturalia vel corporis vel animi, prærogativam quandam natalium, vel bonorum temporalium copiam; vel habes fortassis bonas quasdam inclinationes, quasdam virtutes, quasdam gratias supernaturales. An â te ipso habes & possides hæc omnia? An eras antequam nascereris, ut ordinares: Volo habere talem animam, & tale corpus, & tali nasci conditione, & tales habere tum corporis, tum animi prærogativas, vel talem gratiam, vel tales inclinationes. Nonne vides, has meras esse munificentias Creatoris tui, qui dedit tibi illas, abs eo, quod vel minima te pulsaret postulandi illas cogitatio? Jam ex hoc Sanctus Paulus egregiè concludit: *Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Si ergò recepisti â DEO omnia, quæ habes, ut quid ostentas te, quasi hæc omnia tua essent, & quasi haberes jus utendi illis, prout tibi placuerit? Tu audes dicere, meum Corpus, mea anima, mei oculi, meus animus, mea manus, meus sum, possum facere, quidquid voluero. Si DEUS resumeret, quod dedit tibi gratuitò, absque ullâ obligatione, & abs eo, quod habueris unquã aliquod jus illud possidendi, tibique relinqueret solum id, quod non habes ab eo; Quid tibi restaret, nisi purũ nihil, extrema miseria, peccatum?

Ecce

Ecce, quod tuum est; An gloriari meritò ex eo poteris, & sublimes haurire de teipso cogitationes? Mi DEUS, quàm debet esse cœcus, qui vult esse superbus! Probè novi, nos â natura habere fortem aliquam inclinationem ad extollentiam, gloriam, omnimodam ab omni subjectione immunitatem ac independentiam. Sed da mihi animum vel tantillæ rationis capacem, qui magnam hanc perpendat veritatem, qui consideret ipsam, & penticulatius aliquantulùm rimetur, impossibile erit, quin ipsemet ridiculam suam contempturus & condemnaturus sit ambitionem, quin confundendus sit usque ad nihili sui abyssum, & candidâ mente confessurus, dependentiam suã, quam habet à DEO, infinitam omninò esse.

Quàm ridiculus sit superbus.

Vir hic nobilis læsi honoris admodùm impatiens, sicut omnes ejusmodi sunt, qui in altis ambulant, credúntq; specialis sui esse instituti, quo distinguantur à reliquis hominum, sectari & ambire gloriam, quasi consultò imitari vellent Luciferum, Regem superbiæ, & non potius Christũ Jesum humilem, & amore sui annihilatum; probè advertens, suam ad vivum pungere vanitatem hunc discursum, defendere se & excusare voluit, dicendo, æquum omninò esse, vivere nos in dependentiâ à DEO, & humili ergà ipsum summissione: Verumtamen, inquit, non ita nos homines dependemus ab eo, sicut reliquæ creaturæ: Nonne enim nos libertatem nostram habemus, quæ relinquat nos in manu Consilii nostri, ad faciendum, quidquid voluerimus? Possum peragere bona opera, quando voluero, & si peragam illa, eũ ad illa peragenda ferar ex propriâ meâ libertate, possum affirmare, ipsa esse mea; si DEUS, qui cuncta operatur sapienter, non voluisset nos aliquantò minus facere independentes à se, quàm reliquas creaturas; Eccur dedisset nobis liberum arbitriũ, quod reddit nos Dominos nostrûm ipsorum, quodq; cœteris denegavit creaturis, quas ditare noluit ratione, quâ nos ditavit?

Pessimus superborum discursus.

O quàm sinistrè rem ex opposito interpretaris, respondit ad hoc Religiosus, dum dicis, quod honoraverit nos DEUS libertate, ut redderet nos magis independentes à se quàm cœteras suas creaturas! Totum namque est contrarium, cum prærogativa liberi nostri arbitrii nos reddat plus dependentes à DEO, quàm omnes alias creaturas, quæ privantur illo. Nonne jam posuimus velut regulã prorsus indubitatã, quod cũ dependentia alicujus effectũ à causa

Libertas nostra nos magis dependere facit à DEO, quàm cœteras creaturas.

à causâ suâ sit essentialis, quantò plus effectus accipit à causâ, tantò plus dependeat hic ab ipsâ? Vide an non verum sit, nec unicam quidem esse creaturam, quæ tantum acceperit à DEO, sicuti nos? Et si aliud nihil super cæteras accepissemus nisi incomparabilem hanc prærogativam libertatis, tam excellens hæc est, tam nobilis, támque pretiosa, ut magis nos DEO obstringat, magisque ab eo dependere faciat, quàm universam simul naturã corporalem. Quid enim est liberum hoc arbitrium, quo DEUS locupletavit hominem, nisi suæ coronæ gloriæ, qua attollatur magis supra omnes creaturas illâ privatas, quàm elevetur Rex super populos sibi subjectos.

Est hæc velut radius divinitatis mirabiliter resplendens in homine, quæ circumferre ipsum facit imaginem quandam supremæ potestatis & independentiæ, quæ naturalis & essentialis est summo ac supremo omniũ Enti. Hæc est absolutum quoddam jus disponendi secum ipso, dirigendi & gubernandi se per suammet voluntatem, determinandi semetipsum vel ad bonum, vel ad malum, eligendi liberè inter res innumeras illam, quæ sibi placuerit, repudiando has, approbando alias, absque ulla coactione. Hæ est denique auctoritas & potestas summa, virtute cujus non valeamus ad quidquam cogi, sed libera nobis maneat facultas, volendi id, quidquid placuerit, vel nolendi id, quidquid displicuerit. Et potestas hæc tam est absoluta, ut nulla creata sit potentia, nec in Cœlo, nec in terra, nec in inferno, quæ vim habeat flectendi illam aut obligandi ad aliquid, nisi quod ipsa voluerit. Et quod magis stupendum est, ipsemet DEUS, quamvis valeat suprema quadam potestate necessitare, captivare, constringere, abripere libertatem liberi hujus arbitrii; nihilominus id nunquam facit; postquàm hac semel dotavit hominem, inviolabiliter & ipsam illi conservat: *Reliquit hominem in manu Consilii sui.* Ecce tibi incomparabilem prærogativam, qua gratificari DEUS voluit homini super omnia entia creata, inferiorem hunc mundum incolentia. Eccles. 15.

Jam quæro ex te: an propterea censendus est minus obligatus DEO, vel minus dependens à DEO, quàm cætera entia? An abuti debet magno hoc DEI dono, ut insurgat contra benefactorem suum, & insolenter dicat: Non tam exactè obediam tibi, sicut cæteræ tuæ creaturæ, quia dedisti mihi libertatem faciendi, quod voluero? An reddere se debet magis ingratum, quia

Homo non debet abuti libertate suâ.

quia majoribus est domi â suo accumulatus Creatore ? Nonne cum plura acceperit, plura quoque illi debet? Nonne quò plura illi debet, tantò plus quoq; ipsi debet esse fidelis? Et quandò omnes aliæ creaturæ adversùs suum rebellarent Auctorem, nonne ipse novissimus suam exhibere deberet fidelitatem, contestari summissionem, exercere dependentiam? Quanta Cœcitas, mi DEUS, & quàm detestanda foret ingratitudo, dicere: Ego non ita dependeo â DEO, quia honoravit me prærogativâ libertatis meæ. Ah quàm procul abest, quod propterea liberum tuum tibi contulerit arbitrium. Et cur igitur? Primò, ut nobiliorem & excellentiorem ipsi præstares obedientiâ, quàm cæteræ Creaturæ, eòquod ad hanc non ita, sicut illæ, rapiaris ex necessitate, sed ipsemet feraris eò cum libertate; utq; dum præstas ipsi homagiam voluntarium, quod præstare non possès, ipse locum & ansam inveniat, recompensandi te ex justitiâ. Secundò, ut haberes modum & viam exequendi munus ac partes Religionis, agnoscendo Supremam magnitudinem DEI, summósque ipsi impendendo honores, cujus obeundi muneris reliquæ creaturæ non habent capacitatem. Tertiò, ut, cùm ipse DEUS sit in seipso per propriam suam voluntatem, etiam DEUS esset extra seipsum, per electionem voluntariam circa ipsum â te factam, ad submittendum ipsi ultrò ac spontè libertatem hanc, quam tibi dedit. Quartò, ut, cùm ipsi serviatur ab omnibus creaturis ratione privatis, velut â Mancipiis ad obedientiam ex necessitate coactis, etiam serviretur ipsi â te, velut â Rege, quem aliud nil cogeret, nisi proprius suus amor & bona voluntas. Quintò denique, ut haberes occasionem & ansam promerendi beatitudinem æternam, si volueris, bono liberi arbitrii tui usu, præventus, confirmatus, roboratus, adjutus efficaciter gratiâ ipsius; Utque pro eo, quod aliæ creaturæ non pendeant ab eo (si ita licet dicere) nisi ex unico filo, eòquod ipsas teneat in manu suâ, veluti suas creaturas, tu modum & medium haberes multò arctius te ipsum illi colligandi per plures catenas voluntarias ab amoris Vulcano fabrefactas, per bona desideria, per iñumeros actus charitatis, obedientiæ, fidelitatis, laudis, adorationis, velut totidem vinculis congeminatis & multiplicatis, quæ arctissimè & inseparabiliter alligatum te teneant ipsi pro tempore & æternitate. Vides ergò nostram libertatem nobis ideò datam, ut magis dependeremus â DEO, quàm omnes reliquæ creaturæ.

Quare DEUS nobis dederit liberum arbitrium.

DEUS potest disponere de nobis, ut sibi placuerit.

Cùm igitur infinitâ ratione dependeamus à DEO, non solùm dependentiâ naturali & necessariâ, usque ad minimum atomum entitatulæ minimæ, quam habemus & accepimus ab ipso, sed etiam innumeris aliis dependentiis & summissionibus liberis ac voluntariis, quibus mediantibus absolutè magis illi subdimur, quam reliquæ creaturæ; An aperire audeamus os ad effundendam quærimoniam vel minimam circa modum & rationem, quâ placuerit ipsi disponere de nobis? sive affligat nos, sive consoletur, sive attollat nos, sive deprimat, sive jamjam productos nos destruat, abs aliâ omninò ratione, nisi quia ipsi sic placet; Quis interrogare ipsum potest: Cur ita facis? Nonne enim ipsius sumus? Nonne sumus opus manuum ipsius? Nonne infinitâ ratione majorem super nos potestatem habet, quàm artifex super opus suum, ad disponendum cum illo, sicut placuerit?

Sanctus Job exspoliatus facultatibus, privatus filiis, plenus ulceribus, & quasi redactus ad nihilum in fimeto suo, procul ab eo, ut quereretur circa rationem severiorem, quâ excipiebatur à DEO, ex oppositio fassus est, posse ipsam accumulare mala sua, & suas, quantum placuerit, multiplicare plagas, abs aliâ ratione, nisi quod ita velit: *Multiplicabit vulnera mea, etiam sine causâ.* Job. 9. Quando redigeret nobis corpus & animam in nihilum, unde nos omnipotenti suâ extraxerat manu; Quando præcipitare nos vellet vivos in barathrum inferni; Quod conquerendi nobis jus foret, cùm simus opus manuum ipsius, cujus ipse absolutus est Dominus? Si figulus, juxta effatum magni Apostoli, potestatem habet efformandi vas pro usu sibi placito, an supremus rerum Conditor non habeat infinitâ ratione majorem libertatem, disponendi circa creaturas suas, prout sibi placuerit?

Quâ bonitate circa nos DEUS disponat.

Et nihilominùs tantæ erga nos est bonitatis, ut non tantùm nolit nos destruere, postquam nos fecit, sed velit adhuc perficere; Non tantùm nolit nos annihilare, vel detrudere in avernum, sed econtra extollere nos velit super astra, & propriæ gloriæ suæ consignare nobis possessionem. Sic est, promittit id nobis, confirmat id nobis, velut articulum fidei, nos firmiter vult credere, quod nunquam alio fine dederit homini esse, nisi ut efficeret ipsum Beatum, ut ipsum impleret bonis, ut in omnem æternitatem

nitatem ipsum propriis suis demulceret deliciis, modò correspondere velit Consiliis suis super se factis. O DEUS bone! Quid merueram coram oculis tuis, ut quæreres me in abysso nihili mei, meque ordinares ad finem tam sublimem, támque nobilem? Quando me non feciſſes, niſi creaturarum tuarum noviſſimam, nonne maximo mihi fuiſſet honori opus manuum eſſe tam magni DEI, & tuæ ſubeſſe potentiæ? ſed facere voluiſti me hominem, cunctis creaturis tuis corporeis ſuperiorem: dediſti mihi animam immortalem cunctas temporum diuturnitates excedentem; libertatem contuliſti mihi, quæ ab omni me faciat ſubjectione immunem, niſi â tuâ, ita ut â nullâ cogi vimq; pati poſſit potentiâ creatâ. Quando divinæ tuæ liberalitates hîc ſuos paterentur limites, nonne plus omnibus ſimul creaturis tuis tibi ſolus forem obſtrictus? Et non agnoſcam me dependere plus â te, quàm reliquæ omnes, quæ tantum non acceperunt â te?

Verùm, quod his omnibus adjeceris, velut ineffabilis bonitatis tuæ ergà me complementum, ut tuam mihi conferres cognitionem, tuas gratias, affectus & vota tibi ſerviendi, teque amandi; Et tandem deſtinare me volueris ad finem tam glorioſum, quo jus haberem ad poſſeſſionem æternam regni tui, vitæ tuæ, beatitudinis tuæ: O Bonitas æterna! Bonitas ineffabilis! Quid retribuere tibi poſſum pro tantis beneficiis, niſi ut agnoſcam, infinitâ ratione dependere me â tuâ potentia, infinita ratione me tuæ Bonitati eſſe debitorem, infinita ratione me eſſe obſtrictum unicè tibi? Eheu! Quando mihi forent ora centies millena ad laudandum te, nimis adhuc pauca forent illa; Et quando haberem centenos cordium milliones, ad te amandum, nondum adhuc ſufficerent. O mi DEUS, quàm beatum me cenſeo, dum dependeo à te in omnibus & per omnia! Quantùm amo, quantiq; æſtimo ſupremũ hoc dominium, quod tibi eſt in me, eòquod Creator meus ſis, & ego opus manuum tuarum! utere illo, Domine, ex plenitudine poteſtatis, prout placuerit tibi; Omnia tua Conſilia in tua exequere creatura; nec patere, ut vel unico momento à ſuprema recedam ſubjectione, quam tuæ debeo potentiæ. O quantum deſidero habere illam & perpetuam, & inviolabilem, & omninò integram! Et ſi poſſem illam reddere adhuc majorem, facerem id ex toto corde meo.

Unicùm hoc principium sufficere nobis posset ad continendos nos in subjectione & fideli obedientiâ DEO debitâ : Ipse est Auctor noster, & nos sumus opera ejus, nos dependemus ab eo in omnibus ; sed ecce tibi secundum, quod id ipsum nobis evidentius demonstrabit.

ARGUMENTUM.

1. *DEUS nos conservat omnibus momentis vitæ nostræ.*
2. *Concurrit nobiscum ad omnia opera nostra.*
3. *Quàm culpabiles simus, dum nolumus ipsi subesse.*

Articulus II.

Quantùm debeamus DEO pro nostra creatione.

SI in ipso actu, quo extracti fuimus è nihilo, perfectus nobis fuisset rationis usus, ad cognoscendum bene, quid fieret, immixtos nos videndo confusioni infinitarum Creaturarum possibilium, ubi ab omni languimus æternitate, quodque DEUS ex purâ suâ bonitate nos elegerit, ad extrahendum nos è statu tam miserabili, relinquendo ibi tot alias, quæ non deterioris nobis erant conditionis; nonne coacti fuissemus exclamare? Mi DEUS, mi Creator, clarè video, me tibi infinitâ ratione, debitorem esse, agnosco & confiteor, me omni ex parte dependere â te, & dependsurum in æternum, eòquod nihil eram absque te. Video, experior, probè aspicio, quid facias pro me, quodque nihil essem sine te. Si tunc non potuissemus continere nos, quin in hos erumperemus affectus; Cur modò, dum ratione utimur, ejusdem gratitudinis non exsolvimus pensum, quod in illo instanti exsolvendum nobis erat, cùm id non fuerit, nisi initium ejusdem beneficii, quod omnibus vitæ nostræ momentis DEUS non desinit exhibere nobis?

Conservatio est continuata creatio.

Siquidem non ejusdem rationis sumus cum imagine, quæ non requirit manum pictoris, nisi ut semel ab ipso perficiatur; Posthæc bene carere ipso potest, seque talem, qualis est, conservare abs ao, quod quenquam sui cura tangat, vel cogitatio. Sed nos æquiparamur in hoc radio solis, qui nec momento subsistere posset, si non semper actualiter effundatur è sinu Sõlis. Non sufficit, amorem DEI extraxisse nos è sinu nihili, virtute tam potenti, ut omnis alia virtus minor suâ, utpote infinita, id facere non potuisset; sed opus est, eandem omnipotentis

brachii

brachii virtutem ac influxum, in eodem permanere robore tam diu, quoad placuerit ipsi conservare nobis esse, quod contulit nobis; Alioquin si unico duntaxat momento eundē subtrahe: et nob s, eodem instanti in nostrum relaberemur nihilum, unde nonnisi maxima adhibita vi prodieramus, cùm nonnisi omnipotens DEI brachium fuerit, quod inde nos extrahendi habuerit robur. Et hoc fortassis ad declarandam nobis veritatem, quam Sanctus Job hac loquendi forma nobis proposuit: *Qui appendit terram super nihilum.* Imaginare tibi, quid contingeret, si suspensum teneres magnum quendam lapidem è filo supra hiatum profundæ cujusdam abyssûs: Nonne opus foret, illum eodem cum robore suspensum semper tenere? Nam si unico duntaxat momento desisteres, nonne confestim caderet in profundum abyssi? Pari ratione tota hæc ingens mundi moles sustentatur & suspensa tenetur supra abyssum nihili, unde illam extraxit; in instanti, quo cessaret sustentare illam, relaberetur illuc.

Job. 26.

Magis dependemus à DEO ob conservationem, quàm creationem.

Cùm igitur conservatio nostri esse, sit velut continua quædam creatio, si primum instans, quo DEUS cepit creare nos, nos totos dependere fecit ab illo, nonne videtur instans secundum, quod reduplicat hanc creationem, nostram quoque reduplicare dependentiam, & tertium instans facere eandem triplò majorem, & quartum majorem quadruplo? Sic omnia instantia vitæ nostræ, quibus DEUS conservat nobis esse, quod nobis dedit, quod idem est, ac si daret id nobis de novo, reduplicant & adaugent absque intermissione nostram dependentiam, nostramque subjectionem. Nonne æquum omninò foret, augere nos quoque semper nostram gratitudinem, incessanter nostram congeminare recognitionem, nostram gratiarum actionem, nostram fidelitatem, nostram propensionem, nostrum amorem ergà infinitam ipsius bonitatem? Nihilominus ingrati nos, non cogitamus hæc, nec ponderamus, persuasi, conservationem nostri esse dèberi nobis, quasi verum non esset; nos plus juris non habere ad possidendum illud, quàm habuimus ad idipsum recipiendum. Si Creator noster id nobis dedit ex pura sua bonitate, absque ullo merito, quod vel invitaret, vel incitaret ipsum, ad faciendum nos è nihilo id, quod sumus; & si ex eadem bonitate sua nos conservat, abs eo, quod aliquod habeamus jus ad possidendum aliquod bonum, quod nuncupare possumus bonum alterius, eò quod illud à nobis ipsis nō habe-

mus: Quam injuriam nobis faceret, si singulis momentis resumere, sibique denuò usurpare vellet bonum, quod suum est? si nobis id longo conservat tempore, nonne est velut nova donatio, quam abs intermissione nobis impendit, quæque abs intermissione pariter elicere deberet è cordibus nostris novas grati animi exhibitiones? O si benè comprehenderemus infinitam dependentiam, qua ipsi subdimur in omnibus rebus, usque ad minimum nostræ essentiæ atomum, & usque ad minimum durationis nostræ momentum, nonne diceremus affectu sinceriſſimo ac fideliſſimo cum Vate Regio: *Anima mea in manibus meis semper.* Mi DEUS, anima mea est semper in manib? meis; recipio ipsam actualiter à te, & etiam semper paratus sum illam tibi reddere. Resume Domine, quando tibi placuerit, id, quod tuum est, & si tibi placeat mihi illud conservare, ne permittas illo abuti me contra sanctam voluntatem tuam.

Psal. 118.

Quomodo dependeamus à DEO, ob ipsius concursum.

Verùm si continuæ huic conservationi, quæ velut continua est creatio, te semper magis & magis dependere faciens à DEO, adjungas aliud hoc prodigium, inæstimabilem hanc prærogativam, qua te super omnes alias creaturas exornat; & est, quod, cùm esse non habeas à temetipso, tibi tamen concedat agere posse à temetipso, & facere omne id, quod volueris, voluntariè sese obligans ex lege amabilis suæ providentiæ, ad suppeditandam tibi omnem assistentiam, & omnes vires necessarias per actualem concursum suum, ad faciendum non semper, quod ipsi placuerit, sed semper, quod placuerit tibi; Et hoc tanta cum fidelitate, tantâ cũ assiduitate, tã accurrata cum observatione, ut nunquam vel minimum quid opereris, quin ipse sit præsens, quin manum tecum adjiciat, quin operari te adjuvet, quasi ad id mercede à te conductus, & tibi servire obstrictus in omnibus, ubi ipsius opera uti volueris, etiam contra voluntatem suam, & in rebus, quibus offendatur; Et si hunc tibi denegaret concursum, nec minimum quid operari posses; Sicut enim absq; ipso esse non potes, sic etiam absque ipso non potes operari. Quis igitur comprehendere possit, quo usque dependentia, qua subdimur DEO, sese extendat? Non possum habere esse, nisi id mihi donet; non possum hoc possidere, nisi quantum ipsi placuerit mihi illud conservare; non possum minimum quid agere; non possum respirare, nec unicum proferre verbum, nec minimam formare cogitationem, nec digitum quidem

dem movere, nisi suo me adjuvaret concursu. Quanta in omnibus dependentia? Verum est quidem, quod relinquat mihi libertatem, determinandi me ad talem actionem, quæ mihi placuerit, quodque nunquam mihi suum abnuat concursum, ipsam perficere volenti.

Videtur, DEUM dependere voluisse ab homine.

Est igitur ipse, interpellat illum vir nobilis, qui ratione quadam meæ subditur potestati, aliquam à me habet dependentiã. Cùm enim meam habeam libertatem, determinandi memetipsum ad talem actionem, quam voluero, meque determinando determinem etiam ipsius concursum, quem mihi semper largitur, dum agere volo: Ego igitur sum, qui facio semper cum ipso, quod voluero, & non ipse est, qui semper agit mecum, quod voluerit; Videtur ergò, ipsum magis dependere à me, quàm dependeam ego ab ipso. Dependentia igitur aliarum creaturarum, quæ ratione & libertate privatæ sunt, abs comparatione major est; Exercet enim in illas potestatem omninò absolutam, determinat ipsemet illas ad id, quod sibi placuerit; & nunquam faciunt ipsæ, nisi quod voluerit ille, ut faciant, ad exequendam suam voluntatem, magis est igitur ipsarum absolutus Dominus; & consequenter major, magisque absoluta ipsarum est dependentia, quàm nostra.

Damnaberi arbitrii.

Ad hæc verba, Religiosus, altum in Cœlos emisit suspirium, sicque affatus est DEUM: Eheu, Domine! Eccur eximere voluisti è creaturis tuis nobilissimam ab absoluta hac dependentia, qua constrictas tenes cunctas alias? fruuntur ipsæ insigni hac prærogativa & favore maximo, tibi nunquam displicendi, cò quod nunquam quid agant, contra divinam voluntatem tuam; Et homo tam infelix est, ut tibi displiceat sæpiúsque te offendat. Verum quidem est, quod, dum condecorare voluisti ipsorum honore & ad tuam ipsum producere imaginem, tui fuerit gloria operis, dum conferre voluisti ipsi libertatem, quæ speciosissimus est character divinæ tuæ similitudinis. Verum est etiam, quod, dum ordinasti ipsum ad coronas æternas, volens ut ipsas promereri contenderet, fuerit opus ipsum agere cum libertate, ut ageret cum merito. Verum denique est, quod, dum alias creaturas habuisti velut mancipia, quæ nõ sunt libera, ipsúmq; constituisti velut regem fruentem libertate sua, major fuerit tuæ splendor gloriæ, famulatu ac ministerio stipari regum, quàm mancipiorũ. Sed nonne sciebas, Domine, abusurum suis ipsum prærogativis aç favoribꝰ, rebellẽ futurum

futurum contra te, teque enormiter offensurum, ac rediturum semetipsum ex omnibus creaturis miserrimum, subtrahendo se à tua subjectione, in qua omnes aliæ fideles permanendo, suam ibi invenerunt felicitatem?

Est infinita bonitas DEI dedisse nobis libertatem.

Videbatur audire sibi DEUM dicentem: Verum quidem est, vidisse me, concessa sibi libertate abusurum hominem; sed opus erat vel privare ipsum hac libertate, & incapacem relinquere ad possidendum bonum infinitum, uti sunt aliæ creaturæ ratione expertes, vel concedere ipsi libertatem, ut mediante hac capacem se reddere posset assequendæ beatitudinis. Si denegassem ipsi libertatem, verum est, quod nunquam offendisset me, sicut creaturæ aliæ; sed capax pariter non fuisset bonorum æternorum, quæ ipsi dare statui: dum autem concessi ipsi libertatem, verum est, quod offendere me possit, suam mihi subtrahendo obedientiam; sed evadere quoque potest æternùm beatus, si voluntariè exhibeat mihi eandem. Malui mea periculo exponere commoda, & tolerare offensam ab ipso, ut capacem ipsum redderem ad possidendum bonum, infinitum, quàm conferre illi impotentiam me offendendi, ipsúmque relinquere incapacem ad perfruendum bonis æternis, quæ ipsi præparo. O Bonitas ineffabilis! O misericordia infinita! Hæc unica consideratio bene ponderata, & pro merito degustata, nonne rapere deberet corda nostra, & illa tantæ bonitatis succendere amore?

Quatuor regulæ ad continendum in officio liberum arbitrium.

Sed, Domine, cum verum sit, te tantâ bonitate affici erga hominem, an nesciebas, hanc illi concessam libertatem tam fore ipsi pernicioſam, ut major ipsorum pars infeliciter abutens illa, se in æternum redditura sit miseram ac infelicem? Sciebam id, inquit DEUS; sed quid non feci, ut à lapsu in hoc barathrum averterem hominem? Inprimis nonne dedi ipsi legem, velut facem, ad dirigendum gressus illius, & instruendum, qua ratione ambularet rectè vias justitiæ? Secundò minitatus sum ipsi mortem æternam, si ab illa recederet, ut timore velut fœno in suo contineretur officio; Et ut magis abhorreret à peccato, posui ipsi ob oculos horrenda supplicia, quæ in omnem post se trahit æternitatem. Tertiò plus adhuc feci: Siquidem immortales pro remuneratione obedientiæ suæ spopondi ipsi coronas, ut tam magnificæ retributionis aspectu ad servandam instigaretur fidelitatem. Quartò denique aspi-

aſpiciendum ipſi præbui tam exactæ hujus obedientiæ, quam mihi præſtant omnes creaturæ irrationales, exemplũ, ut ſentiẽs ſe ſolum mihi magis illis omnibus ſimul obſtrictum, ſuffunderetur pudore, ſi magis foret ingratus, mihiq́ue minorem exhiberet obedientiam. Nonne hæc ſat valida ſint repagula ad obſtandum, ne ſuâ abutatur libertate? Et ſi omnibus his diſruptis, invito me, ſe meo ſubtrahat imperio, nonne ſceleratiſſimus ſit & indigniſſimus creaturarum omnium?

Quando noſtra libertas nos magis dependere faciat à DEO.

Verumtamen haud eſt, quod prætendat dependere minus â me, quàm cæteræ creaturæ, titulo libertatis ſuæ. Prorſus ex oppoſito exin dependet magis, & omnibus modis. Si enim benè utatur libertate ſuâ, id non erit, niſi ut voluntariè ſe ſubdat mihi, mihiq́ue in omnibus obtemperet: Sic ultra dependentiam & ſubjectionem naturalem ac eſſentialem, ſibi cum reliquis omnibus creaturis communem, adjiciet aliam liberam & voluntariam, & ita erunt duæ pro unâ. Si abutatur libertate ſuâ, ad opponendum ſe mihi, meq́ue offendendum, reddit ſe non ſolùm magis dependentem & ſubjectum, ſed mancipium ſit & ſervus, imprimis peccati, quod abomniabile monſtrum mihi antepoſuit: *Qui facit peccatum, Servus eſt peccati*: Secundò mancipium diaboli, cui iniquiſſimo Domino obedire maluit, quàm mihi; Et Tertiò mancipium meæ juſtitiæ, è cujus manibus ſe non eripiet unquam, niſi mea ipſum eruat miſericordia. Ecce quâ ratione verum ſit, liberum arbitrium, quod videbatur conferre ipſi aliquam independentiam & ſubjectionis immunitatem, facere ipſum ſemper, quidquid agat, magis dependere à DEO, quàm omnes alias creaturas illo privatas. Concedam, verum eſſe, quod poteſtatem habeat determinandi concurſum DEI ad talem actionem, quæ ipſi placuerit; ſed ultra hoc, quod poteſtatem non habeat obligandi illum, ad dandum ſibi divinum hunc concurſum, ſi Ipſe nolit: dando hunc ſemper ipſi infallibiliter, ut eo utatur, ſicut voluerit, vel ad bonum vel ad malum, ſemper non erit, niſi ut ſe magis dependentem reddat à DEO, ſive obediendo & reduplicando Sibi ipſi per hoc dependentiam & ſummiſſionem ſuam voluntariè; ſibi non obtemperando, & cadendo per hoc, invito ſe, in miſeram ſervitutem.

Maximus honor ſubmittere ſe DEO.

Verùm non proponenda ſunt motiva hæc timoris plena animæ generoſæ. Mallem conſiderari honorem maximum, quæ

accreſcit animæ, dum voluntariè ſe ſubdit, maximæ, quæ præſtari poſſit, ſubjectioni & dependentiæ à DEO. Video ſanctũ Regẽ David flocc æſtimare coronam ſuam, reſpectu gloriæ, quâ ſe accumulari credebat ex eo, quod ſe tanti Monarchæ profiteretur famulum: ſubmiſſionem divinæ ipſius voluntati præſtitam, fidelem ſuam obedientiam, & cuncta obſequia ipſi exhibita, aſpiciebat haud aliter, quàm munificam & magnificam quandam remunerationem: *Inclinavi cor meum ad faciendas Juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem*: Volo mi DEUS, ſervire in æternum tibi, ad reportandam recompenſationem. Sed ſi ſerviat in æternum, quando erit retributio, quando recompenſatio? Invenit ipſam tam magnam in actuali ipſius ſervitio & imperfecta dependentia ac ſubmiſſione DEO exhibita, ut anima ipſius majori exin perfundatur gaudio, quàm ſi omnes mundi poſſediſſet divitias: *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis.* Major mihi voluptas eſt, tibi obedire, tibi ſubjici, quàm ſi omnes totius mundi poſſiderem theſauros.

Pſal. 118.

Ibid.

Zelus Abrahami ad obe-

Quando Abraham accepit mandatum à DEO, immolandi ſibi filium ſuum Iſaac, tanto perfundebatur gaudio, ut obliviſceretur illius, quod è filio ſuo hoc unico in ſe redundabat: Surgit de nocte, & currit clanculùm, executurus mandatum, quod tam difficile ſibi videbatur, facillimum tamen & acceptabiliſſimum animæ, quæ jam-jam guſtaverat felicitatem ſummam, quam guſtare licet in tali dependentiâ à DEO, & ſubmiſſione ipſi exhibitâ. Quare putas, ipſum hâc de re, nec verbulum dicere voluiſſe Saræ conjugi ſuæ? Timebat meritò, ne ſeſe opponeret. Eſt Filius meus æquè ac tuus; non patiar, ut moriatur: Nam DEUS nulla de hoc mihi juſſa dedit, ſicut tibi: Hæc fuerat excuſatio ſatis legitima Abrahamo ad diſpenſandum ſecum in obedientiâ, ſicque ſuũ conſervandi ſibi filiũ. Ita eſt; ſed non quærebat excuſationes ad ſubtrahendũ ſubmiſſioni & dependentiæ à DEO, vel ad evincendam quandam in juſſis DEI diſpenſationem; ſed potius fugiebat illas, & omnia nitebatur perfringere obſtacula; tanti æſtimabat felicitatem ſummam & conſolationem perfectam, quam conſtituebat in obedientiâ DEO præſtandâ, circa rem totius mundi difficillimam. O noſtræ probrum ſocordiæ, dum cauſas indagamus, ut obedientiæ DEO exhibendæ nos ſubtrahamus

diendum DEO.

in

in rebus facillimis! Sed inde est, quod nondum satis agnoscamus absolutum DEI in nos dominium, & indispensabilem obligationem, quâ tenemur ei obedire. Ecce ergò tertium principium, unde fortassis majorem circa hoc acquires cognitionem, hauries consolationem.

ARGUMENTUM.

DEUS gubernat & moderatur omnes creaturas, invariabili lege providentiæ suæ; sed fortissima ex omnibus Lex data est homini.

Articulus III.

ASpectu jucundum spectaculum est, speciosum videre ordinem, quem sapientia DEI in magno hoc mundo disposuit ac confirmavit. Sed pulcher hic ordo converteretur mox in perturbationem; Si entia omnia, è quibus constat, non ita observarent leges ipsius, quas huc usque observârunt semper exactissimè; Et hæc fidelis observantia conservat etiam mundi pulchritudinem. Res sanè stupenda, videre, quomodò creaturæ omnes, etiam insensibiles & inanimatæ, tam accuratè sentiant supremum dominium Creatoris sui super se, séque tam exactas demonstrent in adimplendâ obedientiâ ipsi debitâ, ut nec unica recesserit unquam ab observantiâ legis semel sibi positæ ex ore ipsius.

Sol obedit DEO.

Ex eo, quo sol accepit jussa currendi incessanter incredibili cum velocitate, ad circumferendam diei facem in universo mundo, & expellendas semper ante se tenebras, quæ æquali secum currunt velocitate, ad fugiendam ipsius præsentiam, & perpetuò fugiendum in mundo partem, ubi ipse est absens, abs eo, quod unquam ipsas currendo potuerit attingere: ex quo accepit ordinationē â Creatore suo collocandi in ordinē anni tempestates, mensurandi nostros annos, nostros dies, nostras horas, nec unico quidē quievit momēto, nunquā destitit prosequi currendo obedientiam, ad reducendum nobis successivè, diem & noctē, hyemem & æstatē, & moderandum nostrum tempus, unico verbo, faciendum id, cujus â DEO jussa accepit. *Ordinatione tuâ perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.* O quàm gratiosum est, videre fidelē hanc obedientiā, quæ post elapsum tot sæculorum nunquā nec unico dilapsa est instan- Psal. 118.

ti; quæ si dilapsa fuisset, ac in minimo defeciisset, quanta perturbatio universalis visa & animadversa fuisset in universo orbe?

Terra obtemperat DEO à tempore creationis.

Ex quo accepit unicâ tantùm vice terra mandatum ex ore Creatoris sui: *Germinet terra herbam virentem*; ut produceret herbas, plantas, arbores, ut quælibet harum protruderet flores, frondes & fructus diversos juxta genus & naturam suam; Ipsa nunquam cessavit eviscerare se, ad parturiendum incessanter herbas, flores & fructus, tam diversos in sua Magnitudine, in suo colore, in suo gustu, in suo odore, in suâ pulchritudine, in suis proprietatibus, & in saporibus suis tam variis, ut continuum sit miraculum, attentè id considèranti, dum intuetur, quomodò Elementum stupidum & inanimatum, Elementum rude ac sterile ex naturâ suâ, eò quod juxta qualitates suas naturales frigidum sit & siccum, quæ juxta naturalium rerum peritos, sterilitatis sunt principia; Elementum absque gustu, absque pulchritudine, absque ullo sapore, sicut terra est: Continuum, inquam, sit miraculum, aspicere, quomodo incessanter è sinu suo producat tot colores tam vividos, tam variegatos, tam jucundè commixtos, sicut admiramur in cunctis floribus tempore tum verno, tum æstivo. Videre, quomodò producat herbas & plantas virtutum tam diversarum, proprietatem tam oppositarum, qualitatum tam inusitatarum, figurarum, odorum, sympathiarum & antipathiarum tam stupendarum, quales videre est in simplicibus. Videre, quomodò annuatim suppeditet nobis innumerabilem hanc multitudinem fructuum naturæ tam diversæ; sed gustuum, dulcorum, deliciarum tam mirabilium, tamque multiplicium, ut credi vix posset, nisi doceret experientia, unicum solum ejusdem naturæ Elementum, quod nihil eorum habet, quæ dat, subministrare nobis singulis annis posse innumera hæc prodigia ac portenta. Unde accipit omnes hos thesauros, quos tantâ effundit prodigalitate, quosque tot sæcula à creatione mundi nunquam adhuc potuerunt exhaurire? Quis potest hoc dicere, cum ipsamet id nesciat? sed sufficit, ipsam unica tantùm vice id mandati accepisse à Creatore suo. Verbum ipsius, quod totũ fœcundũ est, includit in seipso semina innumerorum magis mirabilium portentorum. Terra hoc verbũ suo recepit sinu, conservat huc usq; ipsius virtutem, facietq; ex obe-

obedientia, quæcunque sibi ordinaverit, & nunquam in hoc deficiet, usque ad considerationem Sæculorum.

Obedientia omnium creaturarum confundit nostram inobedientiam

Emitte oculos tuos, & consideratione tua omnes percurre creaturas, maria, flumina, astra, aves, arbores, animalia, & unico verbo, entia omnia à DEO creata; nec unicum ex omnibus invenies, quod non inviolabiliter in eadem persistat fidelitate, absque eo, quod unquam afficiatur tædio, vel deficiat in minimo, ad exhibendum continuum obedientiæ suæ homagium absoluto Supremi Domini sui super se imperio. O mi DEUS, quot insurgent adversùm me testes in magno die judicii tui, qui ostendendo mihi fidelem suam obedientiam divinæ voluntati tuæ exhibitam, exprobrabunt mihi continuas, quas commisi, inobedientias? Quot judices condemnabunt me, mihi demonstrando, quod cum Ego solus plures favores receperim ab universali nostro Conditore, quàm illi omnes receperint simul, obligatus sim ad sublimiorem quandam gratitudinis exhibitionem, meque magis subjiciendum legibus ejus; quodque cùm magis fuerim obligatus, magis extiterim ingratus; cum majoribus fuerim favoribus affectus, magis me exhibuerim affectûs omnis & sensûs expertem; cùm magis fuerim amatus, minus studuerim ipsius implere voluntates! O mi DEUS, unica spes mea, custodi me à Confusione, qua afficere me poterunt omnes in tua præsentia creaturæ; & ut ab iis me custodias, me nunquam non tibi subjectam serva, nec patere, ut unquam deflectam ab obedientia divinæ tuæ debita voluntati. Fac, ut ab omnibus creaturis addiscam obedire tibi.

Prodigium, quòd omnes creaturæ suâ acquiescant conditione

Sed quando iterata consideratione ipsarum perpendo obedientiam, hæc mihi stupenda omninò videtur, in eo, quod contineant se omnes in suo ordine, ut quælibet illarum contenta vivat loco sibi deputato, conditione sui statûs, & assignato sibi munere, quamvis non ita nobili. Terra non ambit esse Sol, acquiescit esse infima & omnium calcari pedibus, quia tu sic illam collocasti; non dedignatur contemni, vulnerari, proscindi, omnium molestari exactionibus, & obligari ad evisceradum se perpetuò pro cunctorum animantium alimonia, quia tu sic ordinasti. Mare, quod continuis agitatur tumultibus, perpetuis concutitur tempestatibus, nunquam non convellitur ventis,

non intermissâ percellitur turbatione fluctuum, sese invicem propellentium, modò miscentium, modò separantium se perpetuò, nul â unquam fruens tranquillitate, non desiderat esse terra, quam videt constanti gaudere pace & inconcussâ quiete; sed continuò turbari non refugit, quia tu sic imperâsti. Hysopus repens super terram, non anhelat esse cedrus minitans fastigio cœlis; Et quercus nonnisi producens glandes pro pascuis animantium, non avet esse vitis ad fundendum pretiosum illum liquorem, qui Magnatum lætificat & exhilarat convivia. Et unico verbo, omnes creaturæ acquiescunt ordine ac statu â supremo Conditore sibi destinato, nec non munere ab eodem sibi commisso, sive magno, sive mediocri, sive minimo sibique despectissimo, ita ut nunquam nec velint esse aliud, nec agere aliud, nisi quod ipse voluerit, sed suam inveniunt felicitatem in totali dependentiâ & perfectissimâ summissione, quâ Creatoris sui excipiunt & amplectuntur mandata. O quàm egregium hoc est prototypum, quod insensibiles hæ nobis proponunt & exponunt creaturæ, si animus nobis foret imitari illas! Quam contenti viveremus & pleni solatio, si acquiescere possemus statu, quò collocare nos, quemque assignare nobis placuit DEO! Quàm eximium sacrificium nostri ipsorum, quo insigne reddamus homagium absoluto DEI super nos dominio, si quietè vivere vellemus in loco, in ordine, in munere nobis â divinâ ipsius providentiâ præfixo, abs eo, quod alias in mundo veneremur felicitates, quàm nunquam non promptè nos submittendo divinæ ipsius ordinationi, ac voluntati! Quàm pulchrum spectaculum ad vivendum beatè, contentando perfectissimè nos illo, quod ipsummet contentat! Eheu! An esse possemus melius, quàm ubi collocavit nos DEI manus? An plus sapientiæ arrogemus nobis, ut sciamus illo melius, quid prosit nobis, quid nostræ conducat felicitati? Sinamus ipsum facere nobiscũ, quidquid voluerit, nostrumq; credamus hic paradisum submittere nos totos ipsius voluntati. Si creaturæ rationis expertes non excellerent sapientiâ homines, si quælibet illarum usurpare sibi vellet, quod est alterius, occupare ipsius locum, ipsius ordinem, ipsius officium, quàm horribilis perturbatio totum subverteret mundum! Et unde oriuntur tot tumultus, tot discordiæ inter homines, nisi quod plerique esse nolint,

Egregium exemplar ad imitandum.

nolint, quos vult ipsus esse DEUS? Quasi nemo sua sorte contentus vivit; sed omnes quærunt mutare illam aspirantes ad sortem alterius.

Potentia obedientialis creaturarum.

Ponderemus adhuc accuratiori trutina admirabilem obedientiam, quam omnes creaturæ suo reddunt Creatori, & videbimus stupenda, quæ nostrum rapiant & haud leviter afficiant animũ. Duo dispositionum genera observant Theologi, in quibus semper paratæ & expeditæ sunt facere ea, quæ placent DEO; quarum unam vocant naturalẽ, alteram obedientialem. Summissio naturalis est illa, de qua huc usq; locuti sumus, quæ consistit in accurata fidelitate obediendi semper exactissimè legi à creatore sibi semel impositæ, quælibet conformiter naturæ tuæ. Sed obedientialis est prorsus alia: Nam hæc est dispositio, quam habent ad obediendum DEO, in instanti, quo præceperit illis, non solùm in rebus naturæ suæ congruis, sed etiam in illis, quæ sunt vel supra vel etiam contra naturam suam. Hæc est obedientia prorsus miraculosa, quæ non patrat nisi prodigia ad demonstrandum zelum, quo aguntur obediendi Creatori suo, qui tribuet illis virtutem operandi ea, quæ videbantur impossibilia. Quis non impossibile judicaret, ignem refrigerare, velut suavem zephyrum, cujus natura est accendere & concremare omnia combustibilia? Nihilominus quando placuit DEO hoc ipsi injungere, tam bene id nôrat facere, refrigerando in morem venti suaviter flantis, tres pueros in fornacem Babylonicam conjectos. Quis non impossibile censeret, ignẽ materialem addurere spiritus, qui altioris & sublimioris sunt naturæ? Nihilominùs, si hujus jussa accipit à DEO, non attendens potentiam suam naturalem, noverit benè adurere dæmones, qui sunt spiritus.

Obedientia ignis.

Balæna monstrum est marinum, quod illicò digerit omnia, quæ devorat, excessivo illo calore, quo manere semper cogitur in oceano glaciali Aquilonari, ubi in morem accensæ fornacis ejaculatur fumum. Qui non crederet impossibile, tres dies noctesque conservari hominem vivum in ventre ipsius? Nihilominùs, quando sic ordinari placuit creatori suo, benè noverat deglutire Jonam totum vivum, non ut illo se nutriret, sed ut ipsa nutriret illum, illique conservaret vitam in medio umbræ mortis: non ut suffocaret ipsum in aquis, quib? ipsamet immersa fuerat, sed ut ipsi esset navis secura, qua servaretur à nau-

Balæna Jonæ.

à naufragio: non ut redderet ipsum mutum velut piscem; sed ut serviret ipsi ceu templum animatum, ubi cantaret laudes DEI: ut illi esset solitarium quoddam desertum, ubi suam ageret pœnitentiam; Sapiens aliquis Magister, à quo addisceret obedientiam, cujus laborabat ignorantia, dirigendo ipsum rursùs in viam versùs Ninivem, unde deflexerat contra voluntatem DEI. Nonne hìc cernis potentiam obedientialem prorsùs admirabilem?

Leo non devorans Prophetam.

Nunquid impossibile censeretur, quod Leo, bestia abs ratione & animal adeò carnivorum, refici posset cibo spirituali, velut Angelus? Sed nihil impossibile est obedientiæ, quam exhibere paratus est Creatori suo. Vade in Samariam, & ibi occurret tibi in via Propheta quidam redux super asinum, qui meæ non obtemperaverat voluntati, tolle vitam, frange gulam refractorio huic: occidit vatem, & manet penes eum, pressus fame, non attingens neque Cadaver, neque jumentum, quo venerat, Sanctus Chrysostomus admirans docilitatem ferocis hujus bestiæ, & summissionem prorsus miraculosam, quam exhibuit jussis Creatoris sui, ita loquitur: *Egreditur Leo, non ut comedat, sed ut ostendat, quod mandatum DEI audiat. Usus est pro deliciis jejunio, abstinens à devoratione ejus, qui non obedierat.* Hic Leo, inquit, benè demonstravit, quod is ò venerit ad manducandum, sed ad obtemperandum Mandato DEI. Nunquid diceres ipsum Angelum, qui summam suam constituat felicitatem in submissione, quam debet DEO suo? Ecce tibi potentiam obedientialem omninò stupendam.

3. Reg. 13.

Serm. 1. de jejun. sol. 4.

Omnes creaturæ actuales & possibiles submittunt se DEO.

Aquæ natura sua liquidæ induunt soliditatem in modum marmoris; montes immoti inveniunt pedes ad ambulandum; petræ animantur sensu; & unico verbo, omnes Creaturæ sic cordi habent submissionē Creatori suo debitam, ut semper paratæ sint ad patranda prodigia, & exequendas res, quas judicaremus impossibiles, ad præstandum homagium supremæ potestati, qua subduntur illi. O quàm magnus DEUS, qui exhiberi sibi facit submissiones tam portentosas ab omnibus creaturis! O infinita potentia, quæ tam absolutum exercet imperium super omnia manuum suarum opera! O supremum dominium, cui omnia serviunt, omnia obediunt tam exactè, ut nihil ab illius deflectat voluntate! *Quoniam omnia serviunt tibi.* O magne DEUS, quàm æquum est glorificari te, agnosci, honorari

Psal. 118.

ab

ab omnibus craturis, & non tantum ab omnibus actualibus! sed si cogitatione meâ penetrare possem abassum nihili, viderem ibi innumerabilem infinitudinem creaturarum possibilium, quæ non sunt nisi pura possibilitas ad obediendum tibi, ad primum, quod ex ore tuo prodiret, Verbum, & ad minimum Voluntatis tuæ signum. Deus vive! Quàm ingens est potestas tua! Quàm incomprehensibilis infinita tua potentia!

Quàm monstruosa sit inobedientia hominis.

Si redux è profundâ quâdam meditatione, ubi aspexisses ex unâ parte supremum hoc DEI Dominium super omnes Creaturas; & ex alterâ hanc tam fidelem submissionem, quam amplectuntur omnes, & exactam, quam ipsi impendunt, obedientiam, prodigio non absimilem, tibi dici perciperes: An probè nôsti, non nisi unicam esse creaturam, quæ subiecta esse nolit huic Omnipotenti, quæque tantæ sit insolentiæ, ut rebellare audeat ipsi? Quantum indignationis æstum conciperes ergà illam? Nonne diceres: Oportet equidem hoc Monstrum esse abominabile; Spectrum terribile & detestandum, quod cunctis creaturis debeat esse horrori; dignum, quod oderint omnes, quod persequātur, exterminēt. Verùm si adiiceretur ulterius: an tibi cōstat, immorigeram hanc unicam creaturam, magis omnibus esse obstrictam ad obediendum illi? Esse illam, quam præ omnibus maiori iproseuctus est favore; illam, quam maioribus accumulavit beneficiis; illā, quam hōorib⁹ sublinavit præcœteris; illam, quā amat affectuosius; illam, cui infinitâ in æternitate præparat bona; illam, unico verbo, quam respicit velut centrum & scopum divinarum suarum liberalitatum. Nonnisi hæc unica ingrata & rebellis est, quæ abnuat obtemperare ipsi, dum intuetur omnes alias, quæ impossibilia quoque moliuntur, suæ nunquam deesse obedientiæ. Nonne hoc esset, quod totum attonitum teneret animum, fandi expertem redderet linguam, præ horrore tanti prodigii, tanti portenti? Et nihilominus tu ipse es indigna hæc et ingrata creatura; tu ipse es O homo, qui ansam habes, ut ipsum te abhorreas; tu ipse es, qui adversùs teipsum summè indignari, summè tuam detestari debes inobedientiam: tu enim solus es inter omnes creaturas, qui insurgis adversùs Deum, qui ipsum offendis, qui ipsum contemnis, qui mille injuriis ipsum lacessis; Vel si alia quæpiam cretura ipsum offendere audet, non sunt nisi diaboli, quorum tu premis, vestigia.

Omnes Creaturæ nobis exprobrant inobedientiam nostrā, Isai. 13.

Nonne audis omnes alias creaturas insultantes tibi et indignan-

gnantes, quod videant te solum, supremum suum Dominium afficientem contumelia, quem ipsæ glorificare contendunt, quantum suæ se vires extendunt: *Erubesce Sidon, ait mare.* Mare, terra, Cœli & astra, omnia elementa & omnes creaturæ, quas suo includunt sinu, valida voce clamant ad te. Erubesce præ pudore, O homo quod videas nos omnes in tanta submissione, quam exhibemus communi nostro Creatori: Et tu solus, cum sis creaturarum nobilissima, qui majori submissione antecellere deberes omnes, monstruosissimum atque indignissimum, reddis temetipsum, dum ipsi obtemperare reculas: *Per vos erubescite, qui per vos peccâstis.* Infernus quoque cum omnibus damnatis vociferatur horrendo ululatu ad te. Morere præ pudore, o homo mortalis, quod tanta vecordia eisdē devoveas te peccatis, ob quæ nos in æternum tã sæva, tamque dira pati vides supplicia: Morere præ pudore, quod, cùm acceperis tam amabile præceptum, quale est illud, amandi Deum tuum, tu ipsum contemnas, & amare malis sordes ac spurcitias, quæ abscondi volunt, teque ipsum inducunt, ut abscondas te præ verecundia. Morere præ pudore, quod, cùm vivere posses velut Monarcha, adimplendo fidelem obedientiam, quam debes Deo, cui servire regnare est, reddere te malis mancipium passionum tuarum, vitiorum tuorum, peccatorum tuorum, & ipsorummet etiam diabolorum. Eheu! si nobis libertas esset, dicerent tibi omnes damnati, una eademque voce, si nobis libertas esset, submittendi nos voluntati, ac ejus custodiendi legem! O si facultas nobis esset adimplendi magnum illud præceptum amoris sui, cujus valorem ac pretium tam parum nosti, ut ne quidem cogites de eo! Flammæ nostræ, quæ in nostro nos devorant supplicio, tam ardentes non sunt, sicut forent divini amoris sui incendia in cunctis cordibus nostris.

S. August. de vera & Falsa pœnit. c. 10.

Christus Jesus exprobrat nobis nostrem inobedientiam.

Erubescite super viis vestris, Domus Israël, dicit Dominus. Domus Israël, chara portio Domini, anima christiana, erubesce præ pudore, & confundere de indignitate vitæ tuæ, clamat ad te *Christus Jesus* è cathedra crucis suæ. Videre Deum æternum, majestatem infinitam, eòusque depressam ex amore ergà te; videre ipsius sanguinem torrentis more dimanantem; videre innumeras in dilacerato ac omni ex parte discisso ipsius corpore plagas; videre apertum ipsius Cor, quod voce tam amica, tamque affectuosa ad te clamat, ut ipsas etiam diffin-

diffinderet petras: Aspice obedientiam meam, custodivi ipsam usquè ad mortem, ad reparandas inobedientias tuas lethales, & meo addisce exemplo, quomodò obediendum sit Deo Patri meo, quando etiam profundenda tibi foret vita. Si namque Deus tuus hoc fecit pro te, quid facere nõ debeas pro amore ipsius? Ah! ne perdas per inobedientiam vitæ momentaneæ, quæ tibi transigenda est in terris, infinita bona, quæ acquisivi tibi obedientia mea usque ad mortem producta. An consideratu hoc dignum non sit: Ecce bonorum ineffabilium thesauros, qui apertimihi sunt, quos certè possidebo in æternum, si vixero in submissione Creatori meo exhibita & fideli obedientia, quam debeo divinæ ipsius voluntati? Jugum ipsius suave est, præcepta ipsius levia; nihil aliud mihi imperat, nisi, ut amem ipsum, quod labor non est, nec servitus, sed potius magnifica retributio. Ubi erat mea ratio? An cor mihi fuerat? An mica salis mihi superstes, quod rebellare maluerim contra ipsum, ut viverem velut infelix mancipium sub tyrannide passionum mearum & viciorum meorum, & exin præcipitarer in abyssum, ad ardendum, ibi cum animabus rebellibus in æternum? Ah DEUS! Hæc unica propositio nonne percellere nos deberet horrore? Nonne unica hæc cogitatio sufficiat, quæ mori nos faciat præ pudore & verecundiá?

Gloria nostra, & summa nostra felicitas consistit in hoc, quod magis dependeamus â Deo, & ipsius subdamur voluntati. Si Creator est ipsarum, est etiam noster modo quodam longè nobiliori. Si est Conservator ipsarum, est etiam noster ratione quâdam magis amica & benevola. Si dirigit illas in omnibus per leges inviolabiles providentiæ suæ, dirigit nos quoque per legem longè magis amabilem. Denique si quamlibet illarum destinat ad finem suum per media diversis ipsarum naturis congrua, nos destinat quoque ad finem incomparabiliter sublimiorem & excellentiorem; sed impossibile nobis est, illuc pertingere, nisi perfectissima quadam submissione, qua ipsius adimpleamus voluntates. Hoc est quartum principium, cui innititur supremum DEI super nos dominium; & est ultimum, quod mihi restat exponendum.

ARGUMENTUM.

1 *Omnes creaturæ destinatæ sunt, unaquæque ad finem suum, ad quem illas deducit DEUS per vias, quas necessariò sequi debent.*

2. *Homo solus non habet alium finem, quàm Deum, ad quem attrahitur per legem amoris, quo tamen non tollitur ipsius libertas.*

ARTICULUS IV.

Omnes creaturæ sunt pro homine.

JUre meritissimo dicitur, quod homo, qui portat imaginem invisibilis DEI, sit velut Deus in Mundo hoc inferiori. Omnes Creaturæ, quibus plenus est, sunt factæ per ipsum, utitur illis, sicuti vult, illis præcipit, disponit cum illis pro arbitrio; & finis, ob quem supremus Creator dedit illis esse (non loquor de fine ultimo; Nam gloria DEI est solus finis ultimus omnium entium, sed de fine immediato omnium creaturarum inferiorum) est homo. Nec unica quidem est ex omnibus, quæ destinata non sit ad serviendum ipsi, in omnibus suis necessitatibus; fecit ipsas Deus in maximo numero, Cùm plurimæ quoque sint necessitates nostræ: Contulit ipsis proprietates, dexteritates & industrias valde diversas, eò quod necessum fuerat, ut pluribus modis succurrerent nobis: Ipsemet formavit nobis illas eâ ratione, quâ sciverat, illas nobis fore necessarias: Ipse conservat illis esse, quod dedit ipsis, & ipsas conservat nobis, velut famulos mercede conductos ac servitio nostro deputatos, sicut Princeps, qui rem domesticam instrueret filio suo unico, & omnes ipsius exsolveret Ministros: Ipse cuivis illarum sua tradidit talenta, sed cum obligatione, ut tota impendat illa pro nostro emolumento; ita ut omnes aspiciant hominem in medio sui velut Deum suum Visibilem, sed velut Deum infirmum, qui indigeat ipsis ad sui conservationem. Sic nihil sunt, nihil faciunt nisi pro ipso, quia sic jussa acceperunt à supremo suo Domino.

Homo utitur omnibus creaturis pro suo placito.

Aliquæ destinatæ sunt ad ipsum nutriendum, aliæ ad ipsum vestiendum, aliæ ad ipsum illuminandum, aliæ ad ipsum calefaciendum, aliæ ad ipsum refrigerandum, aliæ ad portanda ipsius onera, aliæ ad ipsum defendendum, aliæ ad ipsum sanandum, quando ægrotat, aliæ ad ipsum recreandum, quando tristatur, aliæ ad excitandum ipsum ad laudes DEI, aliæ ad puniendum, ipsum, quando peccat *Omnia subiecisti sub pedibus ejus.* Sacer Codex affirmat nobis, Deum omnia

Jon.

Psal. 8.

omnia subiecisse pedibus hominis; id est, subiecisse omnes creaturas ipsius potestati, conferendo ipsis absolutã potestatem faciendi cum illis, quidquid placuerit. Quale jus haberet homo carcere stringendi volucres, vinculis illigandi canes, occidendi & mactandi feras, avellendi ex arboribus fructus, trahendi ex elemento suo pisces, pro arbitrio suo utendi cunctis animantibus, dilaniandi hæc, excoriandi alia, onerandi hæc sarcinis, conficiendi illa verberibus, comburendi ligna, evellendi arbores, & tandem juxta Voluntatem suam disponẽdi cum omnibus creaturis, quasi ipsarum Auctor esset et Conditor? Nisi quia DEUS subiecit ipsas potestati illius, ut pro arbitrio suo disponeret cum ipsis. Res stupenda, visos quandoque homines ipsorum uti operâ, ad præstandum sibi subsidium in agenda pœnitentiâ & conciliandâ justâ DEI iracundiâ.

Jon. 3. Nolo, inquit Rex Ninives, vatis Jonæ exterritus minis, nolo homines & jumenta, & boves & pecora gustare quidquam, nec pasci & aquam bibere, ex nunc usque ad diem tertium; Volo, ut induantur sacco & conspergantur Cinere, & ingemiscant æoram DEO, sed quid sceleris misera patrarunt animalia, quod jejunii tam diuturni, tàmque serveræ condemnentur pœnitentiæ? Verum est, immunia sunt ipsa à reatu, sed quia mea sunt, uti illis possum, prout voluero; Volo igitur, ut inserviant mihi ad agendam pœnitentiam. Immugient illa, quando prementur fame lamentabiliter in Cœlum, dum interim homines suis terram rigabunt lachrymis, peccatorum suorum pressi dolore; & exaudiet fortassis Dominus lugubrem tam Dominorum, quàm servorum vocem. Ecce quò usque extendat se potestas, quam DEUS concessit homini super omnes alias Creaturas: imperat illis, prout sibi placuerit; & illa præstita ipsi Obedientia, Obtinuerunt finem, ad quem creata sunt.

Sed ad obtinendum hunc finem, attende, quibus legibus subesse debeant: Oportet tolerare illas jugum & pondus dominii humani, quod tyrannicum est & prorsus inhumanum. Qua inclementia videmus tractari equum à Domino suo? Inserit Ori ipsius frænum, ipsumque cogit obedire sibi in Omnibus, quæ voluerit; vult ab ipso intelligi, abs eo, quod ipsi loquatur, & nisi suo se accommodet genio, mactat ipsum verberibus, vel latera ipsius configit calcaribus. Si avis more aveat volare, ut quàm primùm ibi sit, ubi voleт,

miserum sese bajulans adigit animal ad currendum abs intermissione, non attendens, an illud adigat & compellat ultra vires, nec ipsius miseriæ movetur commiseratione, quamvis sub se ipsum cogeret disrumpi. Si vanitas vel emolumentum invitent ipsum sequi castra, miserũ & hoc urget animal, quod nec lucrum ibi, nec gloriam sectatur, ad exponendum se mille mortibus; & si vel parum resistat, vix non trucidat ipsum truculentis verberibus, onerat ipsum, quocunque voluerit, & quibusvis ipsum committit periculis; Unico verbo, millenis ipsum torquet modis, abs eo, quod vel minimùm ipsius doleat sortem, eòquod potestate fruatur in ipsum ac dominio.

Quàm durè accipiat homo animalia sibi subiecta.

Qua ratione in miserum canem, qui est animal tam fidele, suum exercet dominium? Illigat ipsum vinculis de die velut mancipium, vult vigilare ipsum de nocte velut excubitorem & corporis custodem; luctari facit ipsum modò adversùm lupos, modò adversùm tauros, modò adversùm apros, & si discerpitur, finit perire ipsum in lucta, abs ullo luctu, dedignans ipsum ultrà aspicere. Quando exhaustus viribus in servitio sui Domini, enecatur fame, proiicitur ad rodendum ipsi quoddam os, vel buccea panis admodùm duri & insipidi, & aqua propinatur ad bibendum. Et tandem, quando factus est ita grandævus, ut sua amplius præstare non possit obsequia, pro tota recompensatione fidelitatis suæ & præstitis bonis Officiis proycitur in profluentem. Quàm dirum & durum Dominium est hominis in animalia sibi subiecta!

Sed an mitius agit cum illis, quæ mitiora sunt, magisque amabilia. Miser agnellus, Symbolum innocentiæ, & ipsa dulcedo, nonne experitur crudelitatem ipsius magis, quàm quodvis aliud? Jugulat ipsum, postea excoriat, exin dilaniat, & apposítum igni manducat. Et universim Omnia ipsius animalia domestica, quam accipiendi rationem experiuntur ab ipso, nisi rigores, nisi verbera, & denique ipsam mortem? Et adhuc credit, se ita agendi cum illis summum habere jus, neminemque ex hoc se posse vituperare, eòquod supremus sit ipsorum Dominus, ipsaque suo deputata servitio. An igitur finis tam nobilis sit servire homini, ut ad illum attingendum, necesse sit innocua hæc animantia subire leges tam duras, tam crudeles, tamque sævas?

O De-

Nos meremur durius à Deo accipi

O DEUS! si consideremus, non ita verum esse, quod omnes creaturæ factæ sint pro nobis, sicut verum est, quod nos creati simus pro Deo solo; si consideremus, nostrum finem ultimũ, pro quo accepimus esse, & ad quem aspiramus, tantò nobiliorem esse fine omnium aliarum creaturum; quan ò nobilior est DEUS homine, hoc est, infinita ratione: Nonne paratos nos esse oporteret subire leges, ad finem hunc tam desiderabilem assequendum, infinitâ ratione severiores illis, quas omnes aliæ creaturæ subire coguntur, ut obtineant finem, pro quo creatæ sunt? Et si tandem consideremus, hominem esse animal magis indomitum, & Cor ipsius iniquitatis esse abyssum, quod solum plus includat malitiæ, quàm omnia simul Cœtera animantia, eò, quod hæc nec unicum peccatum committere possint, homo autem horum committat non unam, sed plures centurias: An conquerendi haberemus ansam, quando DEUS, qui Voluntatum nostrarum cognoscit pravitatem, nobis imposuisset leges severissimas & rigorosissimas, ad continendum nos in nostro officio?

Deus potuisset nobis condere leges severissimas

Nonne inijcere nostro posset collo catenas æreas ad illigandos nos, velut feras indomitas, nosque gubernandos in virgâ ferreâ: Volo dicere? Nonne potuisset nobis dare leges serverissimas, nosque obligare ad illas servandas, sub pœnâ, nunquam assequendi possessionem nostri finis ultimi, præcipuè postquam toti peccato sumus immersi, nobisque dicere: Volo ut totam vestram transigatis vitam in austeritate maximâ; volo, ut dapes vestræ non sint, nisi panis & aqua, ut nonnisi super nudam cubetis terram, vel super saxa & petras: Volo, ut nonnisi aculeata & horrentia setis induamini indusia, vel loricas ferreas rubigine prorsus obductas; Mando vobis, ut indies vestrum è Venis eliciatis sanguinem per flagellorum ictus sævissimos; ut incessanter Vestrum per vestros oculos vi lachrymarum distilletis cerebrum; Tolo denique ut asperrimis vitæ austeræ rigoribus vestros consumatis dies: alias nunquam obtinebitis, pro quo creavi vos, scilicet possessionem infiniti boni, sed peribitis in omnem æternitatem. Et postquam statuisset nobis legem adeò severam, nonne semper attollere posset manus ad castigandos nos immisericorditer, ubi primum ejusdem neglexeramus observantiam?

Nemo posset De hoc conqueri.

Quando hâc ratione accepisset nos, quæro: Quis meritò de iis conqueri, crea-

creaturas nobis subiectas, & vituperari ex eo nolumus eò quod dominium in illas habeamus. Sed an major in illas nobis est potestas, quàm DEO existas in nos? Verùm relinquamus potestatem hanc. Nonne finis ultimus, ad quem aspiramus, quemque attingere speramus qui est æterna infiniti boni possessio, meretur ut portaremus onus legis quadruplicata vice adhuc severioris, perseverantes constanter in ea centenis & millenis annis, si voluisset DEUS, ut nonnisi his conditionibús obtineremus illum? sed seponamus etiam ultimi hujus finis considerationem. Nonne peccata, quæ commisimus, & committimus adhuc indies, mererentur tam severam accipiendi rationem, cum digna omninò essent æternis inferni pœnis? Omninò igitur certum est, potuisse DEum exercere supremum dominium, quod habet in nos, imponendo nobis legem rigorosam & rigorosissimam, si voluisset, & nemo habuisset ansi conquerendi de eo.

Excessus dulcoris & bonitatis DEI erga nos.

Et nihilominus, O Bonitas infinita! O abundantia dulcoris & misericordiæ! non afficitur erga nos, nisi tenerrimo & intimo amoris paterni ergà filios affectu. Pro catenâ ferrea, quam liberi nostri arbitrii promeruissent rebelliones, nobis non iniicit nisi catenam auream: pro lege Omninò sanguinea, rigorosa & severa, qua nostra castigari debuisset insolentia, nonnisi suavissimam dat nobis legem, legem amoris. O homo cunctis meis beneficiis ingrate, cunctis meis refractarie voluntatibus! post omnes, quibus affeciſti me, injurias, quæ justissimam meam adversùm te accendere deberent iracundiam; post cuncta tua scelera, quæ millies promeruissent infernum, revertere ad me, Solummodò ama me ex toto Corde tuo, & contentus sum. Ah itane! mi DEUS, ita ulcisceris nostrarum rebellionum insolentiam? Estne ergò hæc tota honoris tui per me læsi, quam exigis à me, reparatio? Estne ergò denique hæc tota lex, quam ad satisfaciendum justitiæ tuæ imponis mihi pro omnibus peccatis meis, ut æternam tui promerear possessionem? modò amem te, contentus es, satisfactum est tibi, meque à cunctis debitis meis dimittis liberum; & quasi tu mihi debitor esses, ex eo, quod amem te, remunerationem mihi promittis æternam!

Itane Deus amoris, bonitas infinita! Ad quem excessum te rapit tuus ergà nos amor? Eheu! si famulatus fuissem tibi tota fidelitate alicujus Angeli è Cœlo, integri decursu sæculi, dare mihi non posses remunerationem magis liberalem, magis pretiosam, magis honorificam, quàm eundem, quem à me petis, amorẽ, pro omni

omni reparatione, postquam toties offendi te! modò te amem, contentus es; & quid aliud contentare memetipsum posset amplius? quæ major felicitas, quæ major dignitas accrescere mihi posset, quàm intimum tuum agere amicum? Ah! Pater cœlestis, verè Pater, quàm indignus est, tuus esse filius, qui abnuit amare te? O Pater misericordiæ, vere amoris & bonitatis fons ergà nos miseros, quando prodigus tuus reversus est ad te, postquam dissiparat totam substantiam suam, teque summa affecerat injuria; tuum ipsi aperis brachium, cordicitus amplecteris illum, proprium tuum cor præparas, & exhibes ipsi diversorium, reples ipsum bonis, & millenis blanditiis lenocinaris illi, abs eo, quod vel unico verbulo præteritos ipsi exprobres errores: *Sic amor vindicat?* S. Chrysol. siccine exerces supremum, quod in me habes, dominium? Ah! Domine! Quantum cordis mei gaudium, Monarcham habere tum bonum, Principem summum ac Dominum adeò benignum, & dependere ab eo in æternum? Regna Deus omnipotens, regna Deus bonitatis, regna Deus amoris, regna absolutè super totum memetipsum, in cuncta sæculorum sæcula. Amen.

CONSULTATIO XXVII.

De Zelo Dei ergà animas nostras.

Difficulter audimus abiectè loquentem de Deo.

QUamvis non semper satis alta sentiamus de Deo, nihilominus pati non possumus, si non fiat sermo de ipso, iis verbis, quæ magnã erga ipsum insinuent reverentiam. Quando dicitur Deum esse zelotypum, ipsum exercere vindictam, ipsum dolere, pœnitere, & ejusmodi, experimur semper aliquam repugnantiam; mallemus dici nobis, quod regnet suprema cum potestate, quod sit magnificus, quod adoretur ab Angelis. Hic est instinctus nobis tam naturalis, sicut sensus & affectus de ipsamet divinitate. Libenter magnificè audimus loqui de excellentiis Dei.

Illustris quædam Domina magnæ prosapiæ, sed non minoris pietatis, qua reddebatur famelica manducandi sæpius panem Verbi divini (quod in aliqua anima bonum prædestinationis est signum) vocabat Ec-

clesiasten quendam ad declamandum idipsum Dei verbum in villâ suâ, ubi tunc morabatur. Fungitur is tam præclarè munere suo, ut fuerit nemo, qui non plurimum exin fuerit ædificatus: Nonnisi hæc Domina fuerat, quam fastidio ac mœrore affecit concio; Eòquod Ecclesiastes explanans illum textum Exodi: *Ego sum Deus Zelotes*, valde exaggeraverat zelotypiam, quâ afficiatur Deus ergà animas nostras, â quibus Is unicè velit amari; & luculenter probaverat obligationem, quam habemus tam fideliter conservandi ipsi possessionem totius cordis nostri, ut divinæ huic satisfaciamus zelotypiæ; quodque aliàs nihil aliud exspectandum nobis sit ab ipso, nisi iisdem excipi molestiis, incommodis, suppliciis, quæ zelotypiam solent comitari.

Exod. 20.

Quid contigerit prædicatori concionanti Deum esse Zelotypum.

Doctrina hæc, quantumvis optima, offenderat animum hujus fœminæ, non solùm, quia videbatur ipsi, hoc esse abjectè nimis loqui de Deo, atrocemque ipsi fieri injuriam, si dicatur, illum esse zelotypum. Sed præcipuè offensam se sensit, eòquod, licet fuerit valdè prudens, eventu sinistro fuerat nacta conjungem haud leviter zelotypum, quem, cum secum Concioni is fuerit præsens, non malè ominabatur, fore inde tracturum, quæ suo servirent commodo, vel ut melius loquar, recepturum inde suum potius incommodum, ad confirmandum se in vitio suo, & credendum fortassis, ipsum esse virtutem, & bonum opus, quod exerceri valeat ad imitandum Deum, qui seipsum demonstravit zelotypum. Nec fefellit ipsam opinio: nam vix extra Ecclesiam constitutæ declaravit inusitatam voluptatem & satisfactionem, quam hauserat è concione, sed præcipuè extollebat præclaram hanc zelotypiam Dei, quæ sibi tam jucunda, accepta & amabilis fuerat visa, ut statueret deinceps præcipuâ ipsam prosequi devotione.

Sed, Domine, respondit illi fœmina, an tolerare potes proferri sermonem de Deo, modo tam abjecto, tamque indigno excellentiâ ipsius? dicere nobis, quod ipse sit zelotypus, nonne est nobis dicere, ipsum esse miserabilem? An unquam fuit zelotypus, qui non propriam suam torturam portaverit in semetipso? Zelotypia, quæ est vituperabilis defectus in homine vix mediocriter prudente, an adoranda erit perfectio in Deo? An bonum argumentum sit, quo inducamur ad amandum Deum ex

ex toto corde nostro, si dicatur, ipsum esse zelotypum? Me quod attinet, persuadebo mihi potius oppositum, quod zelotypus non sit, dum ipsum ex toto corde amare voluero: Si enim nossem, quod zelotypus esset ergà me, nescio, quomodò resolvere me possem, ut amarem ipsum: aspicerem hoc velut incommodum, quo reddere infelix, utpote coacta nunquam non vivere in torturâ, quam afferret metus, ne fortè è re minimâ adduceretur in suspicionem.

Effata est hæc omnia gestu & vocis tono valde concitato, quo suo demonstrabat conjugi, devotionem ipsius ergà zelotypiam Dei sibi haud placere; cumque declaraverit ipsi, vix amare se posse Deum ipsum, si foret zelotypus, judicabat is benè, medium haud congruum esse, ad comparandum affectum cordis ipsius, tantam ergà zelotypiam ostendere propensionem. Volebat is defendere se verbis quibusdam acerbis & asperis, quæ haud dubiè in utriusque animo haud levem concilîssent amaritudinem, dum superveniens è vestigio concionator ipsos composuit, dissipans istas, quas præter opinionem, in ipsorum mentibus excitaverat, nubes, loquendo ipsis de zelotypiâ Dei. Pacificavit omnia, explanans ipsis, in quo consistat, insuper declarans, nullis defectibus ipsam esse obnoxiam, quibus zelotypia deformatur & inseparabiliter sociatur humana, plausibilibus & luculentis argumentis demonstrans, nihil esse, quod efficacius & vehementius urgeat animam, devovendi totum cor suum Deo, quàm considerare magnum zelum ac incensum studium, quo afficitur ergà se, & desiderium ardens, quo suam ambit amicitiam. Circa quod argumentum proposuit ipsius veritates tam solidas, tam sublimes, tam manifestas, ut audiendo loquentem ipsum, fatigari non possent, tanta ex in perfundebantur voluptate. Ecce igitur, quomodò loqui ceperit ipsis.

ARGUMENTUM.

1. *Quare scriptura loquatur quandoque de Deo verbis, quæ indigna videantur Majestate ipsius.* 2. *Quomodò intelligendum sit, Deum Zelotypum esse erga animas nostras.* 3. *Quod divina hæc zelotypia ingentem nostram constituat felicitatem.*

ARTICULUS I.

VErbum hoc, zelotypia Dei, videbatur tibi parum conveniens, eòquod defectum potius significet, quàm perfectionem juxta nostrum concipiendi modum; sed hoc idioma est Spiritus sancti, qui uti voluit in sacro volumine, tot aliis verbis, quæ videntur æquè aut magis indigna magnitudine Dei. Quando refertur in Genesi, quod Deus *tactus dolore cordis intrinsecus*, dicat; *pœnitet me fecisse hominem*; Quando Isaias Prophetarum eloquentissimus affirmat, in nomine Dei, sic loquens: *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis*; & quando sapiens in proverbiis dicit, quod Deus rideat in morte peccatoris, qui se irriserat tempore vitæ suæ: *Ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo*. Fateor hos omnes loquendi modos de Deo, videri prorsus indignos infinita ipsius majestate, respectu judicii nostri humani.

Gen. 6.

Isai. 1. v. 24.

Prov. 1. v. 26.

Quare sacra scriptura loquens de Deo, utaturquandoque verbis, quæ indigna videntur.

Sed Spiritus sanctus consultò inseruit illa sacræ scripturæ duas ob rationes. Prima est, ut se accommodaret imbecillitati hominum, qui nonnisi imperfectissimè loqui nôrunt de Deo: Sicut Pater videns filiolum suum nondum posse formare verba, tolerat, ut loquatur sibi balbutiendo, & impropriis utendo verbis; seipsum quandoque demittit ad balbutiendum cum illo, & imitandum ipsius idioma, ut voluptate ipsum afficiat, monstrandumque illi, quod ipsum intelligat. Hoc præstigium paterni amoris est, dum Patrem cum infante fieri facit infantem. Sic Deus loquitur more nostro, eòquod nos loqui non possimus more ipsius. Si nobis inhibitum foret loqui de Deo nonnisi Verbis utendo proportionatis & accommodatis magnitudini Majestatis suæ, perpetuum nobis servandum foret silentium; Nam quis dignè de Deo loqui, aut quis perfectè adorandas ipsius magnitudines exprimere verbo potest, nisi ipse solus?

Secun-

Secunda ratio, quam desumo ex sancto Augustino, est. Quando Spiritus sanctus uti voluit his verbis, quæ indigna nobis videntur Majestate Dei; hoc ideò fit, ut ostendatur nobis, quod omnia alia verba, quæ judicaremus magis honorifica, non magis sint congrua, quàm contemptibiliora ad exprimendas verè excellentias Dei: *His etiam verbis uti voluit, quæ apud homines in vitio esse solent, ut admonerentur, etiam illa, quæ cum aliqua dignitate Dei se putant homines dicere, indigna esse illius Majestate.* Quacumque ratione loqui possumus de Deo, hoc semper indignè est loqui; & dicere quoque audeo, loqui nos falsè de ipso, si prætendimus expressisse ad amussim id, quod est verum de ipso, & in ipso, quibuscunque utamur verbis splendidissimis & magnificentissimis, eòquod nostra verba exprimere non possint, nisi conceptus nostros, nosque nunquam concipiamus Deum, si ut est in seipso: aliàs oportet conceptus nostros esse infinito, sicut est ille Dei Patris, sicque essemus, sicut ipse, Deus.

S. Aug. in man, c. 1.

Non semper res accipiendæ sunt secundum litteram.

Non inhærendum est semper litteræ, quæ occidit. Quando dicimus, Deum esse zelotypum versùs animam, quam amat, hæc propositio (licet contineatur in scriptura) esset falsissima & oppositа intentioni Spiritûs sancti, si concipiamus per hoc aliquod zelotypiæ genus in Deo, qualis est in hominibus, cum inquietudine, diffidentia, mœrore, furore, & aliis incommodis, quæ inseparabilia sunt ab hoc affectu, quando vehementer radicatus est in aliquo animo. Zelotypia Dei est pura & tranquilla, absque passione, absque impetu; siquidem ipsa non consistit, nisi in voluntate recta, pacifica, invariabili, & omnipotenti, per quam vult unicè amari ab anima, quam eo nomine creavit ut nullius nisi sua esset; & hæc voluntas, cum includat decretum quoddam æternum, ulciscendi se severissimè de injuria sibi facta ab anima infideli, quæ abjectè prostituit cor suum potius aliis, quàm sibi, nobis reddit Zelotypiam Dei amabilissimam & formidabilissimam: amabilissimam, eòquod nos amet; formidabilissimam, eòquod nobis præparet pœnas, æternas, nisi reciprocè amemus ipsum.

O Deus! Quantum animæ gaudium, nôsse, quod mereatur amari à Deo, quodque Deus ipse sibi conferat hoc meritum

Gaudium animæ, ex eo quòd ametur à Deo usque ad zelotypiam.

ritum eo fine, ut amet ipsum! sed quanta ipsi gloria, dum videt, amari se â Deo usque ad zelotypiam, qua non tolerat, neque vult possideri ipsam ab alio quàm â se, quasi nullum alium amatorem, nisi se solùm ipsa judicaret dignum! An igitur verum est, anima mea, te tantô condecorari honore? An verum est, te tantâ frui felicitate, ut ameris â Deo usque ad divinam zelotypiam, quæ tolerare non potest, te ab alio, quàm â se solo possideri? An probè id nosti? An benè id comprehendis! An benè penetras admirabilem hanc veritatem, quæ tam certa est, ac Deus ipse? O si illam semel bene insculpsisses animo! O si benè ipsam penetrares, an oculos, an cor, an ullum affectum haberes ergà quidquam aliud, quàm ergà infinitam hanc Majestatem, quæ tam zelotypè tuam amat pulchritudinem? Nonne diceres omnibus creaturis, quæ auderent se tibi exhibere ad deliniendum te blanditiis, quod sancta Agnes dicebat omnibus pulchritudinis suæ captis amore: *Discede â me pabulum mortis, quia jam ab alio Amatore præventa sum.* Apage hinc infelix lethi spolium, Amator immortalis jam longo me possidet tempore, & solus possidebit me in æternum.

Quomodo Deus tractet animam, ergà quam est zelotypus.

Dum Ecclesiastes proferebat verba hæc magno cum animi fervore, maritus, qui jam-jam conceperat (dum audiebat ipsum è pulpito dicentem) æstimationem quandam zelotypiæ Dei, quamvis modo quodam inordinato & præpostero, experiri incepit alios in corde suo motus & affectus, quibus rapiebatur tum ad amandam, tum ad metuendam hanc Dei zelotypiam ergà animam suam; & quasi pati didicisset id, quod pati fecerat & docuerat alium, interrogavit ipsum: Mi Pater, quâ ratione zelotypia Dei plerumque accipit animam, agitque cum eâ, ergà quam is est zelotypus? Amat ipsam, inquit illi, fortiori & ardentiori abs comparatione amore, quàm omnes mundi homines simul amare possent. Verum quidem est, perfectum hunc amorem non conciliare ipsi aliquem ex affectibus illis inordinatis, qui ex ipsorum proficiscuntur zelotypiâ; Et nihilominus producit effectus non solum similes, sed multô fortiores & ampliores, qui se latius extendant, quàm zelotypia humana extendat suos. Nam quia ipse unicè vult amari ab hâc animâ, separat ipsam & avellit absque ullâ commiseratione & misericor-

ricordiâ ab omni eo, quod non est ipse. Non est contentus dimisisse ipsam omnia peccata, usque ad minima & levissima; sed vult ipsam contemnere quoque mundum, generoso despicatu vanitatum ejus; vult ipsam deserere omnia bona caduca, perfectâ avulsione cordis sui ab illis; vult ipsam perpetuum facere divortium cum inanibus sæculi honoribus, fortunæ facultatibus, fallacibus carnis illecebris ac blandimentis; unico verbo, ab omni eo, quod vel minimùm partiri posset cor suum, eòquod velut zelotypus habere id velit totum integrum.

Hinc est, quod apparente hac severitate tractet pleroſque bonos, qui infelices ac miseri videnturiis, qui naturali ratione suum circa hoc tulerint judicium. Siquidem privat illos consolationibus, & affligit eos adversitatibus; exspoliat illos bonis temporalibus, & aggravat ipsos paupertate; avellit ipsos ab honoribus, & annihilat illos contemptu; exuit ipsos amicis, in quibus confidebant, & omni mundano auxilio, & sæpius redigit ipsos ad incitas & extremam miseriam, ita ut non habeant, ad quem recurrant, nisi ipsum solum. Ut quid hoc? Quia zelotypè amat animas ipsorum: nunquam contentus erit, & nunquam relinquet eos in pace, quoad unicè ipsi adhæreant absque exceptione. Ad satisfaciendum plenè divinæ huic zelotypiæ, oportet animam esse solitariam, non distineri nec occupari creaturis, non omni ex parte dissipare cogitationes & affectus suos; sed solo debet delectari Deo, sicut & ille suas cum ipsa capit delicias. Oportet unico verbo, illam verè dicere posse, quod sponsa in sacro Epithalamio: *Dilectus meus mihi* Cant. 2. *& Ego illi*: sibique cavere, ne minimam illi præbeat suspicionis ansam, quia zelotypus est.

Videtur tibi, ingens hoc esse tormentum animæ, ac proinde zelotypiam Dei crudeliorem esse illa hominum. Sed videtur nonnisi iis, qui nondum experti sunt, quod anima lucro centuplici inveniat in Deo, quod deserere debebat ad satisfaciendum zelotypiæ Dei: Centes plura bona, centies plures honores, centies plures solidas consolationes, sicut premisit in Evangelio: *Centies tantum, nunc in tempore* Marc. 10. 7. *hoc.* Et quidquid faciat, nunquam cordis sui implebuntur perfectè desideria, nec contentabitur, quoad illuc pervenerit; & nunquam poterit credere, quantum ipso opere, fuerit experta. Zelotypia Dei nobis est utilis. 30.

San-

Deus facit omnia pro anima, quam zelotypè amat.

Sanctus Auguſtinus exaratam deſuper reliquit ſententiam omni ſolatio plenam: intelligamus toram ſpem ſalutis noſtræ eſſe zelum Dei. Vult innuere, omnem noſtram fiduciam nobis eſſe collocandam in zelotypia divina, qua exardet & accenditur erga animas noſtras, aſpiciendo ipſam velut fontem & ſcaturiginem bonorum omnium, quibus felices reddamur ac Beati. Quantum enim nobis emolumentum, quod zelotypia Dei haud aliter in noſtram feratur animam, quaſi non amaret extra ſe, niſi ipſam ſolam; videtur non habere nec oculos, nec manus, nec cor, niſi pro ipſa. Oculi illius ſunt pro ipſa: aſpicit enim ipſam velut centrum & ſcopum favorum ſuorum; & quaſi illa eſſet (poſt ſe) finis ultimus omnium operum ſuorum exteriorum; quod induxit ſanctum Thomam, ut diceret, videri hominem eſſe Dei Deum. Manus illius ſunt pro ipſa: nihil enim fecit extra ſemetipſum, niſi pro ipſius obſequio, eòusque, ut ſeipſum collocare voluerit inter opera ſua, factus homo, ut ſe totum ſacrificaret pro ipſa: Cor illius eſt pro ipſa, quia ipſa ſola eſt creatura inferioris hujus mundi, cui impoſuit hoc præceptum magnum amoris, petens ab ea totum ipſius cor, reciproc volens ipſi dare totum ſuum, quod non eſt leve zelotypiæ ſuæ jus ac prætenſio. O nimium felicem noſtram animam, ſi ſuam agnoſceret felicitatem!

Lib. cont. Adim.

D. Thom. in opuſc.

Deus produxit mundum, non ex avaritia, ſed liberalitate.

Quantum prodigium, quod ſufficeret ad rapienda omnium corda hominum; ſi conſideremus, quod Deus non condiderit mundum ex avaritia, locupletaturus ex eo theſauros ſuos, cum non ſit major nec ditior poſt creationem totius univerſi, quàm ſit in æternitate abſque creaturis; ſed quod illum fecerit ex mere liberalitate, ut haberet, cui benè faceret, cum non recipiat quidquam pro omni eo, quod tam abundanter effundit extra ſemetipſum! Et tamen opera ipſius non ſunt inutilia, ſunt nimis pretioſa, nimiſque pulchra, quàm ut nulli ſerviant. Sed cum ipſe in ſtatu non ſit, ut colligat exinde fructus pro ſemetipſo, ob infinitam plenitudinem ſuam, quæ recipere nihil poteſt ab extrinſeco, hinc ſubſtituit pro ſe, & in locum ſuum animam tuam, quæ eſt imago ipſius, facit ipſam velut adminiſtratricem univerſalem ſupra totam hanc magnam naturæ domum, & vult, ut omnia ipſi ſerviant, ipſaque utilitatem trahat ex omnibus, hæcque utilitas ipſi maneat. Ecce tibi gloriam divinæ ſuæ liberalitatis, quæ non niſi in ipſa terminatur

Totum

Anima nostra omnia solvit auro, nempè amore divino, & Deus reciprocè pretioso hoc auro soluvit animã

Totum pretium, quod ab ipsa petitur, exsolvitur auro, id est, amore, exsolvitur charitate; modò enim ipsum ameat, dimittet illam ab omnibus liberam, sed ex incomprehensibili abundantiâ infinitæ Bonitatis suæ, ipsemet se non æstimat à debito immunem, quando amatur. Ex hac solutiõe sibi nimis quàm debita, facit sibi ipsi quoddam debitum, quo se voluntariè obligat ad solvendum. Solve igitur, Domine, aperi thesauros omnipotentiæ tuæ, qui continentur in nihilo, & trahe exin, quod tibi placuerit, ad solvendam illam animam ob eum, quo ergà te fertur, amorem. Non nihil invenit in vastis illis abyssis nihili, nec in tota multitudine rerum conditarum satis pretiosum, ad satisfaciendum illi. Imittit igitur manum in proprium thesaurum suum, & statuit dare seipsum & seipsũ totum integrum solutionem amoris animæ devoventi sibi totum Cor suum. Quid est hoc mi DEUS? Cujus igitur conditionis est anima mea, ut sic accipere ipsam digneris? Nonne ex eodem prodiit nihilo, unde cœteras eduxisti creaturas? Nonne infinito semper intervallo distat à te, quamtumvis creatarum sit rerum nobilissima? Nonne semper verum est, quod, cum prodierit è nihilo, nihil possit & valeat ex seipsa? Quàm stupenda hæc est prærogativa, quod è nihilo, quod fuit, feceris ipsam tam nobilem, tamque magnam, ut omnia ampliſſima nihili spatia, quamvis usque ad fundum omnipotenti manu tuâ rimeris & perscruteris illa, omnia simul suppeditare nihil possint, quod impleat illam, sed neque tota rerum creatarum vel actualium, vel possibilium multitudo sit quidquam ad satiandum illã Illa se sentit capacẽ, illa tenetur desiderio possidendi bonum infinitum; & quamvis sese aspiciat ad januam sui nihili, unde infinitâ ratione distat â te ex conditione sua naturali, eòusque tamen aspirare audet, & infinitus tuus amor incensum tuum studium, divina tua zelotypia perrumpere novit totum infinitæ hujus distantiæ intervallum, ut pertingas ad eam, ipsique dones teipsum, ad implendum illam propria tua gloria, & contentandum perfectè ipsam, imò teipsum, teipsum, mi DEUS, propriam tuam substantiam das illi, ut pretiosa sis ipsius possessio in omnem æternitatem.

Nonne dicatur, ipsam ergò non prodiisse è nihilo more aliarum creaturam, quæ tam ingentis felicitatis sunt incapaces, Sed emanasse ipsam ex essentia tua propria, velut Personam quandam divinam, eòquod nihil mi-

noris ipsi sit Opus, ad ipsam contentandam, quàm idem bonum infinitum, cujus possessio æterna beatas reddit divinas Personas. O Anima seducta Mundi incãtãentis, quòusque te deprimis, dum quidquam minus inquiris, quàm Deum! Nonne magis adhuc Zelotypus esse deberes ergà Deum, si posses, quàm Deus sit Zelotypus ergà te? si ipse formavit te satis perfectam, satisque pulchram ad amandum te usque ad Zelotypiam, an ipse satis perfectus, satis pulcher non sit, ut reciprocè & pari ratione ames ipsum? Non dico amore æquali: Nam tibi hoc est impossibile? sed saltem tantâ cum Zelotypiâ, ut nec unicum cordis tui patiaris atomum, qui non sit illius.

ARGUMENTUM.

1. *Magnum præceptum amoris DEI, quod Deus imponit nobis, est egregius effectus Zelotypiæ, quâ fertur ergà animas nostras.*
2. *Ad quantam perfectionem nos obliget hoc præceptum.*

Articulus II.

Amor non potest permittere Deo, esse semper sterilem extra seipsum,

PRoficeremus multum, si penetrare possemus intelligentiam effati & Oraculi hujus, quod exaratum nobis reliquit divinus Areopagita: Amor non permisit Deum sterilem in seipso manere. Quantam potestatem igitur habet super ipsum amor, ut vel permittat, vel prohibeat ipsi manere sterilem? An superior ergò sit Deo ipso? Non, non est hoc ex imperio, vel aliquâ potestate superioritatis. Sed quando dicitur, quod amor non permittat ipsi, semper manere sterilem, per hoc innuitur, quod ipse sollicitet bonitatem ipsius ad dandum ex abundantiâ sua, ad communicandum se, ad producendum creaturas suas, ad exhibendum ipsis beneficia ex mera liberalitate; Siquidem cum verum sit, quod amor infinitus producatur, sed non producat aliquid intra Deum; si nil produceret ille, cui competit esse principium omnium rerum, videretur naturalem ipsius oppugnare inclinationem, & quandam præferre speciem coactionis, si semper maneret sterilis, quamvis in se contentissimus esset, quia Deus est, & æternaliter requiescit in voluntate DEI, infinita ratione contentus sua sola divinitate.

Nihilominus semper verum est, quod amor non permiserit Deo contentari semetipso, ita ut nil faceret & produceret extra se; sed

sed sollicitavit ipsum, ut divites thesauros suos effunderet super creaturas; ita ut dicere possimus totum hoc universum esse opus amoris, excitantis fœcunditatem ipsius, ad producendum aliquid extra se: & quia plerumque simile producit sibi simile, possumus non dubitanter dicere, quod inter hanc operum, quæ adeò diversa videntur, multitudinem, amor nil aliud prætenderit nisi producere amorem.

Amor divinus creavit hominem, ut produceret amorem divinum.

Creavitâ principio ingens hoc universum, sed nihil ibi videbat, cui facultas esset & capacitas producendi amorem DEI: non erat hîc nisi dispositio quædam & pulcher præparatus hortus ad plantandum in eo arborem, è quâ colligere ipsi mens erat delectabilem hunc fructum omnium Operum suorum. Et hæc arbor est homo, quem propriâ suâ manu hunc in finem creavit, quem anima ditavit spirituali, intellectiva, rationnali, ut capax esset illuminari ipsius cognitione, nobilitando insuper ipsum voluntate libera, & corde ad ipsum amandum idoneo; & quod præcipuum est, locupletãdo ipsum pretioso gratiarum suarum thesauro, quæ velut semina divina, ipsi virtutem conferrent producendi amorem DEI. Postquam hoc opus suum ad ultimam hanc deduxisset perfectionem, illudque coronasset productione animæ immortalis, habentis facultatem ipsum tum cognoscendi, tum amandi in æternum, affirmat nobis sacra scriptura, quod hic quieverit velut in centro suo: requievit ab omni opere; non volens quid ultra facere, nisi colligere in pace fructus amoris, quos solùm quærebat in ingenti hac rerum omnium creatarum machina.

Amor divinus alligat nostram animam catenâ aureâ.

Ita, sacrate amor, Ecce tibi animam immortalem & intellectivam, quæ cognoscere possit excellentias tuas, & Voluntatem liberam, quæ reddere tibi possit amorem pro amore. Amor divinus est ultima mundi perfectio; & modò hunc unicum colligas fructum ex universo opere tuo, contentus es. Sed nonne timendum sit, quod hæc anima, cùm posita sit in medio tot creaturarum sibi velut Reginæ famulantium, ab iis ocupari permittat Cor suum, á quibus rapiatur tibi amor ipsius? Dubio procul hoc posset contingere: & hinc aspectus hujus periculi excitavit Zelotypiam DEI, ipsumque impulit, ut sese nostræ conjungeret & alligaret animæ per catenam hanc auream, per legem amoris, & magnum hoc mandatum, quod præcipit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*

Corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex omnibus viribus tuis. Vult omnia absque exceptione, totum cor, totam animam, omnes vires, unico verbo, totum amorem absque ulla divisione. An unquam sit visa ejusmodo Zelotypia? Apagite igitur vos creaturæ, nihil hic sperandum est vobis, inhibitus hic pro vobis est fructus; DEUS vult totum pro se, absque exceptione: siquidem zelotypè ipse amat hanc animam quod per magnum hoc præceptum evidenter declarat.

Mira sollicitudo zelotypiæ DEI erga animas nostras.

Sed quid opus fuerat, ipsi hoc imponere præceptum? Nonne abundè fuisset satis, si dedisset ipsi, sicut cœteris creaturis propensionem quandam naturalem, qua raptus fuisset versùs ipsum, quasi versùs centrum suum? Nonne suffecisset ipsam scire, quod omnia acceperit a DEO solo, quodque omnia illi debeat, quod infinita ratione sit ipse amabilis, quodque omnia, quæ minora sunt illo, indigna sint se? Nonne satis fuisset facultatem solummodò illi dare aspirandi ad honorem amicitiæ suæ, quæ gloria est maxima, summis plena illecebris, & omnem naturalem transcendens vilitatem & abjectionem? ut quid dare illi præceptum tam manifestum, cum comminatione ignis æterni, nisi amando ipsum juxtà vota sua fuerit fidelis? Quis vidit unquam obligationem tam inusitatam?

Haud mirum, zelotypus amator est animæ nostræ, & magis quàm humana persuadere sibi possit imaginatio. Non sunt prensationes, quibus illam non præveniat: Non sunt blanditiæ, quibus ipsam non demulceat; Non sunt beneficia, quibus ipsam non accumulet; Non est obligatio, nec præceptum, nec vinculũ tam forte, quibus illã non obstringat. Non est contentus unica tantùm vice dedisse ipsi in mandatis, ut amet se unicè; sed repetit ter, quod omnia velit pro se, totum *Cor*, totam *Animam*, & cunctas *Vires*: Aliàs tormenta mox præstò sunt æterna, quæ inevitabilia sunt animæ amare se nolenti. Ubi est animus in mundo, qui zelotypiã diffunderepotuisset latius, vel illam manifestare luculentiùs?

Illustris illa fœmina, quæ longo ingemuerat tempore sub tyrannide zelotypiæ humanæ, ex auditu horum Verborum tota contremuit, cum clarè perspexerit ex illis, Zelotypiam DEI ergà animas nostras, abs comparatione majorem esse. Qua ratione ergò, inquiebat ipsa, Zelotypiæ huic poterit satisfieri, aut sperari nostra salus? Nam quis est in mundo, qui non alium quendam amo-

amorem foveat in Corde, quàm purisſimum & unicum amorem DEI? Quis eſt, qui ſuam non pauliſper diviſerit animam? Ubi inveniatur, qui amet illum reipſâ ex omnibus Viribus ſuis? Crediderat ſemper, ad indulgendum animæ meæ parum quietis, perfectionem hanc eſſe, ad quam DEUS non obliget omnes. Bonum hoc eſſe pro illis, quos vocat DEUS ad ſtudium perfectionis in Monaſteriis; ſed nobis, qui in mundo vivimus, ſufficere in rigore, amare DEUM, ita ut nunquam toleremus peccatum lethale in Conſcientiis noſtris; omnesque Chriſtianos verè quidem obligatos eſſe ad amorem DEI, ſed non ad ſublimem illam amoris DEI perfectionem.

An ſufficiat non habere peccatum mortale ad ſatisfaciendum magno præcepto amoris DEI.

Non, Domina, reſpondit Eccleſiaſtes, magna hæc fraus eſt, quæ gliſcit in Mundo, & enormis cœcitas, quæ invaluit inter Chriſtianos, non conſiderare, quod mandatum DEI obliget æqualiter omnes homines, cujuscunque ſint conditionis, quodque magnum mandatum legis præcipiat illis non ſolùm amorem DEI, ſed illos obliget ad amandum ipſum ex toto Corde ſuo, ex tota anima ſua, ex totis viribus ſuis; & qui dicit totum, nihil excipit; & qui dat mandatum, ad quod implendum eſt obligatio, non ſolummodò dat conſilium, quod permiſſum ſit nobis vel amplecti, vel non amplecti, Creditote non mihi, ſed creditote Sancto Thomæ, qui cenſetur in totâ Eccleſiâ ceu oraculum Theologiæ. D. Thom. 2. 2. q. 184. 3.

Perfectio amoris DEI præcepta eſt omnibus Chriſtianis.

Ipſemet propoſuit hanc quæſtionem: An perfectio Chriſtiana, quæ abs controverſia conſiſtit in amore DEI cadat ſub præceptum, vel duntaxat Conſilium? & reſpondet ipſe propriis hiſce verbis: *Dilectio DEI & Proximi, non cadit ſub præcepto, ſecundùm aliquam menſuram, ita ut, quod eſt plus, ſub Conſilio maneat.* Hoc eſt, quod amor DEI non præcipiatur ex parte, & ex parte ſuadeatur; Lex enim nõ dicit; ſi vis obedire mandato, Diliges DEUM ex parte Cordis tui; & ſi ſervare cupis conſilium perfectionis, diliges eum ex toto Corde tuo. Sed mandatum expreſſis verbis affirmat, quod obliget indifferenter omnes ad amandum ipſum ex toto corde ſuo, ex totâ animâ ſuâ, ex totis viribus ſuis, hoc eſt, ad amandum ipſum cum totâ perfectione amoris. Hoc eſt primum & maximum mandatum. Ecce tibi primum & maximum mandatum legis DEI; & qui hoc non obſervaverit juxta totam ſuam obligationem, non poteſt ſperare ſalutem.

Obligamur amare DEUM ſicut Beati in cœlo.

Et hoc tam verum eſt, ut doctrina

trina sit sancti Thomæ, qui loco citato apponit hæc Verba valde stupenda: *Perfectio divinæ dilectionis universaliter cadit sub præcepto, ita quod etiam perfectio Patriæ non excludatur.* Quod perfectio amoris DEI nobis præcipiatur universaliter, & juxta totam suam latitudinem, eòusque, ut magnum hoc præceptum includat etiam sublimem illam perfectionem amoris, quo amatur à Beatis, qui sunt in cœlo. Sed hoc nonne dicatur jure meritissimo? siquidem aliud nos haud facimus, nisi quod in terra incipiamus observantiam ejusdem præcepti, quod continuabimus æternaliter in cœlis, amando ipsum ex toto Corde nostro: Unde etiam verum est, hand possessuros nos unquam sublimiorem gradum amoris DEI in cœlis, quàm fuerit ille, quem possedimus in terris. Et hoc est, quod exstimulare nos deberet, ut indefesse laboraremus, ad acquirenda nova pretiosissimi hujus thesauri lucra, omnibus momentis vitæ nostræ, eòquod post hæc, nec minimum quid amplius acquirere ex eis poterimus inomnem æternitatem.

Dum exponebatis graves & ponderosas has veritates, personæ quædam, quæ congregaverat se circa ipsum, ad audienda illius dogmata, manebant exin ita attonitæ, ac si fuisset doctrina aliqua nova & huc usque inaudita, quamvis tam clarè & manifestè doceatur in Evangelio; & quia melius jam cognoscebant magnitudinem obligationis suæ, vim ac robur magni præcepti amoris, incredibilem Zelotypiam DEI ergà animas nostras, quæ nunquam bene consideraverant, aspiciebant se invicem prorsus confusæ, & summissa omninò voce dicebant: Quid igitur faciemus nos? Eheu! Quàm longè absumus à regno DEI? Nam quis est, qui in rigore satisfaciat obligationi magni hujus præcepti, quod omnes nos obstringit ad perfectionem amoris DEI? Hoc præceptum est, ne dubites de eo, sed necdubitare potes; & scimus, necessariò nobis observanda esse præcepta DEI, ut salvemur.

An sufficiat amare Deum ex tota præappretiatione cordis sui

Quidam ex iis, qui altùm se sapere credebat in theologia morali, alta dicebat voce: Me quod attinet, non terreor percipiens ista! legi namque in Auctoribus valde bonis, quod præceptum DEI nos non obliget ad collocandam totam immensitatem amoris DEI in corda nostra; aliás præciperet nobis impossibile: Hoc enim est, ac si quis alicui diceret: Volo, ut omnem maris aquam mihi includas in nucis putamine. Sufficit, ut ex eo pona-

ponamus in cor nostrum, quod poterit continere. Adhæc edoctus sum, quod necessarium non sit dare totam latitudinem nostri cordis amori DEI, ita ut nihil unquam alterius, quàm amoris DEI illuc collocemus. Nunquid enim absque crimine amare possumus nostros Parentes, nostra bona, nostros amicos, nostram sanitatem, nostram famam, & tantas res alias? sufficit ergò amare Deum ex totâ præappretiatione cordis nostri, ita ut nihil amoris habeamus, nec contrarii, nec majoris, nec æqualis amori DEI. Et hæc est etiam doctrina sancti Thomæ, qui dicit, quod observantia magni præcepti charitatis plures habeat gradus, quodque ultimus sufficiat in rigore, ut salvi fiamus:

D. Thom. supra ad 2. *Est autem infimus dilectionis gradus ut nihil supra eum, aut contra eum, aut æqualiter ei diligatur.*

Quid sit amare Deum ex totâ præappretiatione cordis sui.

Assentior, respondit ad hoc Ecclesiastes; Benè novi, quod sufficiat in rigore ad explendam obligationem præcepti, dare totam præappretiationem Deo in corde suo; sed tamen oportet verè & reipsâ ita esse, ut nihil sit amoris in Corde nostro, qui emineat, qui contrarietur, qui æqualis sit amori DEI; aliàs omninò versamur extra viam salutis. Sed ut sciamus, an reverà simus in hoc statu, non attendendum est, nec ad cogitationes, nec ad Verba nostra. Ut videamus, an verum sit, quod præexistimemus & præferamus Deum omnibus, consideremus benè, quid contingat, quando est subordinatio quædam in rebus. Philosophi infallibilem hanc dant regulam, quam etiam experientia nobis reddit manifestam: Quod est supremum infimi, non est infimum supremi. Quando duæ res sunt subordinatæ, altissimus gradus inferioris, non pertingit usque ad infimum gradum superioris: Exempli gratia: est subordinatio quædam inter statuam & ipsius stylobatam, uti vocant, sive basim: altissimum fastigium stylobatæ est semper inferius planta pedum statuæ. Tu fateris obligatos nos esse ad dandam totam præexistimationem Deo, super omne id, quod Deus non est, oportet ergò talem, tamque absolutam subordinationem esse in nostro amore, inter Deum & omne id, quod Deus non est, ut altissimus gradus inferioris, hoc est, id, quodmagis spectabile est in creaturis, maneat depressum, abjectum, post positum rei minimæ, quæ respicit Deum; sicut esse præferre unicum exercitium Religionis, vel unicum actum amoris DEI, occupationi alicujus imperii. Sed an faciamus hoc?

Esse

Pauci amant Deum amore præappretiationis.

Esse tam ardentem, tanto accensum studio, totumque ignem in rebus mundi; esse tam tædiosum, ignarum & negligentem in exercitiis virtutum; Est ne hoc dare totam præexistimationem DEO in Corde suo? Collocare omne suum tempus, omnem suum laborem acquirendis bonis terræ, abs eo, quod unquam afficiatur quis tædio in hoc studio, modò parva aliqua spes cujusdam lucri affulgeat ibi, & non posse persistere unic horâquietè cum DEO in oratione, quin mox afficiatur nauseâ & moriatur fastidio: Et hoc sit omnem tribuere præappretiationem amori DEI? Insatiabili cupiditate sectari voluptates carnis, ludos, animi relaxationes, conversationem cum amicis; tam anxiè inhiare iis omnibus, quæ illorum vel nostris inserviunt comodis, ut excurratur usq; ad mundi limites, nulli parcatur labori, exponantur omnia, propria etiam vita; sed pietatis aspicere exercitia, velut oneroſam quandam obligationem, quæ non expediatur nisi cum repugnantia; negligere commoda & utilitates DEI, eò usque, ut dicatur: Ejusmodi nihil ad me, talia non mei sunt fori, faciant illi, quorum interest: Estne hoc, quod nuncupamus præexistimare & præferre DEUM omnibus in Corde suo? Nunquam non occupatum habere animum cogitationibus mundi, & Deũ oblivisci diebus integris, nunquam vel quasi nunquã Deo de miscere sermonẽ, sed tẽper de millenis crepundiis, nugis, titivilitiis, eòquod nõnisi ex abũdantia Cordis sui os & lingua loquatur: An hoc verè sit amare Deũ præferẽdo & pluris æstimãdo illum omni eo, quod DEus non est? Nonne hoc est Seipsum spontè excœcare, consulto semet decipere, nobis persuadere, quod amemus DEUM ex toto Corde nostro, ex tota anima nostra, ex totis viribus nostris, sicut in lege sua id præcipit, quodque plenè divinam contentemus Zelotypiam, qua exardescit ergà animas nostras, à quibus vult unicè amari, dum videmus, ipsum tam procul abesse à Corde nostro, ut curarũ nostrarum ipse sit ultima, & cogitationum nostrarum minima.

Cœcitas. Mundi putantis amare se Deum, quando non offendit illum.

Et nihilominus mundus ita vivit absque ullo scrupulo, & abs eo, quod vel semel cogitet, se quidquam facere contra maximum præceptum amoris DEI, dummodò quis non sentiat, peccatum lethale se circumferre in Conscientia sua: quasi ingens hæc Dei oblivio socors hæc negligẽtia, fũesta hæc insensibilitas & duritia ergà Deũ infinita ratiõe bonũ, quem amare obligati sumus ex toto Corde nostro, non esset valdè magnum peccatum. Sed error universalis plerisque sua persuasit

sit hominibus, totum consistere in eo, si evitentur peccata graviora, quodque sufficiat, non offendere ipsum; quasi mandatum legis suæ præciperet: Non offendes Dominum Deum tuum; pro eo, quod expressè dicat: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Quis unquam dixit, quod neminem offendere & amare sit idem? An igitur miserabilis usus, vel potius abusus vitæ purè naturalis & sensibus omninò immersæ, cui assueti sumus, nobis amplius non permittat concipere duntaxat idæam sublimis hujus præexistimationis, infinitæ hujus appretiationis majoris, quâ præferendus est nobis Deus in corde nostro, & in amore nostro, omni eo, quod Deus non est? quodque pro eo, quod contendere deberemus ad accendendum nos divino ipsius amore, velut seraphinos in cœlo, ita præcipiente divinâ ipsius lege, & urgentibus meritis ipsius, collimemus quasi omnes duntaxat eò, ne ipsum offendamus, nosque in singulas interrogemus horas, absque intermissione: Quid mali est in hoc? Nonne facere id possum, quia peccatum non est? O Deus amoris! An ita æstimaris? Quasi tyrannus, quem offendere non audeamus, quia formidamus ipsius incurrere odium; & non velut Pater, quem debeamus prosequi amore, & cuncta ipsi impendere obsequia. O zelotype amator animarum nostrarum, an infideli suâ socordiâ, & affectu prorsus indigno, quo feruntur ergà te, satisfacient tibi?

Non erat vel unicus è totâ societate, qui compunctus non fuerit, percipiendo tam evidentes veritates, quasque melius proprio suo cognoscerent experimento, quàm ex verbis concionatoris; fateri enim cogebantur: Verum est, quod ita vivatur in mundo, & talia non considerentur; Neminem nostrum æstimaremus amicum, si ageret nobiscum, sicut agimus cum Deo. Sed capere non poterant, quare Deus infinitæ Majestatis, magis antecellens nos, quàm antecellant atomum cœli, eo usque demittat se, ut nostram prenset amicitiam, quasi indigeret hac, & vivere non posset felix nec beatus absque illa; Et quare animas nostras tanto habeat in pretio, ut zelotypiam tenus adamet ipsas. Et desuper proposuerunt ipsi plures interrogationes curiositate plenas, quibus respondit, uti intelligetis.

ARGUMENTUM.

1. *Quare Deus tantâ afficiatur Zelotypia ergà animas nostras?*

2. *An suo vel nostro emolumento adeò desideret unicè â nobis amari?*

Articulus III.

Quantum prodigium quòd Deus nostram quærat amicitiam.

REs sanè admodùm stupenda foret, si Monarcha quispiam aucuparetur gratiam alicujus famuli, ipsumque demereri studeret officiis, accumularet beneficiis, ac millenis blanditiis in illius sese insinuaret benevolentiam, abs eo, quod ipsius posset lucrari cor, acquirere affectum. Sed magis adhuc stupendum, videre, quod Deus currat post nos, tanto cum ardore sollicitet nos, tantâ cum assiduitate, tantâ cum sollicitudine interpellet nos, ut intimam cum ipso ineamus amicitiam, & tamen obtinere â nobis id non possit. Insinuat nobis hoc desiderium suum tam ardens inescantibus hisce verbis: *Fili, præbe mihi cor tuum.* Fili mi, creatura mea, charum opus manum mearum, aspice in me, ama me creatorem tuum, qui tanto ardore amat te; ne abnuas mihi cor tuum, quod dedi tibi, cum tibi cor meum dem, quod non dedisti mihi: tuam magis anhelo amicitiam, quàm omnia quæ sunt in mundo, & omnia, quæ feci extra me, quæque tibi ceu magnificum impertitus sum munus, non fuerunt, nisi ut id obtinerem â te.

Prov. 23.

Itane omnipotens creator mundi mihi sic loqueris? Itane tu ipse, Majestatis infinitæ Deus, me requiris, expostula â me cor meum; Tu â me, magnitudo immensa, qui nonnisi miserabilis sum pulviculus, & atomus vilissimus coram oculis tuis: Eheu! video, Magnates hujus mundi, junctam servare cum dignitate gravitatem, quâ arcent â congressu suo accedere volentes, inanium cultorum & adoratorum sibi in naturâ æqualium stipati multitudine; & pro eo, ut è suis descendant soliis comiter accepturi, & benevolè amplexaturi illos, efflagitari volunt, ut suos tantummodò ignentur super ipsos dimittere oculos, benigno eos beaturi intuitu, solaturi aspectu. Et Tu magne mundi Monarcha, tu ipsum te quasi reddis supplicem, tu aucuparis & obsequiis demulces creaturas tuas; Tu quasi ad ipsorum pedes prostra us jaces, si ita loqui licet, ad expostulandum ipsarum

rum favores, benevolentiam & amicitiam. Tu precaris, tu præcipis, tu promittis, tu minaris, tu omnia experiris, ut flectas & lucreris cor ipsarum. Nonne dicatur meritò, tuam in hoc consistere felicitatem, ut intimam cum illis statuas & ineas amicitiam? O Deus amoris! Quàm ineffabilis abundantia incomprehensibilis bonitatis tuæ!

Stupendum prodigium bonitatis Dei erga nos. S. Aug. Lib. 1, conf. c. 5.

Exclamandum hîc est summâ cum admiratione, cum sancto Augustino: *Quid tibi Ego sum, Domine, ut amari tu jubeas à me, & nisi fecerim, minaris ingentes miserias?* Parvane est miseria, si non amem te? Quis ergò sum ego mi Deus? In quantâ coram oculis tuis æstimatione? ut non solùm permittas me amare te, quod magno nimiùm mihi fuisset honori, quo aspirare non fuissem ausus unquam, sed mandes id mihi tam seriò, maximumque ex eo constituas mandatorum tuorum? ultra adhuc rem urges: promittis enim mihi regnum & coronas æternas, si amem te, quasi te plurimùm obstrinxissem amando te; & non contentus spe exstimulare me, urges & compellis me quoque timore, minitaris mihi ignem infernalem, ignem devorantem, quo ardeam in æternum, si ardere jam noluero igne amoris tui sacro. Eheu! nonne punirer nimiùm à meipso, & pœnam sufferrem atrociorem ipso inferno, si ipse met privarem me æstimabili felicitate amandi te ex totâ animâ meâ?

Quare Deus ità desideret ut ipsum amemus.

Hoc non est, quod quæro, interpellat ipsum è societate quispiam: probè novi Deum velle, ut ipsum amemus unicè; sed quæro cur tam ardenter desideret à nostrâ amari animâ; lubens scirem, eccur tanta adhibeat media, tantasque collo ipsius injiciat catenas ad ipsam captivandam. Quid commodi, quid emolumenti, quid lucri reperit in eo, si ametur à nobis? Quid damni, quid detrimenti, si non ametur à cordibus nostris? An exin major est, vel felicior? An minor esset Deus, si totus mundus obliviscetur ejus, vel si ipsemet totus annihilaretur.

Deus nobis dat omnia, & non petit nisi nostrum amorem.

Non videmus certè, respondit Ecclesiastes, ipsum recipere exin aliquid lucri aut commodi, eòquod sufficiat sibi ipsi; & cum possideat omnem essendi infinitudinem, recipere nullam possit augmentationem à creaturis suis. Nihilominus dicendum est, pretiosum aliquod bonum contineri in amore cordis nostri, incognitum tamen nobis, eoquod tam zelotypus sit ille ad possidendum illud totum integrum, ipsoque contentetur, velut fructu unico universi

hujus magni operis, quod produxit extra seipsum : oportet illud magni esse pretii, eòquod id exigat à nobis velut unicam recognitionem & gratitudinis notam, pro omnibus, quibus tam abundanter nos cumulavit, beneficiis. Ipse dedit tibi totum hoc ingens universum pro domo tua, toto præsentis vitæ tuæ tempore ; & non exspectat, ut reddas ipsi alium æqualem mundum in solutionem ; sed desiderat, ut in recognitionem ames ipsum. Ipse decoravit te prærogativis super omnes alias creaturas, tribuens tibi animam immortalem & spiritualem, quæ sola è creaturis ipsius capax est ad possidendum illum in æternum ; At non exspectat à te, ut pro ea similem ipsi reddas ; sed tantùm desiderat, ut hanc impendas ad amandum ipsum. Ipse venit, ad devovendum seipsum totum integrum tuis servitiis, descendens eo nomine è cœlis in terram, se nostra induens humanitate, & prompta sacrificans voluntate propriam vitam suam pro salute tua : posset bene in recognitionem tuam exigere vitam, & hoc æquissimum esset ; sed contentus est, ut hanc ipsius devoveas amori. Hic igitur solus est fructus, quem colligere desiderat ex omnibus immensis bonitatis suæ munificentiis, quas effudit in te, quibus te locupletavit,

Nos ignoramus, quanti valoris ac pretii sit amor animæ nostræ, sed Deus hunc novit optimè, tantique æstimat, ut nullam aliam exquirat solutionem pro eo, quod tibi suos aperuerit thesauros : ama solummodò ipsum ex toto corde tuo, & plenè sibi satisfactum credit, teque ab omnibus debitis dimittet immunem. Hic amor tanti ab ipso æstimatur, non solùm quanti totum hoc universum, quod dedit tibi ad eundem obtinendum ; sed quanti omnes ipsius dolores, quanti omnes ipsius adversitates, quas ad operandam salutem tuam devoravit, quanti pretiosus ipsius sanguis, quanti propria ipsius vita, quam in cruce immolavit pro te : ipse tanta non fecit, tanta non passus est, nisi ut obineret amorem tuum ; & dummodò hunc ipsi dones, ipsumque ames ex toto corde tuo, jam contentus est, nihilque aliud expostulat solutionis. Et nos ingrati æquissimam hanc ipsi abnuimus recognitionem, quam exhibere & solvere possemus tam facilè ? Quanta injustitia fraudare ipsum stipendio tot titulis ipsi debito, quodque tam parvi staret nobis ! Quanta cœcitas, quod sciamus tam purum æstimari à nobis pretium nostri amoris, quem projicimus quasi in omnem eventum, abs eo, quod

Inæstimabile pretium amoris nostri.

quod angamur, quò projiciamus, quemque prodigimus indies, indignis ipsũ impendendo creaturis, quæ non pluris quàm nos, æstimant ipsum, cum interim Deus, qui tanti ipsum pendit, illum postulet à nobis, & postulet tanto cum ardore, ast eum à nobis obtinere non possit?

Maxima ingratitudo non amanti Deum.

Si haberes omnes, qui sunt in mundo, homines, ad tua servitia, qui se totos impenderent, totos se consumerent, labore se totos exhaurirent usque ad mortem pro tuo commodo, quique tam efficaciter, tam fideliter laborassent pro te, ut elevaverint te super solium, fecerintque te Monarcham in orbe; Et si post hæc viderent te tenentem in manibus florem vel fructum, illumque velut unicum laborum suorum stipendium ardentissimis juxta omnes vires suas à te exposcerent precibus, tuque facillimè, si velles, hunc ipsis donare posses: tantæ autem fores inhumanitatis, ut spretis ipsorum votis, hunc ipsis denegares, & in ipsorum præsentia alicui projiceres bestiæ, nonne te verum summæ demonstrares ingratitudinis monstrum? Nonne exclamari posset! Ah injustitia! Ah crudelitas! dignusque fores, ut omnes te homines summo despicatui haberent, abominationi & horrori? Jam ipsemet judica, an non deterius quid committamus, dum amorem nostrum Deo denegamus?

Siquidem quid sunt omnes mundi homines respectu Dei, qui se totum integrum nostris devovit servitiis, usque ad mortem in laboribus & doloribus pro nostro commodo? Et quid feciſſent omnes mundi homines elevando te supra quoddam solium, respectu & comparatione regni æterni, quod Deus proprio suo tibi emit & comparavit sanguine? Ipse pro toto laborum suorum stipendio, & pro tota acceptorum beneficiorum memoria, non desiderat a te florem vel fructum, quem modò in horto tuo quærere & accipere deberes, sed aliquid, quod minoris stabit tibi, quodque facilius donare illi poteris, cum penes te, & in teipso nascatur. Et hic est amor tuus; & tu tantæ es crudelitatis, ut hunc ipsi deneges, & in præsentia ipsius ante immundas projicias eundem bestias; ita nuncupo brutales passiones & fœdas carnis voluptates, quas amare non pudet in contemptum Dei. Ipsemet dicas, an non hæc sit facinorosissima & probrosissima ingratitudinum omnium ingratitudo; dignissima, quæ omnium creaturarum excipiatur detestatione, execratione,

abominatione. Ah divine ac dive Paule, quantâ æquitate & jure meritissimo anathemata fulminâsti & maledictiones æternas in eos, qui non amant Christum Jesum. *Qui non diligit Dominum Jesum, anathema sit.* O Quàm meritò infernus debetur supplicio ac punitioni ejusmodi criminis? Infelix damnate, ut quid ardes tam crudeliter in devorantibus flammis? ut quid toleras omnia hæc horribilia tormenta in omnem æternitatem? An ideò, quia noluisti amare Deum? Ah! Quàm benè id mereris! Quis deplorabit te, ardentem te videns, ex eo, quod amare nolueris Deum infinito modo amabilem?

1. Cor. 16.

Deus nostrum tantummodò intendit commodum præcipiendo nobis, ut ipsum amemus.

Sed video his omnibus adhuc aliquid magis stupendum. Non penetramus satis fundamentum magnæ hujus veritatis. Non benè loquimur, dum dicimus, mirum non esse quod Deus tanto cum ardore requirat amorem animarum nostrarum, eòquod hic unicus sit fructus, quem colligit ex omnibus, quæ prodiêrunt êdivinâ manu suâ, operibus. Sed quæro: estne Ipse, qui colligit hunc fructum? An apponit ipsum thesauris suis, ut novi hujus acquisitione lucri evadat ditior? Non, ipse non est, qui nostrum recipit amorem; est proprium cor nostrum; Non Deus est, qui magis inde ditescat, sumus nos metipsi. Consulamus desuper Theologos; afferent hi nobis valde magnum discrimen inter amorem Dei ergà nos, & amorem nostrum ergà Deum; in hoc, quod amor Dei ergà nos abeat extra ipsum; amor autem noster ergà Deum maneat semper in nobis ipsis.

Differentia inter amorem Dei & nostrum.

Docent ipsi, quod amor Dei ergà nos, non sit ex illis actibus, quos appellant immanentes, hoc est, qui producatur in Deo & recipiatur in Deo ipso, velut infinitus ille amor, qui procedit ab æterno ex ipsomet in ipsumet, quique se terminat productione divinæ cujusdam Personæ, quæ est Spiritus sanctus. Non ejusmodi est amor ipsius ergà nos. Est quidem (ut verum fatear) actus ejusdem omninò voluntatis, unde procedit infinitus ipsius amor erga se, & cujus terminus adorandus, Spiritus est sanctus; expressis verbis dicente sancto Thoma, quod Pater & Filius eodem amore nos ament, quo amant se invicem: *Pater & Filius dicuntur diligere Spiritus sanctus & se & nos.* Sed amor hic, in quantum se extendit ergà nos, non manet in Deo, nec terminatur ad producendum aliquid intra ipsumet. Quid ergò est hoc?

1. p. q. 37. a. 2.

Est amoris quædam plena effusio ergà nos: Est emanatio sacra divinæ ipsius in nos bonitatis, quæ terminatur ad nos,

&

& producit in nobis omnes suos pretiosos effectus. Pretiosus hic amor, qui inexhaustus nostræ felicitatis fons est, habet principium suum in corde Dei. Sed non impar est diviti & fœcundo illi fonti, qui exibat è medio paradisi terrestris, seque exin dividebat in quatuor flumina magna, quæ fœcunditatem afferebant universæ terræ, ad faciendum benè cunctis regionibus mundi, abs eo, quod unquam reverterentur ad locum, unde exibant. Sic amor Dei, quo fertur ergà nos, principium suum habet in corde ipsius, & effundit liberaliter in omnes creaturas omnem abundantiam bonorum naturæ, gratiæ, gloriæ, tam in tempore, quàm æternitate, tanquam tot magna flumina, procedentia ex eodem fonte; sed ipse nil unquam recipit, & non fit ditior ex omni eo, quod effundit extra seipsum. Hæc est natura amoris, quo nos prosequitur; totus fructus manet noster, & non ipsius.

Verùm amor noster ergà ipsum totus est alius: siquidem hic est actus, qui producitur in nobis, qui terminatur in nobis, quique nihil producit extra nos. Non dico, quod amor Dei non exstimulet nos ad perficienda multa bona opera externa; cùm potius sit horum principium tam fœcundum, ut omninò videatur satiari illis non posse. Verum hæc sancta exercitia non constituunt amorem ipsum, sed sunt effectus & fructus illius. Si aspicias præcisè amorem, invenies ipsum filium invisibilem cordis, qui nascatur, abs eo, quod unquam exeat è suo principio: facit is è cunabulis nativitatis suæ, habitationis suæ palatium, & mortis suæ tumulum. Est ipse actus immanens, qui non producit terminum suum extra causam, cujus est effectus: siquidem actus amoris Dei non se terminat immediatè, nisi ad augendum amorem Dei in corde se producente. Ipse filius, qui nutrit suum Patrem, qui ipsum roborat, qui ipsum crescere facit. Sic pro eo, quod amor, quo Deus erga nos fertur, semper exeat extra Deum, & omnia bona producat in nobis: econtra amor, quo nos afficimur ergà Deum, non exeat extra nos, & non producat unquam aliquid in Deo. Unde ergò venit, quod tam zelotypè nostras amet animas, cùm exinde nunquam amplius quidquam revertatur ad ipsum?

Hoc ipsum est, è quo magis apparet prodigium bonitatis suæ ergà nos, si id capere possemus. Dum desiderat tam ardenter a nobis amari, non in ipsius est commodum, sed est in nostrum.

Amor quo prosequimur Deum reddit nos beatos, & non amor, quo Deus nos prosequitur.

noſtrum. Verum eſt, non fore ipſum magis beatum, ſi ametur à nobis; ſed benè novit, nos beatos eſſe non poſſe, niſi amemus ipſum. Niſi is amaret nos, non præciperet nobis tanto cum ardore, ut amemus ipſum ex toto corde noſtro: ſed quia nos amat perfectiſſimè, ſummum vult nobis bonum, & benè novit, quod ad aſſequendum illud non ſufficiat, ſi ipſe amet nos, ſed quod requiratur, ut & nos amemus ipſum; aliàs ſolus ipſius amor non reddet nos beatos. Res ſtupenda, quod non præcisè ſit amor, quo Deus fertur ergà nos, qui ſupremam noſtram conſtituat felicitatem, noſque ſecuros reddat de poſſeſſione Dei, ſed ſit amor, quo nos proſequimur ipſum.

Hæc propoſitio videtur ab initio tam ſtupenda, ut ſcandalum parere poſſet ſimplicibus, qui interpretari illam poſſent ceu ſpeciem blaſphemiæ; ſed tam vera eſt, tamque latè extendit maximam obligationem, & abſolutam neceſſitatem, quæ impoſita eſt nobis, amandi Deum, ut opus foret publicare illam voce tonitrui per univerſum orbem, & omnibus mortalibus illam tam efficaciter inculcare, ut obſervarent eam, firmiſſimeque crederent, omnem ſuam felicitatem dependere ab eo, ut Deum ament ex totâ anima ſua. Totus amor, quo Deus ergà me fertur, mihi eſt inutilis, niſi amem ipſum amore divino & ſupernaturali, per quem ipſi conſecrem totum cor meum; Et tantum abeſt, quod amor ipſius ergà me conſtituat ſolus felicitatem meam, ut prorſus ex oppoſito magis conciliaturus ſit infelicitatem meam æternam, ſi ingratus fuero, non amando ipſum. Quando mihi dat eſſe tam nobile, animam immortalem, idoneam ad ipſum æternaliter poſſidendum, fateor ipſum amare me plus quàm ullam è creaturis ſuis; Verùm quid mihi hoc proficit, niſi ut infelix ſim perpetuò, niſi ipſum amavero? Quando deſcendit de cœlis ex amore ergà me, quando ſuſtinuit tanta, quando mortuus eſt pro me in Golgotháo vertice, fateor ipſum amaſſe me magis propria vita ſua, ſed quid omnia hæc proſunt, ſi amare ipſum abnuam? Nolo hoc eſſe, quod dedit mihi, potius annihilet me; nil mihi cum paſſione ipſius, nec quod deſcenderit de cœlo; omnia hæc mihi nociva ſunt, niſi extremam & ſupremam habuero felicitatem, quæ cuncta iſta mihi reddat utilia; & ſuprema hæc felicitas conſiſtit, non in amore, quo Deus fertur ergà me, ſed in amore, quo feror ergà ipſum.

Hic

Nostra sola utilitas est, amare Deum, cœtera nihil sunt.

Hic est, qui possessionem mihi consignat cœterorum bonorum ejus, & præcipuè sui ipsius, qui est supremum bonum meum; hic est, qui ipsius amore mihi reddit proficuum; hic immediatus fons est & mensura omnis boni mei, omnis felicitatis meæ. Hæc igitur utilitas est maxima, vel ut melius dicam, utilitas sola, quam habemus pro tempore, & pro æternitate. Parum nostrà interest, cœteras res mundi omnes vel malè cadere, vel benè; nos vel divites esse, vel paupere; sanos vel infirmos, honoratos aut contemptos. Si amemus Deum ex toto corde nostro, ex totâ anima nostra, & ex totis viribus nostris, certi sumus, nos esse beatos, reluctantibus incassum omnibus miseriis, quæ obruere nos possunt. O si firmiter nobis haberemus persuasam hanc veritatem unicam, quod tanti nostrà interest, benè cognoscere, quod amor Dei fœcundissimus fons sit omnium bonorum in æternitate, quæ speramus; & verum remedium omnium malorum in tempore, quæ sustinebimus; quàm plurimùm nostræ adversaremur felicitati, tam parvi æstimando ipsam, sicut modò æstimamus. Væ nostræ cœcitati, væ miserabili nostræ ignorantiæ, quæ non permittunt gustare nos, sicut oporteret, admirabilem hanc veritatem; quod minimus amoris Dei gradus, vel unicus actus amoris Dei, longè antecellat cuncta mundi totius imperia.

ARGUMENTUM.

1. Quantùm glorificetur Deus ab animâ quæ amat ipsum purè propter ipsum. 2. Ineffabiles Consolationes animæ, quæ contentare studet zelotypiam Dei, amando ipsum.

Articulus IV.

SOcieras, quæ credebat Ecclesiasten protraxisse discursum suum circa excellentiam amoris animarum nostrarum ergà Deum, & circa argumentum zelotypiæ ipsius, in quantum protrahi poterat, stupore perculsa fuit, dum dixit illis: Est adhuc quidpiam magis admirabile omnibus his, quæ percepistis in prodigiis amoris hujus, quo Deus est zelotypus. An benè nôstis, quod anima nostra ratione quâdam magis possit amare Deum, quàm Deus possit amare ipsam? An benè nostis, impossibile esse, quod omnes creaturæ simul tantùm a-

ment animam vestram, quantùm amat ipsam Deus? An benè nôstis, quod ex opposito, quàm parum etiam anima vestra amat Deum, si tamen ipsum verè amat, impossibile sit, quod illum non amet plus, quàm semetipsam? Hæ propositiones, quæ videbantur semi claræ & semi obscuræ, ostendebant paulisper ipsis, nescio quid magni, quod tamen æstimabant incredibile. Hoc fuit, quod ipsorum exstimulabant attentionem, ad percipiendam & capiendam ipsarum intelligentiam: Et ecce quâ ratione explanaverit illas, tanta cum evidentiâ, ut omnes consenserint, suumque adjecerint calculum.

Nostra anima magis potest amare Deum, quàm Deus possit amare ipsam.

Dixi primò, animam ratione quadam magis posse amare Deum, quàm Deus possit amare ipsam: siquidem cum amare aliud non sit, quàm velle bonum: *Amare est velle bonum*; Ego ipsi plus boni velle possum, quàm ipse velle possit mihi: hoc est; Ego velle ipsi possum divinitatem suam, & gaudere ex eo, quod ipsam possideat; sed ipse non potest mihi velle, quod Ego sim Deus, nec mihi suam procurare divinitatem, quantumlibet sit omnipotens. Manifestum igitur est, quod velle ipsi possim plus boni, quam ille possit velle mihi; & quia amare nil aliud est, quàm velle alicui bonum, anima igitur mea ratione quâdam plus potest amare Deum, quàm Deus amare possit ipsam.

Sed dices mihi; Amor noster ergà Deum tam est sterilis, tamque inutilis Deo, ut nunquam ipsi conferat aliquid boni: ex adverso amor Dei ergà animas nostras tam est fœcundus, tamque proficuus ipsis, ut ab ipso solo omnia sua accipiunt bona. Annuo, sed hoc demonstrat quidem, amorem Dei dare omnia, & nostrum dare nihil. Sed cum essentia amoris non consistat in dando, sed in volendo bonum: *Amare est velle bonum*; certum quoque sit, quod sicut dari potest abs eo, quod ametur, sic amari quoque possi, abs eo, quod detur, hinc amor impotens non desinit esse verus amor. Non aspicimus ad manus, ubi non videmus, nisi testimonia & effectus amoris; sed aspicimus cor, ubi est amor ipse, qui consistit in volendo bonum, & metimur magnitudinem amoris juxta magnitudinem boni, quod vult illi, quem amat. Nonne dicendum sit, quod ille, qui majora vult bona, æstimandus sit amor major, saltem extensivè, juxta hoc principium, quod est evidentissimum?

Bona quædam anima nonne dicere Deo potest profundissima quidem cum reverentia, sed sancta cum audacia, quam

ill i

illi conferat amor: Domine, quamvis aliud non sim, nisi pulvis & cinis, loqui audeo Augustæ Majestati tuæ tibique dicere, quod plus amem te, quàm tu possis amare me, eòquod majora tibi velim bona, quàm tu velle possis mihi. Ego volo tibi divinitatem tuam, volo tibi æternitatem tuam, volo tibi immensitatem tuam, volo tibi omnipotentiam tuam, infinitam sapientiam tuam, Justitiam tuam, misericordiam tuam; unico verbo, volo tibi omnes Excellentias tuas, & omnem adorandarum perfectionum tuarum infinitudinem. Volo tibi omnia hæc voluntate tam constanti, tam firma, tamque deliberata, ut si per impossibile non haberes omnẽ hanc infinitorum bonorum plenitudinem â temetipso, & in mea conferendi tibi illam foret facultate, conferrem tibi omnem illam, quam modò habes, possessionem.

Exegius affectus animæ amantis Deum.

Benè novi, mi Deus, amorem meum prorsus inefficacem esse, tibique inutilissimum; sed impotentia ipsius placet mihi, eòquod è duobus oriatur principiis, quæ omni me perfundunt gaudio. Primum est, quod tu sis omnia: Secundum est, quod ego sim nihil. Cùm omnia tu sis à temetipso, nihil recipere potes à creaturis tuis. Infinita ratione magis gaudeo, ex eo, quod excellentias tuas omnes habeas à temetipso, quàm si illas dedissem tibi; cumque Ego nihil sim à memetipso, dare tibi non possim bonum infinitum, quod te amando, tibi volo. Sed amor meus, qui tanto demulcet me gaudio, ex eo, quod tu sis omnia, non minori me afficit voluptate, ex eo, quod ego sim nihil, nisi quod placuerit tibi me esse. Parvi æstimo omnia, quæ dedisti mihi, respectu potentiæ illius & facultatis, ut possim amare te, in qua ita colloco omnem meam gloriam, & omnem meam felicitatem, ut, quando ego solus haberem ea omnia, quæ omnipotens brachium tuum omnibus dedit creaturis, educendo ipsas è fundo nihili, minus æstimarem ea, quàm inæstimabilem felicitatem amandi te per unicum duntaxat momentum, eòquod amando te amore purissimo propter teipsum, qui impellit me, ut velim tibi sincera & seria voluntate, totum illud infinitum bonum, quod possides, amem te ratione quadam, sicut amas teipsum, cùm velim tibi ibidem bonum quod tibi vis ipsi, quod velle non potes mihi, eòquod nec æquum hoc sit, nec possibile

Quid declaret pretium hujus amoris, quantumlibet impotentis.

Nescio quidem, quanti sit pretii amor animæ ergà Deum suũ quando tam purè fertur in ipsũ, ipsique vult & desiderat benè-

volo & ardenti affectu divinitatem suam: sed quando considero quod peccator, qui contemnit ipsum, quique vellet ipsum annihilare, si foret sibi possibile, inferat ipsi injuriam infinitam, quamvis reipsâ nullum patiatur præjudicium â machinatione ipsius quodque hæc injuria, æqua ponderata bilance, digna judicetur omnibus inferni supplicii in omnem æternitatem, etiamsi non consistat nisi in voluntate inefficaci, & quidem indirecta destruendi divinitatem; dubitare non possum, quin ex adverso anima, quæ amat Deum amore tam puro, ut nihil desideret, nisi gloriam ipsius, ut suam ipsi velit divinitatem, hanc que illi daret, si per impossibile ipsam non haberet, & ipsa in sua hanc teneret potestate, & unico verbo, ipsum faceret Deum in corde suo, quantum in suis staret viribus: Dubitare, inquam, non possum, quin reddat illi reipsa honorem infinitum, quamvis in veritate non reciperet aliquod lucrum ex ipsius bona voluntate. Quis dubitat, quin hic honor æqua Dei bilance ponderatus, dignus judicetur coronis æternis, quamvis non consistat nisi in voluntate inefficaci, stabiliendi divinitatem ipsius

Hoc satis fuerat pro declaratione primæ propositionis, quæ asserebat, bonam animam amare posse Deum ratione quadam magis, quàm Deus possit amare ipsam; & amorem Dei sumam esse felicitatem animæ amantis ipsum. Secunda, quæ affirmat, impossibile esse, quod omnes creaturæ simul ita nostram ament animam, sicut amat ipsam Deus, adhuc majori facilitate demonstrari potest. Est revera ingens incendium, quod sit aptum amore succendere omnia corda hominum, quando ipsa etiam glacie forent frigidiora, si defixa considerarent mente, quod idem infinitus amor, quo Pater æternus & Filius ipsius unigenitus sese reciprocè amant; ipsissimus sit ille, quo amant & nos, par a nos miseranda nihila non quod eo simus digni, sed ut digni reddamur amari ab ipsis siquidem notabilis hæc est differentia inter amorem, quo prosequimur Deum, & illum, quo fertur erga nos ipse; quod noster ergà ipsum amor supponat in ipso infinitam quandàm bonitatem, quam impossibile est amare tantum, quantum est amabilis; sed quod amor ipsius erga nos nihil supponat in nobis bonitatis, sed ipsemet illam ibi ponat, eamque amando nos nobis donet, & quidē majorem, vel minorem, juxta mensuram amoris, quo nos prosequitur: siquidē nos nihil amabile habemus, priusquàm nos amet. Eheu!

Non sumus amabiles, prius quàm Deus amet nos.

Eheu! Quid videbat ipse in nobis, dum adhuc morabamur in nihilo, quod obstringere potuerit ipsum, ad amandum nos eo usque ut daret nobis esse magis nobile, quàm ulli è creaturis? Quid videt in nobis amabile, quando lapsi sumus in peccatum, quo reddimur potius objectum infiniti ipsius odii? Unde desumit motiva, reluctantibus hisce omnibus, nos amandi eò usque, ut pretioso suo nos lavet sanguine, & ex inimicis in suos nos adoptet filios? Quanta bonitatis abundantia, amare taliter indignos? Non, tantum prodigium non est, videre Deum Patrem & Filium ejus unigenitum amare se invicem amore infinito, quia infinito modo sunt amabiles; sed hoc est prodigium, quod habeat capacitatem rapiendi omnem animum id considerantem usque in extasim, videre, quod amet nos eodem prorsus amore, miseros nos terræ pulviculos, indignos nos nihili atomos, ingratos nos & voluntati suæ rebelles, qui incomparabiliter magis digni sumus odio quàm amore ipsorum.

Deus nos amat magis, quàm omnes creaturæ simul amare nos possint.

Verum quidem est, quod ex eo, quod amet nos eodem infinito amore, & eodem Spiritu sancto, quo Pater & Filius sese amant in divinitate, Deus nihilominus non amet nos tantum quantum amat seipsum, eòquod dare nobis non velit divinitatem suam, nec adorandas suas perfectiones, câ ratione, qua comunicat illas Patri & Spiritui sancto, aliàs substantialiter essemus nos Deus, sicut divinæ hæ tres Personæ, quod omninò est impossibile. Sed ex eo, quod nos amet amore tam nobili, tam sublimi, tam excellenti, ut, quando omnes creaturæ simul, quando omnes Angeli in cœlis, quando omnes homines ab Adam usque ad ultimum mortalium conjunxissent omnem amorem, quem producere possunt, ad amandum solam animam tuam, ad desiderandum, imò etiam ad progignendũ ipsi omnia illa bona, quæ in sua habebunt potestate, ita ut verum esset dicere, quod tu solus posslideres omnem amorem creaturarum: hoc tamen nihil esset respectu admirandi amoris, quo Deus tuam honorificat animam.

Quàm æquum sit dare totum nostrum amorem Deo soli.

Siquidem an amare possent ipsam per ipsum Spiritum sanctum, qui est amor infinitus? An dare ipsi possent vel unicum atomum gratiæ, quæ præstantior est tota simul natura? An conferre ipsi possent unicum duntaxat tenuem radium gloriæ æternæ? An elevare ipsam possent ad fruitionem ejusdem infiniti boni, quod constituit beatitudinem Dei ipsius? Nonnisi Dei est ama-

re nos eòque. Solus ipsius amor est fœcundus & inexhaustus fons, qui effundit in nos omnia bona naturæ, gratiæ & gloriæ, in tempore & in æternitate: & quasi hæc omnia non sufficerent ad satisfaciendum nobis, ipse se donat nobis totum integrum, absque eo, quod aliud prætendat, nisi ut & nos nos totos ac integros ipsi donemus. Estne hoc nimium exigere â nobis? An dicere possumus, facultatem nobis esse faciendi cum amore nostro, quidquid placuerit nobis? An distrahere ipsum alio possimus, quasi qui alius melius ipso promeruisset illum? An libertatem habeamus dividendi illum pro nostro arbitrio, quasi plus illius haberemus, quàm opus sit pro ipso solo? Apagite creaturæ, nec prætendite unquàm vel atomum amoris è corde meo: Deus meus æmulator ipsius est, totum integrum vult ipsum; infinitâ ratione plus meretur illius, quàm dare ipsi possim. O quanto jure ipsius gaudet zelotypia, dum jubet me amare se ex toto corde meo, ex totâ animâ meâ, & ex totis viribus meis! Væ mihi, si non omnes intenderim nervos ad contentandam zelotypiam ipsius, obtemperando meliori qua potero ratione, magno huic legis ipsius præcepto.

Tria amoris genera.

Restat modò in medium proferre veritatem propositionis tertiæ, quæ tota plena est solatio pro nobis, haudque levem nobis addens stimulum ac animum. Hæc affirmat, quod, quàm parum anima nostra amat Deum (si tamen verè amet illum) impossibile sit, quin ipsum plus amet, quàm semetipsam & omnes creaturas. Ut hoc intelligamus, observandum est, quod cor nostrum concipere possit diversi generis amores; amorem criminalem, amorem naturalem, & amorem supernaturalem. Amor criminalis expellitur è corde per minimum radium amoris supernaturalis, eâ ratione, qua tenebræ expelluntur è nostro hemisphærio per lumen solis. Amor naturalis non totus expellitur ab illo, eòquod incompatibilis non sit in corde cum amore supernaturali, sed velut ecclypsatur & ab amore supernaturali absorbetur; eo ferè modo, quo lux alicujus faculæ tota absorbetur â radiosis splendoribus solis, ita ut vix percipiatur & amplius non serviat ad nos dirigendos: quando amor supernaturalis dominatur in animâ, hæc parum vel nihil æstimat amorem naturalem.

Amor spei est optimus.

Adhæc observandum est, posse nos amare Deum amare supernaturali duobus modis: Vel enim amo ipsum amore spei, vel

vel amo ipsum amore charitatis. Amo ipsum amore spei, quando aspicio ipsum, velut summum bonum meum, & velut ultimum finem meum, cujus sola possessio me reddere potest beatum in tempore & æternitate. Amor hic excellentissimus est, certè, cum producatur â virtute Theologica & infusa, quam Deus mihi eo concesserit nomine, ut amarem ipsum propter me ipsum: & qui amorem hunc vituperare vellet velut defectum in animabus tendentibus ad perfectionem, quasi æstimandus non esset nisi amor puræ charitatis, quâ amatur Deus propter semetipsum, abs ratione & immeritò id faceret; eòquod fides, spes & charitas æqualiter, virtutes sint infusa, omnesque necessariæ ad nostram salutem.

Amor spei est sanctus amor proprius.

Nihilominus verum est, si res bene sumatur, amorem spei esse amorem proprium; non autem amorem illum proprium ignavum, vecordem, animalem, & pernicioſum, quem natura progignit â semetipsa, quique animam impellit nonnisi ad desiderandas vanitates, vel voluptates, vel bona caduca, qui non est nisi falsus amor, & verum odium, cum scriptum sit: *Qui amat iniquitatem, odit animam suam:* sed amor est proprius totus divinus, qui præceptus est nobis in lege Dei: siquidem dum præcipit nobis nostrum amare proximum velut nos ipsos, manifestum omninò est, quod nosmetipsos amare nobis præcipiat. Jam quid est amare nos ipsos, nisi velle nobis bonum; & quod verius bonum velle nobis possumus, nisi bonum infinitum? Et hunc in finem largitus est Deus mihi spem ad amandum ipsum propter me; Ego sum, ad quem terminatur hic amor & non Deus; mea sunt comoda, quæ me inducunt ad ipsum sic amandum, & non comoda ipsius; sed ipse id vult, & mihi permittit sic se amare; non solùm id mihi permittit, sed mihi id præcipit. Maximi quique sancti amarunt ipsum amore spei; & hic amor est frequentissimus in plerisque Christianis, qui alium scopum non habent in omnibus operibus bonus, quæ perficiunt, nisi suam procurandi salutem. In quo dici potest, quod quasi non agant, nisi ob proprium suum commodum, & ex amor proprio, sed amore proprio sanctissimo, qui Deo non displicet, modò non excludat amorem purissimæ charitatis, qua amatur Deus propter seipsum.

Psal. 10 v. 6.

Amor pu-ræ charitatis est solus verus amor

Veruntamen in rigore dici non potest, quod anima verè Deum amet, nisi amet illum propter seipsum, & nisi ad ipsum se terminet amor ipsius, ad volendum illi bonũ cum essentiâ amoris

ris consistat in volendo alicui bonum: *Amare est velle alicui bonum.* Si ipsum amem vero & puro amore, volo ipsi bonum increatum, quod possidet omne; volo ipsi omnia bona creata, quorum est Auctor; refero ad ipsum omnia, velut ad solum & unicum principium omnium; volo ipsi homagia, servitia, adorationes omnium suarum creaturarum: super omnia, volo me ipsum totum unicè ipsi, volo ipsum esse absolutum Dominum cordis mei, & ex integro mei ipsius, mecumque facere, quidquid voluerit, pro suâ gloriâ, abs respectu ad alia comoda, quàm ad illa divinæ Majestatis suæ. Ecce tibi, quid dicatur amare Deum verè & ex puro amore. Quis non fatebitur, animam hâc ratione illum amantem, amare ipsum plus, quàm seipsam & omnes creaturas? Mallem unicum solum amorum hujus amoris, quàm omnia regna Mundi.

Abundans gaudium animæ amantis Deum propter seipsum.

O quam felix est anima, quæ amat Deum propter seipsum! Affirmari potest, ipsam jam frui deliciis Paradisi in medio miseriarũ vitæ præsentis. Experientia nobis demonstrat, quod, quando amamus aliquem sicut nos ipsos, ita gaudeamus de bonis ipsius, quæ possidet, ac si ipsimet possideremus illa; & quando ipsum amamus plus, quàm nosipsos, parùm nostrà interest, an malè nobis sit, modò ipsi sit benè; sensus miseriæ nostræ absorbetur â gaudio felicitatis illius, in quo magis est cor nostrum, quàm in nobismetipsis. O Deus! Quanta igitur abundantia est gaudii bonæ alicujus animæ, quæ amat Deum suum magis seipsâ! siquidem dum videt, ipsum infinitâ ratione esse divitem excellentiis, perfectionibus, beatitudine, ipsum in omnem æternitatem fore Deum, nihilque ipsi deesse posse, effunditur tota integra in jubilos interiores, in applausus, in congratulationes, in confruitiones ineffabilium ipsius excellentiarum, & dicit intra semetipsum.

Quid mea refert, nihil me esse, nisi miseriam & paupertatem, cùm ille, quem infinities magis amo meipsâ, sit omnia? O Mi Deus, non recordor paupertatis meæ, tanto repleor de abundantiâ tuâ gaudio! Quid interest, miseram creaturam tuam pati, abjici, contemni, persecutionibus agitari, cum tu infinitâ ratione sis beatus in fruitione æternâ & invariabili, propriæ divinitatis tuæ? O Mi Deus, quàm delector videndo te, sic abundantem deliciis! Adoro illas, admiror illas, illatum delibo gaudium, haud aliter, quàm si ipsemet possiderem illas, eòquod amem

te

te infinito modo plusquàm me. Novi, te infinita ratione delectari in contemplatione excellentiarum tuarum, & in nmore infinitæ bonitatis tuæ, hæcquè omnia unum idemque esse cum tuâ essentiâ : Ego semper sùm in medio tui; Egò totus ab illo penetror, nec unquam ex illo exire possum. O infinitam pro me felicitatem !

Quando non possum amare Deum, nec bonum aliquem affectum habere in corde meo, considerabo adorandas, quibus divinæ Personæ inardescunt, flammas, & conjiciam me in illas ex toto corde meo, ut sicut ipsæ sucendar & adurar illis ; & quando obruar tristitiâ, recordabor gaudii ac lætitiæ DEI mei, & dicam ipsi, Mi Deus, renuntio è toto corde meo, omni alteri gaudio quàm illi, quod possides ipsemet in divinitate tuâ. Credi non potest, quàm solidum & constans sit gaudium bonæ animæ amantis Deum vero amore, & puro amore, nisi quis idipsum gustaverit paulisper.

Exprobratio facta animæ non amanti Deum

Contemne nunc amare Deũ tuũ cinis & pulvis [illegible] contemne officiosas ac benignas invitationes, quibus tuam requirit amicitiam : contemne divinam, quâ ergà cor tuum exardescit, Zelotypiam, plurisque æstima tuum amare catellum, ac illi blandiri, quàm donare cor tuum, affectũ tuum, venerationem tuam augustissimæ huic majestati, quæ expostulat â te illa tanto cum amore : *Fili præbe mihi cor tuum.* Effunde te totum ergà res frivolas, futiles, inutiles mundi nugas; frange caput, ange mentem ad excogitandum locupletandi te in terris medium ac modum, potius quàm intendas animum ad accupandum bonum infinitum, quod tibi offertur, & inutiliter caducis fatigate vanitatibus, pro eo, quod obtinere in pace posses regnum æternum amanti Deum suum animæ præparatum. Aspice velut magni ponderis negotia, vana mundi crepundia, quæ abeunt in fumum, tandemque nihil relinquunt post se, nisi dolorem & tristiam potius, quàm tuum apponas animum unico huic & gravi admodùm, maximique momenti negotio, pro quo Deus creavit te, & pro quo solo cor tibi dedit majus universo mundo.

Eheu ! Non extractus es è nihilo ab omnipotenti manu DEI, quàm ut addisceres cognoscere illum, & amare illum omni momento tam brevis vitæ humanæ, & exin divinum hoc continuare exercitium, contemplari & amare DEum tuum in omnem

æternitatem; & tamen O obcœcate & inconsiderate, hæc curarum tuarum est minima. Ah! Quàm dolebis non amâsse, quando amplius amare non poteris! Tædia quot affligent te lethalia, tam malè collocasse te amorem tuum? Quando non amplius reverti poteris, ad Deũ, collocare illum quæres in malè auspicatâ illâ damnatorum regione, & nihil illic occurret tibi amabile. Deus vive! Quantum tormentum, damnari in æternum, eòquod nolueris amare DEum infinito modo amabilem.

O si velles modò, adhuc tempus est; Deus paratus est semper, expeditus est totus ad recipiendum amorem tuum; non solummodò est expeditus ad recipiendum illum, sed expostulat illum, aucupatur illum; sed obtestatur te pro illo per omnem amorem cordis sui. Erue tuum è servitute, quá constringitur; Extrica te tot nugis, quæ implicant te, contemne, fortiter desere omne, quod deseret te, contemnet te turpiter, quãdo exeũdum est ex hoc mundo. Audi & obtempera voci invitantis DEI, tui, qui non cessat interiùs te alloqui: Fili, præbe mihi Cor tuũ,

CONSULTATIO XXVIII.

De Zelo Animarum nostrarum erga Deum.

Prodigia sympathiæ,

INtuemur quotidie mirabiles effectus amoris & Odii occulti, quos invenire licet inter omnes propemodùm creaturas, qui si minus frequentes forent, magisque divini, æstimarentur â nobis velut prodigia. Bubones oderunt omnes alias volucres, & omnes aliæ volucres oderunt ipsos: Ferrum & magnes e contra, tantâ inter se nectuntur amicitia, ut, quamvis careant & anima & vita, ac omni sensu circa cœtera omnia, videmus illa inter se colere amorem, sese invicem inquirere, & reciprocam sibi invicem exhibere benevolentiam, eòusque, ut moveantur, rapiantur, vehementissimum ostendant sese conjungendi desideriũ, quod in utroq; tam ingens videtur, ut Philosophi dubitarint, an magnes sit, qui currat ad ferrum, an ferrum, quod currat ad magnetem. Ferme nulla creaturarũ est, in qua, si bene advertamus, non observem9 vel inclinationes vel aversiões harũ ergà alias. Et quia harũ nos causa latet, vocamus illas, sympathias vel antipathias

thias occultas; quibus verbis manifestam nostram innuimus ignorantiam: Cum hoc idem sit, ac si diceremus: Hæc secreta sunt, quæ secreta & abscondita sunt nobis.

Maxima omnium sympathiarum est inter Deum & animam rationalem.

Nihilominus secreta hæc naturæ intelligentia, conservans ratione tali correspondentiam & oppositionem inter omnia entia, per occultas quasdam machinas nobis incognitas attollit nos ad cognitionem admirabilium vinculorum & nexuum gratiæ, quæ trahit & unit animas nostras DEO, per vires secretas, & cunctipotentes quasi illecebras, quæ incomprehensibiles omninò sunt nobis. Nihil est inter omnes sympathias naturales, quas observamus in reliquis creaturis, quod æquiparari possit sympathiæ supernaturali, quàm Ens supremum & increatum conservat inter se & animam rationalem: Prov. 8. *Deliciæ meæ, esse cum Filiis hominum* & ex parte sua experitur, quod nunquam habere possit requiem nec satisfactionem, quàm in ipso: S. Augustin. Confess. 1. *Fecisti nos ad te, & inquietum est Cor nostrum donec requiescat in te.* Deus requirit animam nostram perpetuò, & misericordia ipsius subsequitur nos (sicut dicit Scriptura) omnibus diebus vitæ nostræ; & anima nostra semper etiam requirit Deum in omnibus, quæ facit, etiam quando eum fugit, ipsumque offendit: Et hic est, ubi decipitur, sicut observat sanctus Augustinus, & accipit pro Deo suo id, quod non est; semper enim est aliquod bonum quod amat, quodque cæteris omnibus præfert: Jam bonum cæteris omnibus præferendum est Deus solus: semper igitur Deus est, quem quærit, etiam quando maximè ab illo se elongat. Sed probè mox advertit, quod decepta sit, dum pro integra satisfactione, quam sibi promiserat, aliud non invenit, nisi inquietudinem, displicentiam, & amaritudinem in peccatis suis.

Paradisus est sympathia satiata, infernus sympathia frustrata.

Unico Verbo, sympathia hæc inter Deum & animam nostram tam fortis est, ut non solùm constituat ipsa totam nostram quietem vel agitationem tempore vitæ hujus; sed dici potest, illam quoque constituturam Paradisum nostrum, vel infernum nostrum in omnem æternitatem. Siquidem quid est Paradisus Beatorum, nisi sympathia, cui factum est satis, sympathia expleta & saturata, dum quiescente anima in æternum in sinu DEI sui, Deus contentus erit possidendo animam, quam amat, & anima repleta erit gaudio, videndo se cum Deo suo, quem amat, unitam & conjunctam? Et quid est quoque infernus damnatorum,

nisi sympathia in æternum frustrata ardentissimo desiderio animæ possidendi Deum, summum Bonum suum, ergà quem in æternum circumferet sympathiam sibi essentialem, eòquod nonnisi pro ipso creata sit; sed sympathiam, quæ nunquam non torquebitur privatione ipsius æternâ, eòquod tempore vitæ noluerit ipsum amare?

Sympathia honorum.

Stupendi sunt effectus, quos producit sympathia hæc bonæ animæ cum Deo: siquidem non solùm hæc ipsum amat, ipsumque quærit, sed amat etiam & quærit alias animas similiter amantes ipsum. Conformitas affectuũ, quibus redduntur totæ sympatheticæ cum Deo, confert illis etiam sympathiam inter se, ita ut ament se, abs eo, quod se invicem cognoscant, & quærant se sibi invicem unire: Unde oritur, quod vix reperire sit unicam civitatem in tota amplitudine Religionis Christianæ, ubi sympathia hæc non produxerit unionem quandam particularem, quandam societatem, vel quoddam genus congregationis publicæ vel occultæ inter plures Personas exercitiis pietatis magis vulgo addictas, quæ sponte liberrimâ sese uniant & conjungant inter se, ad promovendam DEI gloriam, vel salutem proximorum, vel ad animandum & adjuvandum se reciprocè in acquirendâ perfectione virtutum: Et dici potest, divinam hanc sympathiam matrem esse, omnium harum sanctarum unionum ac societatum.

Ex illis est una, non â longo tempore, è paucis quidem personis, zelo tamen & devotione eximiis congregata. Bonus quidam presbyter, quem elegerant sibi Directorem & velut Angelũ Domini inter se, fecit ipsis aliquando exhortationem quandam brevem, sed ferventem, circa illa Verba sancti Jacobi Apostoli: *Ad invidiam concupiscit spiritus, qui habitat in Vobis*; Jac. 4. ubi demonstravit ipsis, quod spiritus, quo pleni erant, debeat ipsos omnes exstimulare ad piam quandam ergà se invicem æmulationem, quâ quilibet contendat magis fidelis, & magis fervens esse in procurandâ DEI, gloriâ & acquirenda semper majori divini amoris perfectione. Nescio, dicebat illis, an exhortari vos debeam ad concipiendam quandam æmulationem & Zelotypiam, vel dehortari potiùs ne concipiatis illam. Probè novi ex unâ parte, admirabilem prærogativam esse solius amoris DEI, tam procul abesse â Zelotypia, ut bona anima, quæ amat Deum ex toto corde suo, non tantum non time-

Pulchra exhortatio ad habendam & non habendam Zelotypiam.

timeat habere alias animas Deũ amantes, velut corrivales suas, æmulas & competitrices, sed potius maximo exardescat desiderio totum exstimulandi mundum, ad tantùm, imò etiam magis se diligendum ipsum: Et efficacia duo motiva producunt & generant in ipsa bonum hunc affectum: utilitas DEI, quem ipsa amat super omnia, & utilitas proximi, quem amat velut seipsam: & sæpius etiam ad hoc se invenit exstimulatam motivo quodam tertio, quo magis adhuc excitatur, propria nempe sua utilitate, quam exinde in se dimanare haud obscurè intuetur: siquidem, cùm probè noverit, se tantum non posse amare Deum, quantum est amabilis, vehementissimè desiderat adjuvari ab omnibus ad ipsum magis magisque amandum: Optaret omnium Corda ipsius succensa esse amore, ut, cum conjunctissima sit cum illis, non tantùm amaret ipsum proprio suo Corde, sed cordibus illorum omnium, qui amant ipsum. Et ecce id, quod Zelotypiam quàm longissimè abigit & repellit ab amore DEI.

Ex alia parte, cùm verum sit, quod anima, quæ cognoscit Deum infinita ratione esse amabilem, ipsum vellet infinita ratione amare, si id posset; non video, quomodò voluntariè cedere posset alteri, vel esse contenta, ut aliæ magis & vehementius se amarent ipsum: non quod imminuere vellet ipsorum amorem, sed quod ipsa nunquam non vellet millenos adhibere conatus ad suum adaugendum & superandum ipsas. Hem! Nonne hoc sit maxima laborare Zelotypia. Sed videtur ipsum Spiritum sanctum esse, qui inspiret illam, juxta Verba sancti Jacobi Apostoli: *Ad invidiam concupiscit Spiritus, qui habitat in vobis*: Affirmare ergò quis potest, ipsam non esse sanctissimam, nec reddere animam tantò magis acceptam DEO, quantò plus habuerit divinæ hujus Zelotypiæ? sic aliud concludere non possum, nisi: Habete Zelum DEI; creditote firmissimè animas vestras nunquam nimium habere posse Zelum ergà Deum.

Hæc exhortatio animavit omnes, ita ut facta deliberatione circa argumentum Consultationis suæ, agere & colloqui inciperent de affectibus, quos conceperant, & consiliis, quæ, statuerant deducere in opus ad exercendum Zelum suum ergà Deum. Sensa ipsorum erant valdè diversa, omnia tamen observatu digna, sicut percipietis.

ARGUMENTUM.

Conservandus est totus amor animæ DEO soli tantâ cum Zelotypiâ, ut nec ulli creaturæ permittatur, vel minimam inde decerpere aut distrahere partem.

Articulus I.

Zelus animæ erga Deum excitetur ipsum amando.

ME quod attinet, dicit Primus, nihil video, in quo me magis sentiam obligatum ad demonstrandum zelum meum ergà Deum, quàm conservando fidelissimè ipsi totum amorem cordis mei. Ille clarissimè mihi hoc præcipit in lege sua, nolo hîc inquirere tot ac tantas expositiones, quæ illius mihi imminuant obligationem, volo penes litteram observare, quantum potero illam; & dummodò verè illam adimplevero, utique fecero satis. Siquidem magnus mihi asseverat Apostolus, quod, si aliud quoddam sit præceptum, in hoc unico dilectionis sit inclusum, quodque qui benè custodit hoc, custodierit cætera omnia: *Si quod est aliud mandatum, in hoc Verbo instauratur, Diliges.* Ut ergò exactè illud & fideliter adimpleam, meumque in hoc zelum executioni mandem: Ecce quid facere velim.

Rom. 13

1. Medium expellere è corde suo omnem mundi amorem.

1. Expellam è corde meo omnem amorem, qui displicere potest Deo, inon solùm omnia peccata usque ad minimum, & imperfectiones voluntarius; Sed inde ejiciam quoque omnem amorem mundi, quàm levis, quã innocens etiam videri possit. Scio id, quod mundus appellatur, non esse crimina enormia; hæc eniam potius appellaren turinfernus, quàm mundus; sed est amor voluptatum, amor honorum, amor divitiarum. Quàm parum etiam ex pernicioso hoc amore possum habere in corde meo placet Deo: *Si quis diligit mundum, non est Charitas Patris in eo.* Quomodò dicere possem cum veritate, quod diligam Deum ex toto corde meo, si conservem ibi vel minimum quid amoris ipsi contrarji? Expellam igitur ipsum inde totum integrum, usque ad atomum minimum, nec meæ acquiescam affectibus animæ, quoad conceperit in se amorem ergà crucem; ergà humiliationem, ergà paupertatem, quæ directè adversantur spiritui mundi; & si hujus non obtinuero effectum & ipsam, habere saltem desidero æstimationem, amorem, & affectum. Et ecce primum, in quo meum exercere mens est zelum ergà Deum, in meipso.

2. Medium expellere è corde suo omnem amorem purè naturalem.

2. Ejiciam quoque è corde meo omnem amorem purè naturalem, non quod credam ipsũ crj-

criminosum esse, vel contrariũ Deo; sed quia nimis vilis & abjectus est, adeòque indignus, qui incolat cor, quod totum consecratũ esse oportet amori supernaturali, quem debet Deo suo. Scio vitam purè naturalem sufficere posse ad ducendam vitam alicujus pagani, qui non nisi semel natus est è sinu matris suæ, sed sufficiens non est homini Christiano, qui secundâ vice est natus in sinu Ecclesiæ per sacrũ baptismum. Quandoquidem per secundam hanc nativitatem, accepit vitam quandam supernaturalem, supernaturaliter amare debet omne id, quod amat: Quamdiu enim trahi se finit amore purè naturali, negari non potest, quin decidat infrà conditionem suam hominis Christiani.

Haud est, quod abnuam amare omne id, ad quod amandum me obligat natura, veluti Parentes amicos, bona tẽporalia, famã, sanitatem, & reliqua, quæ necessaria sunt in vitâ humana; Sed nolo amare omnia hæc amore purè naturali, sicut amaret aliquis Atheus: amabo illa in Deo & propter Deũ, & totum hoc, quia sic placet Deo: omnes intendam nervos, ut cognoscam, quid placeat Deo; Sed parat? ero omnia mox perdere, ubi placuerit Deo: & sic amando illa amore pros? divino & supernaturali, amabo illa incomparabiliter melius, & amore magis constanti, magis solido, magisque certo, quàm tota natura simul amare illa possit.

Magis sancti & devoti amant amplius cor suum.

Error est, credere, quod illi, qui amant Deum ex toto corde suo, studeant amare nihil, quodque ad fovendam devotionem necesse sit negligere omnia, curare nihil, nulla re moveri, & in omnibus esse insensibilem. Sed prorsus est contrarium; nihil ita obseratum est, sicut cor non amans Deum, amat id pauca, & amat illa pessimè; Sed nihil magis amat, quàm cor ab amore Dei possessum. Sancti, qui amabant perfectissimè, habebant cor majus, cor amplius universo simul mundo, ad recipiendum ibi Deum, & omnia, quæ Dei sunt. Amabant ipsi non solùm suos amicos, sed inimicos suos maximos; non solùm suos proximos & populares ac conterraneos; sed extraneos & omninò incognitos; amabant insuper maximos quoque peccatores; amoris ipsorum magnitudo immensa excludebat neminem; non erant nisi suavitas, nisi benignitas, nisi affabilitas ergà omnes homines, semper parati dare sanguinem suum, propriam suam dare vitam in obsequium Charitatis; & plurimi eorum dederunt illam majori cum gaudio, quàm si gustassent omnia solatia totius Mundi. Maximè igitur amor naturalis huic nec minimũ est comparandus; neq; dicẽdũ, instituu-

stitutum esse amandi nihil, quando amatur Deus.

Praxis abstrahendi se ab amore naturali.

Ut igitur me abstraham ab amore naturali, quantum potero, abstinebo ab omnibus blandimentis, obsequiis, assentationibus, prensationibus, quò rapi me advertero ab inclinatione purè naturali; sicut non minus cavebo mihi à danda cuipiam repulsa, à morositate, asperitate, inhumanitate, simultate, altercatione, quò rapere me posset maligna indoles, si trahi me permitterem ab inclinatione mea naturali. Amor supernaturalis nescit omninò, nec tolerat unquam rigorem, qui conciliare posset vel minimam proximo amaritudinem; potius è contrario *Vult pati ab omnibus & offendere neminem.* Habet is blanda sua obsequia, & obsequiosa sua blandimenta, sed quia non dimetitur hæc juxta inclinationem naturalem, quæ mutabilis est & inconstans, nemo non ab ulla exceptione participat ex illis, & nullo non tempore nil aliud exspectandũ ab eo, nisi comitates, lenitates dulcedines. Hoc igitur secundũ est, in quo meum ergà Deum exercebo Zelum in Persona proximi, amando illum modo excellenti, sicut mihi præcipit, non amore naturali, sed supernaturali, ut in quantùm potero, non sustineam in corde meo affectum, qui divinus non sit.

3. Medium se abstrahere à commercio cum creaturis.

Ultra diffundam adhuc Zelum meum, ad conservandam fidelissimè totam animam meam Deo: siquidem, cum sciam, quanta Zelotypia feratur ergà ipsam, continuò & absque intermissione attendam ac invigilabo mihi ipsi. Ne conciliem ipsi vel minimam suspicionem, nullam aucupabor voluptatem ex commercio creaturarum, nec aliquam sectabor extra ipsum consolationem: siquidem non est amare ipsum summè, si quid est, quod mihi magis placeat illo; non est amare ipsum unicè, si desiderem quid aliud, quàm ipsum, ad capiendam ex illo meam delectationem: unico Verbo, dicere non possum, me amare ipsam ex tota anima mea, si dispertiar illam inter ipsum & creaturas. Sed qua ratione vivere possumus in mundo, ubi versamur & implicamur in medio creaturarum, abs eo, quod aliquod commercium vel conjunctionem habeamus cum illis, non magis, quàm si versaremur in abditis alicujus deserti? speculatio circa hoc est pulchra, sed praxis illius impossibilis.

Verum est, praxin profundæ solitudinis interioris, ubi anima commoratur sola cum Deo solo, abs eo, quod dissipetur ipsius attentio vel affectus tumultu creaturarum, quæ versan-

tur

tur extra, quasi non esset Deus, & ipsa in mundo, videri impossibilem animabus, quæ non habent nec cognitionem nec amorem DEI, quæque totæ carni immersæ, non cogitant, aliud quid esse in mundo, quo occupare se debeant, nisi quod suis obiicitur sensibus. Pro talibus concedo, ipsam esse impossibilem.

Difficultates, quas animæ inveniunt in recollectione cum Deo.

Verum etiam est, videri illam valde difficilem iis, qui non habent nisi levem cognitionem DEI, & mediocrem illius amorem, eoquod dividere semper volent cor suum inter DEUM & creaturas: Religionis plus habent, quàm quod velint omninò renuntiare mundo: vellent libenter servire duobus hisce Dominis, abs eo quod minimum deficerent in eo, quod utrique debere se putant; & in hac divisione inveniunt, quod mundus quasi totum auferat, tamque parum attentioni & amori ergà DEUM residuum maneat, ut ipsimet ex eo confundantur, seque affligant: protestantur hoc fieri contra intentionem suam, seque sæpius recordari velle DEI, ipsumque magis amare, sed trahi se insensibiliter aliò contra voluntatem & propositum suum: & quando illis fit sermo de interiori quâdam recollectione, quæ animam semper defixam & conjunctam Deo servat, inveniunt hanc esse violentiam & torturam sibi insupportabilem, mihilque in mundo magis esse difficile. Plerique devotionem aliquatenus colentes hic hærent, vellent libenter ambulare in ipsius præsentia, in quo tamen summam experiuntur difficultatem.

Quàm facile sit bonæ animæ collectam manere, & intentam Deo soli.

Sed reverà nihil est facilius nec acceptabilius animæ, quæ semel profundè sibi insculpsit hanc veritatem fidei, quod Deus sit omnia, & cuncta cœtera sint nihil, nisi umbra, quæ præterit: siquidem cum omnes creaturas aspiciat velut somnia, illasque summè despiciat, dignabitur nequidem illarum recordari, cum ab alio objecto, quod infinitâ ratione illi præfert, se trahi sentiat. Nil magis delectabile est bonæ animæ, quàm unicè se affixam tenere Deo soli, postquàm semel benè degustavit dulcedinem maximi hujus præcepti, obligantis nos amare Deum ex toto corde nostro, ex totâ anima nostrâ, & ex totis viribus nostris; postquam benè informata est de ipsius ergà se Zelotypiâ; vi cujus vult, ut non habeat oculos, nec cor nisi pro se solo; ipsaque firmiter in animum induxit, secumque decrevit divinæ huic respondere Zelotypiæ, quanticumque stetetit

rit sibi: postquam ipsa experimento didicit, quàm verum sit, quod secum is suas capiat delicias,& ipsa reciprocè suas inveniat cum illo infinitâ ratione majores, quàm universus simul Mundus impertiri sibi posset. O quàm est procul ab eo, ut torturam inveniat vel violentiam, dum recollecta manet. Cum ipso solo in Sanctuario interioris sui, in abdito Cordis sui! Quàm molestam econtra ubivis alibi patitur illatam sibi vim, quoad revertatur ad ipsum, & in ipso velut in Centro suo requiescat.

Voluptas amicitiæ reciprocæ.

Imaginare tibi duos amicos intimos, qui abstracti & soli in interiori suo conclavi jucundè fruantur suavitatibus amicitiæ suæ, sua mutuò effundentes corda, sibique invicem arcanissima sua communicantes sensa: si in medio colloquii avocetur ipsorum unus, ad tractandum momenti alicujus negotium: O DEUS, quantum fastidium! Exspecta me, inquit, unico instanti, revertar illicò: vadit cum tædio; sed non vadit, trahitur invito se: expedit quamprimùm potest suum negotium, interim suo Corde nunquam non præsens amico suo, & ubi primum solutus est ac liber, revertitur currendo, suo potiturus iterum Paradiso; â quo cum tantillo abfuerit temporis, videtur sibi integro ab eo abfuisse sæculo. Hæc non est nisi rudis delineatio fidelitatis, quâ anima, quæ se totam consecravit DEO soli, agit cum ipso in solitudine Cordis sui, velut amicus cum amico suo. Sed O DEUS! Qualis amicus? O Deus! Qualis amicus? omnes amici totius Mundi simul, in comparatione cum hoc non sunt nisi tepor, nisi frigus: & juxta proportionem, quò major fuerit hujus animæ erga ipsum amor, tantò suavioribus ex ipsius commercio perfunditur deliciis, majoribus demulcetur voluptatibus.

Bona anima nullibi consolata nisi in Deo.

Conditio vitæ humanæ cogit ipsam se sæpius paulisper distrahere ab eo, ad agendum cum creaturis; & hoc est tormentum ipsius. Nam cum ipsa nihili pendat omnia illa, quæ DEUS, non sunt, in nullo quod agit, invenit voluptatem, nisi duntaxat in eo, quod divinam exequantur voluntatem. Quamdiu exterioribus ocupatur, desiderio suo nunquam non trahitur ad interiora, continuoque revertitur ad dilectum suum, quem nunquam deseruit Corde. Quamprimùm illata cessavit vis, ipsaque se liberam cernit â negotiis, quibus fuerat intricata, non opus est aliquâ contentione revertendi ad ipsum;

sum; rapitur illuc majori cum velocitate, quàm rapitur lapis ad centrum suum, quando manus, quæ ipsum suspensum retinebat in äere, cessavit ipsum sustentare: ubivis alibi afflictam se sentit, nullamque admittit consolationem, nisi sit in Centro suo. Videtur sibi similis esse filiis Israël, qui dum gemebant sub captivitate Babylonicâ, suspenderunt organa sua & instrumenta musica in salicibus, plangentes se continuò velut exules â perdilectâ sua Jerosolymâ; & dum incolæ regiones ipsos exhortarentur, ut exhilararent se, & hymnum cantarent de Canticis Sion, responderunt ipsis gementes & suspirantes præ tædio & dolore: *Quomodò cantabimus Canticum Domini in terrâ alienâ*: quâ ratione minima nos posset demulcere voluptas extra dilectam constitutos Patriam: Quâ ratione posset anima, degustatâ semel dulcedine sibi â DEO propinatâ, in interiori suâ solitudine, aliquâ posset alibi perfundi Consolatione: æstimat ubivis, nisi hic, sibi esse malè.

Psal. 136.

Ecce igitur meum, quod cepi consilium dicebat hic illis: Ita enim credo exercendum esse Zelum animæ meæ ergà DEUM, devovendo hanc illi totam integram, cum accuratâ horum trium observatione. 1. Non admittam ullum amorem in Cor meum, qui possit ipsi displicere. 2. Amabo nihil amore purè naturali. 3. Abstraham me, in quantum potero, saltem interius, ab omnibus creaturis, & nullam quæram Consolationem, nisi in DEO solo.

ARGUMENTUM.

Magnus habendus Zelus inducendo universos ad amandum Deum, ipsique inserviendum.

Articulus II.

Zelus demonstrandus inducendo omnes ad amorem Dei. 2. 2. q. 25. a. 8.

Valde benè hoc factum est, inquit alius, interpellans ipsum; egregium tuum approbo & ratum habeo Zelum, ipsumque imitari vellem; Nollem tamen extendi illum ad me solum; dilatare vellem ipsum ad omnes meos praximos, exstimulando illos pro viribus ad servitium & amorem Dei. Et credo difficile esse animæ, magno accendi Zelo erga Deum, quin fortiter incitetur ad extendendum ipsum usque ad proximum: siquidem sanctus Thomas nos docet, quod, cùm non nisi idem sit amor, quo amamus Deum propter Deum, necessariò sequatur, quod, quantò majorem habuerit anima Zelum ergà DEum; tantò majorem etiam habitura sit ergà omnes suos proxi-

mos, quos tantùm conabitur, quantùm semetipsam, perducere ad Deum, eòquod hos diligat propter ipsum, cui tantò magis suum demonstrabit amorem, quantò magis laborando procurabit, ut ametur: *Cùm ex Charitate diligatur proximus propter Deum; quantò aliquis magis diligit Deum, tantò etiam magis ad proximum dilectionem ostendit.*

In quo apparatu miserit Deus Apostolos in universum mundum.

Considero, quod charitas sit ignis, quando Deus in divino suo amore confirmavit Apostolos in die Pentecostes, ita ut deinceps ampliùs labi non possent, largitus est illis spiritum sanctum in formâ ignis. Non fuit contentus acendere illo ipsorum corda; sed misit illis linguas igneas, quæ se collocarent super ipsorum capita, veluti super thronos suos; & in hoc apparatu misit illos, portare Evangelium in universam terram, quasi versurus totũ mundum in ignem, & accensurus omnia corda hominum eodem igne, quo ipso conflagrabant. Nunquam locutum est aliquid voce tam alta, tamque clara ad declarandum nobis, quod omnis zelus alicujus animæ ergà Deum sese convertat in linguam & in ignem: in linguam ad loquendum incessanter de illo & annuntiandum ubique ipsius magnitudinem: in ignem, ad calefaciendum omnia, ad succendendum omnia, & excitandum omnes homines ad amandum ipsum ex tota anima sua.

Maximè fames ignis.

Charitas est ignis. Jam natura est, esse insatiabilem, & nunquam dicere: sufficit. Vides ignem propè parvam siccorum lignorum struem: si scires intentionem ipsius, desideria ipsius, rapereris forsan in admirationem. Quid vis facere parve ignis? Accendam & comburam omne hoc lignum. Verùm hoc facto an contentus eris? Non, sed comburam etiam posthæc omnia conclavia: His combustis an acquiesces? Non, extendam me ulterius, & comburam totam domum: saltem hac in favillas acta, factum fuerit tibi satis? Nullatenus, magis avidus, magisque accensus ero quàm antea, & comburam totam civitatem. Sed post hoc utique desines devastare omnia? Non, extendam flammas meas, usque ad regiones vicinas, comburam & consumam omnia, quæcunque assequi & attingere potero. Et postquam hæc omnia fecisti, utique saturata erit fames tua? Non, è locis vicinis excurram ad remotissima quæque, comburam, quidquid apprehendere potero, sepes, arbores, fruges, sylvas, oppida, pagos, homines & animalia, & cuncta, quæ sub meam cadent potestatẽ.

Sed

Sed tandem an universali intendis desolari Mundum incendio? An ergò nunquam contentus eris? An nullos unquam admittes limites? Nunquam, comburerem mare & terram, & omnia elementa, nec parcerem ipsis cœlis, si hæc omnia combustibili constarent materiâ, measque illuc flammas protrudere posse: *Ignis nunquam dicit: sufficit, Ecce tibi genium & inclinationem ignis.* Prov. 30.

Ardor charitatis æquiparatur ardori ignis.

Ejusmodi etiam sunt sanctæ charitatis ardores; vellet hæc convertere omnia in semetipsam: hoc est, quod tam longis accingit itineribus tot sanctos ac ferventes missionarios, qui relinquunt omnia, qui exponunt vitam suam arbitrio fluctuum & tempestatum maris, crudelitati efferatarum gentium, inclementiæ climatum quorumcumque rigidissimorum. Quid ipsos expellit ad extremos mundi limites? Quid ibi inquirunt? Quodnam desiderium ipsos agit longiùs, quàm avaritia agere unquam potuit avidissimos mercatores? Ignis hic est cuncta devorans, & nunquam dicens: sufficit; charitas hæc divina est, quâ accenditur cor hoc Apostolorum, quod accendere vellet igne eodem, quo ipsum ardet, omnia corda hominum.

Zelus Missionariorum.

Novit tot reperiri paupercu-las animas, pro quibus Filius DEI tam longum emensus est iter è Cœlo in terram, demonstrans nobis, has magis se amare, quàm propriam vitam, cum mori pro illis voluerit in monte calvariæ. Zelus, quo pro ipsius exardescit gloriâ, sufferre non potest, tot pretiosos thesauros, tanti â se emptos sibique tam charos, ipsi surripi ab ignorantiâ & infidelitate. Adhæc ardens amor, quo prosequitur animas fratrum suorum, quos diligit velut seipsum, intueri illos non potest inevitabili expositos periculo decidendi in barathrum inferni, ad ardendum ibi in sempiternum, quin moliatur omnia, seque resolvat, tolerare cuncta propriam etiam exponendo vitam, ad succurrendum illis. Quis diffitebitur, quod impossibile sit dignius exercere Zelum suum, quàm sacrificando Personam suam, sicque suam profundendo vitam, in glorioso hoc charitatis negotio?

Sed quando videmus plures illorum in exercitio divini hujus Zeli tam eximios, quorumque incomparabilis charitatis exemplanos rapiunt in admirationem; Nonne pudore suffundamur, videntes nos in comparatione cum illis non esse nisi frigus & glaciem? Quomodo dicere possumus, amare nos Deum,

glaciem? Quomodo dicere possumus, amare nos Deum, si nullo promovendi ipsius gloriam inardescamus Zelo? Quomodò verum est, amare nos proximos, nisi laborandi pro ipsum salute nos stimulet ardor? Itane? loqui non audeamus de Deo in nostris Congressibus: ac Conversationibus: sæpe etiam, dum offendi ipsum videmus, velut abjecti & ignavi taceamus? Itane? Nobis non sit animus loquendi de ipso nostris domesticis, nostris familiaribus, quos negligentes ac tepidos videmus in ipsius servitio? non dicamus illis unicum verbum, quo ipsos lucremur, & omni possibili modo exstimulemus ad serviendum ipsi majori cum fervore?

Confundi deberemus de parvo nostro Zelo.

Itane? Videamus dominari liberè peccatum in aliqua civitate, triumphare insolenter impotentem quidvis agendi libidinem tot miseras Fratrum nostrorum perire animas: hos ob modicum exigui lucri servire peccato, ut lucrentur panem: illos ex defectu debitæ instructionis aberrare & agi in præcipitia velut cœcos: alios ex carentiâ auxilii jacere oppressos â malitiâ adversarii potentioris, contra quem tueri se nequeunt: videamus tot pauperes animas adhuc innocentes, quæ versantur in manifesto perditionis periculo, nisi porrigatur illis, quæ inde eruat ipsas, charitativa manus: & nos zelum non habeamus impendendi nostras facultates, totos nos ipsos, nostram existimationem, nostros amicos, nostras curas, nostram vigilantiam, & omnia, quæ in nostrâ sunt potestate ad succurrendum illis? Et dicere audeamus, amare nos Deum, zelare ipsius gloriam? Persuadere possimus nobis, nostros amare nos proximo, sicut nos ipsos, uti Lex Dei, præcipit nobis sub pœnâ æternæ damnationis? Parati simus nostras devovere & consecrare animas pro fratribus nostris? sicut sacra Scriptura luculenter nos obstringit his dilecti Discipuli verbis: *Et nos debemus pro Fratribus animas ponere;* nos, quibus Zelus non est ponendi nostras facultates, nostrum laborem, nostram potestatem, nostramque existimationem. 1. Ioan. 3.

Differentia zeli antiquorum & modernorum Christianorum.

Olim Christiani ponebant suas animas pro Deo solo, nunc incumbit nobis nostras ponere animas pro fratribus nostris: olim suum demonstrabant Zelum disseminando & annuntiando gentibus fidem, nunc noster demonstrandus est nobis, exercendo charitatem. Olim Zelus, quo ardebant ergà DEUM, animabat ipsos

sos ad luctandum contra vanas gentilitatis superstitiones, ut imminuerent numerum idololatrarum, & Christicolarum adaugerent cœtum, adoratorum JESU multiplicarent turbas: nunc, si Zelo succendimur ergà DEUM, collocandus hic nobis erit ad oppugnandum morum depravationem, Vitæ semi-Christianæ socordias, execrandas sæculi leges ac regulas, imminuendum innumerabilem numerum mancipiorum mundi, & multiplicandum pusillum gregem servorum Christi Jesu.

Olim Christigenæ, gementes sub tyrannide Principum idololatrarum, non credebant in bono se esse statu, nisi parati semper forent ad profundenda sua bona, suas personas, suam libertatem, propriam suam vitam, ad propugnandum suam fidem, & observandum lucra & commoda Christi JEsu, haud quaquam anxii de tormentis sibi præparatis. Et nunc cessantibus, qui crudeliter effundebant sanguinem, in Ecclesiâ Tyrannis, nobisque gementibus sub servitute mundi, qui non amplius persequitur veros DEI servos ad tollendum ipsis vitam corporalem, sed potius exspoliandum ipsos vitâ animæ suæ: credamus bonam nos circumferre conscientiam, nisi expediti semper simus, ad consecrandum nostras facultates, nostras personas, propriam nostram vitam, si ita exigeret necesitas, ad conservandum spiritûs Christiani vigorem, quem indies magis que extingui videmus, sicut & ad propugnandam salutem animarum fratrum nostrorum in depravatione morum pereuntium, dum contemnunt omnia sancta Evangelii effata ac placita, ut sectentur mundum & vanitates ejus?

Nobis omnibus laborandum est ad conversionem mundi idololatræ.

Mundus olim totus idololatra, nonne hodiedum adhuc talis esset, nisi omnes primi Christiani fuissent quasi tot Apostoli, incomparabili zucensi Zelo, ad deducendum ipsum ad Christi fidem & cultum? Modò, dum non amplius est idololatra & adorator fictorum Numinum, sed est idololatra & cultor vitiorũ, voluptatum & vanitatum; dumque ii, qui nomen gerunt Chtistiani, opprobrium & dedecus sunt Christi JEsu; Nonne magis lamentabilis sit status ipsius? Quid refert, quæ falsa adoret numina, dum non adorat Dominum Deum suũ, dum illi soli non servit, dum ipsum non amat ex toto Corde suo, ex totâ anima sua, ex totis viribus suis? Nonne idem quasi hoc sit gerere apertè nomẽ idololatræ, sicut sectari ejusdem praxes & sensa, ac gerere in vanum nomen Christiani?

Jam

Quanti sit lucrari animam.

Jam quis dubitat, quin, sicut Zelus primorum Christianorum mundum idololatram perduxit ad fidem Christi Jesu noster Zelus, si quendam haberemus, eundem eruere posset ex effrænatâ vivendi licentiâ & imbuere moribus Christiano statu & conditione dignis? sed nemo quasi est, qui alat in corde suo zelum. Apostolicum strenuè operandi, ad promovendum gloriam DEI, & ad augendum bonum spirituale animarum fratrum suorum. O si sciremus, quid in nos dimanet utilitatis, si unicam tantùm lucraremur animam D E O, sive reducendo ipsam ab errore, sive fastidium ingerendo mundi, & saporem instillando pietatis. Sanctus Jacobus Apostolus integram suam Epistolam, admirandis his concludit verbis: *Fratres mei, si quis ex vobis erraverit â veritate, & converterit quis eum, scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Jac. 5. Non est quasi possibile aliquem, cujus Zelus unicam duntaxat lucratus fuerit animam Deo, perdere posse suam in æternitate.

O! si possemus--- volebat prosequi discursum suum, sed alius impatiens moræ & cupidissimus pariendi sui sensa animi, quibus plenus erat, interpellavit ipsum, & sic profari cepit.

ARGUMENTUM.

Non melius ostendere possumus Zelum animarum nostrarum erga Deum quàm lucrando illi plurimas, quas possumus, animas.

Articulus III.

Lucrari animam Deo, est acquirere illi Regnum.

Ecce cur non possemus, si volumus, imitari Zelum tot bonorum DEI famulorum, qui Corpus suum & animam suam consumpserunt dilatando regno DEI, quem tanto cum ardore dilexerunt, ut optimè collocatam suam credidissent vitam, si potuissent ipsi servire ad procurandum unicũ duntaxat atomum gloriæ exterioris, cum interiorem aliquam ipsi adjicere omninò sit impossibile: & quia considerabant, quod unicam ipsi lucrari animam, si ipsi acquirere regnum, quod omnibus mundi regnis æstime pluris, nil nisi id solum destinantes animo, nulli parcebant labori, ut in magno hoc negotio felicem sortirentur effectũ, quem majoris censebant momenti, quàm omnes urbes expugnatas, Provincias subactas &

& Cæsarum & Alexandrorum, pro quibus susq; deq; verterunt universum Orbem, & tantum humani sanguinis effuderunt.

Est majus, quàm dedisse omnia bona sua pro Eleemosyna.

Hinc est, quod sanctus Joannes Chrysostomus tam ardenter inculcârit populo suo zelum, quo unusquisq; curare debeat salutẽ alterius, illis dicens: Charissimi Filii mei, solatio estote mihi in unico, quod maximè me angit, & ardentissimo succendit desiderio, unusquisq; vestrûm unicum duntaxat suorum mihi lucretur Fratrum, bonumq; faciat ex eo servum DEI, & contentus sum. Hinc & alibi dixit. Nonne consideratis, unicam animam, majoris abs comparatione esse valoris, universo simul materiali mundo, & consequenter nihil pretiosius donare vos posse DEO, quàm unicam ipsi offerre, quam lucrati fueritis, animam. Convertite solummodò peccatorem, & plus feceritis, quàm si gazas immensas distribueritis egenis ex amore DEI: *Etiamsi divitias innumerabiles pauperibus erogaveris, nihil tale efficies, quale is, qui animam converterit.*

Hom. 4. in 1. Cor.

Est majus, quàm fecisse omnia bona opera in mundo.

Si DEUS mihi fecisset gratiã, unicam solummodò convertendi animam, eamq; deducendi ad portum salutis æternæ, crederem plus gloriæ procurasse DEO, quàm si omnem ipsi contulissem gloriam, quam reddere illi possent omnes sancti in terra per cuncta sæcula. Ratio est, quod omnes laudes, quas cuncti homines reddere possunt DEO in terris, finitæ sint numero, & desinant cum tempore. Sed laudes, quas unica anima reddet DEO in Cœlis per omnem æternitatem, sunt infinitæ; quarum numerus iniri, quarum terminus videri non potest, ultra quod alterius omninò sunt excellentiæ, quàm illæ, quas canta re ipsi possumus in hâc, ubi ingemiscimus, lachrymarum valle. Et si tanti res sit ponderis, unicam duntaxat ipsi lucratum esse animam, quid erit illarum acquirere plures? DEUS vive! Quid cogitamus? Si amamus DEUM, si zelamus ipsius gloriam; ut quid hic zelus semper indormiscat, tamque maneat infructuosus ac inutilis, cùm tanta tamque grandia præstare possimus pro ipso? Quid vetat, quid prohibet, quò minus id faciamus, nisi quia nolumus!

Zelus admirabilis sancti Simeonis.

Sanctus quidam eremita nomine Simeon, postquam viginti quinque annos in suo transegisset deserto, exercitiis occupatus Angelicis, eminentissimâ cum perfectione, inde exire statuit secum, munus deinceps obiturus Apostolicum, currendo per

vicos, & campos, totus accensus zelo, conflagrans desiderio DEO lucrandi animas. Abbas Joannes nullum non movit lapidem, id ipsi dissuadendo & ponendo ob oculos, esse id posse tentationem diabolicam, quâ impellatur denuò remeare in sæculum, quod deseruerat, vitamque solitariâ semper essemagis securã. Sed ipse magno respondit spiritûs fervore: An solis nasci mur nobis, & non etiam omnibus proximis nostris? An propria tantum quærenda nobis sunt commoda, & non illa tum DEI, tum fratrum nostrorum? Quantum ad me, non crederem in cœlum me ire cum securitate, si illuc abeam totus solus; Contendam & mecum deducere illuc totum, si potero mundum. Exiit totus DEI spiritu ebrius, ubique ex suâ diffundens abundantiâ, mirabilesq; reportans animarum fructus.

Zelus stupendus sancti Bernardi.

Divus Bernardus, qui cum ardoribus zeli sui, conjunxit dulcorem gratiæ tam abundantis in corde suo, ut hæc effuderit se in labia ipsius velut torrentem lacteum, cùm legeret verba illa Apocalypseos: *Qui audit, dicat: veni*; credidit, hæc dicta sibi esse, Spiritum q; DEI admonuisse se, ut totum invitaret & evocaret mundum ad cognitionem & amorem infinitæ bonitatis suæ. Ex hoc tempore, sicut advertit quidam ex Abbatibus, qui scripsit vitam ipsius, factus est velut ignis succensus, qui omnia, quæcunque attingere potest, consumit ac devorat: *Sicut ignis, qui comburit sylvam, & sicut flamma comburens montes*; *Sic ignis, quem miserat Dominus in cor servi sui.* Exinde agressus est igne hoc cœlesti omnium cremare & adurere corda; Inprimis convertit fratres suos, posthæc amicorum suorum non paucos; & exin eosdem contulit ardores ad conversionem familiarium ac notorum suorum; quo non contentus totam succendit tum Galliam, tum Italiam, regiones pietati & sanctitati addictas; Cumque ipsius ignis semper magis excresceret, dilatavit zelum suum usque ad nationes infideles, & regiones remotissimas exstimulando litteris suis illos, quos informare suo non poterat eloquio, nunquam non insatiabilis lucrandis & acquirendis DEO animabus. Et quando ipsius studia suis quandoque frustrata sunt votis, inde se affligebat & ingemiscebat coram DEO, non absque calentium profluvio lachrymarum.

Guilielmus Abbas Lib. vit. c. 3.

Apoc. 22.

Verùm,

Pulchra responsio Sancti Bernardi.

Verùm, mi Pater, c affligis te? tuum non perdidisti laborem, nec laboris præmium: tu fecisti ex parte tuâ quod poteras, tuas huc conferens curas, fervorem ac zelum; DEUS in acceptis habebit bonam voluntatem tuam, cujus æquè reportabis remunerationem, ac si ipsorum convertisses animas. Quam fatua & vacua hæc mihi est consolatio, dicebat! Benè novi, DEUM non contemnaturum meam bonam intentionem: *Me tamen minimè ista consolabuntur, mortem Filii intuentem*: si aliud non quæsivissem nisi expeditionem mei muneris, meæque exsolutionem obligationis, contentus omninò forem, sed quæsivi salutem Fratrum meorum; & hanc prò dolor non obtinui; Ut quid ergò me affligi, vetas mihi? An mater, quæ filium suum inter brachia sua videt morientem, non affligitur ex eo, quod omnès suas contulerit curas, adhibuerit remedia, ut mortem arceret ab eo? Et ego videam unum è fratribus meis morientem morte æternâ, nil proficiente tenui meo conatu, abs eo, quod affligam me? Misera hæc anima est perdita in æternum; *Christus Jesus* totum in ipsâ perdit regnum, quod emerat sui pretio sanguinis, & ego in eâ perdo inæstimabile luceum: persuasum firmiter mihi habeo, verum dixisse sanctum Chrysostomum, dum affirmat, quod *unâ animâ recuperatâ, poterit aliquis mille defectus abolere.* S. Chrysost. caten. aurea.

Benè novi, quod, cùm Spiritus sanctus nos omnes simul conjunctos & unitos teneat eodem sanctæ charitatis vinculo, obligari simus omnes ingentem habere zelum pro gloriâ DEI, & reciprocâ salute, nostrâ & fratrum nostrorum, neminem in hoc esse dispensatum ac legis immunem. Nihilominus obligatio hæc congeminatur, & multò major est in iis, quibus ex munere incumbit curam gerere animarum: Non securi sunt hi de salute suâ, quàmvis alias, quoad personam suam, intemeratæ sint vitæ; tot pereundi exponuntur periculis, quot directioni suæ subjectas habent animas.

Exemplum terribile pastoris negligentis in curâ animarum. Exempl. 2. Dist. 9.

Magnum speculum exemplorum ex historiis Anglorum hâc super re terroris plenissimum enarrat factum. Fui Clericus quidam in diversis Ecclesiis, & Decanus in una: cumq; infirmaretur graviter, visitatur â quodam sancto viro familiari suo; cumq; incepisset eum monere de via salutis,

mox obscurata est camera, & vox mirabilis terroris audita est. Surge, surge sacrilege, exspoliator Christi & interfector pauperum, veni & accipe indumentum. Cumque ille subitò expirâsset, & corpus ejus nigrum tanquam carbo fuisset dimissum, sanctus vir cum horrore & timore ad suum Monasterium perrexit, & rogabat DEUM, ut ei dignaretur ostendere judicium illius Clerici. Et unâ die eo orante apparuit sub tali formâ. Duo equi ignei cum sellâ stabant juxta eum, unus ante & alter retrò, & firmabant pedes anteriores super humeros, & cum dentibus frangebat ossa & omnia membra ejus, & in quâlibet sellâ equi stabat una sarcina. Cùmque sanctus corrueret præ horrore visionis, ille Decanus cœpit dicere: Quare vocâsti me miserum, cum non vis mihi loqui? Cumque resumptis viribus interrogâsset, quis esset, respondit: Ego sum talis Decanus maledictus & damnatus, quondam familiaris tuus. Tunc sanctus: Quæ est ista horribilis pœna tibi data à DEO? Tunc Decanus: Hi sunt duo equi ignei, qui inspirant ignem per omnia membra mea, & conterunt & comedunt omnia mea ossa, sicut equus comedit substantias pauperum: unus portat peccata mea, & alter peccata populorum, à quibus oblationes, decimas, anniversaria & præbendas recepi. Tunc sanctus: Miror, cùm fueris mundus homo, discretus & Ecclesiasticus; Quare sic es damnatus? Tunc Decanus: Non mireris de hoc, sed mirare quomodò Clericus habens Ecclesiam potest salvari. Cùmque ille adjurâsset eum, ut diceret causam, dixit: Attende ad stabulum Clericorum, & ad Ecclesiam. Illud conservatur à pluviâ & à Contrariis, & Ecclesia ruit: Attende ad vestes Clericorum & sacerdotales. Numerus primarum præ multitudine ignoratur, secundæ autem nullæ sunt, vel sic fractæ aut fœtidæ, quod vix possunt portari. Attende ad mensam eorum & ad Altare Christi, In mensâ eorum vasa aurea & argentea, in Altari vix calix stanneus reperitur. Et hæc est porta damnationis & præcipitii Clericorum. Tunc flamma fœtidissima Decanum cum equo elevans, mirabili cum dolore, à præsentia sancti viri evanuit. O DEUS! Quàm ferventem oportet habere charitatem! Quàm ardentem zelum pro gloria DEI, & salute proximi? Quantum oportet amare gre-

gregem, ut oneret quis semetipsum factis & actis illius, seque obliget ad reddendum de iis rationem coram Judicio DEI, & animam pro animâ! Quis est, qui seriò consideret verba illa, quæ *Christus Jesus* dixit sancto Petro, quando instituit ipsum Pastorem universalis Ecclesiæ: *Petre amas me? Petre amas me? Petre amas me?* O quantam requirebat amoris abundantiam per repetitam toties instantiam! An amorem habes ergà me? An amorem habes ergà oves meas? An amorem habes ergà teipsum & salutem tuam? Et postquam Petrus ad hæc omnia mirabili cum fervore respondit: quod amaret, quod amaret, quod amaret in mandatis ipsi dedit: *Pasce oves meas;* has tibi comitto, has tuæ consigno curæ & charitati. Non dicit illi: pasce temetipsum ovibus meis, tonde ipsarum lanam, manduca ipsarum carnes, & posteà neglige, despice, desere illas.

Joan. 21.

Vide sancti Bernardi Epistolam 42.

Eheu! curritur ad munera, quasi non essent nisi blanda alleviamenta; afferunt gaudium, quando haberi possunt, quasi essent optima ad jucundè, beateque vivendum media: & non advertitur gravissima esse onera ipsis Angelicis humeris formidanda. Nonnisi cogitatur de exaltatione, absque eo, quod attendatur præcipitium, quod paratur; sed nec perpenditur, quod quantò fuerit exaltatio sublimior, tantò futura sit ruina, si lapsus contingat, irreparabilior: promittitur sibimet vita à curis soluta, & curarum ponderè obruitur hæc tota, & sæpè contingit, reipsa harum plures haberi, quanto magis creduntur evitari: tota cura est pro bonis temporalibus, quia hæc unicè fuerant scopus, quò collimabant, dum munera acceptabant: Cœterorum omnium negligitur cura, quasi forent crepundia, quibus nulla debeatur memoria, nulla sollicitudo vel minima. Interim duces cœci, Pastores lupi, & carnifices animarum formidanda hæc verba audietis tandem, quæ DEUS per os Vatis sui intimat vobis: *Ululate Pastores, & clamate, & aspergite vos cinere, optimates gregis, quia completi sunt dies vestri, ut interficiamini*: Jam satis impinguati estis vanitate & gloria, tempus est, ut rapiamini ad macellum inferni, ibidem enecandi ulciscentes gladio justitiæ magni DEI.

Jerem. 25.

Ubi sunt animæ tuo concreditæ ac demandatæ munere?

ri ? Ubi cura, quam gessisti de grege tuo ? Ubi bonorum temporalium, quæ tanto cum rigore exegisti ab illis, bonus ac licitus usus ? ubi bonum spirituale, quod in permutationem reddidisti illis ? Redde Christo Jesu omnes animas, quas pretioso suo redemerat sanguine, quasque tu ex tuâ perire permisisti negligentiâ, vel quas ipsemet malo tuo perdidisti exemplo ac scandalo. Tot jam ridigissima sustine examina, quot gregis tui numerâsti animas : & si unica tantùm interierit, ex defectu debitæ impensæ curæ, quæ exspectari potest â magno zelo & perfecto amore, erit anima tua, pro animâ illius : *Mirare, quomodò Clericus habens Ecclesiam potest salvari.*

Habebat hic animum suum refertum adhuc aliis affectibus piis ac salutaribus, quos in medium proferre volebat, sed interpellavit ipsum quartus quispiam, & dixit illi. Nobis proponendæ non sunt veritates adeò tum horrendæ, tum stupendæ, eòquod nobis, per gratiam DEI, nulla incumbat cura alterius animæ, nisi nostræ, & pignorum ac domesticorum nostrorum. Sed satis est, quod obligemur ad cogitandum de nobis, & dignè exercendum zelum nostrum, si quem habemus, ergà DEUM. Et sic desuper ipsis locutus est, ad concludendum totam consultationem.

ARGUMENTUM.

De Zelo, quem quilibet habere debet pro salute liberorum, & domesticorum suorum.

Articulus IV.

COnsideravi sæpius verba ista sancti Pauli in primâ ad Timotheum : *Si quis suorum, maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Juxta hanc regulam, de quâ dubitare non possumus, cùm sit fidei articulus, certum est, plurimos reperiri Christianos, qui videntur aliis similes, qui frequentant Ecclesiam, & obeunt cætera exteriora Religionis exercitia, & tamen coram DEO infidelitatis asperguntur labe, & non credentibus ac infidelibus accensentur. Siquidem quam curam habent vel liberorum, vel domesticorum suorum ? Hoc non est intelligendum, quod magnam non habeant curam, quâ efficiant, ut ipsi-

1. Tim. 5.

ipsimet ómnem ab ipsis accipiant honorem, obedientiam, servitium: sed quam habeant curam, quâ satagant, ut honoretur DEUS, obtemperetur DEO, in familiâ suâ? Nos commodis nostris maximâ inhiamus curâ, sed illis, quæ DEUM concernunt, parùm invigilamus.

Nemo non zelum habet pro suis; omnes Patres & matres amant suas soboles, ita ut portentum censeretur naturæ, si quis amare illas abnueret: sed omnes non amant illas eâdem ratione. Sunt, qui ament illas pro cœlo; alii, qui ament ipsas pro terrâ; & iterum alii, qui ament illas pro inferno.

Omnes Patres, qui verè Patres sunt, amant proles suas pro Cœlo, & contendunt ipsarum esse Patres, sublimi quâdam ratione, sicut Deus Pater est Pater Filii sui unigeniti in æternitate. Siquidem illas solumodò genuisse secundùm naturâ, est habere fœtus seu catulos more animalium; quod generandi genus attribui potest concupiscentiæ. Non incumbit prolibus magna obligatio ergà Parentes suos, Patrem & matrem, quod genuerint ipsas, satisfaciendo voluptati suæ; sed generare & progignere illas secundùm spiritum, efformando ipsas ad virtutẽ per sanctam educationem, implere ipsarum animas divinis dogmatibus, cognitione Dei, animare ipsarum corda eximijs affectibus pietatis Christianæ, & adniti, ut conferant ipsis sanctitatem; hoc est, progignere filios, sicut DEUS, qui progignit Deum sibi similem, comunicando ipsi suam sanctitatẽ per suum intellectũ. Et secundâ hâc generatione incomparabiliter nobiliore primâ, quia facta est per intellectum & non per carnem, constituuntur verius filiorum suorum Patres: & hoc ipsum est, ob quod filii in æternum obstricti manent Patribus & matribus suis, eòquod generatio hæc nõ possit esse effect', nisi purissimi, verissimi amoris.

Boni patres amant filios suos pro cœlo.

Acceperunt hi ipsos â DEO suæ accensitos familiæ per generationem naturalem, sed annumerari illos faciunt familiæ DEI per generationem hanc divinã: faciunt ipsos hæredes omnium, quæ possident, bonorũ temporalium, dum naturali ipsos progignunt nativitate; sed faciunt ipsos hæredes DEI in regno æterno, nativitate spirituali: conferunt ipsis virtutem ambulandi super terram, respirandi aërem, vivendi vitâ hominum, dum generant ipsos corporaliter è corporibus suis; sed dum spiritualiter ipsos progignunt è mente suâ, tribuunt ipsis capacitatem ambulandi in cœlis, respirandi aërem purissimum sanctæ Charitatis, & vivendi vitâ Angelorũ.

O quàm

O quàm pulchrum est videre Patrem, qui doceat filium suum ab infantiâ, non esse hìc locum habitationis nostræ, eòquod non nisi tristis locus exilii, unde quamprimùm exeundi oporteat habere desiderium; illic autem superius jucunda extare habitacula, quæ præparata nobis sint, ad quorum possessionem æternam continuò aspirandum sit nobis. O quàm gratiosum est audire Patrem loquentẽ, quando docet filium suum appellare DEUM Patrem suum, sicut se: Mi fili, sequere dicentem me: *Pater noster qui es in Cœlis*: Hic est verè Pater tuus, sicut est meus, & ambo amare debemus ipsum ex toto corde nostro. Non habent ambo nisi unum Patrem, & institutus à Patre suo hic filius aspicere Deum velut Patrẽ, utriq; sibi communem, fit frater Patris sui, abs eo, quod desinat esse ipsius filius. Addiscit is reverentiam Patri suo Cœlesti debitam, ex reverentiâ illâ, quam reddere tenetur Patri suo visibili, illius est imago: & Pater etiam addiscit bonitatem à Patre Cœlesti ergà Filium suum, cui is destinat regnum, quod sollicitè conservare ipsi debet, velut parvo Principi æternitatis, & nihil omnium possibilium curarum omittere, ad deducendum ipsum ad sublime hoc fortunæ fastigium, ipsi in Cœlo præparatum.

Sed valdè paucos reperire est ejusmodi Patres, qui hac ratione zelo pleni ac pietate suos amant filios pro Cœlo: plerique non amant ipsos nisi pro terra, & amore purè naturali, ficut amare possunt & solent ipsi pagani. Quid prodest absconderre velle errorem suum sub velo pietatis paternæ naturalis, ad quam nos DEUS obliget, cum revera abs ullo respectu ad DEUM, non sequamur nisi instinctum naturæ, illosque non amemus alia ratione, quàm faceremus, si nesciremus, aliumDeum esse, quàm mundum, & aliam vitam sperandam, quàm vitam præsentem? Quid cogitas, paterna Pietas? Quomodo rem capis, dum cupis filios tuos reddere beatos? Oportet custodire ipsos à malo, oportet ipsis procurare bona, oportet educare illos sub speciosis effatis placitis ac regulis honestatis, oportet ipsis demonstrare magnum tuum amorem ex magnis tuis beneficiis. Imò, omnia hæc necessaria sunt pro vero amore paterno; sed ipsemet intellige & perspice ex his, an amor tuus ergà filios tuos naturalis sit vel supernaturalis, an amor sit Christiani, an amor idololatræ

Patres qui amant filios pro terrâ.

Cujus-

Mala, quæ amor naturalis timere facit.

Cujusmôdi quæso sunt mala, à quibus custodire satagis ipsos? Tu formidas pro ipsis mala fortunæ, contemptum, paupertatem, servitutem; metutis, ne obveniant ipsis adversa, ne monstruosi sint vel deformes, times ne infirmentur & fatis cedant: Nonne cuncta hæc sunt, quæ pagani quoque metuere pro suis possunt filiis? sed formidare, ne sint facinorosi; metuere, ne displiceant DEO, ne vitam amittant æternam; timere super omnia peccatum minimum, velut malorum omnium maximum, quod modo Christiano foret amare illos; An reverà hoc tecum ipse sentis, in temetipso experiris? O quàm paucos videre est, qui cum veritate dicere possint filiis suis, quod sancta Blanca dicebat sancto Ludovico Regi Franciæ, in tenella adhuc ipsius ætate: Tu magnus est Princeps, & DEUS scit, quod propriâ vitâ meâ magis amem te; sed mallem exosculari te mortuum, quàm videre committente unicam duntaxat noxam venialem; minus enim est malum amittere vitam & regnum universum, quàm minimum comittere peccatum.

Bona, quæ amor naturalis desiderat filiis.

Quænam & qualia sunt bona, quibus tuos stimulante amore ditare & dotare studes filios? Nonne sunt bona merè naturalia? Tu desideras ipsis divitias, honores, dignitates, speciosos titulos, splendida & pinguia conjugia, affinitates illustres & lucrosas: Tu exoptas, ut obtineant existimationem magnam, sintque in omnibus ficti atque facti juxta genium ac ingenium mundi. Tu spectabili ac luculento adornas ipsos & ipsas apparatu, spectatum ut veniant, veniant spectentur ut ipsi, & ipsæ: Magnâ tangit & angit sollicitudine, hujus decor & pulchritudo filiæ; nullis parcitur impensis, ut magno cum impendio discat placere mundo. Quando Atheismum vel paganismum profiteris publicè, an tuos amare posses filios & filias alia ratione, an alia illis curare & procurare bona, abs eo, quod vel minimum æstimes bona gratiæ, cujus gradus valore vel pretio superat universa sceptra & solia terræ; abs eo, quod instruas ipsos divitiis virtutum, suppeditando ipsis modum ac media operandi bonum, quo certò obtineant in æternitate bonum infinitum? Nonne verum sit, paucissimos esse, qui amori suo ergà filios alium præfigant scopum, quàm semper collimando ad bona terræ magis, quàm illa cœli; adeoque asserendum sit, rarissimos esse, qui non ament ipsos pro hoc mundo.

Regulæ, sub quibus amor naturalis educat suos natos.

Sed quænam sunt leges & regulæ, sub quarum directione educatis illos? An illæ allatæ è Cœlo, quæ annotantur in Evangelio, sunt primæ, quas profundè insculpere ipsorum curatis mentibus, ut sublimi collocetis loco in ipsorum animis existimationem DEI? An ex adverso ipsorum præoccupatis animos, ut magni pendant rerum mundanarum vanitates? An præ omnibus illis dicitur, quod oporteat amare humilitatem, conplacere sibi in contemptu? An verò, quod magis amare oporteat honorem & gloriam, quàm propriam suam vitam? An præcipuè inculcatur ipsis hujus dogmatis sæpiùs in Evangelio repetiti veritas; quod beati sint pauperes spiritu, non inhiantes bonis terrenis, quod rerũ mundanarum exspoliatio melior sit, quàm ipsarum possessio, eò quod conformes nos faciat pauperi DEO, cujus sumus imitatores? An verò ipsorum inseritur mentibus, quod oporteat corradere divitias, & non nisi, qui has possederint, felices esse ac beatos in hoc mundo? An ab exordio declaratur illis, hanc vitam esse vitã crucis, lachrymarum & dolorũ; quodq; cum credere teneamur velut articulum fidei id, quod *Christus Jesus* verbis ã manifestis nobis dixit: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis; persuasum sibi habere debeant, vivendũ sibi esse in professione suâ Christianâ, quemadmodũ in Religione valde austerâ? An ad hoc educantur? An verò habentur ita, ut assuefiant deliciis, cupediis, capiendis suis comoditatibus, ut abhorreant omne quod affligit, suisq; quantum possunt, blandiantur, lenocinentur, indulgeant corporibus?

Eheu! vix reperire est Patres, qui suos educent liberos juxta regulas Evangelii, & non juxta illas mundi, qui æstimandi sint verum habere zelum Christiani, de quibus cum veritate dici possit, quod ament illos pro cœlo & nõ pro terrâ: Quàm pauci, O Deus! Quàm pauci sunt illi! dico etiam inter illos, qui sectantur institutum devotionis magis particularis, quàm cœterum vulgus Christianitatis, qui non ament suos natos amore purè naturali, sicut pagani & infideles! Quàm pauci sunt deniq;, qui tantùm non ament illos, vel magis pro terrâ, quàm pro cœlo! siquidem quis est, qui non habeat tantam vel majorẽ curam de corporib?, quàm animabus illorũ? Quis est, qui nõ accumulet illis tanta, imò plura bona caduca, quàm æterna? Quis est deniq;, qui non reprehendat illos tantâ, imò majori cum severitate, quando quendam comiserint errorem contra leges decentiæ, quas statuit mundus, quàm quando patraverint noxam contra leges DEI?

An

An zelum habeamus ita pro gloriâ Dei, & nostrorũ salute proximorum? si aliquem habemus, eheu, quàm est tepidus, quam socors & ingnavus!

Dolor Patris videntis se Patrem alicujus damnati.

Pattũ & matrum est, suos instituere natos, ad formandos primos gressus in terrâ; Ipsorum quoq; est, ut ambulare & suos dirigere gressus edoceant illos versùs Cœlũ, ubi primùm inceperint usũ quodã potiri rationis. O si primitùs inserent ipsorũ mentibus magnũ quendã contemptũ mundi & sublimé existimationẽ Dei! Primos affectus, quos recipimus à teneris, retinemus semper. Primũ, quod ingredimur, iter, dũ edocemur, quod bonum sit, nosq; ad desideratam deducat metã, prosequimur facilè. Quid dicent Patres & matres, si ipsi à principio suos abducant natos à recto tramite, eòquod ipsimet forsan nõ teneant rectam Cœli viã? Quid dicent filiis suis sibi exprobrantib?? Non fueratis vos Patres, sed parricidæ, eòquod, cùm dederitis nobis vitam temporalem & admodùm miserandã, faciatis nos perdere æternam, & in æternum beatam. An magno vobis erit honori, vel magnæ consolationi, Patrẽ existere alicujus damnati?

Patres, qui amant filios suos pro inferno.

Nihilominùs illorũ ingens est numerus, qui demonstrant amare se natos suos, nec pro Cœlo, nec pro terrâ, sed pro inferno. Quando apparere cernit Pater in nato suo adhuc tenerõ propensiones ad malũ, parva quædam specimina iracundiæ, vindictæ, avaritiæ, vanitatis, rebellionis, vel similiũ, quæ sunt velut prima semina peccati, nascentia naturaliter è malo fundo, sicut spinæ & Cardui è terrâ maledicta; Et pro eo, quod magnoperè laboret rescindere malum in suare radice, corrige ab initio hunc puerum, & ex minima mali apparentia, ipsi enorme effingere crimen, ponendo hoc ipsi ob oculos velut abominabile spectrum, à quo rapiatur vivus in infernum, perpetuo & nunquam extinguendo ibi arsurus igne, ut summã ab eo ipsius menti inducat aversionẽ & horrorẽ, sicq; suffocare ipsũ adjuvet in se hæc monstra peccati in cunabulis ortûs sui: Quando in locũ hujus ridetur, dũ conspiciuntur committere malũ, idq; nonnisi vivacitati & animo attribuitur generoso; dũ demulcẽtur blanditiis, dũ laudibus extolluntur, quando quidquã ostenderunt acuminis decipiendo alterum; ardoris, exercendo vindictã; gloriæ, se ostentare volendo ac elevando super alios; Et quando etiã ad hoc instituuntur, ad hoc animantur sub infantilis iñocentiæ & incapacitatis ad peccandũ obtentu: Quid est hoc aliud, nisi colere peccatũ in teneris hisce animabus, pro eo, ut jaciantur prima virtutum semina in illas.

Oportet suffocare prima semina peccati in pueris.

Verum est, capacitatem adhuc illis deesse pariendi peccatum; jam tùm tamen illud concipiunt. Hem! Quid obsecro parere poterunt cum tempore, nisi quod conceperunt in puerili ætate? Non volumus ipsis velut criminosis esse rigidi, eòquod existant adhuc pueri; sed reverà major exercetur in ipsos rigor, dum relinquuntur semina peccati in ipsorum corde, quàm si rupta fuissent ipsis cum tibiis brachia; cum ruina corporum nulla sit in comparatione cum ruinâ animarum. Nonnisi demulcentur blanditiis, & studetur, ut respondeatur & fiat satis ipsorum desideriis, eòquod diligantur, quod amentur. Sed qualis amor, qui omnibus crudelior est odiis, eòquod amentur pro inferno, dum tolerantur ex molli, sed barbarâ indulgentiâ illuc arripere iter, abs eo, quod denuò in rectum reducantur tramitem! Miseri filii, qui Patres habetis, qui jam adorant vos velut Deos suos visibiles, quique forsan cum horrore aspicient vos, paucos intra annos, velut incarnatos diabolos, quique tandem perire vos facient in æternum; Patres non habetis, sed parricidas. *Parentes sensimus parricidas.*

Cyprianus de lapsis.

Aliena bona relinquere filiis,

Quando Pater aliquis accumulat ingentem acervum bonorum alienorum, quæ suis relinquit filiis velut Patrimonium, & portionem ipsorum legitimam, quæ ipsi restituent nunquam, non magis, quàm Pater ipsorum: dubitari non potest, quin amet illos, cum tam immodicè laboraverit pro ipsis, ut etiam exspoliare se bonis voluerit æternis, modò bonorum temporalium ingentem relinqueret ipsis abundantiam. Sed amat illos pro inferno, eòquod relinquere ipsos non possit hæredes furtorum, quin complices quoque faciat suorum criminum, si retineant id, quod ipsis relinquit, sicut ipsis moriendo præcipit, ut ipsos tandem habeat infelices socios in flammis æternis. Crudeles Patres, qui hâc ratione amatis vestros filios, ubi est amor vester, si non producat effectus, nisi lethalissimo odio deteriores? Ubi est vester pro eis zelus, si labores vestri aliò non tendant, nisi ut miseros ac infelices reddant ipsos in æternum?

Educare suos filios ad vanitatem, est ipsos odisse.

Quando tandem aliquis Pater suos devovet, quàm plurimùm potest, mundo filios; quando illos implicat muneribus ac institutis adeò periculosis, ut difficillimum sit illa obire & non subire jacturam Conscientiæ & innocentiæ; quando illos educat ad dignitates, ad officia, quibus expediendis probè novit, ipsos non habere

habere talenta capacia; quando evehit ipsos magis in altum, quàm ipsorum vires, ipsorumq; facultates permittant, quæ cùm ad decorem statûs conservandum non sufficiant, necessitate cogentur bonorum alienorum fieri raptores, ficque pro eo, ut sint in statu emendi & comparandi cœlum, aut redimendi peccata sua eleemosynis, potius eleemosynis adjicient ingentem turbam pauperum non defensorum, quorum devorabunt substantiam, ad satisfaciendum suæ vanitati: tales Patres, qui ita suos amant filios, none amant illos pro inferno?

Abi igitur infelix Pater, quandoquidem esse cupis propriorum filiorum carnifex, saltem te talem exhibe quâdam minùs scelerată ratione. Accipe illos, dum è Baptismo prodeunt, & manus tuas ipsorum perfunde cruore, pugionem ipsorum infige gutturi, diffinde ipsorum pectus, manduca ipsorum cor, dilacera ipsorum viscera, dissecà omnia ipsorum membra in buccas, & tuam ipsorum carne exsatia famem: non committes hâc ratione crudelitatem, nisi in ipsorum corpora; saltem ipsorum animæ evolabunt in sinum DEI ad benedicendum illum in æternum cum Angelis. Et si tibi proponere videar crimen tam enorme, quod totam terrefaceret naturam; cujusq; sola incuteret horrorem cogitatio: Considera, quàm multò execrabilius committas crimen, dum non amando tuos filios nisi pro inferno, sacrificabis ipsorum corpora non minus, quàm ipsorum animas, unguibus & dentibus molossorum avernalium in omnem æternitatem. Attende tibi, infelix, attende tibi, & addisce tuos amare filios pro cœlo, non pro terrâ, nec pro inferno.

CONSULTATIO XXIX.

De vitâ Dei, quâ vivere debemus.

Intellectus nutritur veritate.

VIta Corporum conservatur pane & alimento corporali, sed vita substantiarum spiritualium notitia rerum atque scientia. Vivunt hæ ex cognitione, & objecta intelligibilia lautæ sunt dapes, voluptuosa sunt fercula, quibus ipsæ se nutriunt. Veritas est, qua se pascunt & reficiunt. Et quò veritates, quas contemplantur, sunt sublimiores, eò nobilior & jucundior est vita ipsarum. Ex hoc sequitur, quod vita DEI sit infinita ratione nobilis & jucunda, eòquod perpetuò & æternaliter vivat ex cognitione perfecta, quam habet de seipso, epuletur, seque reficiat suprema sua veritate ex perfectionibus suis adorandis. Quantum prodigium, videre, quod DEUS velut ab æterno famelicus, & infinita ratione avidus propriæ suæ substantiæ (abs eo tamen, quod ipsam desideret, aut unquam illius aliquam patiatur inopiam) se sumat, se recipiat, se totum integrum includat in semetipso, ac semetipsum comedat, si ita loqui licet, nutriendo se ex propria sua substantia, quasi per os divini sui intellectûs. (Nam propriè congruit intellectui attrahere ad se objecta.) Et si per impossibile divinum hoc non haberet nutrimentum, vivere non posset. Si hæc declaratio videtur aliquantisper materialis, est ideò, ut res magis pateat luculenter, nec vereor uti illa post sanctum Clementem Alexandrinum: *Cibus & potus divini verbi est cognitio divinæ essentiæ.* Lib. 5. Strom.

Vita nostra æterna cùm excellens participatio vitæ DEI.

Vita æterna, ad quam aspiramus, aliud non est, sicut sanctus Bernardus meditatur, quàm excellens quædam participatio vitæ DEI ipsius: *Præmium nostrum est videre DEUM, & vivere de DEO.* Speramus videre DEUM, speramus igitur vivere de DEO; siquidem videre DEUM, & vivere de DEO est idem, cùm tota vita DEI consistat in visione divinæ suæ essentiæ. Jam ipsam vide-

videbimus clarè, & consequenter eadem ipsius vivemus vita, & epulabimur iisdem voluptuosis dapibus, quæ deliciæ ipsius sunt & infinita beatitudo in omnem æternitatem. Nihilominùs notabilis hæc erit differentia, quod tota vita DEI inclusa sit in ipsomet, quia major non est, quàm ipse; sed nos è contrario toti inclusi ac immersi erimus in immensitate delicioſæ hujus vitæ, eòquod ipsa infinita ratione major sit nostris animabus. Et hinc est, quod ubi primùm aperta fuerit illis porta æternitatis beatæ audituri sint suis insonare auribus consolatorium illud: *Serve bone & fidelis intra in gaudium Domini tui*: Siquidem tu efficere non potes, ut ipsa tota integra intret in temetipsum; Cumque ipsam continere non possis, oportet, ut contineat te ipsa. DEUS totus plenus est propria sua vita; sed anima beata redundat & superabundat illa, quia non satis habet amplitudinis, nec satis capacitatis ad includendum illam in se totam integram. O DEUS! Quando hoc erit, ut vivamus ita?

Tempore hujus vitæ sumus quasi mortui, Tob. 5.

Eheu! Quamdiu languemus hic in terris, privati visione DEI, nonne eadem frequentanda nobis foret querimonia, in quam erupit cœcus quidam & privatus lumine in sacro codice: *Quale gaudium mihi, qui lumen cœli non video?* Nunquid bona anima ergastulo corporis sui adhuc inclusa majori cum ratione dicere potest: Quale gaudium, qualem consolationem gustare possum in captivitate meâ, dum non video magnum illud lumen, quod resplendet in cœlo, quodque constituit beatam ac immortalem vitam in habitaculo gloriæ? An carcer corporis, me amabili hâc privans vitâ durabit semper, meque lugentem funesto detinebit fato? Nonne conquerendi & gemendi habeam ansam cum magno Apostolo, meamque cum ipso anhelandi liberationem è corpore mortis hujus, id est, è molesta morte, quam tolerare me facit hoc corpus, dum obstaculo mihi est, non videndi faciem DEI mei, & vivendi divina ipsius vita? *Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rom. 7.

Nonnisi per spem differimus à damnatis.

Nonne ratione quadam deterioris & infelicioris essemus conditionis quàm damnati, dū beata hac privamur vita nisi duæ admodùm considerandæ nobis forent prærogativæ, quæ nostram impedirent infelicitatem? Prima est, quod desiderium

desiderium habeamus & spem intrandi tandem in gaudium ineffabilis hujus promissæ nobis felicitatis: differtur tantummodò nobis, non autem aufertur, nec denegatur pro semper. Stamus ad portam & sollicitamus, ut aperiatur nobis, & ut loquitur Tertullianus, tundimus incessanter; velut malleo sanctæ cujusdam invidiæ: *invidiâ Cœlum tundimus.* Altera prærogativa adhuc major, & plena consolationis pro nobis est, quod non obstantibus cunctis humanæ nostræ conditionis miseriis vivere in terris possimus vitâ DEI, quamvis non tantâ cum delectatione, sicut Beati, qui vident ipsum clarè in cœlis, saltem non minori cum certitudine & soliditate, si verè adhæreamus ipsi per triplex vinculum fidei, spei & charitatis. Siquidem fides, quæ cognoscere nos ipsum facit hic in terris, quamvis obscurè, æquè certa est, ac lumen gloriæ, quod ostendit & conspiciendum ipsum præbet in cœlis clarè. Spes, quæ aspirare nos facit ad ipsum, est æquè secura ex parte DEI, quàm possessio ipsa. Et Charitas sancta, quæ constituit intimam unionem DEI cum animâ nostrâ, & animæ nostræ cum DEO, est tota eadem in Cœlo & in terrâ.

Tert. de pœnitentiâ

O Beati habitatores & incolæ Cœli, ne credatis esse vos solos, qui vivatis vitâ DEI. Quamvis enim molestum exilium, in quo gemimus, nuncupetur regio umbræ mortis, non intermittimus tamen æquè ac vos vitâ vivere divinâ. Vos videtis ipsum clarè, & nos credimus ipsum firmiter; vestra visio clara est valde certa, & nostra fides obscura est æquè certa: Neuter ex nobis magis vel minus decipi potest altero. Vos amatis claritatem visionis vestræ, quæ vobis est voluptati; Nos amamus obscuritatem fidei nostræ, quæ nobis est utilitati. O Animæ sanctæ, quæ jam jam incolitis Cœlestem Jerosolymam, vos possidetis DEUM in vestro statu, & nos in nostro speramus possidere ipsum. Vestra possessio, quæ plenè vos satiat, æternam & nunquam intermissam vobis largitur quietem; & nostra spes, quæ alacritatem nobis addit, existimulat nos ad laborandum indefessè & cum voluptate, ut ad ipsius pertingamus possessionem. Verum quidem est, quod spes, quæ differtur, affligat animam; Sed, hæc afflictio est, quæ con-

Bona anima contendere potest hic de vitâ divinâ cum Beatis.

consolatur: felix anima, quæ aliam non habet afflictionem in terra nisi de eo, quod nondum attigerit perfectam possessionem Dei. Tandem Beati in cœlo, vos amatis Deum amore perfectissimo; sed prærogativam hanc habemus & nos in terra, quod amemus illum eodem amore: charitas enim cœli & illa terræ, non sunt diversæ naturæ. Vester amor est mensura vestræ beatitudinis ibi in cœlo; & amor noster est etiam mensura beatitudinis nostræ in terris: sed vester amor est in suo termino, qui augeri amplius non potest; & amor noster est adhuc in via suâ, qui semper adhuc augeri potest, semper crescere, semper perfici.

Argumentum & ordo hujus consultationis.

Nonne tibi videtur, quod sit audere nimium, si nos miseri mortales contendamus ac disceptemus hâc ratione de beatitudine, ac vita divinâ cum Beatis in cœlo? Sed hoc ipsum est, quod argumentum suggerit præsenti consultationi. Intima conjunctio, quæ est inter duas Ecclesias, triumphantem & militantem, & commercium tam singulare, quod servatur inter sanctos cœli & illos terræ præbent nobis ansam formandi inter ipsos collocutionem ac sermonem de prærogativis vitæ divinæ, quâ fruuntur ambo, solatio futurum ac voluptati omnibus animabus amantibus Deum, & aspirantibus ad æternitatem beatam.

Inter rationes, ob quas credere possumus, quod providentia Dei inseparabiliter voluerit conjungere Beatum aliquem è cœlo, cum Viatore adhuc in terrâ, bonum Angelum cum animâ rationali, non minima est, ut colloqui inter se possent de felicitate inæstimabili, quò unus jamjam pervenit, & alter continuò adhuc progreditur, ut, cùm in eodem associati sint itinere, quod unus facit, & alter dirigit, comedant semper in eâdem mensa, & eodem alimento suam sustentent vitam, ambo nimirum cognitione & amore Dei, utque more amicorum sese invicem convivio excipientium, ac ad lautas provocantium dapes, amicabiliter inter se concertent, quinam magis lautè, magis vivat opiparè. Hæc sunt igitur colloquia, hæ sanctæ æmulationes, quas inter se habere possent bonus Angelus, qui est beatus in cœlo, & bona Anima, quam dirigit ipse in via ad cœlum.

ARGUMENTUM.

Quid Angelus beatus & bona anima tum commune tum particulare habeant respectu Dei.

Articulus I.

Bonus Angelus & anima sunt veluti frater & soror.

DIcere possemus Angelum & Animam rationalem esse inter se velut fratrem & sororem: sunt namque ita similes in naturâ, ut ambo sint substantiæ spirituales, & immortales, ambo capaces possessionis boni infiniti, & ambo incapaces satiari vel beatificari ullo alio, nisi possessione solius Dei. Ex hoc optimè deducere possumus, quod, si ita similes sint in naturâ, tales quoque existant in gratiâ, quæ æqualiter ambobus est necessaria ad obtinendum finem suum ultimum, quodque tandem conformitatem quoque habituri sint in gloriâ. Et Jesus Christus idipsum dignatus est asserere nobis in Evangelio. *Æquales enim Angelis sunt*; Beati æquales sunt Angelis in gloriâ; possidebunt æqualiter Deum, laudabunt æqualiter Deum in æternum.

Luc. 20.

Quando vates Isaias scripsit, conspexisse se Majestatem Dei in templo, & observâsse duos Seraphinos propè ipsum, velut continuam formantes psalmodiam, cantantesque vicibus mutatis: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum: admirari quis posset, quod nonnisi Seraphini duo in ipsius fuerint comitatu, cum alias conspiciendum se dederit tanto cum apparatu, ut millies millenis sibi famulantibus stipatus fuerit Angelis: *Millia millium ministrabant ei*; imo adhuc ultra; & decies centena millia assistebant ei. Quid hoc sibi innuit, quod nonnisi duos eorum sibi hic adsciverit comites? Sanctus Cardinalis Petrus Damianus declaravit mysterium duplicati hujus numeri, dum ait, per duos hos Seraphinos intelligendos esse Angelum & hominem; & eccerationem ipsius, quæ egregia nobis subministrabit documenta: *Duo Seraphim, Angelum & hominem considera, qui ardentes & incendentes dicuntur, cum ille ardeat præsentiâ, hic memoriâ.* Affirmat duos hos Seraphinos repræsentare nobis Angelum & hominem, velut duas unicas creaturas gaudentes prærogativâ, ut appropinquare possint throno Dei, ac divino ipsius succendi amore.

Dan. 7.

Petrus Dam.

Nomen

Nomen *Seraphim* est verbum hebraicum, significans idem, quod *ardens & incendens*: condecorantur speciosò hoc nomine angeli primæ Hierarchiæ & primi ordinis, eò quòd, cum profundissimè absorpti sint in Deo, qui ignis est consumens, sicut Scriptura dicit, illos prorsus accendat eodem ardore. Et quia animæ nostræ capaces sunt conscendere supremâ hanc primorum Angelorum felicitatem, ut æquè fervido quàm illi succendi valeant divino igne, cum Deum tàm perfectè ac illi amare possint, si eousque pertigerint, homo appellatur Seraphim tàm benè quàm Angelus.

Bona anima potest esse Seraphim in amore.

Quanta hæc est tibi gloria, o anima christiana, & quàm inæstimabilis felicitas! Tu potes esse Seraphim in cœlo. Sed ex parte tuâ longè id majus est prodigium, quàm ex parte Seraphim: Siquidem facilius intelligitur, quod Angelus, qui Deum clarè videt in cœlo, amet ipsum quoque perfectissimè; eò quod lumina ipsius, & ardores ipsius, cognitiones ipsius & amores ipsius sint æquales. Verùm si in tenebris fidei tuæ ardores ardoribus ipsius æquales concipias, amando æquè ardenter Deum, quem nonnisi obscurissimè & imperfectè cognoscis: hic triumphus amoris est, incomparabiliter magis admirandus, magis stupendus.

Abi igitur homo Seraphim, ambula in ardoribus amoris tui æquali passu cum Seraphim Angelico: appropinqua cum ipso ad thronum Dei, canta cum ipso & æquè sublimi cum tono sacrum dilectionis canticum; & quando præcinentem inaudies ipsum voce prorsus divini amoris igne succensa *Sanctus*; pari ardore respondè ipsi *Sanctus*. Si repetat totus attonitus præ amore & admiratione Excellentiarum ac Magnitudinum Dei. *Sanctus*; tu quoque velut ipse attonitus, & eodem cum affectu reponito, *Sanctus*; si totus extra se raptus & divinæ voluptatis superfusus dulcedine prosequatur *Sanctus Dominus Deus Sabaoth*; O Deus! in divina hac psalmodia benè age partes tuas, & sustine saltem secundum chorum in vigore & robore suo ne torpeas, ne à tono deflectas, ne fortè confundas, ne turbes harmoniæ hujus pulchritudinem ac decorem.

Aspicimus tantâ cum ædificatione sanctam Ecclesiam indies canentem omnes horas canonicas in choro, ubi clerici in duas partes dispertiti sibi invicem respondent, seque invicem exstimulant, ad experiendum, quisnam majori cum fervore decantaturus sit laudes Dei. Sed non

omnes digni sunt divino huic devoveri exercitio. Et quare non possemus omnes, cujuscunque simus conditionis, formare nobis ipsis horas canonicas, decantandas indies in modum chori cum bono nostro Angelo, qui semper, quandocunque voluerimus, ad solvendum nobiscum divinum hoc pensum prælò est & expeditus: nec deficiet nobis Ecclesia, cum magnus Apostolus nos doceat, nosmetipsos templum esse Dei; nec desiderabitur tempus, libertas aut facultas id faciendi, cum non sit, nisi canticum interius, quod à nemine nisi à Deo auditur, & bono nostro Angelo, quodque omni tempore fieri potest, in medio strepitu, & non obstante publicarum platearum tumultu: non fatigabimur nimium, obeundo quotidie tali ratione hoc munus; cum diuturnum non sit nec tædiosum, eâque id brevitate donare possimus, quæ placuerit nobis: preces magis breves, si ferveant, & verè divino animentur zelo, sunt illæ, quæ irrumpunt & penetrant cœlos.

Praxis devota & facillima dicendi officium divinum cum bono Angelo suo.

Bone mi Angele, solvamus pensum nostrum, dicamus nostrum officium: Tu incipies hâc hebdomade, & ego incipiam alterâ. Mens mihi est cantare Deo ex intimo corde meo, eodem omninò, quo tu cantaveris tono, tàm defœcatâ & purâ intentione, tàm fervido ac ardenti cordis mei affectu, quo idipsum tu fueris executus; quem in finem meum cum tuo conjungo animum, meum cum tuo cor unio corde, ad honorandum eadem ratione Deum, quâ tu ipsum honoras. Dicemus itaque pro Matutino novies *Sanctus*, ad uniendum quasi nostras laudes, cum illis, quas exsolvunt omnes novem Angelorum chori, & glorificandum unà cum illis magnitudinem Dei. Dicemus pro laudibus quinquies *Sanctus* ad adorandum quinque vulnera Salvatoris nostri, & ad agendum gratias ipsi pro infinito, quem nobis in passione sua exhibuit amore: Aliâ occupabimur hora in dicendis quatuor officiis parvis, Prima, Tertia, Sexta, Nona; & pro qualibet harum ter dicemus *Sanctus*, ad supremum exsolvendum honorem, quem debemus tribus adorandis Personis sanctissimæ *Trinitatis*. A Meridie exsolvendum restabit pensum vesperarum, quæ consistent in recitando adhuc quinquies *Sanctus*, sicut mane diximus ad laudes, juxta intentionem eandem. Tandem sub crepusculum dicemus completorium, quod in penso parerit matutino, ut denuò nostrum uniamus animum cum omnibus novem Angelorum choris, optantes, ut ibi per totam

com-

commoretur noctem, laudaturus inceſſanter Deum ſuum cum illis.

Modus dicendi benè hoc officium.

Modicum juverit, indies parvum hoc officium dicere perfunctoriè, feſtinanter, oſcitanter: potius hoc foret bonum ſuum contriſtare Angelum, & quaſi illudere Deo. Verum, ſi alternatim in modum chori recitetur cum bono Angelo, cujus præſentia & memoria afferre nobis debet reverentiam, prorſus adnitendum nobis eſt, ut reſpondeamus illi eodem tono, eodem tum accentu tum concentu, eodem ſanctæ charitatis ardore, quo ipſe amat & laudat Deum; Quod ſic recitetur lentè, defixo in Deum corde ac mente; ſi dicatur tractim, intarſecantibus quibusdam morulis & affectuoſis ſuſpiriis in cœlum evibratis, quaſi anima certare vellet cum Angelo ſuo bono, vel etiam ipſum antecellere in modo laudandi & amandi perfectiſſimè Deum: Quis novit, an hæ tàm breves, tamque recitatu faciles cujuscunque conditionis perſonis horæ canonicæ, non majoris valoris eſſent coram Deo, quam integrum magni Breviarii officium curſim recitatum, parva cum reverentia, & quaſi nulla cum attentione?

Ex hoc colligere tibi licet, quid Beatus aliquis in cœlo, & bona anima adhuc conſtituta in terris ſibi habeant commune. Ambo vivunt vita Dei, eò quòd ipſum cognoſcant, ipſumque amant, ambo decantant ipſi laudes, ac ejus annuntiant gloriam; ambo maximam ſuam in eo collocant felicitatem, ut ipſum poſſideant, ipſo fruantur. Verùm quid habent particulare? Quivis ex eis ſuas habent prærogativas, qua ſua reddatur conditio ratione quadam excellentior conditione alterius. Et ecce quomdo?

In quo Beatus & anima bona adhuc in corpore differant.

1. Beatus vivit vita Dei, & bona anima etiam vivit vite Dei. Sed Beatus conſtitutum ſe videt in poſſeſſione Dei quieta, ſecura, omnem ſupra modum pacifica, eò quòd certus ſit, quod illam amittere nunquàm poſſit, in quo conditio ipſius felicior eſt, quàm illa bonæ animæ, quæ non habet poſſeſſionem Dei tàm certam, tamque ſecuram, quin illius poſſit facere facilè jacturam: hinc eſt, quòd ſemper vivat in timore, qui eſt obſtaculo, ne plena & perfecta fruatur felicitate. Sed alia ex parte bona hæc anima, cum jam vivat vita Dei, ipſumque poſſideat per gratiam & charitatem, ſemper in gratia & charitate creſcere poteſt, ſeque hac ratione perpetuò locupletare

ampliori pretiosi hujus thesauri possessione : in quo conditio ipsius felicitate antecellit illam Beati in cœlo, cujus amor & beatitudo, eò quòd jam suum obtinuerint terminum, nec minimo amplius excrescent gradu, in omnem prorsus æternitatem.

2. Ad hæc Beatus, utpote suum assecutus terminum, est extra periculum aberrandi à via sua, cum jàm attigerit portum salutis, non amplius timet submergi à tempestate : cum confirmatus sit perpetuò in consummatâ sanctitate, nunquàm amplius labi in labem peccati minimam potest; in quo conditio ipsius superat plurimùm illam bonæ animæ, quæ cum ambulet adhuc in viâ, nunquam non versatur in periculo à recto deflectendi tramite: cùm fluctuet adhuc in procelloso mundi oceano, semper est in periculo faciendi naufragium : cum oppugnetur à tentationibus, sollicitetur à concupiscentiis, continuas experiatur infirmitates, semper in statu est, ubi possit in aliquod dilabi peccatum. Sed alia ex parte bona anima, quæ nondùm suum obtinuit terminum potest provehi, & magnos valdè facere progressus versus æternitatem omnibus diebus vitæ suæ : cum luctari debeat contra mundum, contra infernum, contra inordinatos affectus animi, & contra alios inimicos gloriæ Dei & salutis suæ, glorioſas reportare potest victorias, & singulis momentis illustres valdè acquirere coronas : in quo prærogativa ipsius palmam eripit sorti bonæ Beati regnantis in cœlo.

3. Tandem verum quidem est, quod Beatus sit plenè contentus, quodque omnia ipsius desideria sint adimpleta, in quo felicitas ipsius transcendit illam bonæ animæ, quæ nunquàm non se novis agitatam sentit desideriis: sed aliundè felicitas hujus animæ, quæ desideria sua longiùs semper extendit, ac illa dilatando replet, major semper evadit; quantò magis laborat, tantò ampliores semper fructus laborum suorum metit ac colligit; & hâc in parte felicior est, quàm Beatus in cœlo. Est ipsa extra omnem invidiæ jactum, nec dolens minimùm, à patiendo ipsum esse exemptum; suas insuper amat cruces, quia novit, quid lucri sibi referant ac utilitatis. Unico verbo, tàm felicem se æstimat semper requirens Deum suum, possidendo ipsum; quàm ille se censeat Beatum possidendo ipsum semper, abs eo quòd ipsum requirat.

Siste o anima, diceret tibi bonus Angelus, æquo longiùs progrederis, dum hac ratione prætendis pari ambulare passu cum

cum Beatis in cœlo : sola tua incertitudo & privatio visionis Dei, in qua vivis, nulla statuit ratione, statum tuum in comparationem venire cum meo : nescis an amore digna sis vel odio, an numero prædestinatorum aggregata sis vel reproborum : imò nec constat tibi, an actualiter vivas vita Dei, vel an illa priveris. Quid ad hoc dicendum tibi occurrit?

ARGUMENTUM.

Quid certam reddere possit animam, quòd vivat vitâ Dei, & quomodo in vita divina stabilire & confirmare se possit.

ARTICULUS II.

Quatuor signa sunt, è quibus cognoscimus, an vivamus vitâ Dei.

VErum est, quòd, quamdiu in mortali vivimus corpore, nemo sciat, an odio dignus sit vel amore; an mortuus Deo sit, vel vivat Deo; an vitæ meta felix futura sit, vel infelix; an exitum ex hac vita æternitas exceptura sit beata, vel abs fine infelix ac suppliciis horrenda. Nemò pro certo scire hoc potest absque speciali revelatione Dei, quam nonnisi rarissime concedit. Nihilominus bona anima habet quandoque conjecturas tàm fortes, imò etiam probationes tam evidentes, quæ ipsi persuadeant, vivere se vita Dei, ut non facilè decipi possit. Et ecce tibi quatuor principales.

1. Signum est sensus Dei.

1. Prima est ipse sensus. Impossibile est habere sensum, abs eo, quod habeatur vita: potest quidem haberi vita absque sensu, sicut, plantæ & arbores, quæ vita vivunt vegetativa & tamen non sentiunt; sed haberi sensus nunquam potest, abs eo, quod habeatur vita. Anima, quæ experitur in seipsa. Anima, quam vehemens capit sensus rerum divinarum, infallibilem circumfert certitudinem, vivere si vita Dei; quando magis timet ipsi displicere committendo peccatum minimum, quàm propriam perdere vitam vel cuncta tolerare supplicia, quorumcunque ipsi fieri possit cominatio, promittere certo sibi potest, se vivere vita Dei, eò quòd vita purè naturalis conferre nullatenus possit hunc sensum. Quando conspectæ sunt tot animæ sanctæ, cum gaudio festinasse ad mortem, ex solo timore, ne forent occasio alteri ad peccandum, quæque in hoc, quod aliis conciliat horrorem, suas invenieban delicias, mortem haud aliter aspiciendo, quàm veluti portum

tum ſecurum, in quo ſuam conſervare poſſint innocentiam, & ſuam in tuto collocare animæ & corporis integritatem : nonne manifeſtum fuit argumentum, illas mirabili ratione vivere vita Dei, cum certam jacturam vitæ ſuæ naturalis nihili penderent ex ſolo timore, ne pro ea vitam hanc perderet divinam?

Fervor admirabilis ſanctæ Pelagiæ. S. Ambros. lib. 3. de Virgin.

Sanctus Ambroſius millenis extollit encomiis illuſtriſſimam Virginem Antiochenam, nomine Pelagiam ; quæ cum proximum videret periculum cadendi in manus militum principis cujuſdam idololatræ, quibus mens erat exſpoliandi ipſam vel fide ſua, vel puritate, vel forſitan utroque, eò quod nemo prorſus humanum auxilium præſtiturus eſſet, præſtò oculis ac manibus in cœlum ſublatis : Mi Deus, dixit, ne deſeras me in extrema hac neceſſitate, confirma fidem meam, conſerva Virginitatem meam, quam ſpeciali voto conſecravi tibi, novi, quod me invita avellere mihi non poterunt è corde fidem, poterunt tamen facta vi corpori meo, meam invita me, mihi tollere & corrumpere integritatem : Quid faciam, mi Deus, ad conſervandum tibi utramque, & fidem, quam mihi donaſti, & Virginitatem, quam tibi devovi? Malo me potius conſignare unquibus mortis : pugionis ictus dum conferet mihi lucrum, ſperatam militibus auferet prædam. Scio Doctores noſtros tenere ſententiam, quòd non liceat ſibi ad ciſcere mortem ; ſed finamus ipſos dicere : *Moriamur, etſi nolunt licere, moriamur, Deus remedio non offenditur.* Moriamur non obſtante inhibitione hominum, moriamur Deo, quem amamus magis propria vita noſtra naturali ; non offendetur hoc utique amoris noſtri argumento ; cautela contra peccatum haud erit peccatum.

Exemplum S. Pelagiæ & aliarum, quæ ſibi intulerunt mortem è ſpeciali inſpiratione Dei, ſolùm notantur, ut oſtendant, quid agant animæ à ſpiritu Dei impulſæ, & nullatenus ut trahant ad imitationem, cum non niſi à ſingulari impulſu Dei commendentur S. Ambros. ibid.

Interim ab irruentibus militibus comprehenſa eſt adhuc viva. Quid hic faciet? recurrit ad dolum huic ſexui familiarem. Fingit ſe paratam ad obſequia & unicum ab iis efflagitat favorem, ut ſibi in ſuum liceat intrare cubile, ad exornandum caput ſuum gemmis quibusdam, non levem addituris decorem formæ ſuæ naturali : annuunt petitioni haud difficulter, videntes ipſam, uti metuebant, non ita difficilem : intrat ipſa in cubile, aperit feneſtram, ex alto ſe præcipitat, ſibique illidit ac rumpit caput. O ſpecioſum ornamentum capitis, quod mille portare diademata fuerat dignum : *O Puellam genere quidem fœminam, ſed animo marem* ; exclamat

mat desuper Sanctus Ambrosius, totus generositate tanta extra se raptus. O dilecta Sponsa *Christi Jesu*, quam natura nasci fecit mulierem, sed quam gratia reddidit virum, & inter viros generositatis prodigium! an dubitari possit; quod hæc, quæ tàm parvi vitam æstimavit naturalem, verè animata fuerit vitâ divinâ?

Mater & soror Sanctæ Pelagiæ.

Idem Sanctus Ambrosius usque ad cœlos extollit firmam animositatem Matris & sororum ejusdem sanctæ Pelagiæ, quæ videntes eidem se expositas periculo, quod tàm feliciter evitaverat ipsa, ripâ alicujus fluminis, dum fugiebant, interceptæ, sic se invicem exstimulabant dicentes: *Ecce aqua, quis nos baptizari prohibet? Et hoc baptisma est, quo peccata donantur, regna quæruntur: Et hoc baptisma est, post quod nemo delinquit: Excipiat nos aqua, quæ regenerare consuevit; Excipiat nos aqua, quæ virgines facit; Excipiat nos aqua, quæ cœlum aperit, inferos tegit, mortem abscondit, Martyres facit.* Et hæc dicentes complicatis invicem manibus, se præcipites egerunt in fluvium, ubi glorioſum suum consummârunt Martyrium.

S. Antonin. 3. p. tit. 19. c. 12.

Et totaliæ, quarum nonnullæ se projecerunt in ignem, uti Sancta Apollonia, aliæ se præcipitârunt in cloacas, uti illa, de qua Sanctus Antoninus refert historiam, & præcipuè tres pueri, qui missi sunt in fornacem Babylonis, omnesque Martyres, qui tam sæva sustinuerunt tormenta potiùs, quàm consentire vellent ad committendum noxam minimam, leviſſimum peccatum. Quis dubitare potest, quin tàm nobilis & eximius de DEO & in DEUM sensus, qui dominabatur in omnibus hisce animabus, luculentum fuerit argumentum, verè quòd vixerint vitâ DEI.

Nil restat, nisi ut nosmetipsos ingrediamur, & penetralia rimemur cordis nostri: quantò propiùs accesserimus ad nobiliſsimum hunc de DEO sensum & animi erga ipsum affectum, parati potiùs omnis generis tormenta subire, & quasvis tolerare mortes, tantò majorem habebimus certitudinem, vivere nos vitâ DEI: & quantò longiùs à firmo & constanti hoc recesserimus proposito, tantò minùs quoque erimus certi, animam nostram amabili hac vivere vitâ; & quicunque rerum omnium, quæ DEI commodum spectant, caruerit sensu, certus esse potest, se mortuum esse DEO.

2. Secunda manifestiſſima probatio vitæ est respiratio. Quamdiu Sanctus Paulus nondùm vivebat, nisi vitâ Synago-

1. Signum respirare spiritum DEI.

gæ, dicit nobis sacra Scriptura, quòd non spiraverit nisi minas, sanguinem & cœdem erga discipulos *Christi Jesu: Saulus adhuc spirans minarum & cœdis in discipulos Domini.* Ubi primum mortuus fuerat vitæ Judaismi, mediante prodigioso illo favore, ipsum in terram prosternente, ut elevaret usque in cœlum, mori ipsum faciente veteri illi vitæ, ut vivere ipsum faceret vitâ *Christi Jesu*, nil respirabat amplius nisi ipsam: *Vivo ego, non jam ego, vivit verò in me Christus.* An certò nôsse cupis, quâ vivas vitâ! benè adverte, quem & qualem respires aërem: Si est aër mundi, pro certo habe, te non vivere nisi vitâ mundi: respiratio, quæ servit ad refrigerandum cor, recipitur in intima & maximè secretâ parte tui ipsius cũ delectatione. Si aër mundi delectat cor tuum, si acceptũ tibi affert refrigerium, si vanitates, si voluptates si honores, si divitiæ, si ludi, si omne id, quod mundus æstimat, est tibi jucunda quædam quasi respiratio & captatio auræ, quamdiù Religionis christianæ exercitia, pietatis opera, & quæcunque DEI concernunt servitium, tibi pariunt amaritudinem, tibi desipiunt, & eò usque te nauseâ afficiunt, ut magnâ te uti oporteat violentiâ, quoad resolvas te ad illa in opus reducenda; ne quæras certiora alia argumenta & signa, quidquid dicere vel cogitare, quidquid prætendere possis innocentiæ; hoc signum nimis quàm manifestum est, esse te mortuum DEO, teque non vivere, nisi vitâ purè naturali: Quis namque est Paganus, Atheus, vel infidelis, qui hac ratione vivere non posset.

Act. 9.

Galat. 2.

Verùm si respires Spiritum *Christi Jesu*, qui longiùs distat à spiritu mundi, quàm cœlum à terra; si arrideant tibi effata & placita Evangelii, quæ subvertunt omnes inordinatas naturæ inclinationes; si cor tuum ad refrigerandum se, ad consolandum se, respiret amorem crucis, pœnitentiæ, separationis à creaturis omnibus, & veri contemptûs tuiipsius, ac omnium eorum, quæ vel DEUS non sunt, vel de DEO: majorem habere non poteris certitudinem, quod anima tua verè vivat vitâ DEI, cum impossibile sit, quod quæcunque alia vita, respirare cum delectatione ipsam faciat aërem tam divinum, tam sublimem super omnes sensus & affectus, quos natura nobis posset inspirare.

Exemplum bonæ animæ non respirantis nisi crucem

Nota mihi fuerat optima quædam anima, quæ mirum in modũ consolata vivebat ingẽti oppres-

preſſa adverſitatũ non leviũ cumulo: Erat enim tota obruta paupertate, doloribus, contemptu. Si quis demulcere volebat ipſam ſolatio quodam humano, videre erat ipſam quaſi ſuffocari, velut perſonam, cui interciperetur reſpiratio: cor ipſius lethales ab ejusmodi rebus experiebatur averſiones. Verùm quando ſermo fiebat ipſi de Excellentiis DEI, de cruciatibus *Jeſu Chriſti* crucifixi, de felici eorum ſorte, qui portant crucem ſuam, qui participant aliquid dolorum & deſpicatuum paſſionis ejus, ipſemet vidi exilire ipſam præ gaudio, ex divino quodam raptu ac impulſu repentè percelli ac concuti tremore per totum corpus usque ad digitorum extremitates, dum interim facies ipſius formam quandam repræſentabat Angelicam: & quod præſtantiſſimum mihi videbatur, eſt, quod præſtaret hæc omnia abſq; ullâ fraude vel artificio, maximæ enim ſimplicitatis erat anima, non dico, ſimplicitatis illius naturalis, quæ caret ingenio & judicio (pollebat enim his quamplurimum) ſed ſimplicitatis virtuoſæ, quæ nullam novit ſimulationem, dolũ, duplicitatem, quæq; optimum præbet indicium præſentis Spiritus DEI: quàm parùm vel videbatur, vel audiebatur loqui, cognoſcebatur illicò, verè illam vivere vitâ DEI; eò quòd aliud reſpirare non poſſet, niſi divinum ipſius ſpiritum.

Quando videmus quempiam ſeriò invigilantem acquirendæ perfectioni, & pietatis exercentem opera, dicere ſolemus: Hæc eſt anima tota ſpirans & reſpirans pietatem. Dictum optimè: nam vita divina nihil aliud eſt, quàm divina quædam reſpiratio Spiritûs DEI. Corpus noſtrum reſpirat absque intermiſſione, ut vivat vitâ naturali; Et anima noſtra etiam reſpirat absque intermiſſione, ut vitâ vivat divinâ; ſed mundus, qui neſcit, quid aër ſit pietatis, quem bona anima reſpirat perpetuò, quandò vitâ vivit DEI, ſibi perſuadet id aliud non eſſe, quàm meros è cœlo favos, favores ac dulcores: verùm fallitur ſupra modum: nàm ſæpiùs non ſunt niſi amaritudines, cruces interiores & exteriores, tœdia, tenebræ, perſecutiones, contemptus, & univerſus calvariæ apparatus, in cujus medio *Chriſtus* ſuum *emiſit Spiritum.* Et hoc eſt, in quo reſpiratur ipſe. Et ſi quæras: quâ ratione ibi vivere quis poteſt, ubi *Jeſus Chriſtus* eſt mortuus? Quâ ratione quis non moriatur, reſpirans aërem,

Quid ſit reſpirare ſpiritum DEI.

qui mori fecit Filium ipsius DEI? respondebo tibi, quòd verè moriatur hîc natura, vita sensuum, & vita exspiret mundi; sed gratia hîc vivere faciat cum voluptate. Sed O DEUS, qualis inveniatur in patiendo voluptas?

Sapor crucis deliciis est plenus.

Fateor hanc esse voluptatem valdè absconditam, & cognitam paucis: nihilominus dicendum est, solidissimam hîc inveniri voluptatem; eò quòd *Christus Jesus*, Sapientia infinita DEI Patris, sui hîc invenerit illam, dicente nobis sacro codice, quod amplexatus sit crucem ob gaudium in illâ repertum: *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Hebr. 12. Asserendum omninò est, voluptatem hanc complecti quid magnum & dignum Majestate Dei; eò quòd *Christus Jesus* prætulerit illam omnibus voluptatibus mundi, quin & ipsis deliciis cœli, quibus sanctam suam spoliabat Humanitatem, eo duntaxat nomine, ut pati posset supra crucem, seque patiendi satiare voluptate, uti loquitur Tertullianus: *voluptate patiendi saginavit.* Oportet omninò voluptatem hanc dimanare in ipsum DEUM Patrem, ipsumque deliciis demulcere maximis, eò quòd Filius ipsius unigenitus *Christus Jesus*, cui probè constat, quid amet, quidve pluris æstimet, non crediderit, se ipsi placere magis posse, quàm exhibendo se oculis ipsum totum oneratum passionis suæ cruciatibus ac tormentis. O jucundum oculis Patris spectaculum! O summum cordis Filii gaudium, dum intuetur, divinum Patrem suum, se ita videndo suas capere & gustare delicias!

Animæ diversi modè gustant crucem, juxtà quod magis vel minus vivunt vitâ divinâ.

Quamdiù anima adhuc tota immersa & absorpta est sensibus, nonnisi vitam ducens naturalem, non capit neque intelligit aliquid boni vel voluptatis contineri in patiendo; Et ideo, quantum poterit, fugit crucem; & quandoque si hâc oneratur, se exonerat in querelas, asseverans se esse infelicem. Quamprimùm incipit vel parùm imbui cognitione DEI, & jamjam divina fidei lumina æstimare pluris quàm illa rationi humanæ, mox credit, crucem esse, & pati oportere, ut beatus quis esse possit; sed hoc non fit, nisi ex submissione intellectûs; acceptat quidem cruces sibi à DEO ordinatas, seque divinæ consignat voluntati, non tamen abs magnâ, quam experitur, repugnantiâ. Sed quando DEO placuerit conferre ipsi saporem ac gustum in portandâ cruce, quem nemo nisi ipse conferre potest: O DEUS! quas hîc, quibus rapiatur, reperit delicias! fit ipsa crucis exinanitæ vida, ut vivere consolata amplius posset posset, nisi in

cruce;

cruce; subinde exclamans cum Sancto Andrea: O bona crux, diu desiderata, & tandem concupiscenti animo præparata! imitaretur ipsa lubens Martyres, qui currebant ad supplicia velut ad convivia; diceret ex abundantiâ cordis sui sicut Sancta Teresia: *aut pati aut mori.* Anima sic illecta amore crucis, & nil nisi crucem spirans, valdè certa est, vivere se vitâ DEI: solus enim ipsius Spiritus attollere illam potest ad divinos hosce affectus, qui sunt omnes supernaturales.

ARGUMENTUM.

Duo alia signa, quæ certam reddunt animam, quod vivat vita Dei.

ARTICULUS III.

3. Signum vitæ divinæ est nutrimentum.

ALimentum est tertium vitæ argumentum valdè luculentum. Omne, quod vivit, indiget alimento conditioni vitæ suæ proportionato: homines carnales, qui nonnisi suis vivunt corporibus, nonnisi suam in illis alendis collocant curam, ipsisque jejunium vertitur in supplicium: Homines spirituales, qui non vivunt nisi animabus suis, inveniunt ex opposito suas in jejunio delicias, ipsisque tormentum est, suis impendere curam corporibus, cibum & potum suppeditando eisdem. Conditio bonæ animæ corpori conjunctæ haud multum impar est conditioni Raphaëlis Angeli, qui ceu Dux adjectus erat juniori Tobiæ ad dirigendum ipsum in longo itinere: manducabant ambo in eâdem mensa, utebantur juxta speciem iisdem alimentis, & Angelus videbatur vivere eâdem cum homine vitâ; sed reverà vita Angelo erat tota spiritualis, & vita hominis erat corporalis, tamq; diversa erant ipsorum alimenta, quam diversa ipsorum vita.

Angelus Raphael & junior Tobias.

Junior Tobias longo tempore fuerat in hoc deceptus existimabat enim se versari in societate alteritus homminis sibi æqualis, eò quod sibi Angelus formaverat corpus ex aëre, vel aliâ quadâm materiâ, sub quâ visibilẽ se reddebat atq; palpabilẽ: ambulabat, loquebatur velut homo verum habens corpus, manducabat etiam cibos corporales, quos ori inferebat, quos masticabat, quosque deglutiebat; sed non digerebat, nec convertebat illos in propriam suam substan-

tam, eo quòd, cùm fuerit substantia spiritualis, & alimentum, quod capiebat, substantia corporalis, unum non potuerit converti in alterum. Tandem Angelus eximere volens errore Tobiam, sese manifestavit illi verbis tàm stupendis, ut crederetur cedere fatis præ horrore:

Tob. 12. *Videbar quidem vobiscum manducare & bibere; sed ego cibo invisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.*

Spiritus igitur æquè alimentum suum habet, quàm corpus; & anima rationalis unita corpori humano, sicut Angelus Raphaël Tobiæ, quamvis manducet cum corpore, cujus comitem agit in tota peregrinatione vitæ suæ mortalis, quamvis videatur eisdem cibis ut immaterialibus, & plerique homines in hoc decipiantur, sicut ille, qui urgebat animam suam ad bibendum & comedendum in Evan-

Luc. 12. gelio: *Anima mea, comede, bibe*; nihilominùs reipsa, anima, quæ spiritualis substantia est, nutrire se non potest cibis materialibus, aliis indiget alimentis invisibilibus & spiritualibus, quibus suam conservet vitam: & si ejusmodi, ipsi desint alimenta, dici potest, ipsam, quamvis immortalis sit, enecari & emori fame: vivit ipsa ex lumine & ardore; alimenta ipsius sunt cognitiones suæ, affectus sui, desideria sua, amores sui; unde est, quòd scriptura dicat: *Qui non diligit manet in morte;* Anima, quæ cognitione caret & amore, mortua est. An quidquam crudelius sit in mundo, quàm abs intermissione suum sarcire corpus alimentis, quibus vix non disrumpatur, & sinere suam perire fame animam: Non vivit ipsa, nisi meditetur, nisi diligat veritatem. Animæ, quæ famem non habent nisi veritatum naturalium, usque adeò helluones studiorum, ut noctes diesque insudent codicibus, luculenter ostendunt, se non vivere, nisi vitâ purè naturali: alimentum, quo se pascunt, cuique tàm avidè inhiant, manifesto est argumento, ejusdem naturæ esse vitam ipsorum. Nonnisi illæ, quæ sacrâ urgentur fame veritatum supernaturalium cognitionis & amoris DEI, circumferunt in seipsis illustre hoc testimonium, quòd vivant vitâ DEI.

Scientiæ vivere faciunt animam vitâ naturali.

Quando Regius Vates cecinit Psalmo septuagesimo septimo: *Panem Angelorum manducavit homo*; Scio plerumque hoc applicari adorando Pani sanctissimæ Eucharistiæ. Sed juxta

Quomodo intelligendum, quòd homo manducet panem Angelorum, Psal. 77.

juxta literam verum non est, divinam Eucharistiam esse Panem Angelorum, cum tanto non fruantur favore, ut ex hoc pane possint manducare: assistunt ipsi quidem cum reverentiâ & tremore formidandis nostris mysteriis; sed prærogativâ non gaudent participandi ex iis per sacram Synaxin & communionem: alius ipsis est panis, quo sese respectu nostri nutriunt invisibiliter, visibilissimè autem respectu sui. Et hic est contemplatio summæ, quam clarè intuentur, veritatis, hic est amor perfectissimus, infinitæ, quâ fruuntur, bonitatis ipsius. Et ecce perpetuas ipsorum epulas, atque illud, quod æternam constituit ipsorum vitam: In hoc igitur sensu dicendum est: *Panem Angelorum manducavit homo*; ad eandem cum ipsis manducat mensam, iisdem delitiosis vescitur jucundè dapibus, quæ ipsorum constituunt beatitudinem, quotiescunque sese explicat ad contemplandum & amandum Deum.

Orans anima sumit refectionem suam.

O DEUS! quid agis, anima sancta, dum per horæ spatium navas operam meditationi ac contemplationi Excellentiarum DEI, aut passionis *Jesu Christi*, quâ exstimules te ad diligendum ipsum ex totis viribus tuis? quid agis? meas capio cupedias, assideo ad mensam cum Angelis, eisdem cum ipsis pascor & vescor epulis, isdem fruor & utor cum ipsis dapibus, quæ vitam dant ipsis & conservant sempiternã. Sed videris frustra perdere & conterere tempus, dum ita sola tecũ pensas, pensitas, pensiculas; nõ enim apparet, quid ita pensitando facias: quid inde tibi commodi? potius impende te cuipiam bono externo operi, ut, quid feceris, & videant alii. Non, inquit hæc anima, operari non possem, nisi manducarem: qua ratione possem meam conservare vitam? unde sumerem vires ad ambulandum in via cœli, quæ laboriosa est ac pœnosa? si meum requirit corpus, ut ipsi singulis diebus bis saltem suppeditem cibum; Anima quoque mea duas quotidie expostulat suæ refectionis, quam summè indiget, horas: alias tam debilem, tamque languidam comperio ipsam, ut suas, quibus obstringitur, non benè posset tueri partes. Ad hæc oportet, ut speciales quandoque & extraordinarias ipsi adornem dapes; siquidem fames me urget, & anima mea suæ sibi conscia infirmitatis ac indigentiæ epulas requirit & fercula.

Itane

DEUS parat quandoque speciales epulas animabus, quas amat.

Itane ergò speciales struantur epulæ, & convivia adornentur non usitata pro anima, sicut quandoq; fit pro corpore? Absque dubio. Deus quandoq; ipsi exquisitissima apparat convivia, ubi invitat ad bibendum abundanter, etiam ad ebrietatem usque: bibite amici, & inebriamini charissimi; mergite omnes vestros sensus & sensa; obruite, suffocate, extinguite rationem vestram humanam, in dulcore, quem exhibeo, affero & offero vobis. Sed uti comparatione ebrietatis corporalis, nonne videtur tibi declaratio nimis abjecta & prorsus indigna, pro re tam sublimi, tamque excelsa, qualis est communicatio intima sui ipsius, quam DEUS exhibet animæ in oratione? Nihilominùs Sanctus Augustinus invenit ipsam excellentem & prorsus exquisitam. Ecce, inquit, sicut ebrietas corporalis rapit hominem extra statum suum naturalem, & deprimit ipsum ad conditionem bestiarum, privando ipsum ad tempus usu rationis, quo temporis intervallo, quid sibi contigerit, omninò ignorat, nec scit amplius, an homo sit, vel non: Sic suavissima fruitio divinarum blanditiarum, quibus anima quandoque perfunditur in oratione, exspoliat ipsam seipsa, ipsamq; e trahit extra statum suum naturalem, & attollit usque ad conditionem Angelorum fruentium DEO in cœlis, non habet tunc ipsa tunc usum vel suum vel rationis suæ, ignorat omninò, quid secum fiat, omnium obliviscitur rerum, est tota extra seipsam, ut tota transeat in DEUM: *Cum accepta fuerit illa ineffabilis lætitia, perit quodammodò mens humana, & fit divina*; & nunquàm quis ex sancta hâc reverditur ebrietate, quin totus sit immutatus, recipit hic anima effectus & effectus divinos tam diuturnos, tamque vehementes, ut quandoque ex integro amplius nunquàm evanescant. S. Aug. in Psal. 35.

Eheu! nonne dolendum ac deplorandũ sit, plerosq; homines invitari â DEO, tantoq; sollicitari ardore, verbis, precibus, promissis, minis, omnibus modis possibilibus, ut vivere velint vitâ hâc divinâ, tantæ plenâ felicitatis, seque nutrire delitioso Angelorum pane, intendendo ac impendendo quotidie suas animas cognitioni & amori DEI, per aliquas horas in oratione? & stupidi hi ac obcœcati, contempto eximio hoc favore vivere malunt vitâ bestiarum, mente ac

Probrum & dedecus animæ malentis vivere vitâ bestiarum, quàm vitâ DEI.

Luc.

ac animo immersi semper sensibus, quæ trita via est, dilabendi tandem in barathrum inferni. O vita divina, si offerres & exhiberes te modò dæmonibus, in instanti attolleres illos è profundissimis barathrorum suorum spelæis ad fastigia cœlorum & è reprobis æternæ morti jam addictis, illicò beatos efficeres Angelos, qui æterna viverent, vita. Quanta est cœcitas nostra, ut nihili eam faciamus!

O si audire possemus vocem damnati epulonis, perpetuò clamantis è medio flammarum sese devorantium, & aliud non efflagitantis, nisi unicam solam è magno vitæ divinæ Oceano guttulam, pro remedio omnium, quæ tolerat, tormentorum: Luc. 16. *Mittat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam.* Non expostulat vinum deliciosum è mensa Dei; pauxillum aquæ sufficeret ipsi. Ah! argumento nimis quàm sibi luculento convictus est, proprio edocetur experimento, omnia illa, quæ amaverat in mundo in despectum Dei, non tanti esse valoris, quanti unica est gutta ex aqua hac vitæ, è qua haud difficulter suo poterat bibere commodo: nos ex illâ modò possidemus integrum Oceanum, qui exhibet se nobis, se nobis offert, nosque invitat; an nunquàm inducamur, ut bibamus ex eo, quoad tollatur nobis, æterno prosecuturis luctu nostram vecordiam? Exigua, quam experimur, cœlestium ferculorum, orationis, contemplationis, cognitionis & Amoris Dei appetentia, cum alimenta hæc sint, quibus conservatur animæ vita, satis indicant, nostram non vivere vitâ Dei animam.

Quartum signum vitæ divinæ, operatio.

Tandem quarta & maximè manifesta probatio vitæ, est operatio. Non potes videre effectum, abs eo, quod certe noveris, ipsum habere causam, â quâ producatur; non potes videre fructum, abs eo, quod tibi constat, prostare arborem, quæ sit ipsius parens. Si igitur advertas in anima tua operationes vitæ divinæ, dubitare tibi amplius non licet; te vivere vitâ Dei. Eruenda hîc est anima nostra è Labyrintho, diuturnis nimirum revolutionibus & successionibus temporum, & deportanda usque ad æternitatem, quæ præcessit creationem mundi: ibi non videbimus nisi Deum solum; sed hic Deus est vivus in quo igitur consistit vita ipsius? Non potest esse in aliquo, quod sit extra ipsum, cum nihil tale sit; est igitur in ipsomet & ex ipsomet, â quo tota ipsius conservatur vita: Tota ipsius vita incluſa est in ipsomet, hæcque vita non consistit nisi in d abus magnis & æternis operationi-

In quo consistat vita Dei.

bus; quarum una est divini ipsius intellectûs, quæ contemplatur admirandas ipsius pulchritudines. Altera divinæ ipsius voluntatis, quæ amat infinitam ipsius bonitatem. Ecce tibi totam Essentiam totamque perfectionem vitæ Dei.

Anima nostra est sola ex omnibus creaturis mundi hujus inferioris, quæ eximiâ hâc fruitur prærogativâ, quòd eo creata sit nomine, ut in æternum imitetur actiones æternas Dei, & divinâ ipsius fruatur vitâ, contemplando & amando ipsam: sed retineretur adhuc ad tempus hic in terra, velut in gymnasio sanctitatis ad faciendum experimentum & ponendum veluti tyrocinium in eo, quod perpetuò debebit facere in cœlo; non alio hic fine moratur, nisi ut vivere addiscat vitâ divinâ, cum ibi in cœlis futura non sit, nisi ut vitâ divinâ vivat perfectè, vita ipsius divina consummata consistet in æternitate in contemplando & amando Deum: & vita ipsius divina incepta consistit in tempora in contemplando & amando Deum. In nullâ igitur, ut verum fatear, re exteriori consistit vita nostra divina, tota inclusa est in interiori, dum non consistit, nisi in duabus subl misimis animæ nostræ operationibus; unâ intellectus nostri, dûm contemplatur, alterâ voluntatis nostræ, dum amat Deum.

In quo consistat nostra vita divina.

Magni æstimo bona opera externa, quæ fructus esse possunt vitæ divinæ; sed ipsamet non sunt vita divina animæ nostræ: hæc tota inclusa est in interiori, unde nunquam exit, & hæc est cognitio & amor Dei. Si anima nostra non cognoscit illum, nisi cognitione quâdam habituali; & si non amet ipsum, nisi amore quodam habituali, etiàm non vivit, nisi vitâ divinâ habituali, sopitâ & quasi dormiente: si cognoscit ipsum cognitione quâdam actuali, id est actualiter applicatâ ad illum contemplandum, & cogitandum de illo; Et si amet ipsum amore quodam actuali, id est, si actualiter animetur & impellatur ad effundendum cor suum erga illum: vivit etiàm vitâ divinâ actuali, vegeta & omninò perfectâ. O amantissime Deus, quam ingens est bonitas tua, dum reliquisti nobis rem maximam, quam perficere possimus, adeò facilem, ut ad vivendum vitâ, & incipiendum nostram beatitudinem in vitâ præsenti, nihil aliud nobis faciendum sit, nisi ut applicemus nos, animumque intendamus, ad te cognoscendum, ad te amandum.

Exercitium eximium vitæ divinæ.

Ex omnibus pietatis exercitiis, quibus anima christiana occupare se potest, non est facilius,

non

non sublimius, non utilius, non securius, non omni ratione fructuosius, quàm continuò quantum fieri potest, applicare se exercitio vitæ divinæ. 1. Nihil est facilius, quàm cogitare de patre suo, de amico suo, de benefactore suo, de thesauro infinitâ ratione pretioso, qui aliquandò possidendus sit nobis. Jàm Deus est nobis hæc omnia & infinito modo plus; facillimum igitur est, imò & jucundissimum cogitare de illo. *Memor fici Dei, & delectatus sum.* Et si cogitetur de ipso, mille mortiva efficacissima occurrunt, quæ trahant & urgeant cor ad amandum illum: Et ecce hæc praxis est vitæ divinæ: cogitare de Deo, & amare illum. Ecce tibi id, quod faciunt omnes Beati in cœlo. Quis excusare se potest ab hoc exercitio? si dicas: Ego vires non habeo; sed debiles æq; capaces hujus sunt, quàm robustissimi quique. Si dicas: Ego sat doctus non sum; sed rudissimi quiq; cogitare possunt de Deo, ipsumq; amare, sicut doctissimi. Si dicas: tempus ad hoc me destituit, nec semper esse possum in Ecclesia; sed memoriæ & amori Dei intendere quis potest animum, omni tempore, quovis loco, quibuscunque occupatus negotiis; nihil igitur hoc facilius nisiquẽ desti uat bona voluntas.

2. Sed in magna hac facilitate, nihil est sublimius, nihil excellentius, siquidem hoc est, ratione quâdam imitari sublimissimas duas operationes æternas, necessarias, & Deo immanentes, quæ divinam ipsius constituunt vitam, omnemq; ipsius gloriam ac beatitudinem, contemplari & amare Divinitatem. Omnia quæcunque produut Deus extra seipsũ, in comparatione nihil sunt; & omnia bona externa, quæcunque perficere potes, nihil sunt respectu hujus; dum mentem adiicis ad contemplandum & amandum Deum. Mallem, plurisque æstimarem unicam bonam de Deo cogitationem, & unicum solum actum amoris Dei, quam omnia regna mundi; Et si mihi Deus optionem claret creandi mundum novum, æqualis omnino cum præsenti & actuali isto magnitudinis, vel producendi unicum solũ actum amoris sui; mallem & præponerem unicum actum adorationis Dei, vel amoris Dei, creationi mundorum bis denorum & adhùc plurium. Et certum est, hunc unicum iis omnibus majoris valoris esse ac pretii. O Deus! si ponderare hanc valorem possemus, illumq; profundè insculperemus animo, an penderemus tàm parvi ipsum, sicut pendimus?

3. Relinquamus facilitatem ac Excellentiam ipsius, sed ponderemus benè ipsius utilitatẽ & emolumentum maxim ũ, quod

ex hoc exercitio dimanat in animam: Est id omninò singulare, transcendens omnes cogitationes, quibus concipi, & omnia verba, quibus declarari & explicari possit. Anima, cui usitatum est Exercitium cogitandi de Deo, ipsumque adorandi in sanctuario cordis sui, quæque continuò, quantum vires permittunt, conservare adnititur cor suum in actuali bonitatis infinitæ ipsius amore, haud impar est aquilæ, quæ duabus alis cognitionis suæ & amoris sui volat, sequevibrat, ac incredibili cũ velocitate se perpetuò magis magisque insinuat in sublimiorem, altiorem ac ditiorem possessionem Dei. Quandoquidem unicus actus amoris Dei dignus est coronâ, quot coronas intra horam? quot intra diem? quot intra mensẽ? quot intra annum? quot intra totum vitæ suæ cursum congregat & accumulat supra caput suum? Mallem unicam ejusmodi unius diei operam, quã labores omnes, quos exantlârunt cuncti Victores ac Expugnatores urbium ac regnorum, omnium decursu sæculorum. Alexandri, Cæsares, Scipiones, Imperatores romani, desides eratis vos omnes, ignavi & vecordes, dum aucupabimini infantium more muscas; & ideò ignavi, quia ignari, quid sit centenas unius diei opera sibi conquirere coronas.

4. Id quod summè exercitium interius vitæ divinæ reddit commendabile, est, quod non solùm sit facile, sublime, cumprimis utile, sed quod securissimum omninò sit, & absque ullo periculo. Est enim thesaurus absconditus, quò mundi fur, & vanitatis proprius amor accessum non habet, eò quod, cum nullos testes nisi oculos Dei admittat, placere studeat nulli, quàm ipsi soli, cumque non sit, qui observet ipsam ob inusitatam quandã vitæ rationem, hujus pulchritudo animæ abscondita maneat in interiori suo: *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus*: Omnia virtutũ exercitia, quæ minus habent ostentationis, semper plus habent securitatis. O anima mea, quàm pulchrum est arcanum, nôsse clepere & clanculùm subripere cœlum in medio sæculi, abs eo, quod quisquam id advertat! Quàm pius & innocens dolus, suam nôsse sanctificare animam in conspectu mundi, abs eo, quod is quidquam conspiciat ex eo! Statuamus deinceps, quantum possumus, navare operam exercitiis occultis ac internis vitæ Dei ambulare, nos recolligere, defixa mente invigilare maximo, quod in terris âgere possimus, negotio, quod est, reminisci Deum, seriò cogitare de ipso, ipsum adorare, ipsum amare, frui dulcedine amabilissimæ ipsius præ- Psal. 44.

præsentiæ in penetrali cordis nostri. Ecce id omne, quod facere nobis incumbit, ut consolati vivamus in hoc mundo; quia hoc totum quoque est, quod faciendum nobis erit, ut beati simus, in omnem æternitatem.

ARGUMENTUM.

1. *Anima vivens vitâ Dei incipit jam esse beata in vitâ præsenti.*

2. *Quomodo facile locupletare se possit in æternitate.*

ARTICULUS IV.

BOnus Angelus, qui tanquàm Beatus clarè videt in secretum cordis Dei, juxta mensuram luminis gloriæ suæ, videre & intueri non potest clare profundam abyssum ordis humani: Est enim id sanctuarium cunctis obvelatum creaturis, & soli Deo reservatum & reseratum. Nihilominus probè cognoscens, bonam hanc, quam comitatur, animam toto peregrinationis suæ tempore, super terram, verè vivere vitâ Dei, è quatuor vitæ signis, quæ videt in illa, nempè sensu, respiratione, utrimento & operatione, animat & exstimulat ipsam, proponendo illi felicitatem suam præsentem, & majorem adhuc, quam exspectandam habet in æternitate.

Impossibile est bonam animam, quæ vivit vitâ Dei, non esse contentam & beatam.

Impossibile est, bonam animam, quæ cognoscit & amat Deum suum, taliter vivendo vitâ Dei, non esse beatam in hoc mundo, quia contenta est. Verùm dices, si contenta non sit, beata non erit: impossibile est ipsam contentam non esse, eo quod, dum actuali se occupat reminiscentiâ Dei sibi præsentissimi, & actuali amore infinitæ ipsius bonitatis, replentis cor suum, ipsa possideat idem bonum infinitum, quo contentantur omnes Beati, imò, quo contentatur ipse Deus: Ipsa quidem nondum est in paradyso, sed paradysus jàm est in ipsa, juxta affatum illud Evangelii: *Regnum Dei intra vos est.* Non alibi inquirendus est paradysus, nisi in corde bonæ animæ, quem omnium malorum & adversitatum diluvium non poterit destruere; & modò non comedat de fructu vetito, nunquàm expelletur ex hoc paradyso id est, modò non quærat suas consolationes inter creaturas, quas amare vetuit ipsi Deus, nunquàm non in pace fruetur dulci præsentiâ Dei in corde suo, quod verus ipsi erit paradysus.

Deus est solus bonum, quod possidetur re ipsâ.

Anima, quæ possidet Deum, an aliquo indigeat alio, ut vivat contenta? Ex omnibus bonis, quæ amari possunt, nihil est nisi

Deus solus, quòd vere possideatur; eo quod nihil sit, nisi ipse solus, quod per propriam suam substantiam ingrediatur penetralia cordis nostri. Bona materialia, amici, dignitates, & omnia bona creata non sunt in anima, nisi secundum suas imagines, eo quod secundùm suas substantias permaneant extra nos; & hæc est rationum non minima, quare cor nostrum satiare & explere non possint, eo quod illud non pascant nisi imaginibus & meris imaginationibus.

Deus solus est bonum, quod perdi non potest.

Anima immortalis, quæ perpetuis urgetur desideriis alicujus boni, quod sibi satisfaciat, vivit contentissima, quando invenit Deum, ipsumque possidet per cognitionem suam & amorẽ suum. Ipse solus est bonum, quo contenta reddatur atque beata, quia ipse solus est, quem nemo ipsi tollere, quo nemo ipsam exspoliare potest, nisi ipsamet se ab eo per aliquod velit separare peccatum. Omne aliud bonum, quod dependet à tempore, est transitorium, & fugit cum tempore, abs eo quod valeat retineri. O quam imprudens est anima, quæ alteri, quàm Deo soli, adhæret rei! cum enim certissima sit, se illam citius aut serius amissuram, ipsa sibi ministrat materiam & ansam doloris magni, quo misera jam & infelix reddatur.

Quomodo possibile sit, totum mundum non aperire oculos ad conspiciandam altissimam pacẽ, atq; præsentem maximeq; conspicuam beatitudinem, quâ fructur bona anima, quæ vivere adnititur vitâ Dei? Nonne solidissimum & abundantissimum sit ipsius solatium, eo quod hoc ita diluat maximas quasque vitæ præsentis affl ctiones, ut invenire faciat ipsam nonnisi delicias, ubi aliæ non inveniunt, nisi amaritudines? Omnia, quæ maximè & quasi insupportabiliter affligere possunt hominem in præsenti vita, reducuntur præcipue ad tria. 1. Cruces, quibus referta est vita humana. 2. Mortem, quæ nobis undique struis insidias, cujusque ictus, quo ferit, quandoque ex improviso, nobis est inevitabilis. 3. Terrorem judicii Dei, coram quo apparere oportet, ad reddendam exactissimam rationem totius vitæ suæ; & hæc, quâ fiet, latet nos hora. Ecce tres vitæ hominum persecutores, quæ sæpius fateri cogunt illos, infelicitatis plenissimam suam esse conditionem.

Anima vivens vitâ Dei, consolata est in maximis adversitatibus.

Sed bona anima, quæ arcanum invenit in terra vivendi vitâ Dei, fabricatur sibi ex omnibus hisce rebus argumentum & ansam admirabilis consolationis. Quando videt agglomerari super se cruces (quibus plerumque vita justorum magis

Cruces sunt dulces animæ viventi vitâ Dei.

magis infestatur, quàm vita peccatorum) alloquitur semetipsam: Amor, meus crucifixus est: Et eccur esse nollem cum ipso? Is probe videt omnia, quæ patior, ipse novit, ipse in his sibi complacet: Nonne felicissima sim, si voluptate demulceam ipsum, amando hanc crucem ex amore ipsius? Quid sunt omnia, quæ patior, respectu omnium, quæ passus est pro me? Crux ipsius universalis fuerat felicitas mundi, & mea crux specialis est mea felicitas: hæc plus mihi affert commodi, si feram ipsam cum resignatione in divinam suam voluntatem, & in unione cum cruce suâ, quàm si fruerer simul omnibus voluptatibus mundi. Hæ veritates, quas firmissimè credit, exstimulant ipsam ad benedicendum Deum cum magnâ patientiæ tranquillitate, dum alii se torquent, totumque mundum replent querelis; ipsa autèm, quantò plus patitur, tanto majori perfunditur solatio spirituali.

Mors quoque tali est dulcis animæ.

Quando aspicit mortem, quæ timore ac horrore percellit omnium corda mortalium, ipsa in illa non nisi suas reperit delicias: sive enim aspiciat illam velut sperationem ab omnibus, rebus mundi, tantò magis sibi complacet in ipsa, quantò magis implicatio cum creaturis, se à fruitione Dei retardantibus displicet sibi: sive consideret illam velut januam, quâ aperiatur sibi aditus ad æternitatem beatam, mediante quâ induatur in perfectam possessionem Dei, tanto plus reperit in ea solatii, quantò ardentiora sunt vota, quibus fertur in Deum: invitaret ipsam: lubens, ut acceleret gradum cum sancto Hieronymo: Veni, amabilis mors, adesdum occùs & discumpe citò cateras, quæ diù nimis captivam me detinent in obscuro hoc corporis mei ergastulo, ubi aspicere non licet mihi jucundos splendores Dei: concuti finit ipsa tremore decies catena mundorum milla ad mortis aspectum: quantum ad se, anxiè exspectat, avidè exoptat hæc ipsam velut portam & portum desideriorum suorum.

Judicium Dei consolatorium est animæ viventi vitâ Dei.

Tandem si animo revolvat judicia Dei, novit quidem formidabilia hæc esse pro peccatoribus, sed nec labet ipsam desiderabilia existere illa pro justis: aspicit hœdos ad manum sinistrã, sed aspicit quoque ad dexteram Agnos; fulminare audit sententiam maledictionis æternæ super illos; sed pronuntiari quoq; intelligit super illos benedictionis sententiam, quâ mittuntur in regni æterni possessionem; unde dicit intrà semetipsam: Mi Deus dextera manus tua suscepit me, & semper me tenet dextera tua, cum

cum timore perfemitas tuas deducit me gratia tua, ut tandem mihi certò liceat pervenire ad te: cum incidero in manus tuas, melius nullibi esse possum; ero namque in manibus amici mei, qui me amat plus propriâ vitâ suâ, qui deditâ operâ pro se creavit me, qui me redemit pro se, quique fortiter me trahit ad se.

Valdè timeo te, o mi Deus, verùm magis adhuc te amo, plus, quàm timeam, te diligo: contremiscant illi ad conspectum judiciorum tuorum, qui magis timent, quàm ament te; quantum ad me, majori cum desiderio, quàm metu aspicio illa: amo & desidero ardenter salutem meam; sed ardentius adhuc amo & desidero gloriam tuam, quàm meam: & quia certus sum, quâcunque dispoſueris mecum ratione, id semper futurum pro majori tuâ gloriâ; hinc in pace vivo ac fiduciâ: fac mecum, quidquid placuerit tibi. Qui suam magis amant gloriam, quàm tuam, torqueant se, quantùm voluerint, timore ac metu, ne gloriam amittant, nil curando, quidquid tecum fuerit, qualecunque accidat illis judicium, Ego intimo cordi meo insculpam suavissima illa perdilecti discipuli tui verba: *In hoc est perfecta charitas Christi in nobis, ut fiduciam habeamus in die judicii:* dummodò perfectè amemus *Jesum Christum*, collocare tòtam nostram possumus fiduciam in magno die judicii ipsius. 1. Joan. 4

Sic bona anima, quæ vivit vitâ Dei, non videt ubivis nisi materiam & ansam consolationis; & si verum est, quod omnia, quæ maximè affligunt in hâc vitâ, demulcant ipsam voluptate; quid cogitandum est de voluptatibus ipsis, quibus perfunditur à Deo? Et ecce perfectam felicitatem, quâ jàm fruitur in miserando hujus mundi exilio.

Verùm si considerentur bona, quæ abs intermissione acquirit, & amplissima fortunæ munera, quibus se locupletat pro æternitate: O Deus! an intelligi hæc possint, quin admiratione & gaudio percellant animum, accendantque in corde ardens desiderium vitâ vivendi deinceps divinâ?

Ceu fundamenta consolationis ipsius tres statuuntur veritates. Prima est, quod ipsa amet hic in terris Deum eodem amore, quo amatur à Beatis, qui sunt in cœlo: eo quod charitas sancta in terris & illa in cœlis inter se non differant. Secunda, quod amor ipsius nondùm suum obtineat terminum, sed semper adhuc possit crescere, nec etiam ullis limitetur gradibus, ultra quos non valeat se sem- Tres veritates, quæ summè consolantur animam viventem vitâ Dei.

ſemper magis protendere omnibus momentis vitæ ſuæ: & conſequenter, ſi adæquet hodie aliquem è Beatis in gradu, amoris ſui, cras poſſit illũ ſuperare & æqualẽ ſe reddere alteri in gloria magis ſublimi; Exin die ſequẽti tranſcendent & hunc & quinquaginta alios; alio die antecellet adhuc totidem alteros vel plures, juxta proportionem, quâ creſcet in amore ſuo, quem abs intermiſſione omnibus momentis vitæ ſuæ poteſt adaugere; ità ut Beatorum nec unicus ſit, ad cujus gradum aſpirare, & tandẽ etiam pertingere nõ poſſit, ſi fideliter & inceſſanter ſeſe exercuerit in vitæ divinæ operibus.

Erit unica tantùm caterva Beatorum compoſita ex Angelis & hominibus S. Aug. c. 1.

Et tertia veritas ipſam animans, conſolans & exſtimulans eſt, quam tradunt Sancti Patres, inter quos Sanctus Auguſtinus libro duodecimo de Civitate DEI, & Sanctus Gregorius homiliâ trigeſimâ quartâ in Evangelia; quod nulla futura ſit diviſio vel ſeparatio Angelorum & hominum Beatorum in cœlo; quaſi Angeli facerent turmam aut cohortem ſuam ſpeciatim, ſeparatam ab hominibus, & omninò ſupra homines in gloria exaltatam, homines quoque ſuam ſeparatim conſtituerent catervam, tanquàm inferiores in beatitudine omnibus Angelis; ſed quod ex utrisque nonniſi futurus ſit grex unicus ſub unico ſolo paſtore; id eſt, unicus ingens Exercitus omnium Beatorum, ubi homines intrabunt in ſocietatem felicitatis cum Angelis, & ſuum inter illos obtinebunt ordinem magis vel minus ſublimẽ juxta proportionem graduum amoris ſui, penes quos erit & illa gloriæ ſuæ, ità ut aliqui duntaxat admit ẽdi ſint ad chorũ Angelorũ; alii aſcenſuri ad illũ Archangelorum; alii ad illum Virtutum; alii extollendi ſint ad illum Principatuum; alii ad illum Dominationum; alii ad illum Poteſtatum. Quidquod erunt adhuc alii, qui aggregandi ſint Choro Thronorum; alii recenſendi in illum Cherubinorum; Et alii denique exaltandi usque ad ſedes Seraphinorum, qui ſupremum inter tres Hierarchias Angelorum tenent & occupant locum. Et ſancti Patres, qui tam conſolatoriam pro hominibus ſequuntur doctrinam, afferunt in hujus confirmationẽ, teſtimonium *Jeſu Chriſti* ipſius in Evangelio ſancti Lucæ: *Erunt ſicut Angeli Dei.* Cap. 20.

Diviſiæ admirabiles animas exercentis vitam divinam.

O quàm admirabiles poteſt ánima ſolidis his innixa fundamentis, & ſemel firmiter circa tres haſce magnas perſuaſa veritates, facere inceſſanter quæſtũ & lucra, comparando ſibi novos ſemper gradus beatitudinis in regno DEI! Siquidem quando

renuntians cœteris omnibus, in interiori suo sese applicat continuis vitæ divinæ exercitiis, nunquàm non reipsâ & actualiter contemplari studens Deum præsentem, ipsumque amare semper gestiens, quàm potest ardentissimè, certum est, ipsam abs intermissione sumpturam augmentum in amore: siquidem nec unicus quidem est amoris Dei actus, qui augmentum non mereatur amoris DEI. Indubitatum est igitur, acquirere ipsam incessanter novos ac sublimiores gloriæ gradus, cum nec unicus gradus amoris Dei sit, cui in æterna possessione Dei suus non respondeat gradus gloriæ: Et nôsse, quanti valoris sit ac pretii unicus ejusmodi gradus, id omnem humanum transcendit captum, supergraditur intelligentiam. Quando omnis hominum vita impenderetur ad obtinendum ex iis unicum duntaxat & minimum, condigna valori tanto non penderetur solutio; Et exercitium vitæ divinæ; de quo loquimur, centenario ac millenario accumulat illos numero in anima nostra, abs eo, quod aliquo propemodùm stent ipsi labore.

Bone Deus! Bone Deus! si anima clarè videre posset admirabiles, quos facit, progressus, quando fideli cum constantiâ ac fervore huic intendit, seque impendit, exercitio! forsitan ipsa jam gradum habet amoris, quo collocatur in ordine Angelorum, quorum maximus est numerus, quique omnes sibi invicem sunt subordinati, & gradus amoris, quem habet, fortassis transcendit illorum jamjàm quingentos. Quod si magnâ cũ animi contentione navare pergat operam exercitiis cognitionis & amoris Dei, & hisce suffragantibus intra tempus aliquod excrescat ipsius amor, superabit adhuc illorũ quingentos alios. Si perseveret majori cum fervore ejusmodi frequentare actus, ipsius amor tàm magnus evadet, ut tandem omnes excedat Angelorum choros, & æquiparandus sit cum Archangelis. Sed quia novos accumulare gradus non cessat, divinum suum prosequendo exercitium, emenso aliquorum amorum spaatio ita locupletatur, ut Archangelos quoq; post se relinquat, illisq; superior evadat. Quis novit, an Principiatuũ non sit assecutura ordinem; exin Thronorum ac Cherubinorum consensura chorum; fortassis deniq; & illum altissimorum Seraphinorum in cœlo? siquidẽ quantò ipsius excreverit amor, tantò plures exercebit actus heroicos, & consequenter majores faciet progressus. O Deus! si illos, quos facit, quæstus, videre posset anima, quantiq; sit valoris annus, septimana, dies, unica duntaxat hora

nos

nobilissimo huic exercitio fideliter impensa!

Cur Deus abscondat animæ pulchritudinem operis sui.

Sed Deus consultò abscondit ipsi pulchritudinem operis sui, quo delectaretur & afficeretur nimiùm; anxio nimis & insatiabili desiderio invigilaret labori, cætera deseret omnia, negotia seponeret necessaria, & neglectâ vitæ corporalis curâ, nec momento vivere posset unico, quo non actualiter & totaliter intenderet Deo, ipsum contemplando, ipsumq; ex totis suis amando viribus. Ad impediendum ingentem hunc excessum, opus fuerat, ut esset hæc anima, unus ex Seraphinis proximè Dei Throno astantibus: quilibet ipsorum habebat sex alas, sed nonnisi duâbus volabant, aliis duâbus suam tegebant faciem, suosque oculos, ut illis absconderent pulchritudinẽ, erga quam rapiebantur; & duâbus aliis tegebant pedes suos, ad tollendam ipsis cognitionem progressûs, quem faciebant in itinere suo: nihilominùs non intermittebant volare semper, quantumvis cœco modo, & abs, eo quòd scirẽt, quo ambularent, quemq; facerent in itinere suo progressum.

Exhortatio ad laborandum pro lucro comparando in cœlis

Operemur itaq; infatigabiliter, dum tempus habemus, nec diem, nec horam, nec momentum: omnia pretiosa sunt in vita animæ, Deo fideliter servire & sibi prodesse volentis: siquidem nonnisi certam habet temporis mensuram, & post hanc deperditam nihil ex illo habebit amplius, nec quod perdidit, ipsi quisquã restituere potest. Non afficiamur tœdio, nec cadamus animo, non frangamur socordiâ; æternitas tota integra jàm abundè sat erit nostræ quieti. Satagam⁹ comparare nobis, quantûm possumus, ex pretioso hoc sacri amoris auro, dum agimus in terris, certi, nos in cœlis haud plus possessuros ex illo, quàm in terris collegeramus nobis. Ultimũ vitæ nostræ momentũ, nostræ est terminus viæ; ex hoc momento, nec unicũ licet ultra protendere gressũ: destinata est æternitas ad fruendũ illo, quod paravimus in tempore, nec nova ibi licet parare lucra. Omnia vitæ præsentis instantia occasionẽ suppeditant nobis nova parandi & accumulandi lucra, illaque tanta, quanta voluerimus ipsi; sed decies centena Sæculorum millia in æternitate (si dimetiri hanc possent sæcula) nec momentum suggererent nobis, quo locupletare nos possemus unico novo amoris Dei gradu.

O Possessio æternitatis quàm pulchra es! quàm amabilis es! quàm tranquilla es! quàm secura es! quàm æqualis es! Tu nihil tuæ imminuis Excellentiæ; sed nec unquàm adauges illam. O pretiosum in terris lucrum, quàm es pro-

ficuum! quanti ponderis es & momenti! quantis divitii accumulas animam! non relinquis equidem ipsi quidquam quietis: sed laborem illius tantâ compensas utilitate, ut nesciam, an non adæques & valeas totius possessionem æternitatis.

Summè tè æstimo, O beata possessio DEI mei in æternitate; desidero te, amo te, & quando habebo te, requiescam in te, committam me totum tibi, & tu totam meam constitues felicitatem. Sed modò & in præsenti pluris æstimo te, O inæstimabilis requisitio DEI! O pretiose labor! O acquisitio delectabilis & utilis! amo te, totum integrum consecrabo me tibi, nonnisi tibi adhærebo soli, tu totam meam constitues felicitatem cunctis momentis vitæ meæ, tuncque infelicem me credam, quando non actualiter requisivero DEUM, & adhuc infeliciorem, quando oblitus fuero DEI, & infelicissimum, quando cessavero semper magis magisque amare DEUM.

O mi DEUS, ne sinas me perdere vel unicum ex omnibus momentis vitæ meæ, abs eo, quòd intendam tibi; abs eo, quòd recorder tui; abs eo, quòd contempler te; abs eo, quòd amem te; abs eo, quòd desideremte; abs eo, quòd requiram te; eò, quòd momentum quodlibet in exercitio & actuali praxi vitæ divinæ collocatum, productum mihi sit possessionem æternam infinitæ tuæ bonitatis in æviterna sæcula. Amen.

CON-

CONSULTATIO XXX.

Concluſio totius hujus operis, & fructus, qui ex illo trahi poteſt.

Cur terra ſit ſub pedibus noſtris & cœlum ſuper capita noſtra?

VErſamur hîc in terris eo oris ac corporis noſtri habitu, qui noſtri nos admoneat officii, ſi benè eundem conſiderare velimus. Voluit DEUS, nonniſi pedum plantis â nobis attingi terram, dum nunquàm non attollimus caput verſus cœlum, ad inſtituendum nos, ut ſtatuamus nobiscum nonniſi contemnere terram, quæ ſubſtrata eſt pedibus noſtris, & attollere oculos noſtros, cogitationes, deſideria noſtra in cœlis, qui noſtris ſupreminent capitibus. Videtur, nos procul diſtare ab illis, ac longum requiri tempus, multo opus eſſe labore, ſi illuc aſcendere velimus. Nihilominùs magnus Apoſtolus exhortatur nos, ut noſtra converſatio, noſtra collocutio, noſtra habitatio nunquàm non ſit in cœlis. *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt.* Quid igitur faciendum, ut Apoſtolico huic præcepto morem geramus? An opus avellere nos more Eliæ â mortalibus, ut ſicut ille, flammante curru feramur in cœlum? an aſſumamus nobis pennas ſicut columbæ, ut harum remigio navigemus ſuper aſtra? Non, nullatenus id â nobis deſiderat Apoſtolus, cum vires excedat noſtras.

Phil. 3.

Portamus cœlum in nobis ipſis.

Oportet ergo extollere ſaltem cogitationes noſtras ſupra omnes res mundi hujus inferioris, & cogitare nihil, niſi ſemper defixum gerere animum contemplandis aſtris, more illius philoſophi, qui prolapſus eſt in foveam, non reſpiciens ad pedes ſuos, eò, quòd ſublatis ſemper oculis curſum conſideraret ſtellarum. Non, haud opus eſt ſemper eſſe abſtractum & abreptum extra ſeipſum: haud opus eſt quærere cœlum ſuper capita noſtra; non mutandus nobis eſt locus, ut ingrediamur in cœlum; in inſtanti erimus ibi, ſi voluerimus; cœlum enim circumferimus in noſtris capitibus, includimus illud in noſtris cordibus. Cœlum, de quo ſanctus Paulus loquitur, & in quo deſiderat noſtram eſſe converſationem, eſt Deus ipſe. Jam cœlum eſt in nobis, cum penetremur & poſſideamur toti intimâ præſentiâ Dei. Beatis in gloria non eſt magis præſens, quàm nobis; ſed illi vident

ipsum, & ideò Beati sunt, & nos ipsum non videmus, & ideò privati manemus felicitate verâ in medio magni Oceani omnium felicitatum.

Recordemur Dei, & sumus in cœlo. S. Ephrem.

Unde ergò oritur, quod nec consolati, nec Beati vivamus, cum totum in nobis sit cœlum? nisi quòd in cœlum non ingrediamur ad fruendum felicitate ac beatitudine nostra. Sanctus Ephrem egregiam hanc exaratam reliquit nobis sententiam: semper memineris Dei, & cœlum mens tua evader. Ingredere solumodò temetipsum, & memineris te totum plenum esse Deo; & ecce jam versaris in paradyso: Nam quanta abundantia gaudii, quàm solidum tibi solatium, videre plenum te esse bono infinito? O si gustares hoc gaudium! juxta proportionem immensarum divitiarum thesauri, quem possides! quæ differentia foret inter te & Beatum? Non igitur defectus est præsentiæ & possessionis Dei, nonnisi oblivio Dei est, quæ reddit te infelicem. Memor es Dei, & gustas dulcedinem præsentiæ ejus in te? reipsâ in cœlo es, quamvis videaris conversari in terrâ cum cœteris hominibus. Obliviscеris Dei? nihil illius gustas? præsentiæ miserabiliter serpis in terra cũ cœteris animantibus, quamvis cœlum circumferas in temetipso, totusque plenus sis Deo.

Unde venit, quod tam parùm recordemur Dei.

Sed unde proficiscitur universalis hæc Dei oblivio? quid conciliat communem hanc infelicitatem hominum? unde est, quòd, cum omnes totum cœlum portent in semetipsis, in cœlo tamen non omnes vivant, ubi suam invenirent felicitatem? Et unde venit, quòd illi ipsi, qui videri volunt pietatis alumni, quique dicunt, amare se Deum super omnia, nec quidquam quærere extra seipsum, tam parùm intendant Deo, ut obliviscantur illius horis integris, & quandoque integris diebus? hoc oritur ex parvâ æstimatione Excellentiarum Dei, ex modica cognitione, quam habent de Majestate, & adorandis ipsius perfectionibus. Audiêrunt quandoque fieri sermonem de ipso; sed tàm leviter tamque obiter, ut non penetrârit ipsorum animum; haud aliter quàm si facta fuisset ipsis narratio cujusdam rei, de qua nihil sciant, nisi per auditum, ex qua nihil viderint unquàm, cujusque â semetipsis nullam habeant cognitionem; ex eo, quod audiêrint de ipso, haud aliter afficiuntur, quàm anili quâdam fabulâ, cujus non ampliùs habeant rationem. Si res bene consideretur, constabit, nimis quàm verum esse, majorem ita sentire partem hominum, & rationem, quare nonnisi rarissimè de Deo cogitent, esse, quod nonnisi mimini pendant ipsum.

Ecce mi chare Lector, quid sæpè impleverit cor meum amaritudine; deploro ignorantiam, in quâ vivimus, earum rerum, quæ concernunt Deum; abs vehementi dolore videre non possum, tàm parùm cognosci ipsum, tamq; parvi æstimari, ut vix otium quis sumat cogitandi de eo. Et ecce quid me impulerit, ad explanandum tibi hîc aliqua de Excellentiis Supremæ hujus Majestatis, majori quâ poteram claritate & evidentiâ. Et licet hoc fiat abjectâ quâdam ratione, quæ longè inferior sit tanti argumenti dignitate, nihilominùs confido, te magnos exin haurire posse fructus, si operam navaveris lectioni hujus libri, cum spiritu veris accenso desideriis cognoscendi Deum. Annotabo tibi hîc aliquos principaliores, quos melius ex propriis cognosces experimentis.

ARGUMENTUM.

Primus fructus Lectionis hujus Libri est, quod fastidium pariat animæ, ipsamque faciat commorari in cœlis.

Articulus I.

Solatium animæ abstrahentis se à creaturis, ut habitare possit in Deo.

NEmo est, quem status premat infelix, nisi ex eo, quòd feliciorem habere non possit. Imaginare tibi hominem inclusum carceri fœtido, perobscuro & arctissimè obfirmato; ubi pro suarum cumulo ac culmine miseriarum ingemiscat oneratus catenis, & fame moriatur. Quâ ipsum perfunderet voluptate, qui ipsum inde exsolvens, aperiret illi januam speciosissimi alicujus palatii, cujus apparatus omnis admodùm foret magnificus, lectissimâ instructus suppellectile, splendore plenus ac divitiis, offerendo id illi deinceps in habitaculum, si præ suo id mallet ergastulo? Quis tam insanæ est mentis, ut fluctuaret animo, in eligenda unâ ex duâbus hisce mansionibus? Jam simillimum quid hîc accidit.

Anima inclusa ergastulo corporis sui contenta est mansione tàm mœstâ, molestâ, incommodâ, quia non credit, se aliam hâc meliorem habere posse. Sapientes mundi, & omnes ii, qui nonnisi nôrunt illa, quæ cadunt sub sensus, nõ capiunt, quod spirituales dicunt, mansionem esse in Deo summè delectabilem pro animabus, quibus illuc pateat introitus. Videtur illis hoc esse torturam ac cruciatum intolerabilẽ, semper abstractum manere à creaturis, nunquàm non recollectum in semetipso, semperque inten-

intentum Deo; credunt que privatum hoc esse omnibus voluptatibus vitæ, & vivere infelicē, velut perpetuo detentum ergastulo; cum ex adverso, totum sit verum oppositum, quod nempè obscuro & arcto sit cōstringi ergastulo, & admodū habitare angustè, scā creaturis inclusam & constrictā tenere animam. Quid enim est creatura? quid universus simul est mundus respectu alicujus animæ, nisi carcer tam arctus pro illa, ut suam hîc habere non possit extensionem: capacitas illius longè his omnibus est major; nonnisi Deus solus nostrâ major est animâ, & consequenter exire è mundo & creaturis, ut intretur in Deum, est exire è carcere, ut in magnificum intretur palatium, seque omnimodæ asserere libertati.

Aspectus magni palatii divinitatis ostendit, mundum esse velut carcerem.

Illi, qui nullam habent cognitionem Spiritûs, non intelligunt hæc: sed ignoscendum est illis, quod illa nondū æstiment, quæ nondum cognoverunt. Si aspexissent pulchritudinem, magnitudinem, splendorem palatii, ubi ipsorum habitare potest anima, nonnisi maximo contemptui illum haberent carcerem, ubi credunt, se habitare lautè persuasi, se hîc vivere absque coactione & in libertate: cognoscerent, quàm infinita differant ratione, habitare in Deo, & habitare in seipso, vel creaturis; quodque unum non sit nisi pœnosus carcer & misera captivitas; alterum palatium magnificum & jucundissima habitatio bearārū animarum. Aperi oculos, O anima. Liber hic, qui tibi loquitur de Excellentiis Dei, aperit tibi portam speciosi hujus palatii; quando tibi explanat prodigia adorandarum ipsius perfectionum, ostendit tibi, teq; ducit in illi? habitacula. Videtis, quàm sint magna, quàm sint pulchra, quàm sint jucunda, quàm sint splendida, quàm sint magnifica: Nonne mox primo illorū raperis aspectu? Nonne mox vehemens experiris desiderium habitandi ibi? *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini*: Intra, quiesce ibi, fruere jucunditate amœnissimæ hujus mansionis, cōmorari poteris illic, quamdiu libuerit tibi. Psal. 83.

Porta palati, tii Divinitatis.

Anima pura à sordibus peccati, libera ab affectibus mundi, & verè appetens Dei, ubivis apertam invenit januam, ad exeundum à semetipsâ & creaturis, atque intrandum in speciosum & spatiosum Divinitatis palatium. Janua hæc est immensitas DEI, quæ omnia replet, quamque videt ipsa ubique: hinc omnia ipsi loca æqualia sunt, & undique extollere se potest ad habitandum in magnifico & mirifico hoc palatio.

tio. Quando semel huc intravit, obliviscitur cœterorũ omnium, ut occupet se occupatione Dei ipsius, qui per omnem æternitatẽ non facit aliud, nisi quod divinas suas contempletur perfectiones, & infinitâ ratione amet illas. An dubitandum sit, quin hæc anima experiatur totum cor suum distentum gaudio, eô quod, cum in DEO sit, ibique faciat, quod facit ipse DEUS, ex eodem hauriat fonte, è quo Deus ipse totam suam haurit & desumit beatitudinem?

Misera captivitas animæ, quam creaturæ constringunt carcere.

Admiratur ipsa cœcitatem ac miseriam suam, quod tamdiù detenta fuerit in fœtidis ac obscuris creaturarum ergastulis, nec intelligit, quomodo tolerare potuerit tam diuturnam, tamque miseram sub illis captivitatem: Jam dum aspicit illas è sinu DEI, ubi habitat, minores atomis videntur ipsi in comparatione adorandi hujus palatii, ubi Deus ipse, cum omnibus habitat Beatis: deplorat ipsa miseriam eorum, qui liberos se putant, dum vagabundum gerunt animum, qui in continua vivunt Dei oblivione: illorum luget & plangit captivitatem, dum totos ipsos videt creaturis obstrictos, quas tanti æstimant, quasi Deus nihil esset respectu illarum. Eheu! quã decipiuntur turpiter à sensibus suis! Nam cum ad ipsos se referant, hique illis non dicant, Deum esse, nihil æstimant, nisi quod expositum est sensibus, & cœtera omnia ceu meras accipiunt imaginationes, & phantasmata infirmorum ac tristium animorum.

Felicitas animæ habitantis in DEO.

Ex adverso anima, quæ semel aditum invenit in jucundum hoc Divinitatis palatium, nil magni æstimat, nisi id, quod fides docet! cætera omnia videntur ipsi velut umbra, quæ præterit, velut noctis somnium, quod evanescet, cum oculos habuerimus apertos: adhuc minus, quã somnium; cum non sint nisi acervus parvorum nihilorum, quæ prodiêrunt è nihilo, & mox in nihilũ relaberentur, nisi sustentarentur à manu DEI: puderet ipsam annihilare se in omnibus hisce nihilis, dùm commorari potest in Deo, ubi suam invenit gloriam, suam quietem, suumque paradysum. O mi Deus! ipse solus contentus vivit ac beatus qui habitat in te, qui cognoscit te, quique amat te. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te.* Joan. 17.

Conclavia specialia palatii Divinitatis.

Nonne hoc est aperire tibi portam paradysi, dum facile tibi conceditur medium habitandi in Deo, & quiescendi in pulchritudine adorandarum ipsius perfectionũ, velut in pluribus magni cujusdam palatii conclavibus, ubi libertatem habeas intrandi ipsorum prodigia, & tamdiù comorandi ibidem, quamdiu placuerit tibi? Quodvis eorum suas habet divitias, suasque illecebras

cebras, quæ majore, vel minore afficient te voluptate, juxta proportionem, quantò majore attentione aſpexeris ipſas.

Lib 3. c. 6. Diſpoſui & ordinavi in *Chriſtiano interiore* parvam aliquam praxin converſandi in præſentia Dei per ſeptem hebdomadæ dies, tribuens unicuique diei cogitationes & affectus diverſos circa quamlibet perfectionem Dei; ſemel circa eſſentiam Dei, altera die circa illius Omnipotentiam; iterum aliâ circa ipſius ſapientiam, aliâ vice circa ipſius patientiam, & exin circa ipſius amorem, & poſtea circa ipſius juſtitiam; & deniqúe circa ipſius miſericordiam. Sed omnia hæc in parvam valdè redacta ſunt Epitomen, ut ſufficere tantummodò poſſint pro colloquio unius diei. Ecce tibi hîc quædam ampliora, quibus ad eundem finem uti melius poteris.

Quælibet conſultatio agens de perfectione quâdam Dei ſatis ampla eſt, & ſufficientes complectitur veritates ad ſuppeditandam colloquii materiam per hebdomadem integram, ſi otium concedere volueris animæ tuæ ad ruminandum ac inſculpendum tibi illas, ſicut & hauriendum aliquem ex illis fructum. Siquidem hoc eſt velut ingens quoddam conclave palatii Divinitatis, ubi non nimium tibi fuerit per integram commorari hebdomadem, ad perluſtrandas omnes illius pretioſitates: invenies ibi lumina fulgidiſſima, quibus tuum demulceas intellectum; affectus tum dulciſſimos, tum ardentiſſimos, quibus tuam oblectes voluntatem; contingentias quoque jucundiſſimas, quibus ſanctâ quâdam ratione ſatisfacias curioſitati; Et ſuper omnia campum inexhauſtum divinarum veritatum, quibus quantò magis ſcrutando inhæſeris, tanto majora perſpecturus ſis in illis prodigia: vix ſatisfactum tibi putabis, niſi diutius quàm octo diebus in manſione tam jucundâ fueris commoratus.

Quomodò mutare poſſimus manſionem, ut ſemper manere poſſimus in Deo cum voluptate.

Nihilominùs hebdomade ſequenti concedere poteris in conclave aliud, aliam dico conſultationem, quæ non minores tibi ſubminiſtrabit delicias, ubi cum viſurus ſis pulchritudines omninò novas, novas quoque percepturus & experturus ſis conſolationes. Quando nonniſi leviter res tranſcurrimus, nonniſi levem exin haurimus ſatisfactionem, quæ non admodùm commoveat animum, & quantocyùs denuò evaneſcat. Non eadem hîc eſt ratio, quæ eſt cum lectione alicujus fabulæ vel apologi, aut fictæ cujusdam narrationis, ubi ab initio parùm quid irradiat ſul-

fulgoris demulcens oculos; sed dum penitius illas rimamur, experimur non esse, nisi meras imaginationes. Hîc ex adverso res se habet, sicut cum tabernaculis Cedar, quæ non exterius, nisi telæ rudes, sordidæ, pulvere conspersæ, sed sub illis ingentes abscondebantur thesauri: Veritates hîc expositæ prorsus sunt nudæ & absque omni ornatu; omnis illarum pulchritudo est ab intus, & fundo inclusa; profundè penetra, perscrutare cum otio, & videbis illas.

Mutabis adhuc mansionem, dum mutas hebdomadè, & intrabis in considerationem alterius perfectionis Dei, quæ tibi exponitur in alia consultatione, & methodo omninò diversâ ab aliis. Observabis ibi pulchritudines novas, quæ occupabunt te cum voluptate per hebdomadem integram, & hæc vix tibi sufficiet ad aspiciendum illas omnes paulisper cum otio. Nihilominus sic faciendo, transegeris plus quàm medium annum, recreando te spiritualiter in divinâ hâc mansione, abs eo quod visitare potueris conclavia omnia Augusti hujus palatii Divinitatis, quæ omninò hîc habes & vides aperta. Quod si gustaveris semel dulcedinem habitationis tam jucundæ, omnis alia carcer tibi videbitur & ergastulum; & totus fastidiens terram & creaturas, vivere non poteris consolatus, nec tuo commodo, nisi commoreris in cœlo & cum Deo. Et hic primus est fructus, quem haurire poteris ex lectione hujus voluminis.

ARGUMENTUM.

Secundus fructus, exercere culturâ cœlum plantatum in terris.

Articulus II.

QUotidie postulamus à Deo, ut regnum ipsius veniat ad nos: *Adveniat regnum tuum*; Et tamèn nolumus, quod postulamus: non enim dependet nisi à nobis, ut descendere faciamus cœlum in terram, exspectando, quoad ascendamus è terra in cœlum. Est verus hic sensus sublimium verborum quæ DEUS asserit & effatur in vate Isaia: *Posui verba mea in ore tuo, ut plantes cœlos & fundes terram;* id est, ut plantes cœlos in terrâ, & fundes terram super cœlos. Hoc est plantare cœlos in terra, dum porrigitur nobis modus vivèdi hic in terrâ, sicut in cœlo, semper in sinu DEI, semper occupatum divinis ipsius perfectionibus, per longam, quam contraximus, consuetudinem, ruminando ipsarum prodigia. Et hoc est fundare terram super cœlos, non aliâ ratione tractare quidquam, quam velut negotia æternitatis, faciendo illa omnia in Deo & pro Deo, & in præsentiâ DEI, & velut habentes obligationem, strictam de illis reddendi rationem coram justitiâ DEI.

Isaiæ 51.

Mysteriis admodum fœtam invenio sententiam in apocalypsi: *Beati mortui qui in Domino moriuntur, opera enim illorum sequuntur illos.* Illi sunt mortui, & moriuntur; si non essent mortui, non morerentur; Et ipsi non moriuntur continuò, nisi quia sunt mortui actualiter. Qui sunt Beati hi mortui, qui moriuntur semper? nisi animæ, quæ jàm deseruerunt terram ut intrarent in cœlum, per universalem mortem, quâ mortuæ sunt omnibus rebus mundi, & per constrans propositum stabiliendi suam habitationem in sinu DEI. Ipsæ jam mortuæ sunt mundo, & moriuntur continùo sibi ipsis. Mori mundo, hoc fieri potest subitò ac uno eodemq; tempore, semel promptè deserendo ipsum, sicuti fecerunt tot solitarii & religiosi, qui se vivos sepeliêrunt in profundas solitudines: avulsos à commercio hominum, Sed mori sibi ipsi requirit longam moriendi seriem omnibus inclinationibus naturæ & amori proprio, qui semper vult renasci, quemque semper longo Martyrio interimere: opor-

Beati mortui, qui moriuntur Apoc. 14.

oportet: & Beati hi mortui, qui ità moriuntur in Domino, vel ex amore Domini nostri.

Differentia inter operationes & opera.

Sed ratio ipsorum Beatitudinis est admirabilis; eò quod, dicente Scripturâ, opera illorum sequuntur illos. Est differentia inter nostra opera & nostras operationes: nostræ operationes sunt nostræ actiones, nostra opera sunt effectus nostrarum operationum. Quot videre est, qui pulcherrima faciant opera, at operationes abominandas. Iste homo, qui exstruit domum suam, qui pulcherrimum ædificat palatium impensis istius, quem opprimit, pauperis, cujusque devorat substantiam, haud dubiè facit opera, quæ multum habeant splendoris; sed operationes ipsius criminosæ omnes sunt turpissimæ. Et prorsus ex adverso homo iste solitarius, despectus à mundo, qui abnegat seipsum, qui mortificat passiones suas, qui gestat cilicia, vel qui jejunat, facit opera, quæ nihil habeant splendoris, quæ nihili pendantur à mundo: sed operationes ejus tam magnæ sunt, tamque pretiosæ, ut majoris valoris sint, quàm tota terra simul, si ex purissimo constaret auro: parùm ipsius interest, qualia sua sint opera; sed summè invigilat, ut omnes operationes & actiones suæ excellant, probè gnarus, non esse operationes nostras, quæ sequuntur nos, sed opera nostra; sive bona, sive mala: *Opera enim illorum sequuntur illos*: Speciosæ domus, pinques fundi, arva fœcunda avari hujus & ambitiosi hominis, non sequentur illum, sed peccata; quæ in illis injustè acquirendis commisit: sic nec cilicia, nec jejunia, nec omnes mortificationes illum sequentur solitarium, sed bonæ virtutum ac pœnitentiæ exercitationes, sicut & amor Dei, quo fuerat ad illas exstimulatus.

Deus & mundus sunt velut duæ lances alicujus libræ.

Hoc posito ipse judica, quàm verum sit: Beatos esse mortuos, qui in Domino moriuntur. Imaginare tibi hominem, à mundo & vanitatibus ejus totum abstractum, qui voluntario sese illius auxilio, ut suam in cœlo constituat habitationem, id est, in Deo, & divinis ipsius perfectionibus. Quid facit ibi? Quodnam est ipsius exercitium? Non solum fruitur Deo, habitans semper in ipsius sinu; sed contendit & studet se reddere tã mangnificà habitatione dignum, continuò intentus suam purificare animam, & mori sibi ipsi, ac omnibus affectibus humanis; nec unquàm augere cessat æstimationem Dei in animo suo, quem indies tantò cognoscit magis, quantò magis conversatur cum illo: juxta proportionem insuper auget con-

temptum mundi, cujus tantò plus obliviſcitur, quantò plus ab ipſo ſeparatur ac elongatur: Deus & mund? ſunt veluti duæ Lances alicujus libræ, quarum una dum deprimitur, altera elevatur: juxta quod æſtimatio Dei aſcendit & attollitur in anima, immi-nuitur & tandem tollitur omninò æſtimatio mundi, ità ut ille, qui totus eſt Dei, in nullo & nullatenus ſit mundi.

Quomodo anima colat cœlos plantatos in terris.

Non ignorat talis, vivere ſe contemptum â mundo, nec pluris æſtimari ſe, quàm ſi eraſus jam eſſet è catalogo viventium: probè novit, non extolli nec celebrari facta ſua, cum nihil habeant ſplendoris, ſeque inutilem prorſus mundo: ſed ex hoc non angitur, eò quod noverit non ſequi ſe opera ſua, ſed operationes & actiones ſuas, quæ omnes divinæ ſunt, quæ omnes ſunt factæ in Deo & pro Deo, omnes abſconditæ in Deo, & pretioſæ coram Deo: Et hâc ratione ab ipſo cœli plantantur in terris: *ut plantes cœlis*; non intermiſſâ exercet illos culturâ, id eſt, dum ſuam conſumit vitam in conſideratione Excellentiarum Dei, & in ruminandis adorandæ & Auguſtæ hujus Majeſtatis perfectionibus, adorat illum, admiratur illum, amat illum, & etiam, quantum poteſt, adnititur, ut ſe efformet ad ſimilitudinem illius. Et ecce unicum ipſius negotium, dum tot milliones hominum inutiliter torqueri permittit circa res mundi, in univerſali oblivione Dei.

Et ecce ſecunda prærogativa, quam ſperare potes ex lectione hujus libri; magnâ nimirùm curâ colere cœlos, qui plantati pro te videntur in terris, & exinde admirabiles colligere fructus: ſiquidem Beati non vident in cœlo per lumen gloriæ niſi easdem perfectiones Dei, quas contemplaris tu hîc in terris per lumen fidei. Sed pro illis eſt cœlum jam totum in fructu, cujus meram abs ullo labore guſtant dulcedinem; nec unquàm plus inde colligent, quàm quod jam habent: & pro te eſt cœlum plantatum, quod abs intermiſſione fructus producit omninò novos, tantâ cum fœcunditate, ut exhauriatur nunquàm, modò nunquàm deſiſtas ſollicitâ cultura exercere ipſum.

(o)

ARGU-

ARGUMENTUM.

Tertius fructus, addiscere de Deo

ARTICULUS III.

NIhil ità deplorandum, quàm usurpare auribus usitata Christianorum colloquia. Si Philosophus ille, qui alteri dixit: *loquere ut te videam*, audiret ipsos, Atheorum ipsos accenseres numero, videns, quòd nunquàm, vel quasi nunquàm ex ore ipsorum prodeat vel unicum de Deo verbum, nisi ad irridendum vel blasphemandum ipsum. Lingua ipsorum loquitur ex abundantia cordis eorum; & quia ipsi oblectamentis, non loquentur nisi de crepundiis, nugis & rebus frivolis.

Unde veniat, quòd homines parùm loquantur de Deo. 1. Pet. 4.

Eccur non loquimini de Deo? ut quid verba non miscetis de divinis ipsius Excellentiis, sicut Apostolorum Princeps cunctis præcepit Christianis: *Si quis loquitur quasi sermones Dei:* responderent tibi: Quomodo nos loqui vis de illo? Nihil quasi de ipso dicere possemus, cum non nisi minimâ ipsius habeamus cognitionem; hoc sapientibus incumbit, & iis, qui Theologicæ scientiæ pollent notitiâ: Nomen enim Theologia significat discursum loqui, *& cum voluptate sermonem miscere de ipso.*

vel colloquium de Deo. Jam scientia hæc non est admodum frequens & usitata inter Christianos. Ecce quid pariat ipsis difficultatem loquendi de Deo; nemo nisi de eo, quod novit, loqui potest.

Verum si hoc obstat, ne loquaris de Deo, hanc amplius excusationem allegare non potes, si applicare te volueris lectioni hujus liberi: siquidem is tradit tibi Theologiam tam familiarem, tamque facilem, ut nemo sanæ sit mentis, qui eam non intelligat; nihilominus etiam Theologiam adeò sublimem, adeò profundam, ut sapientissimi quique Theologi, nil dixerint sublimius, nil subtilius, quod hîc explanatum non invenias Methodo facili & expeditâ ad capiendum. Sic nonnisi in te situm est, quin doctus sis Theologus, peritus & paratus solidè verba facere de Excellentiis Dei; siquidem hic liber Epitome est eorum omnium, quæ docentur in prima parte Theologiæ, quæ agit de Deo Trino & Uno.

Hic liber reddit lectorem suum Theologum.

Et

Fit voluptas loqui de Deo.

Et hoc tantò tibi erit facilius, quod omnia hîc tractentur in forma Consultationum & colloquiorum spiritualium, ubi lumina & ardores, cognitiones & affectus conjunguntur simul, ubi intellectus invenit, quo illuminetur, & voluntas, quo accendatur. Non hîc fit sermo per ænigmata & modos loquendi inositatos, sed verbis claris, intelligibilibus, & familiari in colloquiis usui accomodatis: unico verbo, hæc Theologia hîc loquitur, sicut hominibus ingenuis invicem colloquendi mos est. Omnes Consultationes, quas tibi exhibet hic liber, non complectuntur aliud, nisi quòd Christiani, qui cognoscunt & amant Deum, in suis proferre possent colloquiis, si tamen Christianè & cum fructu conversari invicem vellent. Quòd vetat, quin his similia habere possis cum amicis tuis spiritualibus colloquia? Nonne plus jucunditatis habeat invicem loqui de rebus bonis, quàm de malis vel indifferentibus? Nonne plus experiatur oblectationis animus ratione præditus loquendo de veritatibus æternis, solidis, ac sublimibus, quæ Dei Majestatem, quam adorat, concernunt, quàm semper reptando super terram per colloquia de rebus vanis ac frivolis, quæ nonnisi vento, fumo, nugis, mendaciis, ac inutilitatibus repleant ipsum.

Quid elevet vel deprimat intellectum.

Sed non omnes sunt intellectu tam elevato tamque illuminato, ut evolare hâc ratione possint in superiorem aëtis regionem aquilarum more: oportet unumquemque metiri sepede suo. Dicas potius, non omnibus esse intellectum fide plenum, nec cor bonis desideriis accensum cognoscendi & amandi Deum; id enim solùm est, quod evolare facit animam in altum. Siquidem da mihi intellectum naturalem, quem dare poteris, amplissimum, acutissimum, vivacissimum, quamdiu privatus fuerit luminibus cœli & cognitionibus Divinitatis, serpet semper humi, manebit nunquàm non defixus in terra: *Qui de terra est, de terra loquitur; qui autem de cœlo venit, super omnes est.* Joan. 3. Cuncta ipsius colloquia non erunt, nisi de parvis, quæ inter homines, vel ab hominibus aguntur, negotiis terram sapientibus, & illius commoda; ubi econtra intellectus, quantumvis rudis, illuminatus tamen radio quodam divini luminis, & affectu quodam divini Amoris accensus, loquitur velut Angelus, cujus tantis abundant illecebris colloquia, ut maxima quæque rapiant & ineffabili voluptate afficiant ingenia.

Anti-

Collationes Patrum in deserto sunt sublimes.

Antiqui Patres in deserto non pollebant omnes ingeniis, quæ pollicebantur provinciarum ac regionum moderamina, non erant plerumque magni Philosophi; vita ipsorum solitaria, quâ ab hominum retrahebantur commercio, nil conferebat ad locupletandum se magno scientiarum thesauro; nihil enim eorum, quæ accidebant in mundo, quasi noverant: nihilominus congrediebantur quandoque & instituebant collationes spirituales de materiis & argumentis omninò divinis, ubi loquebantur velut magni Doctores Academiæ cœlestis, suam quolibet contribuente partem, vel id, quod legerat in sacrâ Scripturâ (quæ ferè solus devotionis liber erat, quem versabant manibus) vel id, quod acceperat à Deo in oratione, quæ intimum animæ cum Deo est colloquium, ubi ipsius addiscit cognitionem. Et hæ collationes Patrum visæ sunt tam pulchræ, tamque dignæ admiratione, maximis quibusque ingeniis, ut sanctus Thomas, qui Theologiæ nostræ censetur oraculum perpetuò illas lectitaret. *Collationes Patrum assidue pervolutabat.*

Si loqui non possis de Deo, nec rebus divinis, ne causam refundas in defectum ingenii parùm acuti, vel in carentiam scientiarum studio acquisitauum; habebis sat ingenii, si habueris sat devotionis; & plurimùm habebis scientiæ, si plurimum habueris fidei & desideriorum cognoscendi Deum. Siquidem præoccupat ipse eos, qui concupiscunt se, nec suam abscondit faciem, quærentibus illum; & quàm parum etiam anima (quamvis alias simplicissima) conversatur cum Deo in oratione, intra breve tempus tantum acquiret luminis & capacitatis, ut Spiritualia cum sui similibus instituere possit colloquia, majoribus plena illecebris, quàm jucundissimi discursus eorum, qui loqui haud nôrunt, nisi sæculo, & vanitatibus ejus.

Consultationes hæ possunt servire pro colloquio de Deo.

Quando non habueris aliud colloquii argumentum, nisi quod legeris in consultationibus hoc libro contentis, nec una ex omnibus erit, quæ tibi non suggeret materiam æquè jucundam, quàm utilem, quæque serviet pro spirituali recreatione, magis futurâ consolationi, quàm omnes vani discursus, qui formari poterunt. Mirum sanè est, christianas inveniri familias, quæ laborem quandoque sibi assumant aliquam addiscendi comœdiam, ubi suam quilibet memoriæ committat personam, ut illam exhibeat simul cum aliis, ad recreandum sese

hiſce ludicris & vanitatibus. Ecur nobis non ſit tantus pietatis ac devotionis ſenſus, ut addiſcamus, & inſtituamus ſimul ſpiritualem quandam conſultationem de perfectionibus Dei? pleræque ex his, quas complectitur hic liber, ita ſunt diſpoſitæ, ut plures perſonæ ſint, quæ ſucceſſivè loquantur, & quælibet ſua exponat lumina, ſuos producat affectus, quos conceperit in corde ſuo. Nonne magnæ voluptati foret, ſuum replere iisdem luminibus aut cognitionibus intellectum, ſuumque iisdem munire affectibus animum, ut ſuas quisque partes in conſultatione benè agens, id inde referret utilitatis, ut addiſceret Theologiam cum voluptate, diſcurrere de illa noſſet cum facilitate, ſuum inveniret intellectum ſublimiſſimis illuminatum veritatibus circa perfectiones Dei; & tandem ſuam experiretur voluntatem cum tempore totam accenſam affectibus ſanctiſſimis amoris Dei.

Dedecuseſt habere nos tàm exiguum deſiderium loquendi de Deo.

Eheu! quantum nobis dedecus, quantum probrum, quòd ſentiamus in nobis tàm vehementes propenſiones converſandi cum noſtris amicis, & miſcendi cum illis colloquia de mille rebus frivolis, & non experiamur inclinationes incomparabiliter fortiores cònverſandi cum Deo, vel de ipſo cum familiaribus noſtris faciendi ſermonem? An non ergò verum eſt, obſtrictos nos eſſe ſub æternæ damnationis pœnâ, amare ipſum ex toto corde noſtro, ex tota anima noſtra, ex totis viribus noſtris? Eſtne hæc fabula? Eſt ne imaginatio hanc nobis legem eſſe impoſitam? an ignoramus, eſſe impoſſibile nobis pertingere ad cœlum, niſi verè & fideliſſimè magnum hoc obſervemus præceptum? & nunquàm quaſi cogitare de illo! nunquàm quaſi de ipſo loqui! Quomodo dicere quis poteſt ebſque ingenti ſuiipſius deceptione, ſe æſtimare, ſe amare, ſe deſiderare id, circa quod tantam cum vecordiâ oſtendit ſocordiam? Non eſt tàm tenuis malus affectus in corde noſtro, qui non quandoque trahat animum, ad inſtituendum de re, quam amat, ſermonem? Et quantò affectus eſt major, tanto magis ad id impellit animum: conſtat enim amorem eſſe pondus, quod trahat animam in partem ſuam. O ſi cor haberemus plenum Dei amore, ſicut obſtricti ſumus, certum eſt, nos alias haud admiſſuros cogitationes in animi penetralia, quàm illas de Deo, niſi vi quâdam nobis illatâ, nec de aliis verba facturos rebus absque maximo faſtidio.

Quid

Christianus nonnisi loquens de mundo est luscinia agens bubonem.

Quid diceretur, si videre foret plures luscinias, quæ proprium relinquerent cantum ac suavem harmoniam, ut simul ruditer crocitarent sicut corvi, vel ululant sicut bubones? nonne ingenti percellerent horrore? nonne censerentur esse monstra & mali augurii volucres? nonne diceretur, has certè non esse luscinias, quamvis secundùm externam figuram tales videantur? Heu! quod aliud judicium ferre quis potest de Christianis, quando proprio suo relicto idiomate, quod esse deberet de Deo, de devotione, de rebus salutis suæ, idioma arripiunt mundi, velut pagani, non loquentes nisi de vanitatibus, de nugis, de negotiis, de novis, haud aliter, quàm assecla mundi, & non Dei. Nonne horrorem incutiant velut monstra, velut luscinia noctuas indu æ & bubones? Nonne censeri possent sinistri ominis aves, & cum veritate quis diceret de illis: Hi Christiani non sunt, quamvis speciem eorum videantur referre, verinamque Christiani, quibus esse deberet cor & animus Deo plenus, longè aliud decantant vernaculum carmen.

Nihilominus monstrorum ejusmodi tàm ingens est numerus, ut illorum aspectus nullam amplius cieat admirationem: potius ex adverso stupor occupat animum, si videatur hodiè christianus, qui loquatur de Deo in congressibus; omnium in ipsum vertuntur oculi, quasi foret alienigena, qui patriæ non loqueretur idioma, & quasi nemo ipsum intelligeret, nemo illi respondet ad prosequendum discursum de rebus cœli, eò, quòd hæc regio sit ipsis prorsus ignota. Et experientiâ constat, quòd, qui magnum aliquem hominum congressum vult reddere attonitum, elinguem ac stupore defixum, alio opus non habeat, quàm verba illi facere de Deo, & si plausisper duntaxat prosequatur, videre erit quantocyùs plures tœdio affectos congressui inopinum dicturos vale. Unde hoc oritur? nisi quod nemo loqui noverit de eo, quod non novit; non cognoscitur quasi Deus, & quod ejus est, nec cordi habetur, ut cognoscatur. Mi chare lector, facile tibi fuerit, si voles: studiosè & ex animo incumbe lectioni hujus libri loquentis tibi de Excellentiis Dei, cognoscere addisces ipsum, & loqui de ipso poteris facilè & cum voluptate. Hic tertius est fructus, quem ex hâc reportabis lectione.

ARGUMENTUM.

Quartus fructus, Conciliare fastidium lectionis librorum inutilium.

ARTICULUS IV.

QUemadmodum nostri oculi amant lucẽ, & gustus noster bonos sapores, sic intellectus noster amat veritatẽ, & ubique indagat illam: libros intuetur velut thesauros, in quibus ipsam credit esse inclusam, quos dum aperit illamque inquirit, experitur sæpissimè, se esse deceptum? Siquidem libris vanis & inutilibus scatet mundus, quos haud impares dicas falsis adamantibus, certum quidem habentibus splendorem, qui in aliquo non absimilis sit verorum adamantum splendori, non tamen ejusdem cum ipso sunt valoris; quibus in hac experientia non suffragatur, decipiuntur facilè, adeòque magni quandoque ement adamantem falsum, credendo se ingens comparâsse lucrum, & inveniunt se nihil habere, quod alicujus sit pretii.

Differentia inter bonos & malos libros.

Sic propemodum accidit in lectione librorum: non parvæ scientiæ est, illos benè cognoscere, nec mediocris felicitatis bonum quempiam offendere inter tot inutiles usque in infinitum fermè multiplicatos. Vix unquàm aperimus librum nisi cum spe inveniendi ibi aliquid, quod sit vel voluptati, vel utilitati, vel complectatur utrumque; & paucos videre est, qui non ab initio parvam quandam exhibeant speciem & præbeant spem, porrigendi levem quandam intellectui satisfactionem, sed nimis sæpè nil aliud præstat nisi simplicem quandam exteriorem apparentiam: intellectus, qui famem sedare, seque satiare sperabat, manet aridus, & totus

totus affectus tœdio, eò quòd non invenerit, quod desiderabat: inquirens enim veritatem quandam solidam, solùm invenit extrinsecam aliquam veritatis speciem, & veritatem tantummodò superficialem.

Veritates apparentes relinquunt intellectum vacuum.

Dicunt Philosophi, quod superficies nihil aliud sit, nisi qualitas extensa in longum & latum, non autem in profundum: unde venit, quod quamvis accumulaveris millenas & decies millenas, & iterum centies millenas superficies, unam supra alteram, nunquàm tamen facturus sis corpus aliquod solidum, quod trinam suam habeat dimensionem, longitudinem, & latitudinem, & profunditatem: incassum legeris centenas fabulas, & millenas historias profanas, ingentem librorum inutilium acervum, ad indagandum ibi quidquam, quo tuum repleas & saties intellectum; nunquàm tamen invenies ibi, nisi apparentes veritatum species, tenues superficies, quarum omnis simul multitudo suppeditare tibi non potest veritatem solidam, sine quâ impossibile est intellectum tuum repleri, contentari ac satiari, eò quòd creatus non sit, ut distineatur at decipiatur apparentiis, sed ut satietur ac repleatur veritate infinitâ, quæ est Deus ipse. Et quidquid faciat, non percipiet plus satisfactionis ex omnibus lectionibus suis, quàm didicerit solidæ veritatis, quæ respiciat Deum.

Sanctus Augustinus egregiè delineavit pulchritudinem hisce verbis: *Beatitudo est gaudium de veritate*, affirmat beatitudinem esse gaudium, quod percipit intellectus ex eo, quod invenerit veritatem. Ex oppositio igitur dici potest, quod infelicitas & miseria sit tristitia ex eo, quod intellectus experiatur, se non inveniisse nisi mendacium. Quantum fastidium! quantum supplicium misero in-

S. Augustin. Confess L. 10. c. 23.

tellectui, maximâ veritatis accenso fame, dum postquam se diu fatigavit legendo, & indagando in libris, quo suam satiaret famem, nihil uspiam invenire potuit, quod sibi faceret satis, ita deperdens & tempus & laborem, nihil inde lucratus, nisi lassitudinem, quâ conficiatur, & tœdium ac mœrorem, quo obruatur & contabescat, si decimam temporis sui partem contulisset in lectionem boni cujusdam libri, invenisset veritates solidas, quibus suum replêsset & nutriisset intellectum, recessurus inde magis contentus, quàm aliquis famelicus, qui surgit è mensa, quâ opiparè fuerat exceptus; & tandem potitus fuisset beatitudine verâ, degustans gaudium inventæ à se veritatis: *gaudium de veritate.*

Ingens gaudium, quo frui potest intellectus ex lectione hujus libri.

Scriptura sacra, sancti Patres, & omnes libri de Deo loquentes, sunt totidem convivia animæ præparata, ubi nutrire se potest plenâ cum satisfactione, omnibus iis veritatibus, quæ beatitudinem conferre sibi possint super terram. Non extollam nimium parvum hoc opus, quando dixero, id esse ex eorum numero; nec si id prædicavero, temerarius ero, eò quòd omnes, quas includit, pretiosæ, divitiæ, à quibus recommendabilis reddatur, non sint depromptæ ex me, nec exortæ in fundo meo: Est fides, est sacra Scriptura, sunt sancti Patres, est sacra Theologia, unico verbo, est totum id, quod ex omnibus præstantissimum nos docet Religio christiana, est Deus infinitâ ratione magnus, infinitâ ratione amabilis. Si totum hoc verum non est, nihil verum esset in mundo, & si veritate hâc esset aliquid sublimius, esset aliquid majus & sublimius Deo. Nullus intellectus se unquàm replere posset veritatibus certioribus, sublimioribus, profundioribus, utilioribus vel magis consolatoriis, quàm si firmiter suo im-

imprimat & insculpat animo eas, quæ in Consultationibus his explanantur, veritates. In vanum millenos impendet conatus ad penetrandum omnem profunditatem Excellentiarum Dei; experientiâ addiscet, quòd, quantò plus scrutari voluerit, tanto plus inventurus sit, ipsum esse thesaurum absque fundo, ubi intellectus delectabiliter absorbeatur abyssis luminum, quæ nonnisi profundam post se relinquant admirationem mirabilium Dei, & infinitam augustæ ipsius Majestatis, quæ sibi incomprehensibilis videtur, æstimationem.

Enascitur ex hoc abreptio quædam intellectûs, dum oppressum se videt à gloria, quam comprehensurum se putabat, à quâ ipse comprehenditur, quâ implere se cogitabat, & ipse eâdem redundat; quam penetrare contendebat usque ad fundum, & ipse nil aliud invenit, nisi infinitam quandam captum suum transcendentem luminum immensitatem, quò nunquàm pertinget.

Exinde nova semper, sempèrque major exoritur fames incessanter revertendi ad conspiciendas pulchritudines, quæ tantis abundant illecebris, quarum fruitio & sua satiet desideria & sui tamen adhùc famẽ & desiderium relinquat, sicut se habet cum Angelis in cœlo, qui semper contemplari desiderant ineffabiles divinæ faciei pulchritudines, quas semper contemplantur: *in quem desiderant Angeli prospicere.* 1. Pet. 1. Quando semel invenit anima gustũ in contemplandis Excellentiis Dei, consolata vivere non posset, nisi semper eadem contemplaretur.

Omnia contemptibilia videntur intellectus, meditandi Excellentias Dei.

Hinc ortum sumit fastidium universale omnis alterius studii, vel lectionis, vel colloquii, nisi sint de Deo; cætera omnia videntur ipsi abjecta & in comparatione contemptibilia: videtur sibi habitare in mundo alio, & in regione super omnes res humanas longissimè elevata, unde prospiciens has

has intueatur vel tenues quosdam ac viles atomos. Exempli gratiâ : Omnes sæculorum durationes videntur ipsi nonnisi momentum unicum, quando aspicit illas è medio æternitatis Dei : Omnis mundi magnitudo visibilis videtur ipsi minor arenæ granulo, quando illam contemplatur penes immensitatem Dei : Omnes voluptates, omnes divitiæ, & omnis mundi gloria videntur ipsi despicabilia somnia, quando abundat sublimibus idæis divitiarum ac gloriæ, deliciarum ac voluptatum domus Dei, quarum oceanus immensus, satis vastus est & amplus ad implendum & satiandum ipsum Deum, omnesque Sanctos, qui in cœlo sunt : Majestas & potestas regum minor ipsi videtur potestate culicis & muscæ, si cum omnipotentia Dei deducatur in comparationem. Sic de cœteris rebus omnibus creatis, quæ respectu Dei videntur ipsi nil aliud, nisi parva quædam nihila, erga quæ aliter affici non possit, nisi ingenti quodam contemptu.

Voluntas absorberur â magno bonitatum Oceano, quem invenit in Deo.

Insuper accenduntur in de stupendi quidam in voluntate ardores, amores inquam, erga pulchritudinem, quæ tanto intervallo excedere sibi videtur cunctas alias pulchritudines perituras & caducas : amare vellet infinitam ipsius bonitatem, in quantum cognoscit ipsam amabilem, sed experitur, Deum majorem esse corde suo, omnesque conatus suos non assecuturos id, quod est infinitum. Verum contenta est ex eo, quod superetur, quodque Deus infinitâ ratione magis sit amabilis, quàm amari â se possit : nihilominus non cessat indies novos adhibere conatus, & juxta mensuram, quâ excrescit in ipsius intellectu per continuum studium luminosus radius, ad cognoscendum semper magis magisque

que Excellentias Dei, vellet etiam abs intermissione magis magisque succendi ardoribus, amoris inquam voluntatis: propterea dilatat cor suum, illudque quantùm potest, attollit & elevat: sed quantò magis anima sese attollit & crescit in cognitione & amore Dei, tantò magis videt Deum in gloria & bonitate exaltatum supra se: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Denique cedit, & tota abrepta in complacentia pulchritudinum, Excellentiarum, & bonitatum infinitarum Dei, alloquitur ipsum: Domine, æquum est, tu infinitâ ratione superas & transcendis cor meum; comprehendere te nunquàm possum; sed comprehende tu me, & absorbe me in te: undè conjicit & immergit se, sicque tota immersa & absorpta manet in Deo.

Psal. 63.

Tandem fructus, quos anima haurit è frequenti, seriâ & profundâ contemplatione Excellentiarum Dei, ejusmodi sunt, ut illos ipsamet experiri, sed enarrare & verbis exprimere non possit. Nemini id crede, sed ipsemet experire: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. Beatus homo, qui sperat in Deo.*

ARGUMENTUM.

Exhortatio & Consilium magni momenti pro ultimâ Conclusione.

Articulus V.

Animanon desinit ardere, si non desinit illuminari.

PRobè novi, Spiritum Dei non indigere discursibus intellectûs nostri naturalis, ad stabiliendam voluntatem nostram in bonis affectibus ac desideriis, imò etiam in ipsis virtutum cumprimis solidarum & heroicarum exercitiis. Reperire est animas exiguo lumine ac cognitione dotatas, quæ tamen non intermittunt magnis succendi ardoribus, magnis ardere amoribus: amant Deum, quià ipsum amant, absque eo quòd aliam quasi rationem dare possint bonorum, quos experiuntur, affectum, nisi quod firmissimè statuerint unicè se illi devovere, seque fidelissimas exhibere in ipsius famulatu: dubitari non potest, quin id devotionis genus sit optimum, & tantò melius, quod totum mera sit gratia, & manifestus omninò effectus Spiritus Dei.

Nihilominus omninò est aliud, quando sancti voluntatis affectus innituntur luminibus & cognitionibus intellectus: non dico solùm luminibus mobilibus & ambulatoriis inspirationum, nec luminibus infusis gratiarum, quæ permanent, & magnam commotionem conciliant in anima; sed luminibus acquisitis per seriam meditationem magnarum veritatum, quæ efficaciter convincere possint animam, ut totam sese velit dicare & consecrare Deo; hoc namque est castrum & propugnaculum ædificatum supra petram immobilem: affectus voluntatis possunt quandoque variare; non enim est ipsa semper iisdem succensa ardoribus sensibilius, quamvis conservare semper possit eadem proposita; sed hæc ficca sunt, atque infirma videntur ipsi, si sunt absque igne: lumina etiam infusa quandoque ecclypsantur, quando, placuerit Deo nobis paulisper suam abscondere faciem: hæc enim est velut radius, qui tàm absolutè dependet ab oculis solis,

lis, ut quamprimum is cessat nos aspicere, relinquat nos in tenebris.

Devotio animæ innixa luminibus intellectus illustrati est solidior.

Sed lumina acquisita & cognitiones per discursũ intellect°, cum auxilio gratiæ, sunt habitus, qui firmiter adhæreant intellectui velut faces, quas tenet manu suâ, ad dirigendum se cum certitudine in densissima caligine. Quando devotio sensibilis deserit animam, ipsaque nonnisi frigida voluntatis suæ retinet proposita, hæc firmiter conservantur per acquisita hæc lumina, quibus cum ipsius intellectus convincatur & persuadeatur omninò, nunquàm non is servit ipsi velut Dux optimus, quo ire debeat, proposita ipsi ob oculos obligatione suâ tàm manifestè, ut dubitare de illa non possit.

Ob defectum hujus luminis, quo simplices carent animæ, inquirunt hæ id alibi: oportet enim videre clarè, ad ambulandum cum certitudine & perficiendum opus suum; siquidem in nocte nec ambulare nec operari quis potest: *Venit nox quando nemo potest operari. Jesus Christus* suis dixit Apostolis, quo ipsi essent lumen mundi: ipse, qui divinus eorum sol fuerat, recedens à mundo, ut rediret ad Deum Patrem suum, reliquit ipsos velut faces accensas ex suomet lumine ad illuminandum & dirigendum mundum in viis cœli; & Apostoli cum extincti essent respectu nostri per mortem, reliquerunt eadem sua lumina in successoribus suis ac Doctoribus Ecclesiæ, qui semper sunt & fuerunt lumen mundi; ad illos recurrendum est, illi consulendi, illi requirendi pro directione sui: hinc est, quod Sancti Teresia omnibus animabus ad perfectionem anhelantibus suadebat, ut, quantùm possent sibi eligeret Directorem non solùm virtuti addictum, sed etiam doctum & scientiâ imbutum, eò quod verum lumen super omnia necessarium sit, ad dirigendum & gubernandum se cum securitate.

Joan. 9.

Verùm si lumina, quæ mutua tantummodò accipimus ab aliis, tàm sunt proficua animæ ad conservandum & dirigendum illam in viis Dei: quid illa efficient, quæ penes seipsam habet? si tantum proficiat aliis, communicando ipsis ex sua abundantia, quid non dare & communicare poterit sibi ipsi? Intellectus, qui admodum clarè videt, quàm Deus sit amabilis, ad persuadendum aliis, ut ament ipsum super omnia, nonne ipse prior circa id persuasus esse debeat? Et persuasio hæc est continua & nunquàm intermissa, quia luminá magnum hanc ve-

Beatus quæ ipsemet sui luminis & cognitionis habet et se gubernandum.

ritatem persuadentia, ipsi sunt domestica.

Hæc est prærogativa eorum, qui unicè vel saltèm præcipuè incumbunt in id, ut profundissimâ repleant intellectum cognitione Excellentiarum Dei. Theologi affirmant, quòd clara Dei visio Beatos reddat impeccabiles. Et certum est, quod anima, quæ semel imbuta fuerit magnâ cognitione Dei, obtineat quasi incapacitatem vel æstimandi, vel amandi unquàm aliud, & consequenter nec adhærendi ulli creaturæ in contemptum Dei, quod unicum est, in quo consistit peccatum, eò quod cœtera omnia in comparatione ipsius quasi nihilum videantur. Sed oportet, ut divinum hoc lumen cognitionis Dei penitissimè imbuerit ipsam: Siquidem non sufficit, ut superficialiter tantùm tinctum illo suum habeat animum, quo tamen pleraque pars hominum contenta est, sibi persuadens, quod satis superque alicujus veritatis possideat cognitionem, mox ubi illam aspexerit primâ vice suoque illam approbaverit suffragio & consensu, quod idem est, ac si jactare me vellem, me optimè nôsse hominem usque ad cordis intima, eò quod semel transcursim in ipsius faciem conjecerim oculos.

Tria hominum genera loqui possunt de aliqua ratione, modo valdè diverso. 1. Aliquis cursor veredis illam pertransiens, benè quidem affirmare potest, se illam vidisse, sed adeò velociter, tamque obiter, ut otium sibi non sumpserit, aliquid ibi notatu dignum observandi; adeoque nil aliud dicere de illa potest, nisi quòd pertransiêrit ipsam. 2. Quispiam eo nomine concedens illuc, ut suam ibi expleat & satiet curiositatem, videndo per otium, quæ in regione rariora sunt & visu digna, de quibus etiàm majori cum cognitione loqui potest; cum datâ opera aliquam diù ibi substiterit, ut informationem acciperet de omnibus, & suo commodo videret ea, quæ suæ satisfacerent curiositati: sed omnia hæc vidit velut res, quæ non erant è re suâ, è quibus nullum sperare poterat emolumentum, nisi voluptatem, quàm hauserat aspiciendo illas; semel proin illas vidisse contentus est, abit, & nunquàm revertitur illuc. 3. Verùm quando aliquis consultò suam deseruit patriam, ad habitaculum figendum in ista regione, tenetur desiderio cognoscendi omnia circa illam, non duntaxat situationem, sed leges, mores, consuetudines; non tantùm assumit ipsius amictum & habitum! sed animum, affectum, genium & ingenium reli-

Cognosci possunt rebus tribus modis diversis

eligionis; hîc loqui de ipsa poterit perfecta cum cognitione; hîc enim ibidem non ampliùs velut advena, sed velut indigena censendus.

Tres modi legendi aliquem librum.

Sic fermè se habet cum multis, qui valdè diverso loquuntur modo de veritatibus, quas tradunt & complectuntur libri. 1. Est ingens numerus ingeniorum acrium & ardentium, eorum nempè, qui velut veredarii cursores totam transcurrunt & permeant regionem, hi quantocyùs totum aliquem devorârunt librum, cursim legendo illum, modo titulum, modo aliquas lineas hinc & illinc fortuitò oculis objectas; & exin dicunt: benè novi quid contineat codex iste, totum percucurri ipsum: Imò, sed nihil ex eo vidisti; & ità percurrens omnes libros ingentis cujusdam Bibliothecæ, nihil trahes ex eo emolumenti 2. Alii (& hi maximum constituunt legentium numerum) invi sunt aliquem librum per modum itinerantis, ut fruantur voluptate videndi, quid complectatur; legent ipsum satis confideratè; approbabunt vel vituperabunt, quod illis placet vel displicet; & exin ipsum claudent, & hoc facto nunquàm ampliùs redibunt ad ipsum. 3. Rari admodum sunt, qui bono, si quem invenerunt, adhæreant libro, velut habitaturi cum ipso, ut cum attentione evolvant ipsum, omnes ejus studiosè degustent veritates, illas digerant, illis se nutriant, earum affectum & sensa assumant, illis se induant, & animum imbuant, quasi facturi ex illis propria sua sensa, lumina, cognitiones, affectus: Et tamen hic unicus modus est, omnem ex libris hauriendi fructum, qui hauriri potest.

Una veritas benè ponderata præstat pluribus leviter consideratis.

Non est multiplicatio luminum vel cognitionum, quibus magis illuminata reddatur anima; sed est magis profunda eorundem luminum ponderatio, ruminatio penitior: Mallem unicam solam veritatem benè insculptam animæ, quàm centenas alias leviter tantum & superficialiter ipsi affricatas. Da mihi unicam arborem, quæ in bono plantata sit fundo, quæ altas & firmas egerit radices, quæ benè & industriè sit culta, afferet hæc suo tempore flores & fructus: ubi centenæ aliæ arbores, quæ fuerint solummodò collocatæ in terrâ, unde trahere vix poterunt sufficientem humiditatem ad conservandum paulisper suum virorem, nunquàm aliquem germinabunt fructum. Quando legeris aliquam ex his consultationibus, explanantibus tibi perfectiones Dei, invenies ibi veritates, quæ dubio procul ab initio aliquam tibi afferent delectationem; eò quod

omnia magna sint & stupenda in perfectionibus Dei. Verùm id non est, nisi adhùc arbor superficialiter posita in funda, nisi altius penetret, nisi radices agat, nisi diligenti culturâ exerceatur, nunquàm tibi aliquem afferet fructum.

Differentia inter veritates Deum concernentes, & omnes alias.

Talis est differentia inter res Dei, & illas mundi, quòd hæ ab initio ostendant omne id, quidquid habent pulchri; dùm autem penitius eas rimamur, inveniamus fundum refertum esse nihilo. Sed veritates, quæ Deum concernunt, speciem præferunt, quæ primitus non tantis inescet illecebris, eò quod nimiùm nostras excedant facultates, nostram transcendant captum: quando incipimus eas penetrare, incipimus eas æstimare, illarum gustu affici; & quantò penetrantur magis, tantò magis æstimantur, tantò majori afficiunt gustu; Et quantò penitius illas perscrutamur, tantò magis cognoscimus, ipsas esse fundum prodigiorum, qui fundo careat, hîcque infinita ratione plus esse cognoscendum, quàm noster intellectus, & omnia creaturarum ingenia comprehendere possint. Sic nemo sibi persuadeat, exaggerationem esse, tali ratione loqui de Excellentiis Dei: sed potius quæcumque fieri possit earundem declaratio, hanc infinitâ ratione majorem semper esse eò, quòd re ipsâ sunt.

Quis modus melior enuntiandi aliquam veritatem.

Quidquid actitatum est in hisce Consultationibus, perfectiones Dei, enucleantibus, ejusmodi naturæ sunt veritates, ut quantò plus ponderantur, tantò plures novæ detegantur & manifestentur pulchritudines, quæ semper magis magisque voluptate afficient: apparatus illarum nullo refulget splendore, dicendi genus nullâ incedit pompâ, nec irradiat luxu; periculum fuerat uti verbis nimiùm magnificis aut exquisitis, quæ illecebris demulsissent intellectum, seque potius ostentâssent quàm ostendissent veritatem: *Oratio sit talis, ut res potius, quàm se ostendat.* Seneca. Suffecerat mihi, quòd nihil haberent, quo offenderent; quodque legendo adverteretur non verba dici, sed veritates ostendi, expositas in pulchritudine suâ naturali, abs eo, quod cordi esset, ipsas benè vel malè esse vestitas.

Optarem mi chare lector Excellentias & perfectiones Dei meliùs esse impressas tuo cordi, quàm huic codici: vellem te toties legendo repetere illas, ut frequenti earum meditatione ac penitiori ruminatione tua illis immergeretur anima, & ab iis absorberetur tota. O quàm felicem me crederem, si modum suggererem tibi, non tantùm intran-

intrandi, sed magis progrediendi in cognitione Dei! Quantas decantaremus laudes & gratiarum actiones Deo in æternitate! Ego, quòd scripserim, tu quòd legeris, & uterque, quod parùm quid contulerit ad augmentum gloriæ Dei.

Ah! Utinam omnes Creaturæ tuas evulgarent & in publicum proferrent Excellentias, supreme Mundi Monarcha, omnium te ora laudarent ac benedicerent, facturæ tuæ omnes me adiuvarent deprædicare omnes tuas misericordias, tibique rependenre grates, speciatim ob eas, quod inspirare mihi volueris pia quædam animi sensa & cogitationes bonas, circa divinarum perfectionum tuarum Excellentias. Quamvis agnoscam & confitear me non nisi indignissimè locutum fuisse de illis, confido tamèn, dixisse me nihil, quod conforme non sit fidei catholicæ; Si id feciſſem ex inadvertentiâ & præter intentionem meam, retracto id, & lubens condemno, & omnia mea cogitata, omnes meos affectus submitto humilimè infallibili judicio sanctæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ, in cujus fide vivere volo & mori: placeat bonitati Dei infinitæ me hâc donare gratiâ. Amen.

Copiosus Index Rerum ac Verborum.

A.

Abraham.

ADmirabilis Abrahami Zelus in exhibendâ Deo obedientiâ 714

Adam.

Adam meliora nobis nova afferre potest de æternitate, quàm quivis alius homo 266
Ipsius vita est quasi natu major filia æternitatis ibidem.

Adoptio.

Quâ ratione adoptemur in filios Dei 178

Aër.

Natura & usus, necessitas & prodigia aëris 374

Æternitas Dei.

Vide totam Consult. XI.
Noster intellectus est nimis parvus ad concipiendam æternitatem Dei 267
Exultandum nobis est de illâ. 284
Ipsius consideratio conferre potest tres eximias perfectiones cunctis actionibus nostris 271
Deus ignorat & initium & finem æternitatis suæ 274
Probatur æternitas Dei ratione ibid
Alia ejusdem pulchra probatio. 275
Cœcitas hominis, dum capere nititur æternitatem Dei 277
Nos concipimus duas partes in æternitate Dei 278
Æternitas nobis videtur esse pulchrior absque fine, quàm absque initio 279
Nec tacere, nec loqui possumus de æternitate 282
Magnitudo æternitatis 286
Ipsius comparatio cum tempore 285
Ipsa est tota integra in præsenti 283
Quid sit totam habere æternitatem 282
Exhortatio ad aspectum æternitatis 287

Æternitas Creaturæ.

Hæc non est nisi semiæternitas 290
In quo palatio habitet æternitas 291
Vita nostra non est nisi filum, quo suspensi tenemur supra abyssos æternitatis 292
Colloquium valdè efficax alicujus agonizantis cum damnato de suppliciis infelicis æternitatis 306. seq.
Nescimus quid sibi velit hoc verbum æternitas 310. Ipsa est pulchrum nobis

nobis palatium 351. Apostrophe ad ipsam 315
Oportet sæpè perficere iter æternitatis in spiritu 323

Affectus.

Affectus gratitudinis erga maximam patientiam Dei in sufferendis nostris peccatis 562
Affectus pœnitentiæ 565
Affectus animæ conversæ, & incipientis Deo servire 566
Affectus gratitudinis erga Deum, quòd præparaverit delicias innocentes cunctis sensibus nostris 580
Affectus admirationis & Amoris circa considerationem mirabilium, quæ Deus ostendit in natura 601
Affectus gratus animæ, quam extraxit Deus è profundo peccati nihilo 618
Affectus gaudii cujusdam animæ, quam illustravit JEsus Christus divino suo lumine 629
Affectus admirationis & amoris ad aspectum pulchritudinis infinitæ Dei 647
Affectus tranquillus animæ, reminiscentis, quòd sit in medio pulchritudinum & bonitatum Dei 655

Amor.

Magna prærogativa ejus, qui prior amat 686
Amor excœcat amantes 684
Magis virtuosi sunt ij, qui amant perfectius 761
Tria genera Amoris 758
Modus abdicandi se amore naturali, qui nimis vilis est pro anima virtuosa 768
Voluptas amicitiæ reciprocæ 770

Amor Dei erga nos.

Vide totam Consultarionem 25. & 27.
Ad quem excessum rapiatur Deus, ut ostendat nobis amorem suum 338
Deus conversatur familiariter cum hominibus, quos amat. 33. Nunquam est absens illis. ibid. Est obsequiosus erga illos & liberalis. 35. Habet Sympathiam erga illos 37
Amor Dei erga nos est æternus in suâ duratione 276
Ipsius valor inæstimabilis 331
Ipsius liberalitas 332
Adhortatur nos, ut redeamus ad cor suum 343
Deus nos amat eodem Amore, quo amat seipsum 669
Potest se amare, plusquàm se amet mediante corde nostro 696
Amor, quem exhibet peccatori, est major amore Davidis erga rebellem filium Absalon, in quo 680
Demonstrat nobis magnum suum amorem ex dono, dando nobis Filium suum unigenitum 669. Sacrificando illum pro nobis 674
Deus exiit extra seipsum ex amore erga nos & nos exire debemus extra nosipsos ex amore erga illum 676
Amor videtur tollere DEO infinitam suam nobiscum inæqualitatem 683
Videtur ipsum obcœcare 684

Quantum miraculum, quòd Deus nos amet non obstantib⁹ peccatis nostris, quæ nos dignos ipsius reddunt odio 681
Tres conditiones admirabiles amoris Dei erga nos 677
Noster amor erga ipsum habet tres conditiones oppositas 678
Amor Dei est circulus, in quo circumagi possumus cum ipso. 687. Eo nomine nostram creavit animam, ut juvaremus ipsum ad producendum amorem divinum 739
Amor Dei non permittit ipsum esse sterilem extra seipsum 738
Major est nobis honor amari à DEO, quàm si amaremur ab omnibus creaturis 671
Est magnum prodigium, quòd Deus requirat nostram amicitiam 746
Differentia inter amorem Dei & nostrum 750
Amor Dei erga nos facit nos bonos, sed amor noster erga ipsum facit nos certos salutis nostræ 751
Deus amat nos magis, quàm omnes simul creaturæ amare nos possint 717

Amor noster erga Deum.

Summa voluptas voluntatis nostræ est, amare Deum 28
Cuncta, quæ delectare possunt in amicitia, inveniuntur in Deo 32
Amor Sanctus producit actus suos facilè & cum voluptate 238
Amor Dei nullam habet ex molestiis amicitiarum humanarum 40
Efficacia motiva, quæ exstimulent animam ad amandum Deum 43. 387
Quomodo anima accendatur Amore Dei ex aspectu creaturarum 348
Repræhensio animæ, quæ non amat Deum 277
Duplex obligatio gravis amandi Deum 412
Impossibile est nobis reddere DEO amorem æqualem ei, quo erga nos fertur 672
Unde veniat hæc impossibilitas 677
Ipsa constituit nostram beatitudinem 689
Non est cor adeò durum, quod non incitetur ad amandum Deum, si consideret, ipsum sacrificâsse pro nobis Filium suum 675
Non possumus Deo reddere, nisi illum Amorem, quem dat nos ipse, ut hunc ipsi offeramus. 679. Ipse sufficit nobis, ut omni nos debito exsolvamus 689
Et etiam ad nos locupletandos, sicut oleum viduæ 691
Quando amamus Deum, est justitia, quando ipse nos amat, est misericordia 680
Amor permutat cor nostrum cum corde Dei, quod nobis valdè est utile 683
Amare possum Deum aliquâ ratione magis, quàm ipse amet me 688
Divitiæ animæ habentis amorem Dei 690
Exercet usuram cum Deo, ubi ipsa infinito modo lucratur ibid.
Infelicitas animæ recipientis in cor suum

suum amorem profanum, loco amoris Dei 692
Exercitium excellens amoris Dei tribus pulchris regulis innixum 693
An sufficiat, non habere peccatum mortale, ut satisfiat magno præcepto amoris Dei. 741
Omnis perfectio amoris Dei præcipitur nobis in lege ipsius. ibid.
Quomodo intelligendum sit, quod sufficiat amare DEUM ex tota præappretiatione cordis sui 743
Excellenter practicamus parum amorem Dei, amando justitiam ipsius 503
Præcipuè circa materiam prædestinationis 458. & seq.
Pauci verè amant Deum amore præappretiationis, qui tamen absolutè necessarius est ad salutem 744
Abusus est, credere, satis amari Deum, modò non offendatur. ibid. & seq.
Deus nonnisi Amorem nostrum petit à nobis in recognitionem omnium eorum, quæ dedit nobis 747
Inæstimabile pretium amoris bonæ alicujus animæ 748. Quanti nostri referat amare Deum 753
Anima nostra plus amare potest Deum, quàm Deus amare possit ipsam 754
Quàm æquum sit dare omnem amorem nostrum Deo soli 757
Amor spei est bonus. 758. Sed Amor omnino purus & suis non serviens comodis, est optimus 759
Tria media, quæ prodesse possunt animæ ad amandum Deum purissimè 766. & seq.
Exiguum desiderium, quod habemus conversandi cum Deo, signum, est, nos ipsum non amare, libenter enim conversamur cum amicis 834

Amor Profanus.

Quomodo formetur in corde 29
Amantes æquivocant, & quâ ratione 31
Quid requiratur ad veram amicitiam ibid
Plures molestiæ inseparabiles sunt ab amicitiis humanis 38

Angeli.

Omnes Angeli simul producere non possent minimum herbæ caulículum 354
Pulchritudo Dei mirè elucet in Angelis 650
Omnis Pulchritudo Angelorum, qui creati sunt, vel qui creari possunt, est infinitâ ratione inferior pulchritudine Dei 650. 651
Angeli rebelles severissimè puniti sunt à justitia Dei, ob unicam cogitationem superbam 488
Bonus Angelus & anima, sunt velut frater & soror 794
Quid significent duo Seraphim Isaiæ ibid.
Devota praxis dicendi officium divinum cum bono suo Angelo in quâvis occasione 797
Angelus Raphael & junior Tobias 805
Quomodo intelligendum, quòd homo vivat pane Angelorum 806
In Cœlo non nisi una erit Socie-

tas & caterva Angelorum, & hominum Beatorum 817

Anima.

Gaudium animæ firmitèr credentis esse Deum 162
Gaudium illius, quæ videt esse se opus Dei amantis se 117
Quæ sperat ipsum possidere in æternum 88
Desiderium quod habet videndi SS. Trinitatem 139. 163
Quare Deus ipsam fecerit ad imaginem suam 118. 151
Habet quatuor stupendas prærogativas 150
Potest perficere duo actionum genera, exteriorum & interiorum, sicut Deus 152
Facit illas sæpè ratione Deo oppositâ 153
Boni ipsius affectus ex aspectu operum Dei 167
Fœcunditas ipsius ostendit illam Dei 168
Gratitudo ipsius, quod se videat extractam è peccato. 174. Affectus ipsius ex eo, quòd Deus sit Pater æternus, omnipotens, misericors 177
Pulchritudo ipsius, quando est in gratia 179
Intima ipsius unio cum Deo per gratiam ibid.
Magnum perficit opus cogitans de Deo 194
Dolor ipsius, quòd serò inceperit amare Deum 180
Sola est ex creaturis, potest reverti in Deum, & vivere vitâ ipsius 200
Tres conditiones sunt ipsi necessariæ ad recipiendum Spiritum sanctum, & quales 221
Ipsa est Regina accepto Spiritu Sancto 235
Beatitudo ipsius, quando amat Deum 239
Ipsius dolor ex eo, quòd Deus contemnatur 250
Est habitaculum divinarum Personarum 252
Quomodò facilè colloqui possit cum divinis Personis, & diversimodè 255
Habet tres capacitates infinitas 293
Ipsius divitiæ, quando possidet Deum 330
Quanti ipsam debeamus æstimare 339
Deus produxit ipsam suspirando 399
Quomodo anima exstimuletur ex aspectu concursûs Dei. 410. Animæ contemplativæ non distrahuntur rebus exterioribus, & quare 483. 484
Magna cura, quam gerit Deus animæ nostræ 574
Deus Zelotypus est erga animas nostras 729
Pulchritudo animæ nostræ secundùm esse suum supernaturale 648
Facta est ad imaginem Dei ibid.
Quanta voluptas erit, videre unico solo aspectu omnes animas Beatorum 650
Anima nostra solvit Deo omne, quod ipsi debet, ex eodem thesauro divini amoris sui, quo habet ab eo 737

Sup-

Supplicium est bonæ animæ, quòd tantum non possit amare Deum, quantum vellet 693

Quid sit animam lucrari Deo 776

Hoc majus est, quàm omnia bona sua dedisse pauperibus, & majus, quàm omnia fecisse bona, quę fiunt in mundo 777

Bona anima potest esse Seraphim in amore 795

Verum palatium animæ est Deus, unde aspicit mundum velut horridum carcerem 824

Miseria ipsius, quamdiù captiva manet inter creaturas 825

Deus & mundus sunt in anima sicut duæ lances alicujus libræ, è quibus si una attollitur, altera deprimitur 829

Cùr Deus abscondat ordinariè animæ pulchritudinem operis sui 819

Anima quandoque non intermittit ardere, quamvis non sit illuminata 842

In quo bona anima in mundo differat à Beato in cœlis 797

Anima se aliter nutrit, quàm corpus 806

Deus quandoque extraordinarias struit epulas animabus, quas amat 808

Impossibile est, quin anima verè Deum amans contenta vivat & beata 760. 813

Mors & judicium sunt ipsi accepta 815

Tria summè ipsam consolantur 816

Apostoli.

Quare sederint, quando acceperunt Spiritum Sanctum 234

Quare acceperint ipsum in linguis igneis 235

Quare super capita & non in ore suo ibid.

Aranea.

Scientia vel ars mirabilis illius 466

Ars.

Imitatur excellentèr naturam 356

Astra.

Manifestè enarrant Gloriam Dei 603

Pulchritudo astrorum non potest attingere illam Dei 642

Astrologia.

Quomodo fieri possit astrologia Christiana 603

Atheus.

Impossibile est esse verũ Atheum 94

Homo sapiens non potest esse Atheus 95

Rudis & ignarus itidẽ non potest 96

Sunt plurimi semi-Athei 97

Nemo publicè auderet profiteri Atheismum 103

Athei quidam similes Lemuribus ibid.

Plures Christiani vivunt velut Athei quare 99

Infelicitas alicujus Athei, & felicitas alicujus fidelis 91

Qui se dicit Atheum, fatetur se esse hominem facinorosum. 92. Nec habere se desiderium evadendi in meliorem 93

Atheus convictus & conversus ostensione alicujus horologii 106

B.

Beatitudo.

NOstra beatitudo est participatio Beatitudinis Dei 293
Tres plenitudines facient nostram beatitudinem 295
Aspirandum est nobis ad illam 297

Bonitas Dei.

Deus exponit suam bonitatem conspectui, ut inducat ad illius amorem 385
Bonitas Dei refulget in providentia 419
Bonitas Dei est admirabilis in modo, quo agit cum peccatore 562
Vide totam Consultationem. XV.

C.

Christiani.

OStendunt operibus suis, se non credere in Spiritum Sanctum 227
Ipsorum colloquia deberent esse de Deo 832
Differentia inter vitam primorum Christianorum habentium zelum, & modernorum, qui carent illo 774

Cœlum.

Cujus naturæ sit 379
Est magnus liber exaratus characteribus luminum ibid.
Tria magna prodigia cœlorum 381
Quodnam sit verum cœlum nostræ animæ 254
Mater Machabæorum ostendit cœlum filiis suis ad animandum illos 288
Via cœli arcta videtur & difficilis, sed ampla est & facilis 299
Quando difficillima esset, semper foret eligenda 303
Efficax argumentum ad incitandum animam, ut ambulet viam cœli 304
Quare non omnes globi cœlorum accendantur ob motum tàm præcipitem quo rapiuntur 605
Quare nunquàm currendo fatigentur 606
Portamus cœlum in nobismetipsis 821
Quomodò plantetur cœlum in terra 830
Quomodo culturâ exerceatur ibid.
Exhortatio ad laborandum, ut locupletemus nos æternalitèr in cœlis 819
Quare cœlum sit super capita nostra, & terra sub nostris pedibus 821

Cogitatio.

Cogitatio Dei est substantia. 131. Est unica & simplex. ib. Est æterna & semper actualis 195
Quomodo transcendat cogitationes nostras. 196. Est viva. 198. Est delectabile colloquium Dei 204

Conservatio.

Quâ ratione Deus nos conservet 405
Magis obligamur Deo ob conservationem, quàm creationem 403

Consultatio seu Collatio.

Collationes Patrum in deserto erant sub-

sublimissimæ, quamvis ipsi plerumque fuerint simplices 833
Consultationes hujus libri facili ratione Theologos, & devotos facient eos, qui studiosè legerint ipsas. 831. Possunt servire pro familiari colloquio de Deo, cum voluptate 833

Contemplatio.

Cognoscere veritatem est summa voluptas intellectus. 7. Quòd tempus sit dandum orationi 26
Objectum contemplationis in cœlo erit Trinitas 153
Exercitium ipsius in terra est imitari solitudinem & Societatem DEI 263

Contritio.

Modus declarandi animæ, an verè habeat contritionem 565

Cor.

Quare Deus creaverit illud 390
Deus requievit, postquàm creavit cor hominis 386

Corpus humanum.

Qui malè habet suum corpus, consolatur suam animam 302
Disputatio Corpus inter & animam 242
Tres magnæ prærogativæ, quibus fruimur, eò quòd corpus habeamus 391
Nostrum corpus attollit nos supra bestias. Supra Angelos. 394. Largitur nobis speciale commercium cum Deo 395
Potietur immortalitate 396
Dejicit nos sæpè infra bestias 398

Creaturæ.

Comparatæ Deo non sunt aliquid, sed nihil 116
Pulchrum spectaculum videre creaturas prodire è nihilo 167
Ipsarum fœcunditas admirabilis probat illam Dei 169
Sunt abortus perdentes vitam nascendo 199
Illæ, quæ remanserunt in nihilo, invident nobis quasi nostram felicitatem, nosque reprehendunt 390
Creaturæ nil agere possunt absque concursu Creatoris. 415. Quo sensu verum sit, Deum illas fecisse ad suum ornatum 571
Ex pulchritudine creaturarum, quæ sunt vestigia Dei colligi potest pulchritudo faciei ipsius 647
Omnes Creaturæ sunt factæ pro homine 724
Creaturæ possibiles sunt parum nihil; existentes plus habent nihili, quàm entis 663
Creaturæ obedientiâ suâ, quam exhibent DEO, confundunt inobedientiam nostram 717
Patrant miracula, ne Deo obedientiam subtrahant 719
Proponuntur nobis velut pulchra exemplaria, quæ imitari debeamus in submissione Deo præstandâ 718

Crux.

Tria leniunt cruces justorum 360

Sunt

Sunt dulciores voluptatibus peccatorum 301
Quid fecerit Constantinus Monomachus in Concilio Florentino 223
Constantinopolis capta per Machometum secundum 225
Cruces optabiliores sunt consolationibus 493
Gustus crucis est jucundus invenienti illum 804
Bonæ animæ gustant diversimodè crucem juxta gradum, quo vitam agunt divinam 804
Omnes cruces sunt dulces animæ amanti Deum 803
Curiositas facere potest bonum & malum 240

D.

Damnati.

QUæ ipsorum recreationes sint & desideria 307
Damnati sunt abs ratione. 308. Ipsorum pœnitudo, 309. Ipsorum desperatio ex intuitu æternitatis ibid. & 310
Declaratio stupenda & horrendissima infinitæ durationis suppliciorum alicujus damnati 311. 312. & seq.
Deus intuetur supplicia damnatorum absque commiseratione 316
Ipsorum tormenta nullâ fruuntur relaxatione. 317. Nunquàm assuescent sufferendis malis suis ibid.

Descriptiones.

Describitur pulchritudo Veris 572
Pulchritudo æstatis. 575
Campus plenus frumento 577
Spica frumenti, quæ palatium est in aëre. 578
Pulchritudo Autumni. 579. Pulchritudo hyemis 582. 583

Deus.

Quare Deus tàm parùm cognoscatur. 12. Tàm parùm æstimetur 24
Quatuor observanda, ut acquiratur ipsius cognitio 17
Deus Magister est qui facillimè dodocet 16
Quatuor dispositiones necessariæ ad acquirendam cognitionem Dei 17. seq.
Quæri potest, an Deus sit 74
Deus desiderat se nobis manifestare 82
Nunquàm fuit & nunquàm erit 270
Est omnia, & nihil est ex omnibus 86
Nullum nomen ipsi convenit, & omnia nomina conveniunt ipsi 87
Deus est Ens à seipso, Ens ab alio, Ens ab utroque, & quomodo 127
Duo actionum genera in Deo, quæ differunt in quinque rebus 151
Deus non est Pater omnium creaturarum eâdem ratione. 166
Deus est solus, & non est solitarius. 260 Nec unicum durationis habet diem. 269. Non est senex, nec juvenis. 270. Ipse semper fuit, est, & erit semper ibid.

Est

Est totus integer in minimâ creaturarum suarum 327. & 328
Deus est infinitâ ratione procul à nobis, & infinitâ ratione vicinus nobis 329
Demittit se & annihilat se ex amore erga nos. 338 Ægrè audimus loquentem abjectè de Deo 729
Quare Sacra Scriptura utatur quandoque verbis, quæ dedecere videantur ipsius Excellentiam 732
Deus nunquàm est causa damnationis animarum. 460. Sitit ipsarum salutem. 530. vult nos secum loqui 475
Deus nec occupatur, nec distrahitur à contemplatione essentiæ suæ, eò quòd cogitet de creaturis. 478. Magna ipsius bonitas, quod se demittat ad cogitandum de nobis 483
Circumfert nos scriptos in manibus suis 484
Videt omnes homines se offendentes 486
Nonnisi ipsius est, punire justè 495
Deus præmiat nos semper ultra merita. 496. & neminem unquàm punit, quantum meretur 497
Cur non conferat gratias æqualiter efficaces omnibus hominibus 506
Quare concipiamus perfectiones Dei veluti plures, cum non sint nisi una eademque res 510
Deus offensus ab hominibus videtur inflexibilis ad vindictam, & semper pronus ad misericordiam. 513. Amat semper peccatorem, quamvis infinitâ ratione oderit peccatum 519
Ipsius modus agendi cum peccatore se offendente est admirabilis 562
Quomodo intelligendum sit, quòd Deus irrideat peccatorem im pœnitentem in articulo mortis 537
Complacet sibi nostras exornare animas 574
Benè cognoscimus Deum, dum scimus, nos ipsum cognoscere non posse talem, qualis est 594. & seq.
Tria excellentia media pertingendi ad cognitionem & amorem Dei 608
Quare esse non possit tertia persona in Deo 632
Deus est purus actus; quomodo intelligatur 663. 665

Disputatio.

Philosophorum paganorum cum Christiano circa mysterium SS. Trinitatis 127. seq.
Disputatio animæ & corporis, divortium inter ipsa faciens durante hâc vitâ 242

Doctor.

Sapientissimi quique Doctores sine fide minus sciunt, quàm Christianorum minimus, qui fidem habet 127

Dominium Dei super nos.

Dominium absolutum Dei super nos, innititur quatuor principiis, quæ ostendunt, quantum dependeamus ab ipso in omnibus
Vide totam consultationem. 697

Deus absolutè disponere nobiscum potest, sicut sibi placuerit, & hoc est justum 706
Quam dispositiones, quas nobiscum facit, sint amabiles ibid.
Ipsius in nos Dominium est nobis honorificum 713
Ipsius dominium se extendit super omnia Entia actualia & possibilia 720
Dominium, quod Deus exercet in nos, est dulcissimum 728
Illud, quod homo exercet in creaturas à se dependentes, sibique subjectas, est crudelissimum. 726. Meremur, ut Deus nos majori cum severitate tractaret, quàm nos tractamus bestias 727
Posset imponere nobis leges severissimas, abs eo, quòd possemus meritò de illo conqueri ibid.

E.

Eremita.

Fervor alicujus Eremitæ loquentis de pulchritudine cœli 244
Duodecim Eremitæ instituunt excellens colloquium de cœlo & inferno 322

Essentia & existentia Dei.

Esse Dei probatur ex conversione peccatoris. 79. Ex tormento conscientiæ ipsius. 80. Et ex peccatis ipsis. 81
Esse Dei probatur per nihilum 83. 89. Per esse mundi. 107. Per nostrum esse 110. Illud depictum est in omnibus Entibus 347
Esse Dei probatur, quia non est impossibile, ergo est necessarium 109
Deus est simpliciter Ens. 86. Magnitudo hujus Entis 285
Oportet esse Ens aliquod infinitum: ergo est Deus 84
Quomodò formare sibi aliquis possit excellentem Ideam Essentiæ DEI 85
Esse DEI comparatum cum esse Creaturæ 116
Est impossibile, esse Dei habere unquàm finem 278

Esse Creaturæ.

Est infinitâ ratione distans ab esse Dei 76
Comparatum cum esse Dei, est nihil 116

Excellentiæ Dei

Aspectus Excellentiarum Dei immutat animam brevi tempore 176
Ipsæ sunt nobis incomprehensibiles 190
Dispositio corporis humani ducit in admirationem Excellentiarum Dei 393
Omnia despicit animus, postquam parum aspexit & consideravit Excellentias Dei 839
Voluntas fastidit cætera, & immergit se cum gaudio in excellentias Dei 840

Exemplum.

Exemplum horribile Regis Moab sacrificantis filium suum, ut conservaret sibi coronam suam 674
Exemplum admirabile de sancta Elisabeth,

sabeth, ostendens, quod Deus plus amaverit ipsam, quàm ipsa amaverit Deum 684
Exemplum terribile alicujus Pastoris, non habentis zelum & curam animarum sibi concreditarum 779
Exemplum stupendum Zeli Sanctæ Pelagiæ, Matris, & sororum ipsius 800
Exemplum bonæ animæ non respirantis nisi crucem 802

F.

Fatum.

QUid Fatum appelletur 436
Fatum vel fortuna sunt verba indigna ore alicujus Christiani ib.
Fatum peccatorum, sunt ipsorum indomitæ passiones 440

Fides.

Quare tàm parva cognitio Dei habeatur per fidem 98
Fides facit Deum præferre omnibus facit exercere virtutes 100
Veritates practicas, quas fides docet, parùm & frigidè credimus 101
Necessariò aliquid credendum est 104
Qui credit in Deum, periclitatur de nullo, qui non credit, periclitatur de omnibus 108
Quàm firmiter credenda sit veritas de Existentia Dei 109
Fides infinitâ ratione transcendit omnes Scientias 140
Fides & non scientia præstat homagium Deo 143
Fides submittit intellectum ad credendum res incomprehensibiles 148
Docet cum Auctoritate. Agit velut omnipotens 147
Fides invariabilium decretorum Dei debet nos consolari 509
Defectus fidei insensibiles nos facit in rebus Dei 546
Quàm necessaria nobis sint lumina fidei 623

Filius Dei.

Ipsius generatio est spiritualis. 129.
Quid de ipsa hîc cognoscere possimus 186
Est nobis incomprehensibilis 188
Accipit omnia â Patre, & nihil illi debet 140
An dici debeat, quòd Filius Dei nascatur, vel, quòd natus sit 190
Amor reciprocus Patris & Filii 163
Quanta nobis gloria, esse Filios Dei 175
Glorioſa hæc prærogativa debet nostrum accendere & inflammare animum ibid.
Affectus, quos habere debet Filius Dei erga Patrem suum cœlestem 184

Formica.

Occupatio formicarum ostendit nobis varietatem occupationum usitatarum hominum 429

Fructus.

Omnes fructus portant partè suam in corde suo 581
Quomodo possibile sit, quòd omnes fru-

fructus habeant saporem tàm acceptum, tamque varium, cum omnes producantur ab eadem terrâ, quæ nullum omnino habet 576

G.

Gaudium.

QUanto abundet gaudio bona anima Deum purè amans propter semetipsum 760

Gratia.

Sanctus Augustinus expertus est, resisti posse gratiæ interiori 50
Spiritus Sanctus obligatur habitare in animâ gratiam habente 228
Minimum bonum gratiæ præstantius est totâ naturâ simul 237

H.

Hæretici.

HÆretici Orientales oppugnant Spiritum Sanctum 222
Ipsorum insolentia excommunicando Papam. ibid. Illorum conversio difficilis & inconstans 224
Papa Nicolaus scribit illis epistolam paternam & vatidicam 225
Quid moliatur furor hæretici humiliati ibid.

Homo.

Homo solus refragatur potestati Dei 171
Cœcitas hominum non cogitantium de æternitate suâ 292
Homo incanescit prætimere in unica nocte 316
Hominis parvitas summa, comparata cum magnitudine Dei 337
Quòd Deus præparaverit ipsi magnum hunc mundum, velut suum palatium, quanta amoris abundantia 360
Magna ipsius stultitia, dum adeò sollicitè aucupatur res mundi 381
Quantum obstringantur Deo, quòd ipsum extraxerit è nihilo 388
Quanta gloria homini, quòd cadat sub cognitionem Dei. 370. Magno debet ipsi esse solatio, quod Deus noverit omnia se concernentia. ibid. Habitat simul cum essentia divina in amplitudine scientiæ Dei 474
Homo punitur à justitia Dei ob plura peccata 489
Cur Deus exhibuit ipsi misericordiam, & non Angelo 505
Deberet suffundi pudore videns impatientiam suam erga sui similes, & patientiam Dei erga se 563
Debet exstimulare se ad confidendum in providentia Dei 584
Deus vult omnes homines esse Sanctos 612
Quomodo verum sit, quâ ratione omnis homo facere possit, ut sit prædestinatus, si velit 662
Homo est creatus ad contemplandum & amandum pulchritudinem Dei. 667. Si non facit, pejor est dœmone ibid.
Quam obstrictus homo sit Deo ob beneficium Creationis suæ. 708.
Ob concursum DEI ad omnia, quæ vult,

vult. 710. Quòd omnia opera divinarum manuum suarum ordinaverit ad ipsius servitia 724

Horoscopus.

In quo fundetur scientia horoscoporum 384

Humilitas.

Super omnia requiritur ad obtinendam cognitionem Dei 20
Deus se abscondit superbis 22

I.

Jerusalem.

Filii Israelis in Babylone deplorabant charam suam Jerusalem 296

JEsus Christus.

Docuit homines in persona Nicodemi cognoscere Spiritum Sanctum 213
Spiritus Sanctus loquebatur per os ipsius 212
JEsus Christus est verum lumen, nos sumus cœci, nisi videamus per ipsum 623. 625
Quando JEsus Christus illuminat animam divinis suis luminibus, stupendas mutationes conciliat in ipsa: pulchrum hujus exemplum 626

Ignis.

Horrendum supplicium ignis infernalis 320
Maxima fames ignis, volentis devorare omnia 772

Imagines.

DEUS ubique nobis depingit suas imagines, ut in illis ostendat se nobis 34
Imago Abagaro Regi à Salvatore transmissa 640

Immensitas Dei.

Quid sit immensitas Dei. 328. Affert gaudium animæ. 329. Est incomprehensibilis 334
Modus excellens concipiendi sublimem ideam immensitatis DEI 335
Felicitas animæ, quæ ubivis immensitatem DEI novit contemplari 339
Differentia inter immensitatem & Præsentiam Dei ibid.

Infernus.

Infernus est Sympathia frustrata, quomodo 38
Quare Deus dicatur clames inferni habere in manibus suis 316
In viâ inferni plura toleranda occurrunt, quàm in via cœli 300

Ingratitudo.

Indignum facinus animæ ingratæ Deo 253
Unde veniat, nos tàm parùm moveri beneficiis Dei 404
Mira ingratitudo cujuscunque non amantis Deum 749

Injuriæ.

Verum est, injurias difficulter ignosci 512

Ignoscemus facilè injurias, si consideremus, quòd Deus facilè nobis ignoscat 564

Intellectus.

Divitiæ & voluptates intellectûs imbuti cognitione rerum naturalium 3
Intellectus noster non potest esse contentus, nisi cognoscat Deum. 7. 8. 9. & seq.
Inrellectus noster est fœcundus & sterilis 132
Producit cogitationes in infinitum 192
Deus solus exhaurire potest intellectum humanum 169
Prodigium intellectûs nostri, quando loquitur sibi ipsi 203
Intellectus Dei fœcundus est & sterilis 132
Robur & amplitudo infinita intellectus Dei 473
In quo consistat depressio vel elevatio intellectûs 832
Intellectus manet vacuus & nauseabundus post lectionem mali libri. 837. Consolatus & satiatus post lectionem boni 838
Magnæ prærogativæ intellectûs illuminati 643
Intellectus nutritur veritate 790
Intellectus, qui studet, vivit vitâ naturali. 806. Qui incumbit orationi, vivit vitâ divinâ 807

Judicium Dei.

Judicia Dei sunt abyssus, quæ opprimunt perscrutari se volentem 504
Cur Deus hujus arcana nos celet 507
Videbimus illa aliquando, & amabimus 508

Justus.

Justo exultandum est, quando Deus ipsum onerat cruce 436
Cur Deus quandoque consolationes det justis 439
Sanctâ invidiâ prosequendæ nobis sunt afflictiones Sanctorum 492
Pulchra super hoc Sancti Ephrem consideratio 493
Justus optaret non amplius habere libertatem, ut nunquàm amplius posset offendere Deum 441

Justitia.

Quæ observatur inter personas divinas, differt ab illa, quæ observatur inter homines 140

Justitia Dei.

Vide totam Consultationem 19.
Visio mysterioſa currûs triumphalis justitiæ Dei 485
Explicatio hujus visionis, quæ format animæ magnam idæam justitiæ Dei 486
Punit peccata quatuor suppliciorum generibus 487
Deus cunctis rebus exhibet justitiam & nulli rei justitiam exhibet 490
Facit quandoque benè malis, & malè bonis; & hoc justissimè 435. 491
Punit quandoque malos in hoc mundo, & recompensat bonos, ut condescendat nostræ infirmitati 494
Justitia Dei videtur admirabilis in pul-

pulchris disposítionibus providentiæ suæ 420.332
Nullum malum relinquit impunitum 495
Anima magno suo commodo contemplatur sæpè justitiam Dei 498
Ipsa triumphat in cœlo per pacem, & in inferno per bellum 500.501
Plures videntur effectus justitiæ, quàm misericordiæ Dei. 502. Aliqui nimium illos timent, alii nimis parùm ibid.
Oportet semper simul cantare hymnum justitiæ cum hymno misericordiæ 657
Sancta Angela de Fulginio adeò amabat Dei justitiam, ut, quando condemnâsset ipsam in infernum, nunquàm tamen illi contradicere voluisset 508
Horrendas invenire est sententias justitiæ Dei, quæ examinandæ non sunt 506

L.

Liber.

Differentia malorum & bonorum librorum 836
Legi potest aliquis liber tribus modis, velut à cursore, velut à viatore, velut à domestico: & hoc etiam cum diverso fructu 844

Libertas.

Excellentia libertatis, quam Deus nobis dedit 389
Fruimur stupendâ libertate erga Deum, quâ non fruitur ipse erga nos 219
Quomodò conveniat libertas hominis cum Sapientiâ & præscientiâ Dei. 482. Cum æternitate & immutabilitate decretorum Dei 661
Libertas liberi nostri arbitrii facit nos magis subjectos Deo, quàm cæteras creaturas 713.703
Quanto peccato obnoxii simus, dùm abutimur nostrâ libertate. 704. Benè uti debemus illâ ibid.
Cùr Deus dederit nobis liberum nostrum arbitrium, & an dedisse id nobis sit è re nostrâ. 711.712
Deus valida quatuor repagula posuit libertati nostræ, à quibus continuatur in officio suo 712
DEUS ligat & captivat libertatem nostram catenâ aureâ, nempè illâ divini sui amoris 739

Lingua.

Lingua servit ad loquendum & gustandum non absque mysterio 235
Lingua DEI exaravit magnum librum mundi super nihilum in unico instanti 356

Loqui.

Unde veniat, quòd homines tàm parùm loquantur de Deo. 831. Est maxima voluptas, loqui de Deo 8. 2
Christianus non loquens nisi de rebus mundi, est luscinia agens bubonem 835

M.

Mare.

Descriptio illius & mirabilium ipsius 2

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mare est imago æternitatis, & fluvii sunt imagines temporum. 265
Quatuor magna prodigia maris 358
Id conservat totum commercium mundi. 370. Subministrat pluvias ad irrigandum terram, & onerat his nubes, ad portandum illas quovis locorum ibid.
Mare acriter reprehendit homines 373

Martyres.

Quid tantoperè animaverit Martyres ad patiendum & sufferendum tormenta 305

Memoria.

Miracula memoriæ. 52. 53. seq. Stupenda ipsius amplitudo ibid.
Res aliàs incompatibiles conveniunt & concordes fiunt in memoria. ib.
Aliqui præstantes prodigiosâ memoriâ 55
Elevatio animi ad Deum, admirans prodigia memoriæ 56
Deus solus videtur nostrâ expulsus memoriâ, & unde veniat hæc oblivio Dei 58. & seq.
Deus nunquàm obliviscitur nostri 64
Memoria Dei facit animam totam seraphicam. 65. Expellit peccatum. 68. Largitur animæ tres consolationes solidas 69
Ab infantia assvevimus obliviscì Deum, quamque miseram reddat animam oblivio Dei 67

Mirabilia.

Alicujus spicæ & grani frumenti. 578
Verbi Dei. 354. Antipodum. 354.
Operum, quæ terra producit. 365. Piscium 371
Mirabilia aëris. 375. Ventorum. 376. Cœli 379. & seq.
Mirabile parvi seminis, continentis magnam arborem in sinu, quam id solum producit absque ullius manûs operâ 581
Quatuor stupenda mirabilia specierum intentionalium 587
Mirabilia in cauda pavonis 592
Magna mirabilia cœlorum 602
Quatuor magna portenta in Tarantulâ 599
Mirabiles pugnæ inter bufonem & musteiam 600
Tria magna prodigia contemplationis, quam Deus facit de infinita suâ bonitate 666
Magnum prodigium, quod omnes creaturæ contentæ maneant loco & statu ipsis à Deo assignato 717

Miraculum.

Ingens est miraculum, quod DEUS conservet peccatorem 406
Quid animaverit Sanctos, ut capesserent animum patrandi miracula 410

Misericordia Dei.

Vide totam Consultationem XX.
Majori afficimur amore erga misericordiam Dei, quàm alias ejus perfectiones 511
Ipsa sibi complacet in miseris, ut felices reddat illos. ibid. Ostendit se admirabilem in condonatione pecca-

peccatorum. 512. Condonat facilè. 520. Offert veniam. 521. ignoscit pro semper 522
Erigit ubique tribunalia ad absolvendum, & non ad condemnandum. 521. Remunerat peccatorem, qui acceptat veniam, sibi oblatam. 523. Dat plus, quàm petatur. 524. Censet se obligatam, quando ipsa obligat. ibid. summè gaudet, quando lucratur animam peccatoris 525
Thesaurus divinarum misericordiarum tàm est inexhaustus, ut condonet omnia. 526. Et sempèr. ib.
Comparatio thesauri misericordiæ cum illo omnipotentiæ 527
Paupertas nostra putat se habere jus ad thesauros bonitatum Dei, quia ipse dives est 529
Nunquàm non thesauros suos nobis reserat ibid.
Majus habet desiderium illos donandi nobis, quàm nos acceptandi illos 530
Exemplum ostendens magnitudinem misericordiarum Dei 531
Est periculosum, inniti nimiùm misericordiæ Dei 533
Discursus detestandus illius, qui præsumit omnia de misericordia ad offendendum illam tantò audacius 534
Misericordia Dei magis timenda est, quàm ipsius justitia 536
Illa contemnit peccatorem se contemnentem 537
Maxima miseria illius, qui abutitur Misericordia Dei 538

Momentum.

Quanti valoris sint cuncta momenta vitæ nostræ 273
Momentum voluptatis illicitę quàm carò ematur 307

Mors.

In hâc vitâ sumus semper velut mortui 791
Beati mortui, qui moriuntur 828

Mundus.

Cur Deus unicum tantùm creaverit mundum 113
Sævities crudelis mundi 122
Deus includere potest centum mille mundos in arenæ granulo 210
Magnus hic mundus non est palatium habitationis Dei, sed homo 248
Totus est admirabilis in apparatu hujus palatii 244
Hic mundus est nihil respectu magnitudinis Dei. 334. Non est nisi parva cogitatio Dei 341. Est magna thesis nobis ad disputandum proposita 350
Mundus non est in aliquo loco. 353. Non est factus ex aliqua materia. ib.
Nulla creatura adjecit manum ipsius ædificationi. 355. Pro quo ipsum Deus ædificavit 359
Non est nisi diversorium hominis, dum est in hoc exilio 360
Mundus est cythara 427
Est magnus liber, quem Deus ante oculos nostros apertum tenet, ut in illo legamus ipsius Excellentias

Tres diversi sunt mundi, quorum unusquisque habet solem, qui est lux ipsum illuminans 624
Quod nos communiter vocamus mundum, est regnum diaboli: væ qui ex illo est ibid.
Mundus credit stultos, qui divina cœli sequuntur lumina 6-8
Stultæ imaginationes mundanorum 699

N.

Natura.

NAtura suppeditat nobis, unde afferre possimus voluptatem intellectui nostro per studium ipsius mirabilium 3

Nihilum.

Quinque nihila servierunt Deo pro creatione mundi 352
Tria alia stupenda nihila resultant ex his 358
Nihilum est basis, totamque sustentans mundi machinam 353
Quomodo Deus extraxerit nos è nihilo 388

O.

Obedientia.

OBedientia admirabilis, quam omnes creaturæ exhibent Deo. 715. Sol. ibid. Terra. 716. Ignis. 719. Pisces. ibid Leones. 720. Omnia entia actualia & possibilia ibid.
Obedientia omnium creaturarum, condemnat inobedientiam hominis 721

Objectio.

Plures objectiones paganorum contra Mysterium Sanctissimæ Trinitatis 134.136

Occupatio.

Vanæ mundanorum occupationes 429

Omnipotentia.

Est Omnipotentia in Deo, quæ facit omnia, ubi non est, & nihil facere potest, ubi est: Et alia potentia, quæ nihil facere potest, ubi facit omnia 137
Una producit creaturas, altera producit Personas divinas ibid. Comparatio duarum harum omnipotentiarum 138
Omnipotentia elucet in creatione mundi 166. ædificavit mundum è quinque nihilis. 352. Non fatigatur creando & conservando mundum 357
Pulchrum spectaculum videre omnipotentiam Dei ædificare hunc mundum 359
Duo profunda nihila, quæ exspectant ab omnipotentia DEI auxilium 616

Opera, Operatio.

Adhortatio ad exercenda bona opera 499
Bona opera mortificata reviviscunt 522
Differentia inter operationes & opera nos nostræ sequuntur operationes, & non nostra opera 829

Oratio.

Oratio.

Unde veniat difficultas, quam experiuntur animæ, dum se recolligere volunt cum Deo. 769. Quid hanc recollectionem reddere possit facillimam ibid.
Bona anima ubique male habet nisi in Deo 770
Memoria Dei nos quamprimùm introducit in cœlum 822
Consolatio animæ, quæ exire novit è creaturis, ut maneat cum Deo 823
Aspicit mundum cum horrore velut carcerem 824
Explicatio orationis pro mortuis qui jàm judicati sunt 198
Deus exaudit preces afflictorum si perseverent 122

P.

Palatium.

IN quàm pulchro palatio habitent animæ contemplativæ 251
Deus non habet aliud palatium pro sua habitatione nisi seipsum 245
Tres magni Monarchæ habitant in eodem palatio 246
Omnes benignè accipiuntur, qui invisum veniunt hoc palatium 247

Pater.

Nomen Patris est hyperbole amoris 181
Omnes tres Personæ divinæ intelliguntur sub nomine Patris Omnipotentis, Creatoris cœli & terræ 112
Cur Deus appelletur Pater misericordiæ. 172. Hoc est plus, quàm esse Patrem æternum. 172. Et plus, quàm esse Creatorem mundi 173
Deus Pater dat Filium suum unigenitum pro filiis suis adoptivis 181
Amicabilitèr nos instruit, nosque velut suos educat filios 182
Invitat peccatorem, ut nuncupet se Patrem suum, ad lucrandum cor ipsius 183
Triplex amor Patrum erga filios suos; aliqui amant ipsos pro cœlo, alii pro terra, alii pro inferno, 783
Pauci sunt Patres, qui filios suos ament verè modo Christiano 786
Vehemens dolor Patris videntis se patrem esse alicujus damnati 787
Quid faciant Patres amantes Filios suo pro inferno 788

Pater æternus.

Exhaurit se totum in unico momento, & tamen nunquàm exhauritur 161
Cur æternitas ipsi magis attribuatur, quàm aliis Personis divinis ibid.
Ipse sempèr est in actu paternitatis suæ. 162 Ipsius gaudium, quòd talem habeat Filium. ibid.
Ipsius potestas & authoritas summa 170

Patientia Dei.

Vide totam Consultationem XXI.

An patientia sit propriè perfectio Dei. 539. Patientientia Dei erga peccatorem, est prodigium 541
Longa patientia Dei ostendit magnitudinem peccati ibid.

Magna cœcitas peccatoris, quando confidens patientiæ Dei, pergit ipsum offendere 549
Est formidanda peccatori 550
Magis quàm ira Dei 554
Patientia Dei indiget ipsius omnipotentiâ ad sustentandum se 551
Est continuum miraculum, quòd patientia Dei sustineat peccata hominum, non puniendo nec condonando illa 556
Quare hoc faciat 557
Patientia Dei est problema, de quo sæpius discurrere est bonum 558
Qui illam penitius considerat, non potest, quin illam amet & timeat 561
Ipsa terret & animat 559
Discursus urgens peccatorem ad se convertendum ex consideratione patientiæ Dei 561

Pax.

Bonum medium habendi pacem internam & vivendi consolatè. 422 & seq.
Aliud excellens remedium conservandi pacem 607
Vera pax animæ non consistit in eo, si nihil patiamur 424
Pulchra regula observatu digna, ut cum omnibus vivatur in pace 425
Perturbatio domûs, ubi non vivitur in pace 583

Peccator.

Habet, quod timeat, dùm se videt in prosperitate. 435. Si Deus annihilaret omnes peccatores, æquissimum foret 491
Nemo debet desiderare prosperitatem peccatorum 492
Quantum miraculum, quòd peccator conversus fiat quantocyus templum Spiritus Sancti 518
Peccator impœnitens irridetur à Deo in fine vitæ suæ, & quomodo 537
Ipse irridet Christum Jesum patientem, quando perseverat in peccato suo 547. 548
Peccator est ægrotus respuens remedia 542
Est vas iræ. 551. Horreret dicere, quod non abhorret facere 564
Deus requirit amicabiliter peccatores 563

Peccatum.

Quare peccatum impediat cogitationem Dei 18
Difficilius est, unicam animam trahere ex peccato, quàm totum mundum è nihilo 174
Actualis cogitatio de Deo detegit nobis omnia peccata 197
Difficilius est patrare peccatum, quàm exercere virtutem 302
Omnia tormenta mundi simul non possent sufficienter punire peccatum unicum 321
Horror peccati ibid.
Cur Deus permittat peccatum 434
Peccatum ostendit libertatem hominis 439
Condonare peccatum est majus, quam integrum creare mundum. 514.

514. Seria & ponderosa super hoc consideratio. 515. Est plus, quàm creare omnes Angelos ibid.
Est ratione quâdam plus, quàm producere Verbum æternum, & Spiritum Sanctum 516
Peccatum exercet crudeliter patientiam Dei 541
Apparet ex modo, quo peccatum excepit Filium Dei incarnatum, injuria, quam invisibiliter infert divinitati 543
Jesus Christus plus patitur ab unico peccato, quod diù conservatur in corde, quàm passus fuerit in monte Calvariæ 544
Peccatum conservatum in anima est carnifex abs intermissione crucifigens Christum 546
Perseverare in peccato est pejus, quàm id committere 547
Deus infinita ratione odit peccatum 549
Est Materia iræ Dei 552
Continuum est miraculum, quod peccatum non submergat peccatorem, id in anima sua circumferentem 556

Perfectiones Dei.

Omnes perfectiones Dei mirabiliter concordant ad componendam infinitam ipsius pulchritudinem. 656 Æternitas & immensitas. Ibid. Misericordia & Justitia. 657. Intellectus & Voluntas. 658. Unitas & Trinitas. 659. Libertas & immutabilitas 660

Personæ divinæ.

Sunt omnes oppositæ, & non sunt nisi eadem res. 142. Habent mirabile colloquium inter se, ubi non nisi unicum dicitur Verbũ 143
Omnes tres divinæ Personæ sunt Deus Pater Omnipotens 165
Omnia debemus divinis tribus Personis 217
Divinæ tres Personæ non habitant in essentia Dei & quare 251
Habitant omnes, unaquæque in altera, & quâ ratione, ibid.
Sunt facilis conventûs & allocutionis 255
Quatuor sunt, in quibus consistit suavitas societatis illarum 261

Pictura.

Laus picturæ. 585. Deus est primus pictor, & ipse fecit omnia Entia visibilia, ut essent pictores 586
Quatuor magna prodigia consideratu digna in modo depingendi omnia objecta visibilia absque colore, absque penicillo, absque tempore, absque defectu 587. & seq.
Pictores reproducunt aliqua ratione per penicillum suum omnia, quæ Deus produxit per omnipotentiam suam 591
Pictura superat mortem, tempora, oblivionem, absentiam 592
Pictores carpuntur, quòd ambitiosi sint, & nemo est, qui plus ipsis habeat ansam se humiliandi. ibid.
Jesus Christus efformavit sui effigiem quam transmisit Regi Abagaro 640

Prædestinatio.

Vide totam Consultationem XVII.

Quid sit Prædestinatio & reprobatio. 442. an supponat peccatum Adæ. ibid.

An fiat intuitu meritorum, an gratuitò duæ opiniones, quæ facilè concordari possunt 443

Incertitudo nostræ prædestinationis non debet nos reddere inquietos 445

Tentatio frequens diaboli circa prædestinationem, quâ ratione vincenda 446

Animantur omnes animæ efficaci argumento circa materiam prædestinationis 447. 448

Debet compleri per bona opera 446

Possumus habere certitudinem aliqualitèr infallibilem nostræ prædestinationis 451. & seq.

Quatuor luculenta signa nostræ prædestinationis 454

Quare Deus velit hoc arcanum nobis absconditum, nosque duobus circa hoc punctum 453

Consolatio animæ portantis manifestum signum prædestinationis suæ 455

Historia de dœmone transfigurante se in Angelum Lucis, ad decipiendum senem aliquem Eremitam circa prædestinationem socii sui junioris 456

Excellentissimus affectus animæ cujusdam, cui dictum est, ipsam non esse prædestinatam 459

Præsentia Dei.

Potest concipi præsentia Dei duobus modis. 340. Ipsa nobis conservat esse ibid. Ipsa est centrum quietis nostræ 243

Quomodo sensus nostri servire nobis possint ad conservandum nos ubique in præsentia Dei ex aspectu creaturarum 345. & seq.

Providentia Dei.

Vide totam Consultationem XVI.

Quales personæ magis indigeant consideratione providentiæ Dei 413

Ipsa fugat omnia phantasmata turbantia pacem animæ. ibid. & 422

Est inseparabilis ab omnipotentia Dei 414

Tres perfectiones divinas occupat 416

In quo consistat providentia 415

Intendit omnibus etiam minimis 417

Facit omnia per seipsam. 419. Admirabili cum justitia. 420. Infallibiliter sua in opus redigit consilia 427

Providentia humana nihil potest contra divinam 427

Exhortatio ad confidendum providentiæ Dei. 430. Nunquàm offendit nostram libertatem 438

Stolidi sunt, qui capere volunt gubernationem providentiæ Dei 432

Qui ipsam negare volunt, ipsi inviti confitentur sub nomine fati 436

Con-

Confidentia perfectissima, quæ nobis omnibus collocanda est in providentia Dei 184

Pulchritudo Dei.

Vide totam Consultationem XXIV.

Mirandum imperium pulchritudinis 644
Pulchritudo est Mater Amoris 668
Quàm utile nobis sit considerare pulchritudinem Dei 637
In quo consistat considerata in semetipsâ 655
Pulcher discursus Sancti Thomæ dicentis, ipsam consistere in tribus; Concordiâ, amicitiâ, communicatione 659
Deus depinxit nobis suam pulchritudinem in omnibus creaturis. 641. Præcipuè in homine 644
Vestigia pulchritudinis Dei, quæ videmus in creaturis, nos deducunt in admirationem ipsius 646
Pulchritudo Dei videtur melius in entibus Spiritualibus quàm corporalibus 648
Omnis pulchritudo corporalis non est, nisi tela araneæ ibid.
Quomodo è creaturis fieri possit scala, quâ extollamur ad considerandam pulchritudinem Dei 651
Transcendit infinita ratione illam Angelorum ibid Cœcus sit, oportet, qui non videt, & insensibilis, qui non amat pulchritudinem Dei 652
Omnia contemptibilia videntur animæ, quæ vel leviter aspexit pulchritudinem Dei 654
Perfecta actualitas Dei, absque ulla admixtione entis, est velut coloris acrimonia & vivacitas in pulchritudine Dei 666
Si damnati videre possent unicum parvum radium pulchritudinis Dei, necessariò amarent ipsum; & nos magis infelices illam videmus, & non amamus 667, 668

Q.

Quies.

DEus manet in perpetuâ quiete, & agit semper 262

R.

Reprehensio.

VEhemens, quam facient omnes tres divinæ Personæ alicui animæ, quæ Sancta non fuerit 634
Reprehensio hominis, qui non utitur ratione in defectum fidei, ut videat & amet pulchritudinem Dei 653
Reprehensio, quam facient nobis omnes creaturæ, quòd nos soli detrectaverimus obedientiam Deo 722
Reprehensio, quam faciet nobis Christus Jesus, ob vecordem nostram ingratitudinem & obedientiam ibid.
Reprehensio vehemens faciendæ animæ non amanti Deum 761

Rex,

Rex.

Reges gerunt in fronte parvum radium Majestatis Dei, qui fortiter incitat ad reverendum illos 698
Ipsorum Majestas nihil est respectu Majestatis Dei ibid.

S.

Sanctitas.

SAncti non sunt Dij. ibid.
Sanctitas honoratur ab omnibus creaturis 614
Facere è peccatore Sanctum, est majus prodigium, quàm plures producere mundos 617
Facilius nobis est esse Sanctos, quàm esse peccatores 619
Exhortatio, qua aspirare jubemur ad Sanctitatem 636

Sanctitas Dei.

Vide totam Consultationem XXIII.

Sanctitas Dei est canticum æternum in cœlo, ubi cantatur absque intermissione Trisagium Sanctus 610
Tres testes illustres Sanctitatis Dei, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus 611
Deus omnes homines vult esse Sanctos 612
Ipse facit homines sanctos, communicando ipsis bonitatem suam 631
Idæa universalis Sanctitatis DEI 617
Aspectus infinitæ Sanctitatis DEI rapit omnia corda in consideratione sui ibid.
Ut aliquis sit Sanctus, debet induere Christum Jesum, qui est Sanctus Sanctorum 619
Sanctitas Dei, & illa omnium Sanctorum est tota in lumine 622
Deus vehementer & acriter reprehendet homines, qui noluerint participare Sanctitatem suam 634
Certitudo, quam nobis dat, velle se, ut sancti simus 449

Sapientia Dei.

Vide totam Consultationem XXII.

Sapientia Dei refulget in dispositionibus providentiæ ipsius 416
Volens carpere ipsius gubernationem, est velut homo rudis, qui nesciens legere, judicare vellet de aliquo libro 433
Sola Sapientia Dei invenire potuit artem pingendi absque coloribus per species intentionales 590
In quo Sapientia Dei videatur incomprehensibilis 595
Oportet adorare ipsius gubernationem, abs eo, quòd inquiratur ejusdem ratio 596
Cur toleret tot inordinationes in mundo 597
Qui Sapientes sunt Sapientiâ Dei, judicio mundi insipientes & stulti videntur 628

Quanti

Quanti noſtrâ interſit, ſtudere Sapientiæ Dei 567
Deus continet Sapientiam in ſeipſo velut theſaurum ſuum ibid.
Eſt ſtudium æternum Beatorum 568
Bonæ animæ cum voluptate intendunt conſiderationi creaturarum 569
Sapientia Dei admirabilis videtur in productione florum. 574. Fructuum tàm diverſorum in omnibus, tamque multiplicium 576
Suſtinet infinita palatia in aëre, ad recipiendas ibi familias integras 578
Inſtruit nobis univerſale convivium tempore autumni, ubi delectationem cunctis affert ſenſibus 579
Apparet admirabilis, quando producit arbores ex ſuis fructibus, qui ſunt ipſarum pignora 581
Mirabiliter providet neceſſitatibus omnium Creaturarum tempore hyemis 582. & ſeq.
Reſplendet in ædificio cœlorum 604

Scientia.

Vanitas Scientiarum humanarum 350
Intellectus noſter nil ita amat, ſicut Scientiam, & tamen hæc eſt ipſius tormentum 461
Quid ſanare poſſit intellectum ægrotum ex præſumptione ſuæ ſcientiæ 462
Intellectus humanus accepit â Deo miram amplitudinem, ut eſſe poſſit palatium omnium ſcientiarum 463
Hominum doctiſſimus plura neſcit, quàm ſciat 464
Animalia ratione quâdam ſapientiora ſunt hominibus. 466. Scientia admirabilis araneæ ibid.

Scientia infinita Dei.

Vide totam Conſultationem XVIII.
Idæa univerſalis Scientiæ Dei 482
Quatuor admiranda ſunt in Scientia Dei
Ipſius infinita Amplitudo. 467. Ipſius perfecta ſimplicitas. 471. Ipſius incredibilis facilitas. 476. Ipſius infallibilis certitudo 480
Deus ſcit perfectè arcana cordium, & omnes cogitationes hominum. 468. Omnes res poſſibiles. ibid.
Deus perfectè cognoſcit ſemetipſum, quod eſt ſupremum ſcientiæ ipſius faſtigium 469
Sientia Dei eſt actus ſimplex 471
An plures Scientiæ ſint in Deo 473
In quo Scientia Dei excellat illam Angelorum & hominum 476. Ipſius pulchritudo ibid.
Scientia Dei includit tres infinitudines 477
Cur una ſola ſimpliciſſima ſcientia ſufficiat Deo 479

Ipsa est æterna & invariabilis 480
Tres mirabiles Excellentiæ Scientiæ Dei 481

Semen Dei.

Semen Dei in nostra anima producit Deum: & quomodo? 401. 402

Sol.

Sol fuit Magister alicujus sylvicolæ, ad instruendum illum in fide 155
Ipsius pulchritudo, ipsius bonitas, ipsius cursus 156
Est fax magni palatii naturæ 157
Est resplendens imago Dei. ibid. Imago imperfecta SS. Trinitatis 158
Repræsentat fœcunditatem Dei Patris 160
Pulchritudo hujus faculæ mundi 379

Species intentionales.

Prodigium specierum intentionalium nobis est incomprehensibile 189
Plura stupenda prodigia specierum intentionalium 587. & seq.

Speculum.

Prodigia naturalia Speculi, quæ inducunt ad concipiendum aliquid de generatione Verbi æterni 185

Spes.

Amor spei est bonus amor proprius, qui placet Deo, nobisque est utilis 759
Non differimus à damnatis (qui privati sunt visione Dei, & patiuntur) quasi, nisi per spem & patientiam 791

Spiritus Sanctus.

Tres rationes, ob quas tertia Persona nuncupetur Spiritus Sanctus 214
Quare non vocetur Filius Dei 216
Quomodo concipi possit distinctus à duabus aliis Personis divinis 215
Non amat, & non amatur in Divinitate 216
Facit in nobis, quod facere non potest in Deo 217
Non datus est Personis divinis, sed nobis 218
Est donum infinitâ ratione pretiosum ibid.
Nos sumus templum ipsius 227
Procedit ex Patre & Filio. Quomodo Quare? 221
Cur non sit nisi unus Spiritus Sanctus ibid.
Historia de hæresi Orientalium circa Spiritum Sanctum. 22. condemnatur in Concilio Florentino à tota Ecclesia orientali & occidentali 224
Peccatum contra Spiritum Sanctum est crimen irremissibile 226
Prodigia, quæ operatur clam in animabus, sunt innumera 233

Excitat

Excitat noſtras animas ad amandum Deum 238
Admirabile ipſius vinculum cum noſtrâ animâ 400
Quartum prodigium, quòd Spiritus Sanctus habitet in anima peccatoris, ubi primùm converſus eſt 518

Superbia.

Superbia humana confunditur pulchrâ admodùm conſideratione 664
Alia efficax conſideratio ad confundendam vanitatem & arrogantiam humanam 702

Sympathia.

Prodigia Sympathiæ 762
Mira Sympathia inter Deum & noſtram animam 763
Sympathia adimpleta conſtituit Paradyſum, & fruſtrata facit infernum ibid.

T.

Tarantula.

QUatuor mira prodigia in Tarantula minimo animaculo 599

Tempus.

Tempus eſt parva durationis gutta, veniens ex æternitate, & rediens illuc. 265. Differt ab æternitate 268
Non poteſt eſſe menſura æternitatis ibid.
Devorat nos inceſſanter, & de hoc non cogitamus 269
Eſt ſtultitia adhærere rebus, quæ cum tempore deſinunt 279
Noſtrum tempus comparatum æternitati Dei nihil eſt 285
Cur dominium habeat ſuper omnia inferiora 291

Terra.

Terra eſt ſtupida & ingenioſa, pauper & dives 354
Portat, & nutrit infinitas creaturas pro noſtro ſervitio 357
Terra tempore verno eſt melius veſtita, quàm Salomon in omni gloria ſua 572
Ipſa eſt inſipida, & tribuit infinitos diverſiſſimos ſapores, ſicut & ſuaviſſimos fructus, quos producit 476
Non habet niſi unicum uber commune, & nutrit infinitas proles, quibus omnibus diverſus eſt ſapor ibid.
Peccator accumulat ſibi theſaurum criminum in corde ſuo, & Deus præparat illi theſaurum ſupplicio-rum in inferno. Comparatio horrenda horum duorum theſaurorum 551 552

Trinitas.

Hoc mysterium deprimit doctos & extollit ignaros. 126. In hoc mysterio unum & tria, non sunt nisi unum. 134. Hic est numerus absque numero 135

Una Persona summam habet auctoritatem in alteram, & tamèn nullam Superioritatem 139

Essentia divina est omninò integra in tribus Personis, abs eo, quòd multiplicetur 142

Hoc mysterium honoratur fide, & non scientiâ. 143. Non potuit inveniri ab homine 145

Magnum privilegium Christianorum, cognoscere hoc mysterium ibid.

Quare Deus voluerit illud primò ante omnia prædicari, cum sit maximè incomprehensibile ibid.

Facit nasci & conservat totam Ecclesiam 149

Tristitia.

Nostræ tristitiæ oriuntur ex parvo affectu, quem habemus erga DEUM in animabus nostris 15

V.

Venti.

Prodigia incomprehensibilia Ventorum 376

Verbum.

Stupenda prodigia verbi humani 202

Deus solus dicit omne id, quod cogitat, unico verbo 204

Quare Deus vestîerit nobis Verbum suum corpore humano 205

Loqui possumus DEO proprio suo verbo: & quomodo 206

Verbum hominis dicit, & non facit res 208

Verbum DEI facit ea, quæ dicit ibid.

Ipsius mirabilis potentia. 209. Divitiæ ibid.

Deus permittit nobis facilem sui allocutionem 254

Deus loquitur semper, & altum servat silentium. 261. Quare dicat nonnisi unicum Verbum 262

Veritas

Res invisibiles habent plus veritatis, quàm visibiles 699

Vita.

Deus nobis abscondit viam vitæ sub specie mortis 200

Vita

Vita Divina.

Vide totam Consultationem XXIX.

Nostra vita æterna erit excellens participatio vitæ divinæ 790
In quo consistat vita Dei 809
In quo consistat nostra vita divina 810
Exercitium admirabile vitæ divinæ ibid.
Magna felicitas animæ id felicitèr in opus deducentis 817
Bona anima contendere hîc potest cum Beatis de vitâ divinâ 792
Quatuor manifestæ notæ ad cognoscendum, an vivamus vitâ divinâ 799
Dedecus animæ, quæ mavult vivere vitâ bestiarum, quàm vitâ DEI 808

Umbra.

Artificium umbrarum conciliare potest hortis pulchritudinem 74
Umbra est aliquid plus quàm nihil 75
Narcissus amans umbram suam, currit post eam 77
Creaturæ sunt umbræ Essentiæ Dei Deus currit post eas 78

Unitas Essentiæ Dei.

Probatur ex multitudine falsorum Deorum 113
Facilius credimus plures esse Deos, quàm credamus esse omninò nullum ibid.
Probatur ex eo, quòd esse non possit, nisi unicum Ens supremum. 114. Quia ipse est magnum Omne 115
Unitas Dei constituit nostram felicitatem 117
Anima misera est, quando sibi fabricatur plures Deos 120
Unus solus Deus est solatium omnium miseriarum humanarum 123

Ursus.

Mirabilis scientia ursi 598

Z.

Zelotypia.

HOrrenda mala, quæ parit Zelotypia 638
Medium ab illis se liberandi 639
Deus zelotypè amat animas nostras 730
Gaudium est animæ, nôsse, se Zelotypè à Deo amari 734
Quomodo Deus agat cum anima, quam zelotypè amat. ibid. Deus ostendit vehementes zelotypiæ affectus erga animas nostras 740

Bonas animas oportet habere amoris zelotypiam erga Deum, & non oportet habere 764.765

Vide totam Consultationem XXVII.

Zelus animarum nostrarum erga Deum.

Vide totam Consultationem XXVIII.

Zelus animæ erga Deum exercetur ipsum amando 766

Adnitendo & faciendo, ut omnes ipsum ament 771

Amor zelosus est velut ignis, qui omnia vult devorare 772.773

Verus zelus Missionariorum. Ibid.

Pudore nos suffundere debet exiguus noster zelus 774

Zelus admirabilis Sancti Simeonis Eremitæ. 777. S. Bernardi 778

Horrenda punitio alicujus curati Zelum non habentis erga animas gregis sui ibid.

Magnum Zelum oportet habere quemlibet erga filios & domesticos suos 782

Zelus admirabilis S. Pelagiæ, Matris & Sororum ipsius 800

FINIS.

IN-

INDEX CONCIONATORIUS
Pro omnibus Dominicis totius anni.

Dominicâ Primâ Adventûs.

THEMA.

Videte omnes arbores, cum producunt jàm ex se fructum. Luc. 21. v. 30.

Synopsis Concionis.

CUm aliquandò Propheta Regius divinæ Sapientiæ contemplaretur magnitudinem, continere se non potuit, quin præ admirationis vehementiâ in sequentia prorumperet verba: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine? Omnia in Sapientiâ fecisti:* Psal. 91. aspicio hanc in omnibus, adoro hanc in omnibus, admiror hanc in omnibus, sed illius omnia non capio, nec comprehendo prodigia. S. Hieronymus in deserto suo, ubi alteri non intendebat, nisi quod rimaretur, & serio perpenderet divinæ hujus Sapientiæ opera, ita horum contemplatione, & aspectu afficiebatur, ut totus raperetur extra se, & omni destitueretur sensu, sanæque rationis quodammodò usu: *Totus obstupui,* inquit, *& sensu humanitatis amisso, in sanctam amentiam conversus sum.* Eheu! ut quid inquirimus oblectationem mentis nostræ in millenis vanis curiositatibus, quæ nos fatigant, nosque decipiunt, cum conferre nobis non possint solidam animæ nostræ pacem, nec illam, quam desideramus, cordis nostri consolationem? Ecce ipsemet Deus, ipsamet æterna sapientia, quæ perfectè exsatiat omnes beatos in cœlo, demonstrando illis omnem suam pulchritudinem, se nostris exponit oculis, seque abundè ostendit, ac manifestat nobis, ut solidâ nostrum repleat animum consolatione, quâ profectò perfunderemur, si ipsam in omnibus operibus suis considerare vellemus. Inter omnia divinæ hujus Sapientiæ opera non infimum obtinent locum arbores, & fructus terræ: Ad hos aspiciendos, & penitius contemplan-

dos

dos invitat nos hodiernum Evangelium: *Videte omnes arbores, cum producunt jam ex se fructum.* Huic invitationi satisfacere volens, visendam, & conspiciendam vobis proponam pulchritudinem, & varietatem fructuum, quibus divina Sapientia secundùm diversa anni tempora exornat, & locupletat terram, ut ex horum aspectu ejusdem accendamur amore, Consult. 22. Art. 1.

Dominicâ Secundâ Adventûs.

THEMA.

Joannes cum audisset in vinculis opera Christi. Matth. 11. v. 2.

Synopsis Concionis.

OMnis homo, modò velit, potest esse Joannes in vinculis, si nimirùm amaverit Deum: Joannes idem est, quod gratia, & gratia idem est, quod DEI charitas, cum quâ juxta probabilem Theologorũ quorundam opinionem realiter identificatur: Charitas autem est vinculum juxta effatum illud S. Apostoli. Coloss. 3. *Supra omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*: quod ipsum insinuat verbum Diligo, quod penes Ethymologiam Nominis significat, duos ligo: Joannes igitur in vinculis est anima amans Deum. Ad propositum afferuntur tria vincula, id est, tres causæ, quæ nos obstringunt ad amandum Deum. 1. absoluta necessitas præcepti divini. 2. Si præceptum non esset, maxima gloria, quam anima sperare, & aucupari potest in terris. 3. Si nec præceptum, nec gloria esset, nihil est nec utilius, nec jucundius animæ amore Dei. Consult. 2. Art. 3.

Dominicâ tertiâ Adventûs.

THEMA.

Ego vox clamantis in deserto. Joan. 1. v. 23.

Synopsis Concionis.

QUod Poëtæ canunt de luscinià, hoc asserit in hodierno Evangelio S. Joannes de se ipso: de illâ ipsi canunt: *Vox est, præterea que nihil*: de se ipso S. Joannes dicit: non sum ego Christus, non Elias, non unus ex Prophetis: cumque urgeretur ad dicendum quis esset? respondit; *Ego*

vox

vox clamantis in deserto. Cum ergo S. Joannes vox sit, & quidem illius verbi, de quo in initio sui Evangelii dilectus Domini Discipulus affirmat: *In principio erat Verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: erit occasio latè differendi de admirandis prodigiis, virtute, operatione, ac omnipotentiâ hujus Verbi, cui omnia obediunt, præter cor humanum. Consult. 8. Artic. 3. & 4.

Dominicâ quartâ Adventûs.

THEMA.

Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Luc. 3. v. 3.

Synopsis Concionis.

COnsolatorium valdè est, quod Sancta Mater Ecclesia hoc Sacri adventûs tempore nostris accinit auribus ex Evangelico Vate Isaiâ; *Exspectat Dominus, ut misereatur vestri, & ideò exaltabitur parcens vobis, quia miserans miserebitur tui.* cap. 30. Siquidem adventurus proximè Salvator noster nil spirat, nisi misericordiam, sicut in suo Cantico vaticinatus est de ipso S. Zacharias, dum adventûs ipsius in has terras assignare nobis voluit causam, dicens: *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris.* Luc. 1. in quo autem potissimum consistit hæc misericordia? hoc luculenter exponit, dum mox adjicit; *In remissionem peccatorum eorum*; quod ipsum insinuare nobis vult hodiernum Evangelium, dum de Sancte Joanne prædicante Baptismum Christi affirmat: *prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*; quod copiosum argumentum præbet probandi primò, quod misericordia Dei mirum in modum refulgeat in remittendis peccatis; secundò, quod adhuc magis refulgeat in modo condonandi illa. Consult. 20. Art. 1. & 2.

Dominicâ infra Octavam Nativitatis Domini.

THEMA.

Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Luc. 2. v. 35.

Synopsis Concionis.

TAm parvi æstimantur ab hominibus cogitationes, ut tritissima apud Germanos exorta sit parœmia. Die Gedancken seind Zollfrey. Cui adstipulari videtur illud Juris Canonici, Can. Cogitationis de pœnit. dist. 1. *Cogitationis pœnam nemo patitur.* Verùm glossa ibidem communiter recepta explicat, id intelligendum esse coràm hominibus: nam cum homo non scrutetur cogitationes, neque percipiat secreta cordium, benè verificatur, quod cogitationis pœnam nemo patiatur ab hominibus: secus est in ordine ad Deum, qui *scrutatur corda, & renes.* Psalm. 7. v. 10. unde coram Deo cogitatio prava, ac deliberata incurrit culpam, ac meretur pœnam; adeoque cogitationes malæ esse possunt radix æternæ damnationis, & è contra cogitationes bonæ fons & scaturigo beatitudinis æternæ. Cum ergò tanti ponderis sint cogitationes: quæritur, quænam cogitationes sint omnium optimæ, an primæ, an ultimæ? huic quæstioni respondet Tullius Oratorum Princeps, orat. 54. Philipp. 12. *posteriores cogitationes, sapientiores solent esse;* quod innuere etiam videtur Germanicum illud adagium; hinckende Pferd / und gute Gedancken folgen hernach. Verùm tam Tullio, quàm huic adagio hodie contradico, & dico: Cogitationem omnium primam, esse omnium optimam: Vultis nôsse, quæ sit cogitatio omnium prima? hoc vobis declarabo, dum dicam, Filium Dei, quem modò carne humanâ velut Infantem indutum aspicitis, esse cogitationem intellectûs Patris æterni, adeoque omnium primam; 2dò hanc cogitationem esse immensam, & æternam, ipsique omnia esse præsentia. 3tiò ipsam esse vitam, & omnia habere vitam in ipsâ. Consult. 8. Art. 2.

Domi-

Dominicâ infra Octavam Epiphaniæ.

THEMA.

In his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse. Luc. 2. v. 49.

Synopsis Concionis.

QUantæ gloriæ sibi duxerit duodennis puer Jesus, Patrem habere se Deum, satissuperque demonstravit in hodierno Evangelio, dum Matri suæ cæteroquin sibi amantissimæ, suæ remansionis in Templo Jerosolymitano causam scisscitanti, per modũ excusationis respondit: *Quid est, quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* quæ verba Venerabilis Beda ita commentatur: *non, quod eum, quasi Filium quærat, vituperat; sed quod ei potius, cui æternus est Filius, debeat, cogit oculos mentis attollere*: ex quo patet, quod licet summo honore suam prosequeretur matrem, magis tamen cordi haberet Patris honorem. O terque quaterque felices nos, quod eâdem cum Filio DEI nobis liceat potiri gloriâ, dum communem cum ipso nobis Deum habemus Patrem: ità fiducialiter ipsemet nos illum compellare jubet. Matth. 6. *Pater noster, qui es in cœlis*; quod tanti honoris est Prærogativa, ut Sanctus Leo Papa Serm. 6. de Nativitate optimè dicat; *Omnia dona Dei excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet Filium, & homo Deum nominet Patrem.* Utigitur majori erga tantum Patrem accendamur amore, majorique afficere discamus ipsum honore, aptus differendi hic locus erit, ipsum triplici titulo esse Patrem: nempe Patrem æternum, Patrem omnipotentem, & Patrem misericordem: Patrem æternum respectu Filii sui Unigeniti; Patrem omnipotentem respectu creaturarum; patrem misericordem respectu peccatorum, quos sibi adoptat in filios. Fusissimè Consult. 7. Art. 2. 3. & 4.

Dominicâ Secundâ post Epiphaniam.

THEMA.

Quodcunque dixerit vobis, facite. Joan. 2. v. 5.

Synopsis Concionis.

MIrum est, nuptiarum festa morum fieri disciplinam, ipsarumque jucunditatem virtutis fieri Gymnasium; maximè cum verum sit,

quod aureo suo ore profatus est S. Joannes Chrysostomus hom. 42. super acta Apost. ante medium moralis tom. 3. *Ubi domus nuptiarum, vide illic turpia verba, risum incompositum, sessiones magis incompositas, vestem, & gressum plenum turpitudine, & gestûs stultitiam, & insipientiam præseferentes, omnia illic ridicula: non ipsas nuptias dico, absit, sed ea, quæ in nuptiis fiunt: insanit tunc natura, præsentes pro hominibus bruta fiunt, & alii quidem, ut equi hinniunt, alii verò ut asini calcitrant; magna ibi diffusio, magna dissolutio, nihil maturum, nihil generosum, magna diaboli pompa, cymbala, tibiæ, & cantica plena scortationum, & adulteriorum.* Hodiernæ nuptiæ in Cana Galilææ celebratæ non vitiorum sunt Gymnasium, sed virtutum, & omnis disciplina honestatis: quidquid enim hîc aspicio, redolet virtutem. Si aspicio Christum Jesum, invenio ipsum docere nos inprimis virtutem humilitatis, dum præsentiâ suâ pauperum voluit nuptias honorare; unde benè Chrysostomus: *qui non est dedignatus formam servi accipere, non est dedignatus ad nuptias venire servorum:* & S. Augustinus de verbis Domini serm. 41. idipsum ita confirmat: *Erubescat homo esse superbus, quoniam factus est humilis Deus: ecce venit ad nuptias, qui cum apud Patrem esset, instituit nuptias.* Ex in Exemplum præbere voluit reverentiæ, quam debemus parentibus, dum matris suæ preces exaudivit; hoc jam olim observavit prudentissimè præfatus S. Chrysostomus, dum inquit: *Ut Matri honorem exhiberet, & non contumax videretur matri, nevè Genitricem tam multis præsentibus pudore afficeret:* quod etiam confirmat S. Cyrillus: *quantus honor debeatur parentibus ostendit, cum statim ad actum, propter matrem accedit.* Si oculos conjicio in ipsam Sanctissimam illius Genitricem, plures quoque in ipsâ video resplendere virtutes: inprimis misericordiam, & benignitatem, quâ compassa est indigentiæ sponsi & sponsæ. Audi S. Bernardum Serm 1. in Dom. 1. post octav. Epiph. *Compassa est enim eorum verecundiæ, sicut misericors, sicut benignissima. Quid de fonte pietatis procederet, nisi pietas?* Intueor ipsius modestia m; non enim postulat imperando: fili procura eis vinum, sed tantùm eorum necessitatem indicat, aitque, *Vinum non habent:* audi iterum S Bernardû Serm. 2. de B. Virgine. *Et is quidem sermo certissimus index in genitæ mansuetudinis, & Virginalis verecundiæ fuit, aliorum quippe verecundiam suam reputans, sustinere, non potuit vini dissimulare defectum.* Si Salvatoris nostri intueor discipulos, singularem quoque observo in ipsis virtutem, firmam nempe, & indubiam fidem, quâ crediderunt in Christum Dominum, velut verum Messiam, & mundi Salvatorem; attestante id Evangelio: *Et crediderunt*

in

ineum Discipuli ejus; Si ipsos nuptiarum considero ministros, quibus aliàs parva virtutis est cura, eximiam tamen video in ipsis refulgere virtutem, & est prompta obedientia, quâ obsecundârunt mandato Salvatoris: vix enim dicit illis Jesus: *Implete hydrias aquâ;* mox subditur; *& impleverunt eas usque ad summum:* quam promptam ipsorum obedientiam ita commendat Cornelius à Lap. ut dicere non vereatur in loc citat. *nonparum enim ad hoc miraculum contulit ipsorum promptum in hauriendâ aquâ ministerium, & obedientia.* Rectè igitur de hisce nuptiis affirmari potest effatum illud S. Petri Chrysologi Serm. 157. *Felices nuptiæ, felices illæ, quibus Christus est præsens, non luxu, sed virtutibus consecrantur.* Omnes hasce virtutes explanare, nec loci, nec temporis patiuntur angustiæ, inhærebimus hodie virtuti, quam edocent nos nuptiarum ministri, promptitudinem obediendi Deo. Ut hanc persuadeamus, afferemus duo insignia motiva: inprimis, quia ipse est Creator noster; deinde, quia est noster Conservator. Consult. 26. Art. 1. & 2.

Dominicâ Tertiâ post Epiphaniam.

THEMA.

Habens sub me milites, dico huic, vade & vadit, & alii, veni, & venit; & servo meo, fac hoc, & facit. Matth. 8. v. 9.

Synopsis Concionis.

Elapsâ Dominicâ didicimus obedientiam Deo â nobis præstandam per ministros nuptiarum in Canâ Galilææ, hodie frequentanda est nobis schola militum, quos hodiernum commendat Evangelium: sed an boni quidpiam â militibus addisci poterit, quos non ego, sed Petrus Blesensis hisce coloribus depingit: *Ordo militum nunc est, ordinem non tenere: nam cujus os majore verborum spurcitiâ polluitur, qui detestabilius, jurat, qui minus Deum timet, qui ministros Dei vilificat, qui Ecclesiam non veretur, esse hodie in cœtu militum fortior, & nominatior reputatur: ex quo hodie militari cingulo Tyrones decorantur, statim insurgunt in Christos Domini, & desæviunt in patrimonium Crucifixi: spoliant, & prædantur subjectos Christi pauperes, & miserabiliter atque immisericorditer affligunt miseros, & in doloribus alienis illicitos appetitus implent voluptatum: Milites, qui contra inimicos Christi vires suas exercere debuerant, potibus, & ebrietatibus pugnant, vacant otio, marcent*

cent crapulâ, vitamque degenerem in immunditiis transigentes nomen & officium militiæ dehonestant. ità ipse in Epistolâ. 94. ad Joannem Archi-Diaconum in principio An igitur hujusmodi Magistrorum nobis hodie frequentanda sit schola, quæ potius vitiorũ sit sentina, quàm virtutum, egregiorumque facinorum disciplina? Verùm non mitto vos ad milites ejusmodi, sed ad illos, quorum laus est in Evangelio, quæ ipsis à suomet confertur, & attribuitur Centurione, dum inquit: *Habeo sub me milites; dico huic, vade, & vadit, & alii, veni, & venit, & servo meo; fac hoc, & facit:* quibus verbis promptissima nobis ipsorum insinuatur obedientia. Jam omnes nos milites agimus in terris: Hussitico id attestante Principe. *Militia est vita hominis super terram.* Job. 7. v. 1. cui adstipulatur S. Apostolus Paulus quemcunque Christianum sequentibus alloquens verbis; *Labora sicut bonus miles Christi:* 2. Tim. 2. v. 3. Cum ergò militem Christi nulla virtus magis exornet, quàm obedientia, addiscamus virtutem hanc à militibus hodiernis Evangelicis, quà promptè nos subjiciamus Imperatori nostro Deo, ac supremo Duci Jesu Christo; ad hanc addiscendum à ministris nuptiarum, attulimus ante octiduum duo motiva: eò quod Deus sit tum Creator, tum Conservator noster, hodie afferemus duo alia; eò quod Gubernator sit, & ultimus noster finis. Consult. 26. Art. 3. & 4.

Eâdem Dominicâ.

THEMA.

Domine si vis, potes me mundare, & extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens: volo mundare, Matth. 8.

Synopsis Concionis.

MUndatus in hodierno Evangelio à Salvatore nostro leprosus, quid in sensu tropologico, ac morali nobis innuit, nisi hominem per pœnitentiam à lepra peccati mundatum, adeóque per hanc munditiam, ac puritatem mutatum in virum, ac hominem sanctum? nemo enim est, qui ignoret, per lepram significari peccatum; ideoque Christum in passione leprosi formam assumpsisse, ut lepram animæ nostræ, id est, peccata nostra in se susciperet, & curaret; Unde Isaias capite. 53. v. 4. *Verè, ait, languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum:* per munditiam autem & puritatem quid nobis insinuatur nisi Sanctitas: si enim quæram, quid sit Sanctitas; respondet mihi appositè divinus

Areo-

Areopagitâ de divin. nomin. cap. 12. in principio. *Sanctitas est ab omni scelere libera, perfectaque, ac omni ex parte incontaminata puritas*: & S. Thomas Aquinas inquit tom. 1. opus 9. non minus solidè, quàm laconicè; *Sanctum idem est, quod purum*; imo præfatus Areopagita loco citato affirmat, quod Sanctitas & munditia non tantùm in Deo sint idem, sed sint ipse Deus: audi verba ipsius: *Sanctitas: & omninò immaculata munditia Deus est.* Jam est quæstio, quâ ratione à nobis hæc munditia, & Sanctitas obtineri possit: eâ prorsùs ratione, quâ munditiam suam à Salvatore nostro obtinuit hodiernus in Evangelio leprosus: quid fecit? quid dixit? *Domine, inquit, si vis, potes me mundare*: ecce, quod firmissimam collocaverit in potentiâ Salvatoris nostri fiduciam: *si vis, potes.* quod eâdem hâc fiduciâ in omnipotentiâ Dei collocatâ obtinere possimus, modò voluerimus, Sanctitatem, ulterius hic discurrendi locus erit. Consultat. 23. Art. 1.

Dominicâ Quartâ post Epiphaniam.

THEMA.

Qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei? Matth. 8. v. 27.

Synopsis Concionis,

CUm Deus purus, imò purissimus Spiritus, juxta comunem Theologorum doctrinam, nullo oculo corporeo, etiam per absolutam potentiam, videri potest: hoc nobis innuere vult S. Apostolus Paulus. 1. Tim. 6. v. 16. de Deo loquens: *qui lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*: quod ipsemet Deus jam olim luculentis confirmavit verbis, dum Moysi summo populi Israelitici Legislatori dixit. Exod. 33. v. 20. *non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & vivet.* Nihilominus præfatus S. Paulus Apostolus valdè consolatorium nobis suggerit modum, quo Deum etiam in hâc vitâ, & oculis quidem corporis ratione quâdam nobis liceat intueri, dum in epistolâ ad Romanos cap. 1. v. 20. ita loquitur: *Invisibilia ipsius (nempe Dei) à creaturâ mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas*, quod ipsum confirmat Spiritus Sanctus Sap. 3. per os Sapientis dicens: *A magnitudine speciei, & creatura cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Per quod innuere nobis vult, quod dum aspicimus pulchritudinem, magnitudinem, splendorem creaturarum, in his, & per has intueri possimus magnificentiam, majestatem, decorem, perfectionem ipsius Conditoris. Et

hoc

hoc ipsũ cognoverunt jam olim Gentiles, inter quos laudatissimus ab omni sapientiâ Trismegistus dicere non est veritus: *mundum esse librum divinitatis, & speculum divinorum*: in quo nimirum Deus seipsum, quasi Apelles summus clarè expresserit, & depinxerit, adeoque conspiciendum sese præbuerit oculis mortalium. Non dubito, quin omnes summo Deum videndi accendantur desiderio; aperiamus hodie hunc librum, aspiciamus unicum tantum ipsius folium, quia omnia ipsius perlustrare folia temporis non patitur angustia. Quodnam est hoc folium? est illud, quod indigitat nobis auscultatum modò hodiernæ Dominicæ Evangelium; & aliud non est, nisi mare, in quo Deus maximam suam nobis ostendit virtutem, potentiam, sapientiam, magnificentiam: Videamus, ut in Conditoris ipsius accendamur amore. Consult. 1. in introductione; & Consult. 14. Art. 4.

Dominicâ Quintâ post Epiphaniam.

THEMA.

Colligite primùm Zizania, & colligate in fasciculos ad comburendum. Matth. 13.

Synopsis Concionis.

NIhil esse omni ex parte beatum, trita est paræmia, quotidiana docet experientia: expertus idipsum est hodierni Evangelii colonus, & agricola, cujus ager quamvis attulerit fructum bonum, non tamen suis caruit zizaniis; id affirmante Evangelico textu: *Cum autem crevisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania*, quamvis nonnisi bonum semen suo crediderit agro. Dimitto litteram hujus parabolæ, meque converto ad sensum illius mysticum; per fructum bonum intelligi bonos & justos, per zizania verò injustos, & malos, nemo est, qui dubitet, quid autem significetur per id, quod sequitur: *Colligite Zizania, & colligate in fasciculos ad comburendum*: S. Gregorius lib. 4. dialogorum. cap. 35. ita exponit: *Messores Angeli Zizania ad comburendum in fasciculos ligant*, cum pares paribus, in tormentis similibus *sociant*, ut superbicum superbis, luxuriosi cum luxuriosis, *avari cum avaris, fallaces cum fallacibus, invidi cum invidis, infideles cum infidelibus ardeant. Cum ergo similes in culpâ ad tormenta similia deducuntur, quia eos in locis pœnalibus Angeli deputant, quasi Zizaniorum fasciculos ad comburendum ligant.* Sed quò mittent illos in fasciculos hac ratione colligatos? mox id facer textus declarat; *& mittent eos in cami-*

caminum ignis; in illum nempe damnatorum ignem, de quo Salvator noster Matth. 25. v. 41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum;* in quo autem potissimum consistit hujus ignis acerbitas? in ipsius æternitate; quod Christus innuere voluit, dum dixit, *in ignem æternum;* id ipsum etiam declarat Vates Isaias. c. 33. v. 14. dum totus attonitus interrogat: *quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* ne igitur & nos in fasciculos alligati eâdem aliquando calamitate involvamur, cum omnia ignis hujus tormenta unico sermone complecti non liceat, in præsenti solummodò exponam horrendam ejusdem æternitatem, quæ utique tanto nos terrore percellet, ut illam seriâ meditatione hîc revolventes, illi in æternum non simus involvendi. Consult. 12. Art. 3. & 4.

Dominicâ Sextâ post Epiphaniam.

THEMA.

Et fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus. Matth. 13. v. 32.

Synopsis Concionis.

NOn omnis contemnenda est rerum origo parva, & humilis. quid humilius est vapore? & tamen is origo est, unde illustrissimam suam deducit prosapiam fulmen, quod annosos prosternit quercus, fortissima demolitur munimenta, totum terrore maximo concutit Universum. Unde suam maxima quæque flumina deducunt originem, nisi è fonte parvulo, qui in tantam aquarum excrescit molem, ut in diversissimas orbis regiones sua distendant brachia, ampliissimos, ac latissimos inundent campos, vastissima navigia, velut fluctuantia in sinu suo circumferant castella: & hoc insinuare voluit Carolus Rancati, qui vastissimo cuidam flumini hanc adscripsit Epigraphen: *Fonte cadit modico*: quam desumpsit ex Lucano. lib. 1. ità canente de flumine Rubicone: *Fonte cadit modico, parvisque impellitur undis: Puniceus Rubicon;* denotare volens, quod sæpius ex abjecto principio plures obtinuerint magnificos honorum, dignitatumque gradus, sicut de Rutilio scribit Valerius Maximus lib. 3. c 4. *Incunabula Tullii Hostilii agreste tugurium cæpit, ejusdem adolescentia in pecore pascendo fuit occupata; validior ætas Imperium Romanum rexit; Senectus excellentissimis ornamentis decorata, in altissimo majestatis fastigio fulsit*: Sic electus & erectus est Saul à curâ jumentorum ad Israëlis solium; Sic David de gregibus ovium, ut esset Pa-

læstinæ propugnaculum; Sic Petrus Apostolus de lacu Galilææ, ut nudatis pedibus triumpharet de Gentilitate. Non absimile quid in hodierno Evangelio licet intueri; nonne enim videmus granum sinapis ex origine tenuissimâ, cum minimum sit ex omnibus seminibus, in tantæ magnitudinis excreviſſe arborem, ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus? nonne cernimus hanc arborem tantæ evasisse proceritatis, ut duo pro habitatione suâ incolat, & occupet elementa; radices quidem suas profundè demittens in terram; vertice autem suo altum sese attollens in aërem. Descendimus hodie mente & cogitatione nostrâ cum hâc arbore in terram; & cum eâdem nostrum attollamus animum supra aeris habitaculum; & videamus prodigia, quæ in duobus hisce elementis operata sit omnipotens manus Domini, ut exinde nostra laxentur ora in laudem ipsius, & nostra accendantur corda ipsius charitate. Consult. 14. Art. 3, & 5.

Dominicâ Septuagesimæ.

THEMA.

An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum, Matth. 20. v. 15.

Synopsis Concionis.

CUm juxta commune adagium: Omne bonum sit communicativum sui; Cur bonitas Evangelici Patrisfamilias non effecit hodie bonum operarium illum, quem invenit murmuratorem, nequam, & malum? aliud respondere non possum, nisi quod ipsemet bonus esse noluerit; siquidem, ut optimè dicitur in decretis Gratiani parte 2. causâ 23. quæst 6 *Nemo bonus esse potest invitus.* Jam quid est esse bonû, nisi esse sanctû ex eo enim, quod bonitas specialiter attribuitur Spiritui Sancto, sicut Omnipotentia Patri attribuitur, & sapientia Filio, is specialiter quoque Sanctus esse dicitur, quamvis Pater & Filius nõminoris, quàm ipse, sint sanctitatis, quod esse bonum sit esse Sanctum, ipsemet divinus Plato, quamvis Ethnicus, agnovit, dum tom. 2. Sizigiâ. 4. de lege inquit; *Ne existimes, nullos esse Sanctos, sed omnium Sanctissimus est vir bonus.* Jam nullus dubito, quin omnes mei Auditores Sancti esse desiderent, ut satisfaciant voto, ac voluntati Domini Dei sui. Levitici. 19. v. 2. ita nos alloquentis: *Sancti estote, quia ego Sanctus sum Dominus Deus vester*, ideo ut magis hujus Sanctitatis accendamur desiderio, declarabo vobis infinitam bonitatem Dei, quæ apex est Sanctitatis ipsius, fontem esse, ac scaturiginem omnis Sanctitatis justorum, ipsam-

ipsamque majori ardere desiderio communicandi se nobis, quàm nos ardeamus ipsam recipiendi. Consult. 23. Art. 3.

Eâdem Dominicâ.

THEMA.

Et quod justum fuerit, dabo vobis. Matth. 20. v. 4.

Synopsis Concionis.

HIc occasio erit agendi de justitiâ Dei, quæ quidem ubivis terrarum, ac gentium exercetur, diversimodè tamen à diversis accipitur. Justitia enim Dei adoratur in cœlo, blasphematur in inferno, contemnitur plerumque in terris, timetur à paucis, & nonnisi amatur à perfectis. Consult. 19. Artic. 4.

Dominicâ Sexagesimæ.

THEMA.

Aliud cecidit supra petram. Luc. 8. v. 6.

Synopsis Concionis.

QUod per petram intelligi possint obdurati in criminibus peccatores, insinuare nobis voluit Sanctus Propheta Jeremias, dum de obstinatis in malitiâ Judæis ita loquitur. c. 5. v. 3. *Induraverunt facies suas supra petras.* Inter cœteras proprietates præcipuè habet petra, quod sit dura: si interrogem Seraphicum Doctorem Sanctum Bonaventuram, quidnam sit durum? respondet mihi p. 1. q. 18. Art. 7. *Durum est, quod est inhabile ad suscipiendum, stabile ad permanendum, forte ad resistendum*: Corpus durum censetur, quod idoneum non est ad recipiendum per cœlaturam, aliquam formam, figuram, imaginem, numerum, characterem; & ejusmodi est durities adamantis, qui non facilè imaginis alicujus vel characteris admittit impressionem; *inhabile ad suscipiendum*: secundò corpus durum censetur, quando firmum est, & constans ad permanendum semper in eodem loco; Ejusmodi est firmitas alicujus statuæ lapideæ, vel marmoreæ, quæ constans & immobilis permanet in situatione suâ, postquam à sculptore suæ imposita est basi, & fulcimento: *stabile* ad permanendum; Tandem corpus censetur durum, quando habet robur resistendi omni violentiæ, quæ inferri poterit ipsi, illamque retundendi, atque à se repellendi: Ejusmodi est robur alicujus scopuli, qui inconcussus, & immotus permanet in medio

maris, non obstante ventorum impetu, & tempestatum furore: *forte ad resistendum*: quod ipse dixit de duritie corporum, aptissimè applicari potest obduratis cordibus peccatorum; siquidem inprimis hæc idonea non sunt ad recipiendum bonas cogitationes, bona desideria, ardentes se convertendi, ac meliora sapiendi affectus, quos misserentis Dei inspirat gratia: *inhabilia ad suscipiendum*. Secundò firma & fixa semper sunt ad permanendum in eodem statu peccati, in eâdem malâ consuetudine in iisdem offendendi Deum occasionibus; *stabilia ad permanendum*, tandem fortia, & robusta sunt ad resistendum impulsibus Spiritûs Sancti, inspirationibus Angelorum Custodum, timori gehennæ, adhortationibus Concionatorum, reprehensionibus Confessariorum; *fortia ad resistendum*; sicque meritò dici potest, quod induerint duritiem petræ, conscientiarum suarum facies induraverint supra petras. Cum ergò hodiernum Evangelium ejusmodi petræ faciat mentionem; *aliud cecidit supra petram*: occasionem dicendi ex hoc arripio, quantum ejusmodi indurata peccatorum corda exerceant, fatigent, & excrucient patientiam Dei, quamque hæc patientia Dei magis terrere debeat peccatorem, quàm ipsius supplicia, Consult. 21. Art. 1. & 2.

Dominicâ Quinquagesimæ.

THEMA.

Jesu Fili David miserere mei. Luc. 18. v. 38.

Synopsis Concionis.

AByssus abyssum invocat in hodierno Evangelio, abyssus nimirùm miseriæ abyssum misericordiæ: quid miserius est cœco, qui caret omni gaudio? *quale gaudium mihi erit*, inquit cœcus Tobias, *qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Tob. 5. v 12. hæc cœci miseria misericordiam invocat Christi Jesu, quæ non immeritò abyssus dicitur misericordiæ, cum omni careat fine, & nullâ exhauriri possit miseriâ, & calamitate: non immeritò autem ipsum conceptis hisce invocat verbis: *Jesu Fili David miserere mei*: dicere enim per hoc voluit; miserere mei o Messia, quem ex David nasciturũ prædixerunt Prophetæ: Cum enim Messias sis, tuum est miserorum misereri, & nominatim illuminare cœcos, sicut de te vaticinatus est Isaias cap. 34. v. 5. *Tunc aperientur oculi cæcorum*: credo, te esse Messiam Messiæ ergò munus mihi exhibe, meque illumina, ut ex eo cæteri omnes te esse Messiam agnoscant, credant & colant. cum ergo Christus tanquam Messias, & Filius David tantâ sit plenus misericordiâ, quantò majori abundabit

undabit misericordiâ tanquam Filius Dei, & ipse Deus: vultis nôsse, quanta hæc sit? In præsenti discursu declarabo, dum dicam, ipsam esse inexhaustam, tantoque ditiorem, ac largiorem, quantò magis hauritur ex ipsâ. Consult. 20. Art. 3.

Eâdem Dominicâ.

THEMA.

Domine ut videam. Luc. 18. v. 41.

Synopsis Concionis.

DUbitare quis posset non absque, num benè, vel malè fecerit Evangelicus hodiè cœcus, petendo à Salvatore nostro suorum usum oculorum, cum versissimum sit effatum illud S. Petri Chrysologi serm. 139. in princ. *Oculus mortis est janua, invidiæ fax, livoris caminus, qui toto cupiditatis incendio velocius per aliena percurrit, quàm currit ignis arida, & terrena per gramina;* ipsique insuper adstipuletur Paganus quidem, sed sapientissimus Senecâ de remedio fortuitor. dicens: *oculi irritamenta sunt vitiorum, ducesque scelerum;* adhæc non minus ornatè, quàm fundatè canit Hermannus Hugo in plis desideriis.

O *Oculi scopulis meliori jure vocandi!*
Heu quibus illisæ tot periere rates.

Nihilominus si rem penitius inspicio, horum omnium origo malorum imputanda non est oculo, sed animo malè oculos moderanti, ita prænominato Senecâ attestante: *nihil peccant oculi, si oculis animus imperet:* in suis proverbiis in fine; quod ipsum Sixtus Philosophus confirmat sentent. 9. *non oculus peccat, sed male uti oculo peccatum est;* hinc improbare nullatenus possum hodiernam petitionem Evangelici nostri cœci: *Domine ut videam:* præterquàm enim, *quod oculus,* uti loquitur S. Joann. Chrysostomus hom. 55. super Joann. *sit ornamentum, & luterna omnium membrorum, quodque sol est mundo, hoc oculus sit corpori;* per oculos ascendere nobis licet ad contemplandam ipsam pulchritudinem DEI, quam in facturis, & creaturis ipsius haud obscurè intuemur, quas imagines Dei non immeritò appellamus, è quarum intuitu haud levem haurire nobis licet animi oblectationem; uti de se ipso canit Regius Psaltes Psal. 91. v. 5. *Delectâsti me Domine in facturâ tuâ, & in operibus manuum tuarū.* Ut & hâc oblectatione potiri nobis liceat, proponam ejusmodi imagines mirabili prorsus arte depictas à pictoribus depingentibus semetipsos absque labore, absque colore, absque penicillo, absque fatigatione, absq; intermissione, ubique, in instanti, absque formâ, absque figurâ. Videamus, ut exinde laudamus mirandæ hujus artis inventorem. Consult. 22. Art. 2.

Dominicâ Primâ Quadrageſimæ.

THEMA.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſervies. Matth. 4. v. 10.

Synopſis Concionis.

QUod jam olim mox â Creatione ſuâ molitus eſt Sathan, hoc denuò moliri in hodierno præſumpſit Evangelio: illic totus inflatus arrogantiâ peſſimum ſecum meditabatur conſilium, dicens in corde ſuo: *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis; aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo:* hodie eandem cum Deo aucupabatur ſimilitudinem, dum divinos ſibi arrogavit honores, velut Deus adorari veniens â Salvatore noſtro, quando illi in excelſum valdè montem deducto oſtendit omnia regna mundi, ipſique dixit: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me;* ſed confudit, & repulit ipſum Jeſus, & ancipiti Scripturæ gladio jugulavit ipſum. *Vade Sathana: Scriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies;* per quod inſinuare voluit, nonniſi unicum eſſe Deum, cui cultus debeatur divinus, profundæque adorationis, & latriæ homagium; verumque eſſe illud Deuteronomii. 4. *Dominus ipſe eſt Deus, & non eſt alius præter eum.* Hanc Dei unitatem pluribus probare velle ſupervacaneum forſan videbitur, eo quod inter bonos verſemur Chriſtianos, in fidei noſtra articulis verſatiſſimos: ſupervacaneum tamen non erit de illâ loqui, tum ut in fide hâs nos ſtabiliamus, tum ut noſmetipſos impellamus ad ſerviendum ferventius uni, ac ſoli huic Deo, maximè, cum miſeris hiſce noſtris temporibus quàmplurimos liceat invenire, qui è propriis ſuis vitiis plures falſos ſibi fabricentur Deos audiamus. Conſult. 5. Art. 2. & 3.

Eâdem Dominicâ.

THEMA.

Tunc Jeſus ductus eſt in deſertum â Spiritu. Matth. 4. v. 1.

Synopſis Concionis.

CHriſtus non tantùm ut Homo ingreſſus eſt deſertum, ac ſolitudinem, ſed etiam ut Deus hanc ab æterno coluit, & hodiedum colit. Societas enim trium divinarum Perſonarum facit. 1. Ut Deus ſit ſolus, ſed non ſit ſolitarius. 2. Ut profundo ſit ſilentio, & loquatur ſemper 3. Ut fruatur perfectiſſimâ quiete, & tamen perpetuo operetur. Conſult. 10. Art. 4.

Domini-

Dominicâ Secundâ Quadrageſimæ.

THEMA.

Domine bonum eſt, nos hîc eſſe. Matth. 17. v. 4.

Synopſis Concionis.

QUod in vertice Thaboræo dixit Apoſtolorum Princeps, dum Dominum, & Magiſtrum ſuum ingenti aſpexit circumfuſum gloriâ: *Domine bonum eſt nos hîc eſſe;* hoc nos omnes eâdem cum veritate dicere poſſumus, ubicunque tandem fuerimus, in quovis angulo, in quovis tugurio, tum domi, tum foris, quicunque tandem nos teneat locus, eoquod ubivis benè nobis ſit, nec malè eſſe poſſit, cum ubivis intimè præſentem habeamus nobis Deum, qui ſummum eſt bonum: *Domine bonum eſt nos hîc eſſe.* Si deſideras vitam, habes illam in Deo: *Deus namque vera, & ſumma vita eſt, in quo, & â quo, & per quem vivunt, quæ verè, ſummèque vivunt omnia*, inquit S. Auguſtinus lib. 1. Soliloq. cap. 1. Si deſideras bonum, & pulchrum; *Deus bonum & pulchrum eſt, in quo, & á quo, & per quem bona, & pulchra ſunt omnia*; aſſerit præfatus Sanctus Doctor, & proſequitur: *Deus, â quo averti, cadere; in quem converti, reſurgere; in quo manere, conſiſtere eſt; Deus, â quo exire, emori; in quem redire, reviviſcere; in quo habitare, vivere eſt.* loc. cit. *Bonorum ſumma Deus eſt, ſummum bonum Deus eſt: neque infra remanendum eſt, neque ultra quærendum*; inquitalibi de moribus Eccleſiæ cap. 8. *Summum Bonum omninò, & quo eſſe, aut cogitari nihil melius poteſt.* de moribus Manichæorum cap. 11. Cum ergò dicente S. Ambroſio lib. 3. de Virginibus longè poſt medium, *Deus extra, Deus intus, Deus ubique ſit*; nosque in ipſo, atteſtante Sancto Apoſtolo Paulo. Act. 17. v. 28. *vivamus, moveamur, & ſimus*, nonne meritiſſimò nobis dicere cum Petro liceat: *Domine bonum eſt, nos hîc eſſe?* Ut bonum hoc tantò melius deguſtemus, paulò fuſius intimam hanc Dei noſtri nobiſcum, & in cordibus noſtris præſentiam explanare mens eſt, unde fiet, ut & noſtram melius agnoſcamus felicitatem, & ipſi fidelius exin inſerviamus. Conſultatione, 13. Artic. 1. & 2.

Domi-

Dominicâ Tertiâ Quadrageſimæ.

THEMA.

Profectò pervenit in vos regnum Dei. Luc. 11. v. 20.

Synopſis Concionis.

UBi regnum Dei eſt, ibi Deus eſt; cum igitur hodiernum Evangelium luculenter dicat, perveniſſe in nos regnum Dei, dubitandum non eſt, quin in nos pervenerit & ipſe Deus, qui intimè nobis præſens nos regat, nos gubernet, nos in omnibus moderetur, affirmante id S. Bernardo. ſerm. 5. de verbis Iſaiæ ante med. *ubique regnat Deus, ubique imperat, ubique majeſtas ejus*: cui egregiè adſtipulatur S Iſidorus Hiſpalenſis. lib. 1. de ſummo bono cap. 2. ſentent. 3. *Deus eſt intra omnia, ſed non incluſus; extra omnia, ſed non excluſus; Deus ubique præſens eſt, ſpiritus ejus totum implet, majeſtas ejus omnia penetrat; cuncta ſuæ potentiæ attingit præſentiâ, extra eum nullus locus eſt, cognitioni ejus nihil occultum eſt, omnia ſecreta vis virtutis ejus irrumpit*: ita ut pleniſſimè de ipſo verificetur antiquiſſimus, & tritiſſimus ille verſus: *Enter præſenter, Deus eſt, & ubique potenter.* Egimus quidem ante octiduum ſatis fusè de intimâ hâc DEI intra nos ipſos præſentiâ, cum autem hujus conſideratio utiliſſima nobis ſit, nosque ab omni lapſu in peccatum præſervet, & muniat, id aſſerente Clemente Alexandrino lib. 3. pædagogi cap. 5. in fine. *Hâc ſolùm ratione fit, ut quis nunquam labatur, ſi Deum ſibi ipſi ſemper adeſſe exiſtimat*; hinc è re noſtrâ fore cogitavi, ſi de nuò de eâdem præſentiâ meum inſtituerem ſermonem: in quo demonſtrare adnitar, hanc ita nobis eſſe neceſſariam, ut absque ipſâ prorſus recidamus in nihilum; modumque docebo, ut ipſam ex aſpectu creaturarum ſemper in nobis conſervemus. Conſult. 13. Art. 3. & 4.

Dominicâ Quartâ Quadrageſimæ.

THEMA.

Cum Sublevâſſet oculos Jeſus, & vidiſſet. Joann. 6. v. 5.

Synopſis Concionis.

DUplicis generis oculos ſublevavit hodierno in Evangelio Jeſus, tum oculos corporis, quibus vidit multitudinem maximam ad ſe venientem, tum oculos divinæ ſuæ providentiæ, quibus tantæ multitudinis ſatisfecit neceſſitati; & per hoc verificavit in ſe effatum illud Pſaltis

Regii

regii Psalmo. 135. v. 25. de Deo canentis: *qui dat escam omni carni;* quæ verba ita commentatur doctissimus Cassiodorus: *Deus providet omni carni; quia quidquid natat, quidquid volat, quidquid repit, quidquid graditur, ejus largitate satiatur.* Verùm providentia Dei non tantùm se extendit ad suppeditandum alimentum omni viventi, verùm etiam ad moderandum, curandum, & gubernandum omnia, quæcunque sunt infra ipsum. Si enim quæram, quid sit providentia Dei; respondet mihi Hugo à S. Victore: *providentia Dei est, quâ Deus curat de omnibus, quæ fecit, & nihil derelinquit ex omnibus, quæ pertinent ad ipsum, & quæ subjecta sunt ipsi, sed providet de singulis* lib. 1. de Sacram. part. 2. cap. 19. brevius illam describit S. Joannes Damascenus: *providentia DEI est voluntas DEI, per quam res omnes aptè, congruèque gubernantur* lib. 2. de fide orthodoxâ cap. 29. hanc universalem circa res omnes Dei providentiam exprimere voluit Philippus Picinelli in mundo Symbol. lib. 1. cap. 5. Symbolo Solis: novimus solem perlustrare omnia, nec quidquam esse, quod se abscondat à calore ejus, uti loquitur Vates Regius Psal. 18. verumque esse encomium, quod ipsi attribuit Salomon, Eccles. 1. v. 6. *oritur sol, & occidit, & ad suum locum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, lustrans universa.* hinc ipsi adjecit Epigraphen: *omnia lustrat;* alius apposuit: *omnibus ac singulis* Hoc ipsum dici potest & debet de providentiâ Dei, de quâ ita cecinit Salvator Carducci. *Æthere sol radians totum circumspicit orbem: Sic Deus immenso lumine cuncta regit.* Et glossa ordinaria super Job. cap. 34. ita loquitur: *sic intendit Dominus singulis, ac si vacet à cunctis: & sic simul intendit omnibus, ac si vacet à singulis:* cui affectuosè adstipulatur S. Augustinus lib. 5. Confess. cap. 11. *o tu bone omnipotens, qui sic curas unumquemque nostrum, velut solem cures, & sic omnes tanquam singulos curares, & diligeres.* His non obstantibus, cum plures invenire liceat, qui de hâc Dei providentiâ vel dubitent, vel diffidant, in præsenti discursu declarare conabor, quàm necessaria sit hæc Dei providentia, in quo ipsa consistat, quantique referat ipsam firmiter credere. Consult. 16. Art. 1.

Item dici potest. 1. Animæ firmiter providentiam Dei credenti; nihil esse timendum. 2. Ipsam felicem esse posse in mediis ærumnis vitæ præsentis, semperque vivere posse in pace. ibidem. Art 2.

Dominicâ Paſſionis.

THEMA.

Eſt Pater meus, & non cognoviſtis eum, ego autem novi eum. Joan. 8. v. 55.

Synopſis Concionis.

DUbitare an Deus ſit, foret propoſitio tam horrenda, ut ſufficiens eſſet ad concutiendos cardines mundi, & horrore percellendas univerſas creaturas, hinc cum Seraphicus Pater meus Franciſcus permiſiſſet nonnullis ſuis fratribus, ut ſuam Theologiæ ſtudio navarent operam, voluit aliquando experiri, quem è ſuis ſtudiis referrent fructum, & intrans in claſſem, audivit ipſos proponentes hanc quæſtionem; *Utrum ſit Deus*? ex quo ita commotus, & animo offenſus fuit, ut totus Zelo gloriæ Dei ſuccenſus ita alloqueretur ipſos: Hem fratres mei, quid agitis? quò redacti eſtis? credebam efficacia inquirere vos motiva, quibus exſtimulemini adamandúl Deum; & vos quæritis, an Deus ſit. Sed ſatisfecerunt ipſi dicendo; quod proponerent de hoc quæſtionem, non verò de eo dubitarent; quod de hoc loquerentur, ut ſe in hâc fide confirmarent, non ut oppugnarent ipſam; Et nos per gratiam Dei non dubitamus, ideoquè nec inquirimus; *Utrum ſit Deus*: ingenuè tamen fateri debemus omnes, neſcire nos, *quid ſit Deus*, nos haudquaquam cognoſcere ipſum, quisnam ſit, & qualis ſit, ita, ut Salvator noſter non immeritò improperare nobis poſſit, quod in hodierno Evangelio improperavit Judæis: *Eſt pater meus, quem vos dicitis; quia Deus veſter eſt, & non cognoviſtis eum, ego autem novi eum.* Cum ergo cognitio Dei non tantum ſit maximæ utilitatis, ſed & ſummæ ad conſequendam ſalutem neceſſitatis, affirmante id luculenter Lactantio Firmiano in epitome divinarum inſtitut. in princip. *Quid tam juſtum ad æquitatem, tam pium ad honorem, tam neceſſarium ad ſalutem, quàm Deum cognoſcere*; & affirmâte idipſũ inter Paganos Trismegiſto. libro de poteſtate & Sapientiâ Dei: *hæc unica ſalus homini, cognitio Dei*; hinc ut omnes impendamus vires ad obtinendam hanc Dei noſtri cognitionem, in præſenti diſcurſu declarabo, cognitionem hanc maximam eſſe intellectûs, & mentis noſtræ oblectationem, illamque & jucundius, & facilius omnibus aliis ſcientiis poſſe comparari Conſultat. 1. Artic. 1. & 2.

Domi-

Dominicâ Palmarum.

THEMA.

Solvite & adducite mihi. Matth. 21. v. 2.

Synopsis Concionis.

NOn ità contemptibiles videri debent asini, uti vulgò habentur; potissimùm cum aptissimum verorum servorum Dei sint Symbolum. Servorum verorum officium, atque partes sunt operari ad Domini placitum, idque instar jumenti, Ecclesiasticus expressit, cum scriberet cap. 33. *cibaria & virga, & onus asino: panis & disciplina & opus servo.* neque hæc asini comparatio pudere debet servum Dei, qui ita Deo servit, ut discipulus magistro, juxta illud Joan. 6. v. 45. *Erunt omnes docibiles Dei*; quando apud Hebræos, teste Aldrovando de quadruped. c. 1. asinus discipuli Symbolum est. Hinc fortassis Ammonius Alexandrinus, Philosophus Christianus, atque publicus Alexandriæ Professor, qui & Origenem, & Porphyrium deinde Apostatam, numeravit inter discipulos, his iisdem fertur, asinum velut Condiscipulum adhibuis se, uti refert Eusebius lib. 6. c. 13. Certè Cleanthes insignis diligentiæ laude, & diurni, nocturnique laboris in studia impensi famâ clarissimus, eandem comparationem, nomenque non erubuit, cum dixit, *asinum se esse, sed qui portare possit sarcinam Zenonis Magistri sui, & in philosophicâ scholâ anteccessoris.* quin & David Rex, aliàs servi Dei nomine gloriatus. Domino dicebat Psal 72. *Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum; tenuisti manum dexteram meam; & in voluntate tuâ deduxisti me, & cum gloriâ suscepisti me.* Ecce unâ confessione se jumentum fatetur, & legis viâ deductum ad opus, neque tamen hoc sibi inglorium putavit, cum gloriæ præmium ex hoc ipso acceperit. Et Issachar â Patre benedictus audit, se ad labores ruris â Deo destinatum esse verbis illis Gen. 49. v. 14. *Issachar asinus fortis*; neque tamen inde contristatus, animante Moyse: *Lætare Issachar in tabernaculis tuis* Deut. 33. v 18. Hæc de laude asini proferre, & præfari volui, ut & suam darem asino laudem, qui hodie in dorso suo nostrum portavit Salvatorem. Sed huic immorandum esse non censeo, adeoque ab illo me converto ad Discipulos Domini: quid hi fecerunt? quod ipsis â Domino fuerat demandatum: *Solvite, & adducite mihi:* solverunt, & adduxerunt, quod & nos solvere & adducere debeamus, si veros servos Dei agere velimus, in præsenti declarabo: Solvere quidem cor nostrum ab omni alio præterquam amore Dei; & adducere quoque proximum nostrum ad ejusdem amorem, ac servitium Consult. 28. Art. 1. 2. & 3.

Dominicâ Resurrectionis.

THEMA.

Surrexit, non est hîc. Marci. 16. v. 6.

Synopsis Concionis.

Victoria! Victoria! exclamet hodie omnis creatura, & triumphatori mortis festivum admoduletur Alleluja: abjicite pyxides devotæ mulieres; non funesto quod affertis, Salvator noster, amplius indiget oleo, qui resurgens â morte jam oleo est unctus lætitiæ; cultros arripite, lauros demetite, sertaque flectite, triumphantem coronate: lugubris, quam hucusque submurmurâstis, taceat nænia; hilaresque nobiscum clangite, pangite, concinite pæana: Jo dicite, *Victoria, victoria?* quid quæritis viventem cum mortuis? Luc. 24. v. 5. concedite ad vivos, & redivivum nuntiate; *citò euntes dicite discipulis ejus, quia surrexit.* Matth. 28. v. 7. Sed quid ad jubilium invito mulieres? non & nos gaudendi, jubilandi, plaudendi copiosissimam tenemus segetem, possidemus ansam, habemus argumentum? cum plurima è resurrectione Christi dimanent in nos beneficia: *Resurrectio Domini, inquit* S. Augustinus Serm. 2. de Ascens. *Spes nostra est; Ascensio Domini glorificatio nostra est. resurrectio Christi est vita universorum,* inquit S. Ambrosius in Psalm 36. *Resurrectio Christi est defunctis vita, peccatoribus venia, Sanctis gloria,* inquit Eusebius Emissenus homil 2. de Symbolo. *Pascha Christi est regnum cœli, salus mundi, vita credentium, occasus inferni, gloria supernorum, resurrectio mortuorum, pretium redemptionis humanæ, cognitio mortis abolitæ,* inquit S. Augustinus Serm. 7. Dom. in octav. Pasch. quidni igitur identidem & nos cantemus, resurgenti gratulemur, nobisque ipsis applaudamus, dicamusque cum Paulo. 1. Cor. 15. v. 57. *gratias Deo, qui dedit etiam nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum?* verùm quid conferre potissimum possumus ad hanc resurgentis Christi gloriam? mihi videtur nos nihil melius conferre posse, quàm si ipsum â mortuis resurgentem imitemur. quid fecit ipse? audite, quid Sanctus Apostolus Paulus dicat Rom 6. *Christus resurgens ex mortuis non jã moritur, mors illi ultrà non dominabitur: quod enim mortuus est peccato mortuus est semel, quod autem vivit vivit Deo;* imitabimur ipsum, si impleverimus consiliũ Doctoris Angelici. opusculo. 6. super Symbol. Apost. ita nos alloquentis: *Studeamus resurgere spiritualiter â morte animæ, quam incurrimus per peccatum, ad vitam justitiæ, quæ habetur per pœnitentiam.* Sed advertite benè: resurgendum est

nobis

nobis cum Christo ad vitam: qualis est hæc vita? an advertistis, quid dixerit Apostolus? quod autem vivit, vivit Deo: est vita prorsus divina, quâ ratione hanc vitam divinam obtinere possimus, aliquantò fusius explanabo. Consult. 29. Art. 2.

Dominicâ in Albis.

THEMA.

Ut credentes vitam habeatis in nomine ejus, Joan. 20. v. 31.

Synopsis Concionis.

NOn capio, quâ ratione verificetur illud Salvatoris nostri effatum, quod nobis per pœnam dilecti sui discipuli exaratum reliquit Joan. 10. v. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant*: quomodo abundantiùs? nonne longè ante ipsius adventum primævi majores nostri plura numeravêre vitæ suæ sæcula, quàm nos numeremus annorum nostrorum decades? Lamech ætatis septingentesimũ septuagesimum explevit annũ. Gen 5. v. 30. & modò quàm parvus eorum est numerus, quibus detur attingere septuagesimum? *longævi appellantur hoc tempore etiam, qui septuaginta annos vixerunt*; inquit S. Augustinus enarrat. in Psal. 89. Malaleel annum octingentesimum quintum vivendo assecutus est: modò quot hominum millia censeas, antequàm octogenarium Senecionem unum invenias? annum nongentesimum quintum Enos, Cainam decimum, & nongentesimum suæ vitæ postremum numeravit: Seth fruitum hâc vitâ scimus annis nongentis duodecim, & Adam nongentis triginta: denique nongentorum, sexaginta duorum annorũ fuit ætas Jaredi, & aucto numero nongentorum sexaginta novem annorum vita Mathusalæ: modò verò non simile prodigio videatur, in nonagenarium, vel centenarium senem incurrere? noster enim verò, noster est ille cantus Prophetæ Psalmo. 89. v. 9. *quoniam omnes dies nostri defecerunt, & in irâ tuâ defecimus: anni nostri sicut aranea meditabuntur* (id est, reputabuntur simillimi telis aranearum, quæ quovis momento â minimâ vi rumpuntur) *Dies annorum nostrorum*, secundùm communiorem nunc vitæ cursum, *septuaginta anni: si autem in potestatibus* (id est, ut explicat Ludolphus Cartusiensis, in illis, qui habent potentem, & fortè complexionem) *octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor*. His inquam stantibus non capio, effati illius Evangelici veritatem: *Ego veni, ut vitam habeant & abundantius habeant*; cum pauciores post, quàm ante Salvatoris nostri adventum numeremus vitæ nostræ annos. Sed exortũ enodat mihi dubium Cornelius â Lap. in loc. cit. secundum mentem S. Chrysost., Cyrill., Theophylact., & aliorũ: ego veni, ut dẽ fidelibus vitã,

non qualem qualem, sed præstantem, eximiam, spiritualibus donis abundantem, novam, modum excedentem; mihi addere id liceat; & vitam prorsus divinam, vitam, quâ ipse vixit post resurrectionem suam: *Christus resurgens â mortuis non jam moritur; quod autem vivit, vivit Deo.* In quo vita hæc divina consistat, quæ exemplo ipsius amplectenda nobis est, diximus partim ante octiduum, nunc quæ illius residua sunt, enucleabimus. Consult. 29. Art. 3.

Dominicâ Secundâ post Pascha.

THEMA.

Sicut novit me Pater, & ego agnosco patrem. Joan. 10. v. 15.

Synopsis Concionis.

OMnes naturaliter scire desiderant, sed non omnes in hoc sciendi desiderio eundem sibi præfigunt scopum, non omnes ad metam collimant eandem: hoc verum esse, non minus eruditè, quàm solidè enuntiat mellifluus Bernardus serm. 36. in cant. circa med. *Sunt, qui scire volunt, eo fine tantum, ut sciant, & turpis curiositas est: sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi, & turpis vanitas est; scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter: sunt, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant pro pecuniâ, pro honoribus, & turpis quæstus est: sunt, qui scire volunt, ut ædificent, & charitas est; & item, qui scire volunt, ut ædificentur, & prudentia est.* Verùm, sicut diversũ in sciendo tenent scopum; sic diversas quoque circa objectũ sciendi ineunt semitas: adjiciunt aliqui animum ad Mathematicam, alii juris prudentiæ suam navant operam, alii facultatis Medicæ aucupantur aphorismos, alii Rhetorices inquirunt, & colligunt flosculos, alii Dialectices delectantur sensibus, alii Musices intendunt modulis, & concentibus. Verùm vix est, qui ad Dei anhelet cognitionem, cum tamen in hâc vera consistat sapientia, ità dicente Lactantio Firmiano: *Omnis sapientia hominis in hoc uno est, ut Deum cognoscat, & colat*; hoc Christianorum dogma, hæc sententia est. lib. 3. de falsâ sapientiâ cap. 30. quod breviter confirmat S. Hilarius lib. 8. de Trinit. post. init. *nescit sanè sapere, qui Deum nescit. Deum nósse, vivere est*, inquit S. Augustinus in medit. cap. 32. *Deum cognoscere solida justitia est*; asserit S. Methodius. Serm. de purificat. B. M. ante med. cui adstipulatur ipsemet Spiritus Sanctus Cap. 15. *nósse enim te consummata justitia est, & scire justitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis.* Ut ad hanc Dei, divinorumque cognitionem nos invitet, è contra â vanarum scientiarum studio avocet, ita juxta morem

rem suum egregiè loquitur S. Augustinus. *Erubescat superbus, & infelix peccator, & timeat elatione cæcatus, scientiâ inflatus, cui plus placet ars Aristotelis, quàm scientia de Apostolis; plus Codex Platonis, quàm liber divinus; quem nulla lectio lætificat, nulla scientia ædificat, cui nullus sermo sapit, nisi fuerit grammaticè conceptus, dialecticè imaginatus, rhetoricè purpuratus. Vana hujus vitæ studia relinquant homines, & de studio vanitatis veniant ad studium veritatis, & de studio stultitiæ, ad studium sapientiæ.* Ita ille de speculo peccatoris, capite. 6. in principio, & circa medium tom. 9. Cum igitur Christus Dominus in hodierno Evangelio de hac cognitione Dei faciat mentionem, dum inquit: *sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem*; & ego jam nuper in Dominicâ Passionis satis superque hanc inculcaverim cognitionem, hodie necessarias declarabo, & inculcabo dispositiones, quibus hæc Dei cognitio obtineri possit, ac debeat. Consult. 1. Art. 3.

Dominicâ Tertiâ post Pascha.

THEMA.

Mulier cum pepererit puerum, jam non meminit pressuræ, quia natus est homo in mundum. Joan. 16. v. 21.

Synopsis Concionis.

PRoblema est, majus ne sit parturientis mulieris tormentum, an gaudium, cum disceptari in utramque partem utrumque non absque solidis rationibus possit. Certum videtur, utrumque haud leve esse, nec mediocre, cum ambo vehementissimè afficiant, illud quidem corpus, hoc verò mentem, ac animum parturientis. Quantum ad tormentum, maximum hoc esse oportet, eo quod sacer codex, quando doloris cujusdam declarare vult vehementiam, hunc in comparationem adducat cum fœminæ parturientis dolore. Ità legimus Deuteronomii 2do. Ubi Deus maximam describere volens calamitatem, quâ afficere volebat populum, ita inquit. *Hodie incipiam mittere terrorem, atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cœlo, ut audito nomine tuo paveant, & in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur.* v. 25. & iterum declaraturus horribile excidium Babylonis, quod sævissimum omnino fuit, hâc utitur loquendi ratione: *Ululate, quia propè est dies Domini, quasi vastitas à Domino veniet; propter hoc omne cor hominis contabescet, & conteretur; torsiones, & dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt.* Isa. 13. v. 6. & 7. Quod autem tormento

mentō non minus ipsius sit gaudium, hoc ex eo mihi constare videtur, quod infante in mundum vix nato, mox omnis dolor absorbeatur â gaudio, uti ipsa divina veritas attestatur in hodierno Evangelio: *mulier cum parit, tristitiā habet, quia venit hora ejus: cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Hinc est, quod Sanctissimus Mediolanensium Antistes Ambrosius dulcedinem & periculum, dolorem & voluptatem simul in matribus conjungat, dum lib. 1. de virginibus ante medium ita sermocinatur: *quàm voluptati; periculis emitur, nec pro arbitrio possidetur. Habet mater hæredes, sed auget dolores.* Verùm an sufficit ita cum gaudio simul & dolore genuisse sobolem? an per hoc solum aliquis evadit in Patrem, aliqua evadit in Matrem? non quid ergò Patrem vel Matrem facit? sapientissimè respondet S. Joannes Chrysostomus lib. 1. Adversùs vituperationem vitæ Monast. post medium, dum inquit: *patrem non facit generatio, sed recta morum institutio.* Et hoc optimam mihi præbet occasionem in præsenti discursu declarandi summam obligationem, quam parentes habent benè educandi suos filios. Consult. 28. Art. 4.

Dominicâ Quartâ post Pascha.

THEMA.

Arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me. Joan. 16. v. 9.

Synopsis Concionis.

INfelix omninò est, qui amat mundum, qui affectu, & corde adhæret ipsi, qui immoderatis desideriis prosequitur ipsum: quisquis talis es, audi, quid tibi dicat Sanctus Augustinus in manuali capite 30. in principio, dum non minus blandè, quàm sanctè modulatur.

Quisquis amas mundum, tibi prospice, quò sit eundem:
Hæc via, quâ vadis, via pessima, plenaque claudis.

Infelix est hic mundus, quem non inhabitat, nec inhabitare potest spiritus Sanctus, qui spiritus est puritatis, spiritus munditiæ: non benè convenit spiritui mundissimo cum mundo, qui est immundissimus; non benè conveniunt, nec in unâ sede morantur, Spiritus Sanctus, qui totus est lux, & mundus, qui totus est nox. quod ita sit, testem habeo mellifluum Bernardum Serm. 75. super cantic. ita differentem: *habet mundus iste noctes suas, & non paucas, cum penè totus ipse sit nox, & totus semper versetur in tenebris: quid dico, quia noctes habet mundus an non*

non nox, ubi non percipiuntur ea, quæ sunt Spiritûs Sancti? & hinc est, quod hodiernum Sanctum Evangelium luculenter dicat, venturum esse Spiritum Sanctum, ut arguat mundum: de quo? de peccato: quia totus mundus plenus est peccatis, imò totus est mare peccatorum. Si enim interrogem, quid sit mundus? respondet mihi Hugo Cardinalis super. 3. Reg. 18. *Mundus dicitur mare, quia tumet per superbiam; spumat per luxuriam; fervet per iracundiam; nubilus est per tristitiam; omnia flumina in se recipit per avaritiam; major piscis ibi minorem devorat per rapinam; mortuos ejicit, vivos attrahit per invidiam.* Cum ergò mundus sit mare peccatorum, veniet Spiritus Sanctus, qui est mare gratiarum, & arguet ipsum, cum nullum peccatum tolerare possit in animâ, quam inhabitat. Ita me docet præfatus mellifluus Serm. 1. pentecostes. Serm. 2. in fine: *ne minimam paleam peccati intra cordis (quod possidet Spiritus Sanctus) habitaculum patitur residere; sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit spiritus ille dulcis, & suavis.* Quamvis autem Spiritus Sanctus arguiturus sit mundum de omnibus peccatis, potissimùm tamen arguet ipsum de peccato infidelitatis; quia expressè dicitur; *arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me.* Dicat mihi hîc aliquis: quando igitur modò veniet Spiritus Sanctus in mundum, nihil ejusmodi arguendum inveniet in mundo, saltem, qui Christianus est, quemque incolunt Christiani, qui firmissimè credunt in Deum, apud quos proinde nullum infidelitatis peccatum est arguendum, cum nullus Atheismus regnet inter ipsos, sed hoc ipsum est, quod in præsenti sermone declarabo. 1. an vel non sint veri Athei in mundo. 2. unde veniat, quod plures, qui dicunt se non esse Atheos, vivant tamen velut Athei. 3. quod quisquis verè crediderit in Deum, id demonstret per suâ opera. Consult. 4. Art. 4.

Dominicâ Quintâ post Pascha.

THEMA.

Nunc scimus, quia scis omnia. Joan. 16. v. 30.

Synopsis Concionis.

QUi multa vult scire, diu & multa debet addiscere, quia nonnisi discendo acquiritur scientia. hinc est, quod sapientissimè monet Cato Poëta.

Ut sapiens vivas, audi quo discere possis,
Instrue præceptis animum, nec discere cesses.

Ita canit lib. 2. metro. 8. & lib. 3. metro. 4. hoc consilium sapientissimi quique viri amplexati sunt, quibus suum scientiâ imbuere animum fuit

cordi, quamvis nobilitate fuerint illustres, senioque graves: nobilis erat, & sacer senex Hieronymus; nobilis, & sacer senex Augustinus. Quid hic ad ipsum scripserit, vis nôsse? lege: *ad discendum*, inquit, *quod opus est, nulla mihi ætas sera videri potest; quia etsi senes magis decet docere, quàm discere, malo tamen discere, quàm quid doceam, ignorare*; ita S. Augustinus in Epist. ad S. Hieronymum, quis sensus de hoc? quæ praxis Hieronymo? de se ille testatur epist. ad Pammach. & Ocean: se jam cano capite Alexandriam perrexisse, ut audiret Didymum, à quo quidem, quod nesciebat, didicit, & quod sciebat, illo docente non perdidit: subditque, cum putarent homines, finem discendi ipsum fecisse, rursum venisse se Jerosolymam, & Bethleem, ut Barrabanum præceptorem audiret. Origenem jam canum Hebraicis litteris addiscendis operam dedisse, idem scribit Hieronymus de Scriptor. Ecclesiast. Huc pertinet, quod Clemens Papa scripsit planè terribile omnibus iis, qui satis se sapere arbitrantur, adeoque discere negligunt; epist. 3. relat. distinct. 38. c. finali: *nullus, ubi ait nullus Episcopus propter opprobrium senectutis, vel nobilitatem generis, à parvulis, vel minimis eruditis, si quid fortè est utilitatis, aut salutis, inquirere negligat: qui enim discere, atq; agere bona recusat, magis Diaboli, quàm Christi membrum esse ostenditur, & potius infidelis, quàm fidelis monstratur.* Verùm non modò Sancti Patres, Doctores, ac Præsules hoc addiscendi exarserunt desiderio; sed & Ethnici eodem succensi, hisce præluxerunt Exemplo. Plato *in Lachete* è sententiâ, adeoque mente Solonis, inter se, tem prodigia Sapientiæ Græcæ non postremi monet: *tamdiu discendum, quàm vivimus*; proverbium hoc veteribus fuisse attestatur Seneca politicus sapiens, & usurpandum opere præcipit, scribens ad Lucilium epist. 76. *tamdiu discendum est*, inquit, *quamdiu nescias*, & *si Proverbio credas*, *quamdiu vivas*. Pomponius Jurisconsultus insignis in L. apud Julianum ff. de fidei com. liber. apud Tiraquell. de jure primigen. n. 199. in præfat. fatetur, se jam annos octo & septuaginta natum, discendi tamen cupiditate teneri; & hunc in finem refert dictum Juliani: *etsi alterum pedem in sepulchro haberem, adhuc addiscere vellem.* Hi & plures ejusmodi quamvis hoc suo plurimùm succenso discendi studio sibi plurimam comparaverint scientiam, nulli tamen ipsorum hæc potest attribui laus, quam in hodierno Evangelio discipuli nostro attribuerunt Salvatori: *Nunc scimus, quia scis omnia:* verum enim est, quod exaratum reliquit devotissimus Thomas Kempensis. lib. 1. de imit. cap. 2. *Si tibi videtur, quod multa scis, scito tamen, quia sunt multò plura, quæ nescis:* nonnisi Deo soli cum veritate dicere possumus: scimus, quia scis omnia: siquidem juxta mentem

Sancti

Sancti Augustini lib. 11. Confess. c. 4. *Scientia nostra scientiæ Dei comparata ignorantia est.* Hoc verum esse, evincet, dum in præsenti discursu declarabo, scientiam Dei esse infinitam, ipsumque unicâ & solâ scientiâ cognoscere res infinitas. Consult. 18. Art. 1. & 2.

Eâdem Dominicâ.

THEMA.

Ipse enim Pater amat vos. Joan. 16. v. 27.

Synopsis Concionis.

TRitissima apud antiquos erat parœmia: *Sapere, & amare vix Diis conceditur*: hujus ratio est, quod anima sibi ipsi præsens non sit, quando amat, sed objecto amato suam exhibeat præsentiam, juxta alterum illud effatum: *Anima magis est, ubi amat, quàm ubi animat.* quod hîc dicitur de amore naturali, verificari de summo Dei erga nos amore, pro more suo divinè dicit divinus Areopagita de divin. nominibus cap. 4. *Audebimus & illud pro veritate dicere, quod ipsemet Creator omnium, propter amatoriam suæ bonitatis magnitudinem extra se factus sit.* Verè enim qui ab æterno habitabat intra se ipsum, Deus extra se ipsum factus est, quando ex amore erga genus humanum, humanam assumens naturam, nostrâ indutus est carne. Non tantùm autem despicere, sed etiam non videre videtur amor: hinc est, quod Ægyptii, uti auctor est Alciatus, in suis emblematibus, depingere solebant Amorem cœcum, vel velatis oculis: *tela, alasque ferens, lumina nulla tenet:* cujus sanè picturæ, quamvis nonnulli eam reddiderint rationē, quia amor amantes excœcat, juxta illud Propertii. 2. elegiarum: *scilicet insano nemo in amore videt*; & illud Ovidii: *quid deceat, non videt ullus amans*: mihi tamen sic amorem depinxisse videntur, ad significandum, illum verum, & perfectum amantem censendum, qui clausis oculis absquæ disquisitione meritorum rei dilectæ, aut propriæ obligationis, ad illi benè faciendum, amoris pondere fertur: qui enim merita discutit, aut obligationes explorat, prudentis quidem aut grati, non tamen veri amantis appellationem meretur. Talem se quoque ostendit amor Dei erga nos, non enim ulla in nobis vel vidit; vel discussit merita, quorùm virtute ad nos amandos alliceretur; cum nondum essemus, jam ab æterno amavit nos; *In charitate perpetuâ dilexi te*, inquit ipse, *ideo attraxi te, miserans tui.* Jerem. 31. v. 3. id est, sicut Cornelius hîc explicat: *idque non meritò vitæ tuæ, sed meâ solâ misericordiâ*; imò amavit nos non tantùm nulla habentes merita, sed plurimorum potius demerita peccatorum quod dicere voluit S. Paulus Apostolus Rom. 5. vers. 8. & 9.

& 9. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis; quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Quanta sit hæc Dei erga nos amoris magnitudo, per totam Consultationem 25. fusissimè, & efficacissimè declaratur.

Dominicâ Sextâ post Pascha.

THEMA.

Hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini. Joan. 16. v. 4.

Synopsis Concionis.

REferunt plures, inter quos Cicero lib 2. de orat. & 4. definibus; & Plutarchus lib. 5. Apophtegmatum, floruisse apud Græcos virum quendam nomine Themistoclem, incredibili quâdam animi, atque ingenii magnitudine præditum, cui cum Simonides artem memoriæ polliceretur, oblivionis, inquit, artem mallem, *nam memini eorum, quæ nolo; oblivisci non possum, quæ volo.* Ex quo colligere haud obscurè licet, non omnem memoriam nostris esse votis prosequendam, sed eorum tantummodò, quæ bona sunt: quod insinuare voluit Philo Judæus de agricult. post med tom. 1 dum inquit: *memoria non quævis bona est, sed ea sola*, quæ summa nostra est miseria, facillimè recordamur malorum, bonorum autem ægerrimè, & nonnisi maximâ cum difficultate: hoc est, quod deplorat purpuratus Præsul S. Petrus Damiani lib. 7. epist. 18. ad Guillam Comitissam ita scribens: *Infelix cor; quod Evangelica tenere mysteria centies perlecta non sufficit; & semel tantum aspecta mulieris formæ memoriam non amittit.* Ad bonorum memoriam retinendam suos in hodierno Evangelio Salvator noster adhortatur discipulos, dum inquit illis: *hæc locutus sum vobis, ut cùm venerit hora, reminiscamini eorum, quia ego dixi vobis:* scilicet eorum, uti exponit Cornelius hîc, *quæ dixi vobis de persecutione, & odio mundi in vos, & etiam de adventu Spiritûs Sancti vos confirmaturi.* hæc & omnia, quæ bonorum gaudent nomine, in memoriâ velut in thesauro reponenda sunt; verum enim est, quod dicit S. Hieronymus lib 12. super Ezechielem cap. 40. *nihil prodest vidisse & audisse, nisi ea, quæ videris, & audieris, in memoriæ reposueris thesauro.* Cum ergo Deus bonorum omnium fons sit, & bonorum omnium supremum, potissimùm ipse in hoc memoriæ thesauro collocandus erit. Ut ad hoc ipso opere complendum tantò acrius nosmetipsos exstimulemus, maximas in præsenti discursu pro-

proponam utilitates, quæ ex hâc Dei memoriâ oriuntur. imprimis anima ſæpius Dei memor, â nullâ vincetur peccati tentatione. 2. vitæ præſentis tribulationes non turbabunt ipſam. 3. ipſa nunquam non vivet inſummâ pace, & maximo gaudio ſpirituali. Conſult 3. Art. 3.

Eâdem Dominicâ.

Sub eodem themate, & exordio proponi poterit, quàm deploranda ſit continua hæc Dei oblivio, in quâ vivimus: item oblivionis hujus exponi poterunt cauſæ: quarum prima eſt, parva noſtra fides. 2da. exiguus amor Dei. 3tia. defectus exercitii. Conſult. 3. Art. 2.

Eâdem Dominicâ

Eodem retento themate, & exordio pauliſper immutato declarari poterunt mira prodigia, quæ memoria complectitur humana, unde plurimùm tam inſignis operis commendabitur Auctor Deus. Conſult. 3. Art. 1.

Dominicâ Pentecoſtes.

THEMA.

Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Joan. 14. v. 26.

Synopſis Concionis.

INter alia elogia, quibus â Scripturâ Sacrâ condecoratur Spiritus Sanctus, tertia in Sanctiſſimâ Trinitate Perſona, non minimum eſt, quod nuncupetur ab ipsâ flumen. Sic illum nominat Vates Regius Pſal. 45. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Non me fugit, inquit Hector Pintus in Ezechielis cap. 37. non deeſſe, qui per flumen hoc intelligant Jordanem, cujus impetum ajunt lætificâſſe civitatem Dei, hoc eſt populum Judaicum, cum ad ejus tranſitum illius aquæ conſtiterunt; ſed tunc dicendum erat: Fluminis diviſio, & aquarum ſtatio, non autem fluminis impetus. Oblectentur ſuo Jordane Judæi; ego namque aliud flumen exiſtimo illud eſſe, quod civitatem Dei, id eſt, Dei Eccleſiam gaudio afficit, cum Baſilio magno, & Aurelio Auguſtino, & aliis hujusmodi Patribus, qui præſtantibus ingeniis, admirabili Sanctimoniâ, eximiâ ſapientiâ exculti, per flumen hoc intelligunt Spiritum Sanctum per fidem & virtutes influentem in pectora credentium, unde fluunt

admirabiles illæ aquæ, de quibus ait Christus Joan. 7. *qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: & subjungit Evangelista: hoc autem dixit de spiritu, quem acceperi erant credentes in eum.* Verùm cui potissimùm flumini comparandus erit Spiritus Sanctus? *Abbas* Picinelli in mundo Symbolico lib. 2. c. 24. affirmat, ipsum assimilari posse flumini Nilo, eò quod hic per septem orificia largissimè aquas suas diffundat per totam Ægyptum, ipsamque summè fœcundam reddat, addito lemmate: *Septem discurrit in ora;* ex Virgilio. lib. 4. Georgic. per septem autem hæc ora aptissimè intelligi possunt septem dona Spiritûs Sancti, quæ ita enumerantur à Prophetâ Evangelico: Isaiæ c. 11 v. 2. *Requiescet super eum spiritus sapientiæ, & intellectûs, Spiritus consilii, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Et hoc totum in Elogiis supra Litanias Lauretanas titulo, *Spiritus Sancte Deus*, ita rythmicè complexus sum:

Si Nilus in septem se ora partitur,
Fœcunda Ægypto dans ubera:
Et Spiritus Dei septena largitur
Ubertim fidelibus munera.
Quod sese diffundat tam large hoc Numen:
Dives est flumen;
Quod gratiæ multos dat latices,
Hos bibes, os mentis si applices:

Cum igitur per flumen hoc Nilum non inconcinnè intelligi possit summa liberalitas, & munificentia Spiritûs Sancti, qui simul dator est, & donum, donum scilicet Dei Altissimi, in præsenti discursu aliquantò susiùs declarabo (cum omnia ipsius dona unico sermone complecti non possim) ipsum animæ, quam inhabitat, communicare tres omninò singulares, & permagnos favores. Consult. 9. Art. 4.

Eâdem Dominicâ.

Sub eodem themate, & exordio probari, & ostendi potest, datorem hunc, Donumque Altissimi, Spiritum Sanctum procedere è corde Patris & Filii, ut regnet in cordibus nostris; Secundò, quæ dispositiones afferri debeant ad recipiendum ipsum dignè, & conservandum. Consult. 9. Artic. 3.

Domi-

Dominicâ SS. Trinitatis.

THEMA.

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Matth. 28. v. 19.

Synopsis Concionis.

ELoquar, an sileam? silere me jubet solidissimum illud Illuminatissimi S. Patris Augustini effatum libro. Secundo de visitatione infirmorum ca. 1te 2i principio, ubi inquit: *Mirabile illud ac Trinitatis Unitate, & de unitatis Deificâ Trinitate Sacramentum magis est credendum, quàm exp nendum*; cui adstipulatur & illud devotissimi Abbatis Lætiensis Ludovici Blosii dogma, & documentum in speculo spirituali cap. 10. ante med. *Nonnisi sobrie loquaris de Mysterio altissimæ Trinitatis: quia tam impossibile est, ut quis illud explicet, quam impossibile, ut homo in terra stans, cœlum digito contingat* Hanc de Sanctissimâ Trinitate differendi difficultatem agnovisse videtur Propheta Jeremias, dum accepto prophetandi mandato, oneris gravitatem, suamque imperitiam contestaturus ajebat. *A, A, A, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Jerem 1. v. 6. Visa sunt Interpretibus ea Prophetæ verba plena mysteriis, ita, ut illud balbutientis infantiæ signum. A, ter ab eo repetitum esse existiment, quo ter Sanctæ Trinitatis inscium se, illique prædicandæ inidoneum profiteretur; atque hunc sensum, quamvis illum P. Cornelius â Lap. in loco cit. Symbolicum esse, & subtilitatis habere plus, quàm soliditatis affirmet; ego hodie mihi statuo amplectendum. *Trinitati* festus dies hic agitur, mihi verò de eâ loquendi onus hâc horâ incumbit; cumque illud â me amoliri non possim, ordiar cum Prophetâ sermonem, & dicam: A, A, A, Domine Deus: *ecce nescio loqui, quia puer ego sum*; & si essem disertissimus rhetorum, si oratorum antesignanus, si linguis hominum, & Angelorum loquerer, nihil tamen amplius possem de illâ proferre, quàm unus infantulus, qui præter suum A, A, A, latrare nihil, aut balbutire didicerit: ut enim aliquâ de re sermonem prudente auditorio dignum instituamus, oportet eam antea cognitione complecti, & menti insculptam, impressamque tenere: ter Sanctam verò Trinitatem, quis cognitione complecti, quis hominum, vel Angelorum suæ possit menti imprimere? cum verum omninò sit effatum illud Sancti Columbani Abbatis instructione 1. dicentis: *Quoddam insuperabile pelagus est Dei unius Trinitas: altum cœlum, & lata terras,*

ra, *& profundum mare, longaque sæcula: sed altior & latior, & profundior, longiorque est scientia Trinitatis.* Cum igitur de eâ loquendum sit mihi, haud aliter, quàm more pueri balbutientis loqui mihi licet, ne igitur in tam profundo aberrem pelago, ita Dei Tri Unius opem efflagito:

Meum cum excedat captum,
Comprehensu non sit aptum
Hoc arcanum, non intendam
Vires, ut id comprehendam,
Loquar simplicissimè.
Tam me cœcum dum agnosco,
Deus Trine opem posco;
Te præbeto mihi Ducem,
Ne aberrem, mihi lucem:
Ibo sic tutissimè.

Sed quid dicam? in præsenti sermone dicam, primò, quod tres Personæ Divinæ non distinguantur ab essentiâ Dei, quæ faciat, quod unum & tria non sint, nisi unum. 2dò proponam alia quædam stupenda prodigia, quæ fides nos docet circa ineffabile hoc mysterium. Consult. 6. Art. 2.

Eâdem Dominicâ.

Vide Consultationem totam sextam, ex quâ plures adhuc Conciones facillimè circa Sanctissimæ Trinitatis Mysterium formare poteris.

Dominicâ Secundâ post Pentecosten.

THEMA.

Ut impleatur domus mea. Luc. 14. v. 23.

Synopsis Concionis.

PErquàm pulchra, mirè splendida, omnem supra modum magnifica debet esse domus Dei, cum beatos prædicet illos Regius Propheta, quibus auspicata contigerit sors inhabitandi illam, dum Psalmo 83 v. 5. ita canit, *Beati, qui habitant in domo tuâ Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Quænam autem, aut qualis est hæc domus Dei? multifariæ â Sanctis Patribus & Doctoribus ejusmodi domus designantur. Hugo â S. Victore dicit: *Domus Dei totus est mundus; Domus Dei Ecclesia Catholica est; Domus Dei etiam est quilibet fidelis: in mundo est, ut Imperator in regno in Ecclesiâ est, ut paterfamilias in domo, in animâ est, ut sponsus in thalamo.* lib. 1 de arca Noe morali cap. 1. circa med. Alius Hugo â Sancto Caro Cardinalis plures adhuc profert in medium ejusmodi domus Dei, dum super Psalm. 25. fol. 60. col. 2. tom. 2. inquit: Domus Dei est humanitas Christi, beatissima Virgo, quælibet anima fidelis, conscientia pura, corpus Justi, fides, quælibet virtus, Ecclesia militans, Ecclesia triumphans, Religio, hospitale pauperum, vita activa, vita contempla-

templativa, Sacra Scriptura. Credo equidem, omnes haſce domos longè pretioſiores ab ipſo æſtimari domo prorſus aureâ Neronis, in quâ, ut ſcribit Suetonius in Nerone cap. 31, cuncta auro lita, diſtincta gemmis, unionumque conchis erant; quæ porticus triplices milliarias habebat; item ſtagnum maris inſtar, circumſeptum ædificiis ad urbium ſpeciem; rura inſuper arvis, atque vinetis, & paſcuis, ſylvisque varia: pretioſiores inſuper aulâ Cleopatræ, quam velut genialium voluptatum, gaudiorumque nidum poëtico graphio delineat Lucanus:

Ipſe locus templi (quod vix corruptior ætas
Exſtruat) inſtar erat: laqueataque tecta ferebant
Divitias, craſſumque trabes abſconderat aurum.

Pretioſiores quoque palatio Regis Sinarum, quod ita deſcribit Majolus lib. 1. colloquio. 23 titulo Palatia. Chinenſe palatium, aulas ſeptuaginta novem ampliſſimas continet, atque tantæ vaſtitatis eſt, ut dies abſumatur tota in ipſis aulis, cubiculisque perluſtrandis: ex iis aulis quatuor inſigniores ſunt, una ſupernè & infernè tota ære, alia argento tota, auro, & encauſto alia, quarta unionibus, pretioſisque gemmis contecta eſt. Sed non immeritò quæritur, ubi habitaverit Deus, & quænam fuerit domus ipſius, antequam fuerit mundus, Humanitas Chriſti, Beatiſſima Virgo, Anima fidelis, conſcientia pura, Corpus Juſti, Eccleſia militans, Eccleſia triumphans, & plura ejusmodi: cui quæſtioni aptiſſimè reſpondetur per antiquum, & notiſſimum verſum, quod habitaverit: *Tunc ubi nunc in ſe, quoniam ſibi ſufficit ipſe:* quod in præſenti diſcurſu fuſius deducam & dicam, DEUM inhabitare in ſe ipſo, eſſentiamque divinam eſſe palatium, ubi habitent perſonæ divinæ, ſicut & in eâdem eſſentiâ tria eſſe palatia pro tribus perſonis adorandæ Trinitatis. Conſult. X. Art. 1. & 2.

Dominicâ Tertiâ poſt Pentecoſten.

THEMA.

Erant appropinquantes ei publicani, & peccatores, ut audirent illum. Luc. 15. v. 1.

Synopſis Concionis.

INter alias præclari, & egregii Principis dotes haud mediocriter commendatur, ſi facilem ſubditis ſuis ad ſe præbeat acceſſum, ſi benignum ipſorum precibus, & ſupplicationibus tribuat auditum inſinuare hoc voluit doctiſſimus P. Gambertus Symbolo ſolis, qui congenitâ ſuâ beneficentiâ omnium oculis indies expoſitus, nemini non ſui reperiendi,

di, videndique copiam exhibet, cui lemma è Virgilio. 4. Georgic v. 272. sul junxit: *Facilis quærentibus.* Talem omnino oportet esse bonum Principem, qui juxta sententiam Claudiani de raptu Pros. debet esse velut *commune Numen*, ad quod omnes confugiant, cujus omnes & alloquio & auxilio fruantur. Talem sese exhibuit omni ævo laudatissimus Rex David, qui de se ipso canit Psalmo. 100. v. 2. *Perambulabam in medio domus meæ*; ubi nimirum omnes liberum ad me habeant accessum, ubi absque difficultate ab omnibus inveniar, ubi omnes suas mihi exponere poterunt necessitates Unde Franciscus Titelmannus illa Davidis verba ita commentatur: *Eum, qui præest, in medio dom⁹ oportet ambulare; omnium enim curam gerat necesse est: & rursus; illum in medio oportet ambulare, ut æquè propinquus æquè expositus sit omnibus;* oportet illum esse velut solem, qui facilis sit quærentibus; esse velut turrem, qui latus in omne pateſcat. Regem David laudabilissimè imitatus est glorioſissimæ memoriæ Rudolphus Imperator; cum enim aliquot pauperes ab audientiâ suâ per satellites repelli cerneret, mox ad milites conversus: *per Deum*, inquit, *finite homines ad me venire: non enim ideo Imperator sum, ut in arculâ includar*, uti luculento testimonio affirmat Lipsius differiat. ad Albert. Austriac. Hoc encomio Paulinus etiam S. Ambrosium celebrat in ipsius vitâ, ita scribens: *facillimi ad eum aditus, etiam infimis; palàm omnibus, eum alloqui cupientibus Sanctus vir propositus erat, nullus ingredi â janitoribus vetabatur: omnes ad se venientes benignè excipere, unius cujusque audire negotia, commodis, & opportunitatibus omnium servire, singulorum levare molestias, & perferre miserias, & infirmitates consuevit:* Hisce omnibus exemplar sese proposuit ad imitandum Dominus, ac Salvator noster, qui Rex Regum est, *ac Dominus dominantium* Apoc. 19. non enim facillimus tantum fuit ad ipsum aditus, sed benignissimè omnes, ut se accederent, ipsemet invitavit: *Venite me ad omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11. ita ut neminem excluderet prorsus, sed omnes absullâ personarum admitteret acceptione, tam malos, quàm bonos, tam justos, quàm injustos. Hoc in hodierno Evangelio optimè noverant, qui ipsu conveniebant publicani & peccatores; *Erant appropinquantes ei Publicani & peccatores, ut audirent eum*, quos tanta benignitate excepit, ut murmurarent Pharisæi & Scribę, dicêtes: *hic peccatores recipit.* Felices sanè, & terquequaterque felices, quibus tã familiariter licuit cum benignissimo Jesu conversari; sed multò feliciores nos, quibus non tantùm cum dulcissimo JEsu, sed cum omnibus Sanctissimæ, & adorandæ Trinitatis personis conversari, & colloqui licet familiarissimè; quâ ratione conversandum, & colloquendũ cum illis practicè, in præsenti discursu vos docebo.

Dominicâ

Dominicâ Quartâ post Pentecosten.

THEMA.

Exi â me, quia homo peccator sum Domine. Luc. 5. v. 8.

Synopsis Concionis.

OMnes peccatores omni carere prudentiâ, & insipientiæ insigni charactere, diversis in locis sacræ loquuntur litteræ: ita Deut. 32. vix dicitur de populo Judaico: *peccaverũt ei, generatio prava, atque perversa,* mox subditur; *hæccine reddis Domino populo stulte, & insipiens.* Similiter ubi primum Evangelicus Prophetâ Isaias lamentabiliter conquestus est. cap. 24. *Propter hoc maledicto vorabit terram, peccabunt habitatores terræ*; statim subjunxit; *insanient cultores ejus*: in quæ verba egregius Isaiæ Ex positor Hector Pintus ita scribit: *aspicis hic apertissimè, homines humanis vitiis implicatos, qui non cœli, sed terræ cultores appellantur, insanos esse, eorumque insaniam ex peccatis provenire.* Unde in Psalmo septimo, ubi nostra editio habet: *Dixi iniquis, nolite iniquè agere*, habet versio Felicis: *Dixi insipientibus, nolite insanire*: *idem enim vocabulum, & iniquum, & insipientem significat:* Omnis enim iniquus est insipiens. Sacris litteris adstipulantur Sancti Patres, è quibus unicum adducam S. Joannem Chrysostomum hom. 17. super Genes. ante med. ita loquentem: *peccatum, si introierit, non solùm confusione totum replet hominem, sed & insipientem facit eum, qui antea intellectu, & sapientiâ multâ præditus fuerat*: alibi nimirum hom. 9. super. 1. Cor. in princ. moral. ita loquitur: *nihil tam præter rationem est, quàm peccatum, nihil tam stultum, nihil tam fatuum.* Cum igitur in hodierno Evangelio Petrus adhuc Piscator palàm fateatur se peccatorem esse, dum Salvatorem nostrum ita alloquitur: *Exi â me, quia peccator sum Domine*, dicere utique voluit, fatuum se, insipientem se esse. Sed judicio meo potius dicere debuerat: mane mecum, quia peccator sum Domine; agnosco te omnipotentem esse Medicum, adeoque rogo te, ut mei insipientiam peccati curare velis: probè novi, contraria contrariis curari; ego insipiens peccator sum; tu Sapientia es æterna; tu es, in quo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei sunt abscondit: ergo sana me: quæ verba licet Petrus non protulerit ore, protulit tamen illa procul dubio corde, cum mox exauditus sit, & sanatus â Salvatore nostro, qui ex insipiente peccatore ipsum mox fecit Apostolum, dum nempe dixit illi: *noli timere, ex hoc jam homines eris capiens*; dum autem hâc ratione fecit illum Apostolum, fecit quoque è peccatore ipsum Sanctum. Jam nullus dubito, quin anhelemus omnes cum S. Petro evadere Sancti: vultis nôsse, quâ ratione hoc obtinere possimus: in præsenti discursu id docebo,

dum dicam, Sanctos nos fore; si dirigi nos patiamur â luminibus divinæ sapientiæ, quæ est JEsus Christus. Consult. 23. Art. 2.

Dominicâ Quinta post Pentecosten.

THEMA.

Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarũ & Phariseorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 5. v. 20.

Synopsis Concionis.

REprehenditur in hodierno Evangelio non absre â nostro Salvatore Pharisæorum, & Scribarum justitia; & hoc juxta mentem Cornelii â lapide incitatum Thematis nostri locum, tres potissimum obrationes, quæ faciebant, ut, quamvis ipsi â vulgo doctissimi, & justissimi, & sanctissimi haberentur, multum tamen â verâ deflecterent justitiâ. 1. quia magis externas actiones, quàm internas affectiones domabant, fatagebant enim coram hominibus apparere legis observatores, & justi: 2. quia legis litteram pravo sensu, & explicatione pervertebant 3. quia justitiam suam magis in cæremoniis, ac præsertim crebris lotionibus, quàm in vero Sanctitatis spiritu collocabant: unde fiebat, ut, quantumvis justi coram hominibus, coram Deo tamen injusti haberentur, juxta Paulinum illud effatum. Rom. 2. v. 13. *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Jam si justitiam Dei non solùm cum hâc Pharisæorum, sed cum omni quâcunque justitiâ humanâ comparemus, verum omnino effatum S. Gregorii Magni lib. 5. moral. c. 28. *humana justitia divinæ justitiæ comparata, injustitia est, quia & lucerna in tenebris fulgere cernitur, sed in solis radiis posita tenebratur.* Sed dicat mihi aliquis: adoro quidem, & summè revereor justitiam Dei, ast capere non possum, quâ ratione, cum justissimus ipse sit, impios accumulet prosperitate, & calamitate hic in terris obruat justos, ac bonos. Et hoc ipsum mecum capere non potuit Propheta Jeremias. c. 12. v. 1. ita alloquens Deum: *Justus quidem tu es Domine, si disputem tecum; veruntamen justa loquar ad te: quare via impiorum prosperatur, benè est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt?* ac si diceret: Justiores, quàm ut debeam tecum disputare, & scio, quod post omnem disputationem vincas, & justus apparebis: tamen pace tuâ liceat mihi afflicto affectui meo nonnihil indulgere, atque proponere justam meam, ut mihi videtur, expostulationem, & querelam: cur scilicet impii prosperentur, pii affligantur? siquidem cum juxta mentem S. Thomæ 2. 2. quæst. 88. Art. 1. *justitia sit perpetua, & constans*

ſtans voluntas, jus ſuum cuique tribuens: id eſt, mercedem bonis, ſupplicium malis; cum juxta ſententiam S. Auguſtini Serm. 2. Dominic. 23. poſt Trinit. *juſtitia ſit menſura, quâ debemus metiri pœnas, & merita ponderare*; quomodo intelligi poteſt, juſtum eſſe Deum, cum videatur omninò agere contrarium, dum malis confert præmia, & bonis irrogat ſupplicia. Hanc quæſtionem in præſenti diſcurſu enodabo, declaraturus ipſum ſemper juſtè agere, ſive malos bonis, & bonos malis afficiat, ſive bona bonis, & mala malis impertiatur. Conſult. 19. Art. 2. & 3.

Dominicâ Sextâ poſt Pentecoſten.

THEMA.

Manducaverunt, & ſaturati ſunt. Marc. 8. v. 8.

Synopſis Concionis.

NOn immeritò Salvator noſter in hodierno Evangelio miſertus eſt turbæ, quæ ſecuta eſt ipſum â longè, & hoc ob famem, quam ſui causâ tolerabant, non levem, ita ipſomet affirmante: *Ecce jam triduò ſuſtinent me, nec habent, quod manducent: Et ſi dimiſero eos jejunos in domum ſuam, deficient in viâ.* Magna ſanè miſeria eſt fames; & ſi Sancto Baſilio magno credimus; *fames humanarum calamitatū caput exiſtit, miſerrimumque mortis genus eſt, fame perire.* Conc. 11. de fame ante fin. Jam duplex eſt fames, una corporum, animarum alia: de utrâque optimè dicit S. Hieronymus lib. 3. ſuper Amos cap. 8. in illud: *Ecce dies veniunt, & mittam famem in terram: nihil eſt fame durius, quæ ſæpe compellit obſeſſos, humanis veſci corporibus, & in ſuam ſævire naturam: ſi hoc facit fames corporum, quid de fame dicendum eſt animarum?* Dimitto hodie famem corporum, meumque ſerm. converto ad famem animarum, quæ tantò miſerior eſt, quod nullâ re terrenâ, nullâ mundi felicitate poſſit ſatiari; ita dicente Sancto Bernardo Serm. de converſ. ad clericos c. 22. *facta eſt valida fames in terrâ: qui pecuniam diligit, non ſatiatur; qui luxuriam apetit, non ſatiatur; qui gloriam quærit, non ſatiatur; qui mundum amat, non ſatiatur*; hujus rei rationem adducit ex pulcherrimâ inſtitutâ ſimilitudine Seraphicus Doctor Bonaventura: dum ſuper Eccleſiaſten poſt initium proœmii ita dicit: *Sicut ventus non ſatiat ventrem, nec umbra replet; ſic nec temporalia, quæ ſunt umbra æternorum, ſatiant animam.* Hoc expertus eſt celebratiſſimus, & locupletiſſimus Rex David, qui nullâ terrenâ, vel felicitate, vel voluptate animæ ſuæ unquam potuit ſatiare famem. Dic nobis, mi David: quid eſuris? an aurum & argentum? Ecce Deus tantam tibi contulit hujus copiam, & ipſemet fueris faſſus:

Ecce ego in paupertate meâ præparavi impensas domus Domini, auri talenta, centum millia, & argenti mille millia talentorum, æris verò & ferri non est pondus. 2. paral. c. 22. v. 14. an satur es? non: quid ultra esuris? an honores, & dignitates? Ecce è pastore ovium sublatus es ad dignitatem regiam, summum honorum omnium, qui conscendi in terris possit, verticem; pro baculo pastorali jam manus in torquet sceptrum, corpus vestitur murice, caput refulget diademate: an modò satur es? non: quid ergo amplius esuris? an hostium spolia, an victorias, an triumphi gloriam? Ecce tantis locupletatus es victoriis, triumphis, hostiumque spoliis, ut illorum iniri haud valeat numerus, cum uni tibi decem millia devictorum hostium attribuerint Israelis virgines, triumphali tuæ pompæ accinentes: *percussit Saul mille, & David decem millia.* 1. Reg. 18. an denique satur es? non, non: quando ergo satiaberis? *Satiabor, satiabor,* inquit exclamans ad Deum, *cum apparuerit gloria tua.* Psal. 16. Solus & unicus Deus est, quo satiari potuit. Hoc iterum pulcherrimâ similitudine declarat Hector Pintus in Ezechielis caput 36. v. 29. Ut lapis, etsi auro ornetur, & in arculâ pretiosâ includatur, non tamen propensionem amittit, quam habet ad centrum, & proprium locum, ubi est ejus quies: sic anima nostra, quam vis magnis mundi opibus & dignitatibus affluamus, non tamen tranquilla omninò, & satiata est, donec in cœlo conquiescat in Deo, illoque in æternum fruatur, quod ut melius capiamus, in præsenti sermone declarabo fusius, animam nostram satiari, & impleri non posse nisi æternâ possessione DEI. Consult. 12. Art. 1.

Dominicâ Septimâ post Pentecosten.

THEMA.

Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Matth. 7. v. 21.

Synopsis Concionis.

DIfficilis quidem ambulatu, non tamen difficilis inventu est via, quæ ducit ad regnum cœlorum. Sciunt enim ipsimet Christiani per se, & si non diceret ex S. Augustino P. Cornelius à Lapide. in Matth. c. 7. *Angustam portam, arctamque viam esse legem Dei, quæ cupiditates nostras arctat, & constringit;* Sciunt ipsi per se, etsi taceret Euthymius: *viam arctam esse virtutum operationem, quæ ingredientes præparat ad labores, ac afflictiones, donec ad finem perveniant.* in Matth. c. 5. etsi denique dictum non esset à Thomâ Kempensi lib. 2. de imit. Christi. c. 12. *non est alia*

alia via ad vitam, & veram internam pacem, nisi via Sanctæ Crucis, & quotidianæ mortificationis: Sciunt tamen ipsi per se, dictum à S. Paulo: Act. 14. v. 21. *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Sciunt denique dictum ab ipso Domino nostro. Luc 9 *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidiè, & sequatur me.* Non est ergo semita cœli difficilis inventu, sed ambulatu ingrata est, magisque declinatur inventa, quàm ignota quæratur. Verùm an spatiosam viam, quæ ducit ad perditionem, suis carere difficultatibus putamus? neutiquam his caret illa; habet enimverò & ipsa difficultates suas, hasque maximas. Fatentur idipsum impii, propriâ edocti experientiâ. Sap. 5. v. 7. *Lassati sumus in viâ iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles*; Et quomodò ipsorum viæ non sint difficiles, cum de illis dicat Vates Regius Psal. 13. v. 3. *Contritio, & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt;* siquidem ut rectè Lorinus ait, aut fœdantur luto intemperantes, aut lapidibus lædunturavari, aut arduo lassantur ascensu ambitiosi, aut spinis cruentantur iracundi, aut tenebris invidi cœcantur, aut turbâ adulatores comprimuntur, malisque exemplis; aut inæqualitate, & confragositate acediosi retardantur: Paulò aliter hoc ipsum exprimere voluit Sanctus Antoninus parte. 1. tit. 5. cap. 3. §. 1. ab initio dicens: septem sunt viæ difficiles: *via montuosa, via spinosa, via tenebrosa, via lutosa, via tumultuosa, via sumptuosa, via tædiosa: via montuosa superborum; via spinosa, avarorum; via lutosa, luxuriosorum; via tenebrosa, invidorum; via tumultuosa, iracundorum; via sumptuosa, gulosorum, via tædiosa acedioforum.* Ex quo tandem patet, utramque viam esse difficilem, tam eam, quæ ducit ad regnum cœlorum, quàm illam, quæ ducit ad perditionē, ad infernum, ad regnum Sathanę. Sed jam est quæstio, quænam ex ambabus sit facilior, an via ad æternitatem beatam, an illa ad æternitatem infelicem, ac miseram. quæstionem hanc in præsenti discursu resolvam, declaraturus faciliorem esse viam cœli, quàm viam inferni. Consult. 12. Art. 2.

Dominicâ Octavâ post Pentecosten.

THEMA.

Facite vobis amicos. Luc. 16. v. 9.

Synopsis Concionis.

QUanta sit in humanâ conversatione amicitiæ tum necessitas, tum jucunditas, jam olim veteres tum Philosophi, tum Oratores agnoverunt. Quantum ad necessitatem, dicit Aristoteles lib. 8. de moribus cap. 1. *Amicitia res est ad vitam degendam maximè necessaria.*

Vultis

Vultis nôsse, quàm necessaria? quid magis necessarium est, aquâ & igne? & tamen Tullius oratorum Princeps lib. de amicitiâ luculenter asseverat: *Itaque non aquâ, non igne magis utimur, quàm amicitiâ.* Quantùm ad jucunditatem, affirmat idem loc. cit. *Solem è mundo tollere videntur, qui amicitiam de vitâ tollunt, quâ nihil melius habetur, nihil jucundius: quid namque dulcius, quàm habere, cum quo audeas omnia sic loqui, ut tecum?* Ejusdem mentis fuit Socrates, dicere solitus, uti habetur in apophtegmatibus Pauli Manuti lib. 3. n. 13. *Nullam esse possessionem pretiosiorem vero, bonoque amico, nec aliunde plus fructûs, aut voluptatis capi.* Hoc non ignorabat Darius Regum potentissimus, Punicum aliquando is pomum, regales inter epulas referaverat, cum nonnemo apparentibus divulso cortice granis, scisciatari ausus est: Cujus rei tantum numerum habere optaret, quantus illic inesset numerus granorum? Tum mox Darius respondit: Zopyrorum (erat autem Zopyrus amicus ipsius fidelissimus) significans, nihil desideratius esse, aut posse, aut debere magno fidorum amicorum numero: tantâ enim fide fuerat Zopyrus, nobilis Darii Consiliarius, ut cum aliud medium, quo Dario Babyloniam urbem subjiceret, non videret, semel nare, & auribus mutilârit, talisque nimium credulis ad summum Magistrum evectus, tradidit Dario, quod Babyloniis eripere nequiit, urbicum munimentum. Idem Manutius lib. 5. n. 6. quæ omnia veritati consona esse, confirmat sacer codex per os Siracidis. Eccl. 6. v. 14. ubi dicit: *Amicus fidelis, protectio fortis, qui autem invenit illum, invenit thesaurum;* & paulò post quàm pretiosus hic thesaurus sit, addit: *non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem illius.* Verùm rari sunt nantes in gurgite vasto; rariadmodum fideles sunt amici è numerosissimâ amicorum frequentiâ: S. Thomas Aquinas tom. 1 opusculorum opusc. de diversit. hom. in medio affirmat; quatuor esse genera amicorum præcipuorum, scilicet amicos fortunæ, amicos mensæ, amicos fidei, & amicos servitii: *primi inquit, fortunâ recedente prufugiunt: secundi mensa cessante evanescunt: tertii perdurant durante servitio:* è quibus omnibus tertii duntaxat amici sunt fideles, & verorum amicorum digni elogio, quorum numero accensendi quoque veniunt amici in hodierno Evangelio, qui villicum in extremâ necessitate constitutum suis exceperunt domibus, nec in summis ipsu dereliquerunt angustiis. Non dubito, quin omnes Auditores mei, fideles gestiant habere amicos, probè gnari, quid Sanctus dicat Augustinus de amicitiâ cap. 19. *Nihil in amicitiâ fide præstantius;* ut in horum electione non errent in præsenti sermone aliquandò fusius declarabo, fideliorem Deo amicum haberi non posse. Consult. 2. Art. 1. & 2

Dominicâ

Dominicâ Nonâ post Pentecosten.

THEMA.

Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Luc. 19. v. 42.

Synopsis Concionis.

QUid sibi vult Salvatoris nostri in hodierno Evangelio Jerusalem aspicientis fletus? lætus cum potius debuisset aspicere illam, utpote aspiciens *visionem pacis* (hoc enim Jerusalem significat, ità canente de cœlesti Jerosolymâ in Solemnitate Dedicationis, Sanctâ matre Ecclesiâ: *Cœlestis urbs Jerusalem, beata pacis visio*) quæ risum potius, quàm fletum ciere est nata, cum juxta mentem Sancti Joannis Chrysostomi hom. 2. super Epist ad Colossi. post medium. *pax mater sit bonorum omnium, pax causa sit, & materia gaudiorum.* Verum Civitas Jerusalem ipsamet jam ruperat pacem, pacem cum Deo, quæ vera pax est, cum recesserit â justitiâ, & pietate, in quâ vera pax consistit, id asserente S. Isidoro Pelusiotâ lib. 3. Epist. 246. ad Petrum. *pax vera ea est, quæ justitiâ, & pietate cohonestatur*; cum â Dei se ipsam separaverit voluntate, quæ veram constituit pacem, id affirmante Sancto Leone Papâ Serm. 9. de Nativitate ante medium: *Vera pax est, â Dei voluntate non dividi, & iis solis, quæ Deus diligit, delectari.* Quapropter cum prior ipsa hanc ruperit, & violaverit pacem cum Deo, & bellum ipsi indixit Deus jam cudens in æterno justitiæ suæ divinæ decreto ac concilio pœnas, ac supplicia, haud multò post per excidium Titi ipsi infligenda: Et hoc est, quod ex oculis dulcissimi Salvatoris nostri pientissimas expressit lacrymas. Ideò enim inquit Lyranus in Luc. cap. 19. *flevit super illam, tum propter mala culpæ, quæ ibi multiplicata fuerant, tum propter mala pœnæ, quæ futura imminebant.* Verùm cum mala hæc ipsam tangant, & involvant civitatem, cur non potius flevit ipsa, sicque flendo, deflendo & mala culpæ avertit â se supplicia, & mala pœnæ? Ideò quia non cognovit jam concepta super se divinæ justitiæ consilia, quod innuere vult Salvator noster, dum dicit: *Quia si cognovisses & tu*, id est, juxta explicationem S. Gregorii homil. 39. Bedæ, & aliorum, *sicut ego cognosco, utique fleres, sicut ego fleo; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* O quantum abscondita hæc Dei super nos non minus, quàm super civitatem Jerusalem justitiæ divinæ consilia terrorem incutere deberent nobis, quem ut aliquantisper mitigem, ne nostrum pusillanimitate obruant animum, in præsenti dis-

cursu declarabo, illa à nobis temerariè examinanda non esse, minus autem condemnanda, sed acceptanda velut justa, & omni æquitati consentanea. Consultat. 19. Artic 5.

Dominicâ Quinta post Pentecosten.

THEMA.

Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant. Luc. 18. v. 9.

Synopsis Concionis.

STultorum infinitus est numerus, dixit jam olim Spiritus Sanctus per os Ecclesiastis cap. 1. v. 15. Horum numero accensendi sunt illi, quorum mentionem facit hodiernum Evangelium, quibusque erudiendis, & ad prudentiam revocandis Salvator noster proposuit parabolam de Pharisæo, & Publicano: *Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant.* Quod enim confidentes in se stultorum albo inserendi sint, alibi clarè asserit sacer codex Proverb. 28. v. 26 *Qui confidit in corde suo, stultus est.* Verùm quisnam est ille, qui confidit in corde suo? Lyranus & Hugo censent esse eum, qui confidit in sapientiâ suâ, adeóque sacrum textum voluisse dicere: Qui fastu tumens præfidit Sapientiæ suæ, hic stultus est juxta illud Proverb. cap 26. v 12. *Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habebit insipiens.* Jansenius per Cor accipit cordis judicium, & consilium, & dicit Spiritum Sanctum per memorata verba dicere voluisse: Qui confidit in consiliis, & cogitationibus cordis sui, ita ut ea sequatur in omnibus actionibus suis, nullius quærens sententiam, sed suo innixus judicio, talis stultus est, & per suam stultitiam, in multa incidet pericula & mala. Qui autem ejusmodi sunt, tant magis sunt infelices, quantò minorem habent spem, obtinendi unquam veram sapientiam, ita dicente Sancto Gregorio Papâ lib. 13. Moral. cap. 14. propè finem: *Ad veram sapientiam venire non possunt, qui falsæ suæ sapientiæ fiduciâ decipiuntur.* Ut tamen aliquod attentem ad curandum ipsos remedium, in præsenti discursu declarabo, nullam prudentiam hominum absque providentiâ Dei, sua in opus deducere posse consilia; Deumque illam sæpius exponere confusioni, ut magis suam resplendere faciat gloriam, adeoque carpendum nihil nobis esse in divinæ providentiæ regimine, quamvis rationes ignoremus, quare hoc vel illud faciat. Consult. 16. Art. 3. & 4.

Dominicâ

Dominicâ 11. post Pentecosten.

THEMA.

Et admirabantur dicentes: Benè omnia fecit. Marc. 7. v. 36.

Synopsis Concionis.

QUod dixerunt in hodierno Evangelio turbæ, ac populi, videntes Salvatorem nostrum sanâsse surdum & mutum: *Benè omnia fecit*; id jam olim de Deo omnium rerum Creatore enuntiavit sacer Chronographus, Moyses inquam. Gen. 1. v. 31. ita nobis exaratum relinquens: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*: adeoque & rectè ipsius encomio applicari potest Evangelicum nostrum effatum; Benè omnia fecit; nempe in creatione mundi, & omnium eorum, quæ in mundo sunt. Et quomodo non omnia benè, & omnia bona faceret Deus, qui ipsissima est bonitas, quæ præ omnibus aliis attributis, & perfectionibus divinis ipsi est essentialis, ita dicente S. Joanne Damasceno lib. 3. paral. cap. 100. sub fine: *Ante omnia, quæ in Deo considerantur, essentialis ejus bonitas incedit.* Ex quo rectè concludit S. Hieronymus tom. 1. Epist. 25. ad Paulam ante med. *Bonus est Deus, & omnia, quæ bonus facit, bona sint, necesse est.* Non solùm autem in hâc mundi creatione mirificè elucet summa Dei bonitas, verùm etiam infinita ipsius tum potentia, tum sapientia; quod non obscurè insinuare voluit mellifluus S. Bernardus Serm. 3. de Pentecoste ita loquens: *Tria in magno hujus mundi opere cogitare debemus, videlicet, quid sit, quomodo sit, ad quid sit constitutus. Et in Esse quidem rerum, inæstimabilis potentia commendatur; quod tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnificè sint creata. Sanè in modo ipso sapientia singularis elucet, quod hæc quidem sursum, hæc verò deorsum, hæc in medio ordinatissimè sint collocata. Si verò, ad quid sit factus, mediteris, occurrit tam utilis benignitas, tam benigna utilitas, quæ etiam ingratissimos quosque multitudine, & magnitudine beneficiorum possit obruere. Potentissimè siquidem ex nihilo omnia, sapientissimè pulchra, benignissimè utilia sunt creata.* Eodem ferè sensu, paululum immutatis verbis, loquitur S. Augustinus in Sententiis Sent. 141. *Tria maximè nobis scienda de conditione creaturæ oportuit intimari: quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit. Dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux, & vidit Deus lucem, quod esset bona. Nec auctor excellentior est Deo, nec ars efficacior est Dei Verbo, nec causa melior est, quàm ut bonum creetur â bono.* Hanc Dei bo-

nitatem cum potentiâ, & sapientiâ i sius conjunctam, ut tantò melius inf iciamus, tantoque magis in amore i sius accendamur, in præsenti discursu declarabo, Deum omnia bene feciſſe, ædificando totum hoc universum è quinque nihilis; è nihilo loci, è nihilo materiæ, è nihilo artificum, & instrumentorum, è nihilo temporis, è nihilo laboris. Consultat. 14. Art. 1.

Dominicâ 12. post Pentecostem.

THEMA.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Luc. 10. v. 27.

Synopsis Concionis.

INsensibili caute duriorem, & immani efferatiorem tygride esse oportet eum, qui vicem non reddit, mutuumque amorem amanti non re endit. Nonne enim inter homines ratione præditos, & amoris capaces pro indubitato habetur, quod illex, & magnes amoris sit amor? Id, quod sentit Seneca, ac luculentis expressit verbis Epist. 7. *Ego tibi monstrabo amatorium sinè medicamento, sinè herbâ sinè ullius veneficæ carmine: si vis amari, ama.* Hoc insinuare quoque voluit S. Augustinus de Catechizandis Rudibus cap. 4. propè initium: *Nulla est major ad amorem invitatio, quàm prævenire amando: Et nimis durus est animus, qui dilectionem, si nolebat impendere, nolit & rependere.* Amore nos homines infinito complecti, & à nobis vicissim amari, nisi Deus statuisset, nunquam ad imaginem, & similitudinem suam, luteum illud, & fragile figmentum condidisset. Et hanc ob rem benedictus Pererius inter eas causas, quibus motum existimat Deum, ut hominem conderet ad imaginem, & similitudinem suam, hanc ordine quartam producit lib. 4. in Genes. digressione morali post quæst. 8. *Quemadmodum quia nullum animalium inveniebatur simile Adæ, cum quo Societatem, & amicitiam, & familiaritatem habere posset, creavit Deus Evam, tanquam ejus sociam: ita creatis rebus omnibus corporeis, cum nulla esset Dei similis, & cum quâ Deus societatem, & familiaritatem inire posset, fecit hominem sui similem, ut esset, quem Deus amaret, & à quo vicissim amaretur amore amicitiæ.* Ut enim Aristoteles tradit lib. 8. moral. c. 9. Similitudo est causa amoris. Et Eticæ melioris Magister Syracides Eccl. 13. v. 18. *Omne animal diligit simile sibi; sic omnis homo proximum sibi: omnis caro ad similem sibi conjungetur, & omnis homo simili sui sociabitur:* Quod etiam circa amorem Dei ipsi observârunt Ethnici, inter quos Sixtus

tus Philosophus sentent. 422. dixit. *Non amabis Dominum Deum, nisi habueris in te aliquid simile Dei.* Jam est quæstio, an amor noster erga Deum eo usque excrescere possit, ut sit similis amori Dei erga nos; id est, an ita Deum amare possimus, sicut ipse amat nos: resolutio nostra erit, quod amor creaturæ erga Deum comparari neutiquam poterit amori Creatoris erga illam, & hoc nec ex parte principii, nec ex parte objecti. Consult. 25. Art. 1. & 3.

Dominicâ 13. post Pentecosten.

THEMA.

Et hic erat Samaritanus. Luc. 17. v. 16.

Synopsis Concionis.

NOn absque causâ comparavit se ipsum Gallinæ Salvator noster, dum Matth. 23. v. 37. ita alloquitur habitatores Civitatis Jerusalem: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, qui ad te missi sunt: Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum Gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Comparat hic Christus se, suumque amorem, providentiam, & solicitudinem salvandi Judæos Gallinæ pullos suos sub alis foventi; quia gallinæ præ aliis avibus ferventi amore diligunt pullos suos, & eximiam circa eos habent providentiam, & protectionem. Egregiè hanc similitudinem applicat custodiæ, & amori Dei erga nos S. Augustinus in Psalm. 90. *Si Gallina inquit, protegit pullos suos sub alis, quantò magis tu sub alis Dei tutus eris, & adversus diabolum, & Angelos ejus?* Gallinam cognoscimus in infirmitate vocis, & in relaxatione plumarum, tota mutatur in fœtu pullorum, quia illi infirmi sunt, infirmam sese facit: Quia ergo & nos infirmi eramus, infirmam se fecit Sapientia Dei, *quia verbum caro factum est, & habitavit in nobis, ut sub alis ejus speremus.* Inter alias laudabiles proprietates etiam ex hâc haud leviter commendatur, cujus mentionem facit Auctor operis imperfecti apud Cornelium in cap. 23. Matth. Gallina habens pullos, non solùm suos calefacit, sed etiam cujusque volatilis filios, exclusos à se, diligit quasi suos: Unde & lemma ipsi appositum. *Et fovet Extraneos.* Ejusmodi Gallinam in hodierno Evangelio sese exhibuit Salvator noster: Siquidem cum accessissent ad ipsum decem leprosi misertus ipsorum, sanavit ad unum omnes, adeoque velut Gallina charitate suâ ipsos fovit, ac integræ incolumitati restituit: Inter hos novem erant Judæi, & unus Samaritanus; Judæos fovit tanquam

proprios suos pullos, & cultui veri Numinis addictos; Non excluſit autem Samaritanum, qui extraneus erat, alienus & abhorrens à Judæis, ac Schiſmaticus, Exoſus gentem, ac Religionem Judaicam; unde & ipſe Salvator noſter quæſivit: *Non eſt inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena.* Sed mirum videri non debet, quod inter alios, & hunc Samaritanum ſanare voluerit; Et quidem eam ob cauſam, quia Samaritanus erat. Quod eſt Samaritanus? Samaritanus idem eſt quod Cuſtos: Ob ſimilitudinem erùs tum Nominis, tum officii voluit ipſùm ſanare, quia ſimilitudo & amoris, & beneficiorum eſt cauſa. Quid autem Chriſtus nomen Samaritani non refugiat, ex hoc patet, quod cum Judæi ipſi objicerent Joan. 8. v. 48. *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes;* dæmonium ſe habere negavit haud negans Samaritanum ſe eſſe. Hanc cauſam, non quidem literalem, ſed myſticam affert S. Gregorius homil. 18. *Samaritanus*, inquit, *interpretatur Cuſtos*, & ipſe veraciter Cuſtos eſt, de quo Pſalmiſta ait: *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, in vanum vigilans, qui cuſtodiunt eam*: Reſpondere noluit Dominus: *Samaritanus non ſum: ſed ego dæmonium non habeo. Duo quippe ei illata fuerant; unum negavit, aliud tacendo conſenſit. Cuſtos namque humani generis, & ſi Samaritanum ſe non eſſe diceret, eſſe ſe Cuſtodem negaret.* Cum igitur Chriſtus ſit Cuſtos noſter, conſequenter non eſt momentum, quo nos non cuſtodiat, & in eſſe noſtro nos conſervet. Quantum hoc ſit cuſtodiæ, & nunquam ab ipſo intermiſſæ conſervationis beneficium, in præſenti Sermone aliquantò fuſius declarabo. Conſult. 15. Art 4.

Dominicâ 14. poſt Pentecoſten.

THEMA.

Nonne Corpus plus eſt, quàm veſtimentum? Matth. 6. v. 25.

Synopſis Concionis.

OPortet me hodie agere Advocatum Corporis noſtri, cum & Salvatorem noſtrum ipſius cauſam hodie ſuſcepiſſe videam, dum primas ipſi attribuit præ omni veſtimento, vel ex auro, holoſerico, aut murice confecto: *Nonne Corpus, quàm veſtimentum?* Eo quod Corpus juxta mentem S. Cyrilli Jeroſolymitani, *veſtis ſit, & ſtola ipſius animæ.* Catecheſi. 4. de corpore propemedium. Verùm vix non terreor ab adverſariorum Corpus oppugnantium multitudine. Audiamus illorum ſenſa. Primus accedit ſæculi noſtri Thaumaturgus S. Antonius de Paduâ: Hic explicans Ethymologiam nominis Serm. Domin. 11. poſt

post Trinit. inquit: *Corpus à corruendo dictum est, vel quasi cordis pus, id est, putredo, vel quod corruptum pereat.* Antonio Paduano mox alter se adjungit S. Antonius Abbas, qui Epist. 2. ad Fratres ita loquitur: *Vas istud, in quo sumus inhabitantes, domus est plena bellis*: Duos Antonios è vestigio sequitur S. Antoninus Florentinorum Archi Episcopus, sic suam exponens sententiam part 2. tit. 4. cap. 6. sub finem. *Quantò fortius est Corpus, tantò fortiorem quis inimicum habet, cum quo præliatur.* Adstipulatur hisce ægregiè S. Augustinus de se ipso loquens in salutaribus documentis cap. 65. post medium. *Nullum priorem patior hostem, quàm Corpus meum, in quo habito.* Mellifluè de tabifluo corpore loquitur S. Bernardus diversis in locis; & quidem Serm. 46. de parvis Serm. inquit *sterquilinium vile custodit, qui corpus suum custodit.* In meditationibus cap. 14. ait: *Cum corpus impinguo, hostem adversus me nutrio.* ibidem cap. 3. in principio asserit: *si consideres diligenter, quid per os & nares, cæteros que corporis meatus egrediatur, vilius sterquilinium non vidisti. Sinè spiritu corpus est terra & cinis,* inquit Clemens Alex. lib. 3. stromatum circa medium Glossa decret. apud Gratianum in decretis fol. 389. Corpus nostrum intitulat jumentum: *Jumento nostro,* inquit, *adhibere debemus saccum, paleam & flagellum: saccum, id est, opera pœnitentiæ; paleam, id est, necessaria advitæ sustentionem; flagellum, ut castigemus, si excesserit.* Infra omnia despicatissima quæque deprimit Corpus nostrum. Cardinalis Bellarminus asseverans, corpus nostrum esse Instrumentum diaboli Conc. 23. Dominic. 1. Quadrages. ubi inquit: *Diabolus utitur Corpore tanquam instrumento ad debellandam animam; Et quò corpus magis viget, ac floret, eò est aptius instrumentum diaboli.* Christianis Doctoribus, ne longior sim, accedat unicus è Paganis celeberrimus Ethices Magister Seneca, qui Epist. 65. post medium ita loquitur: *Corpus animi pondus, ac pœna est, premente illo urgetur, in vinculis est*; & paulo post: *Major sum, & ad majora genitus, quàm ut mancipium sim mei Corporis, quod quidem non aliter aspicio, quàm ut vinculum libertati meæ circumdatum.* Omnes hi non immeritò me absterrerent, ne Corporis hodie susciperem causam, verùm ut Exemplo Salvatoris in hodierno quoque Evangelio ipsius causam suscipientis inhæream, absterreri me non patiar, sed Advocatum simul agam & Panegyristam, in præsenti discursu duo explanaturus. 1. quod tanta sit præstantia Corporis humani, ut non tantùm attollat hominem super omnia animalia, sed etiam supra Angelos. 2. quod largiatur ipsi speciale commercium cum Deo, qui purissimus est Spiritus. Consule. 15. Artic. 2.

Eadem

Eâdem Dominicâ.

THEMA.

Nonne anima plus est, quàm esca? Matth. 6. v. 25.

Synopsis Concionis.

NOn inconcinnè dixit, qui dixit: Hominem, dum constat ex corpore, & animâ, constare ex luto, & igne. Hoc insinuare voluerunt Poetæ, dum finxerunt, Prometheum efformâs se Simulacra, & statuas hominum ex luto; quæ cum carere videret omni motu, ac sensu, conscendisse in cœlum, arreptam ferulam radiis admovisse solaribus, inde rapuisse flammam eam in serras delatas luteis suis inferuisse imaginib⁹, unde tantus illis accesserit vigor, ut protinus se cæperint movere, & ipsum artificem haud levi defixerint stupore; hinc ejusmodi simulacris hâc ratione ab ipso efformatis adjectum est lemma: *Luto componit, & igne.* Quod apud Poëtas est figmentum, apud Christianos est ipsissima veritas: Quis enim nescit, è quâ materiâ formaverit divinus artifex ab initio hominem? Corpus ipsius quid est aliud, nisi lutum, & limus? Ita sacer loquitur textus de formatione Corporis humani Genes 2. v. 7. *formavit Dominus Deus hominem de limo terræ*; quod textus Hebraicus magis luculentis exponit verbis, dum legit; *Fecit Deus hominem pulverem terræ*; & hoc ipso confirmatur Gen. 3. dum in hominem tanquam legis prævaricatorem DEUS pronuntiat sententiam: *pulvis es, & in pulverem reverteris.* Sacris literis adstipulantur Patres, & Doctores. Antiquissimus Tertullianus lib. de resurrect. c 16. inquit. *limus titulo hominis inscisus.* S. Gregorius Nissenus affirmat, hominem aliud non esse, nisi *statuam luteam.* & Agapitus Diaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ in eximiis literis, quas exaravit ad Justinianum Imperatorem post coronationem ipsius, ut daret ipsi monita, juxta quæ velut Princeps Christianus imperaret, inter alia inservit, ne oblivis ceretur, summos monarchas æquè è cinere, & luto suam trahere originem, quàm homines plebejos, ita eundem admonuit; *limum & ipsi habent generis sui auctorem, & progenitorem.* Quantum ad animam, non immeritò dixerim, ipsam esse ignem, omnesque animas ratione præditas igneum in se habere vigorem, juxta illud, quod jam olim cecinit Virgilius 6. Æneidos: *igneus est illis vigor, & cœlestis origo.* De igne dicit sacer codex Proverb. 30. v. 16. ignis nunquam dicit, sufficit; ejusmodi ignis nostra est anima, quamdiu hæc in terris agit, nunquam dicet, & ipsa, sufficit, cum nihil omninò in terris sit, quod satiare ipsam, aut implere possit: hoc est, quod dicere vult S. Bernardus Serm. Ecce nos reliquimus

mus omnia: *ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, repleri non potest; capacem Dei, quidquid Deo minus est, non implebit*, cui rectissimè adstipulatur S. Augustinus in soliloq. c. 30. *Cum anima creaturam desiderat, continuam famem habet, quia licet, quod de creaturis desiderat, adipiscitur, vacua tamen remanet; quia nihil est, quod eam impleat, nisi tu Domine, ad cujus imaginem est creata;* adeoque verissimè dici potest, quod anima nostra ignis sit, qui nunquam dicit, sufficit. Nam ut ignis est Elementorum purissimum, subtilissimum, simplicissimum, actuosissimum, sic anima hominis purissima est, ab omni concretione, & compositione terrenâ remota, simplex, vivida, mobilis, & instar flammæ sursum enitens ad Conditorem suum, unde profecta est. Quæ anima, cum præcipua sit hominis portio, & in hodierno Evangelio ab ipso Salvatore nostro commendetur hisce verbis: *nonne anima plus est, quàm esca?* quibus verbis ipsius valorem, ac pretium nobis vult insinuare, quod tantum est, ut S. Joannes Chrysostomus dicere non vereatur hom. 3. super. 1. ad Cor. *nihil est, quod animæ possit æquiparari, ne universus quidem mundus:* hinc ut ejus præstantiam tantò melius agnoscamus, in præsenti discursu tria enucleabo. 1. Ipsam absque comparatione nobiliorem esse corpore. 2. Ipsam extractam esse è regione cordis Dei. 3. ipsam specialem habere conjunctionem cum Spiritu Sancto. Consult. 15. Art. 3.

Dominicâ 15. post Pentecosten.

THEMA.

Ibat JEsus in civitatem, quæ vocatur Naim. Luc. 7. v. 11.

Synopsis Concionis.

QUid pulchritudini hodie cum morte, quid morti cum pulchritudine? pulchritudo, & mors hodie obviaverunt sibi: ubi? in civitate Naim. Erat Naim civitas Galileæ, duobus milliaribus distans â monte Thabor, ut ait S. Hieronymus, quam torrens Cison alluit, dicta â pulchritudine Naim enim hebraicè idemest, quod pulchra, decora, jucunda, delectabilis; & in hâc civitate pulchrâ, decorâ, jucundâ, delectabili, invenio hodie mortem, turpem, deformem, mœstam, terribilem: *Ecce enim defunctus efferebatur filius unicus matris suæ*: erat utique adolescens hic pulcher aspectu, decorus formâ, jucundus juventutis flore, delectabilis amantissimæ Matri suæ, cui velus viduæ unica spes erat, solatium unicum: sed pulchritudinem demessuit mors, decorem subduxit tumu-

lus, jucunditatem fugavit mœstitia, delectationem procul abegerunt funera. Verùm hæc omnia rediêrunt, ubi nimirum, postquàm pulchritudo obviavit morti, ipsa pulchritudo obvivavit pulchritudini. Sed quando hoc factum est? quando nimirum Jesus ibat in civitatem Naim; Jesus pulcherrimus, imò ipsa pulchritudo, in civitatem, quæ etiam juxta sui originem nominis ostendit, & exprimit pulchritudinem. Apage igitur hodie cum morte, quæ inimica est pulchritudinis, quæque juxta effatum S. Joannis Chrysostomi homil. 28. super Genes: *omnem corporis corrumpit pulchritudinem.* Nonnisi in pulchritudinem hodie intendamus oculos; & in illam quidem pulchritudinem, de quâ Innocentius summus Christi in terris Vicarius, hujus nominis tertius ita inquit Serm. 2. in festo omnium Sanctorum: *Delectaris in pulchritudine: si Deum vides, habes, quod cupis, quia Deus est perfectissima pulchritudo, in quem desiderant Angeli prospicere, cujus pulchritudinem sol & luna mirantur*: in illam pulchritudinem, de qua S. Augustinus Serm. 4. fer. 2. Paschæ. *Interroga Pulchritudinem terræ, interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem dilatati, & diffusi aëris, interroga pulchritudinem cœli: pulchritudo eorum, confessio eorum est: ista pulchra mutabilia quis fecit, nisi incommutabilis pulcher in se ipso*: & brevius alibi lib. 13. Confess. cap. 20. ubi Deum sic alloquitur: *pulchra sunt omnia faciente te, & ecce tu inenarrabiliter pulchrior, qui fecisti omnia.* Ut igitur hodiernâ die ex occasione civitatis Naim, quæ pulchra dicitur, in amore pulchritudinis Dei accendamur, pulchritudinem ipsius rudissimè delineatam ostendam vobis hodie, tum in creaturis visibilibus, tum vel maximè in invisibilibus, & spiritualibus. Consultat. 24. Art. 1. & 2.

Dominicâ 16. post Pentecosten.

THEMA.

Si licet Sabbatho curare. Luc. 14. v. 3.

Synopsis Concionis.

QUæritur inter Theologos & Juris Consultos, an Princeps, seu Legislator teneatur suis legibus, quas ipse condidit, & respondet S. Thomas. q. 96. Art. 5. & 3. Suarez & alii, non teneri illum quidem, quoad vim coactivam, & pœnam, teneri autem quoad vim directivam, ut se tanquam membris caput conformet. Jam summus omnium Legislator Deus, condidit legem, ut sanctificetur Sabbathum, & abstineatur in eo ab omni opere Exod. 20. v. 8. *Memento ut diem Sabbathi sanctifices*; sex.

sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua; septimo autem die Sabbathum Domini Dei tui est; non facies omne opus in eo: an & ipse huic legi se conformavit? imò, & quidem optimè, in primâ mundi creatione; siquidem cum per sex omninò dies laborâsset impigrè, in creaturarum, & quidem semper novarum, ac novarum productione, die septimo, qui dies est Sabbathi, requievit, ita attestatur sacer codex Gen. 2. *Igitur perfecti sunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum, complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere, quod patrârat; & benedixit diei septimo, & sanctificavit illum.* Verùm an posthæc cessavit omnino operari Deus? neutiquam, sed perrexit semper operari, & adhuc operatur hoc dicere voluit Salvator noster, dum Judæis ipsum persequentibus, eò quod curaret in Sabbatho, ita respondit: *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* in quæ verba S. Augustinus lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 12. ita loquitur. *Pater operatur, & creaturæ præbens congruam gubernationem, & apud se habens æternam tranquillitatem: Creatoris namque potentia, & virtus, causa subsistendi est omni creaturæ: quæ virtus ab eis, quæ creatæ sunt, regendis, si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret.* Ex quo patet, quod Deus continuò usque modò operetur, absque eo, quod Sabbathum violet, scilicet mundum, & omnia, quæ in eo sunt, gubernando; cœlos movendo, unam rem ex aliâ producendo, viventia alendo &c. quæ cum opera sint benefica, liberalia, pia, divina, etiam in Sabbatho sunt licita ad quæ opera, cum meritò revocetur, quod Deus ad omnia, quæcunque agere, & operari voluerimus, concurrat, in præsenti discursu declarabo, quàm mirabilem bonitatem in Deo hic concursus demonstret nobis, quamque pulchra exin pro salute, & perfectione nostrâ haurire possimus documenta. Consult. 15. Art. 5.

Dominicâ 17. post Pentecosten.

THEMA.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Matth. 22. v. 37.

Synopsis Concionis.

QUidquid præter Deum, aut non propter Deum adamamus, id velut idolum, & gentium simulacrum adoramus. Hoc iniquitatis mysterium aperuit nobis Plato, dum docuit, quod inordinatus amor primus

mus extiterit pictor, primusque in mundo sculptor, isque docuerit homines artem sculpendi primas statuas, & efformandi primas imagines rerum amatarum, *licentiâ artis transfigurante*, uti loquitur Tertullianus Apol. cap. 12. & modum inveniente transfigurandi lapides, & metalla, & effingendi è frusto ligni, vel marmoris imaginem alicujus Dei, vel cujusdam Deæ. Observanda hîc est magna differentia inter vitiosum hunc amorem, & alias inordinatas cordis humani passiones; hæ contentæ sunt imitari solummodò aliquam perfectionem DEI, & trahere exin vitiosas quasdam, & imperfectas delineationes, *tenebrosâ omnipotentiæ imagine*, dicit S. Augustinus lib. 2. Confess. cap. 6. superbia, exempli gratiâ, conatur imitari per fastú suum magnificentiam, & majestatem essentiæ divinæ, avaritia vult imitari per insatiabile terrestrium bonorum desiderium infinitos thesauros, & inexhaustas divitias divinitatis: ira, & vindicta imitari volunt per vehementes suos impetus, ac breves furores, severitatem ipsius justitiæ: acedia vult imitari per suum otium, profundam ipsius tranquillitatem, & beatitudinem ipsius æternam: *tandem perversè te imitantur omnes, qui longè se â te faciunt, & extollunt se adversùm te.* Sed quantùm ad amorem, ipse ulterius adhuc procedit, ipse sublimiùs suam attollit temeritatem, non contentus ipse imitari Deum in suis perfectionibus, conatur ipsum imitari in propriâ suâ personâ, efformando idolum quoddam, ut divinos ipsi exhibeat honores. Hæc est veritas, quam ipsemet Spiritus Sanctus nos edocuit per calamum Salomonis: hic Regum omnium sapientissimus, loquens de origine idololatriæ, attribuit illam amori: *Acerbo luctu*, inquit Sapient. 14. v. 15. *dolens Pater citò sibi rapti filii fecit imaginem, & tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter servos sacra, & sacrificia*: Pater quidem vult dicere, inconsolabiliter afflictus de præmaturâ morte sui filii, fuit primus inventor idolorum, siquidem amor ipsius, cum sufferre non posset, nisi maximo cum dolore, absentiam amati hujus filii, docuit ipsum artem sculpendi aliquam statuam, & ex eâ efformandi quandam imaginem, ita ut hic Pater mox factus idololatra, quam primùm sculptor, erexerit huic idolo quoddam altare, effecerit è domo suâ templum, constituerit omnes suos servos, Sacrificolas & Sacerdotes, instituerit festa & Solemnitates, ad honorandum memoriam hujus filii, adoleverit incensa ad pedes hujus idoli, ipsique obtulerit sacrificia, velut cuidam divinitati: *& sic affectui deservientes homines incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt*: hâc ratione hi servi, reddentes se servos inordinati amoris Dominorum suorum, contulerunt incommunicabile nomen Dei idolis

è ligno

è ligno & lapide, ipsisque exhibuerunt supremum cultum latriæ, nonnisi debitum Deo soli. Ne hanc amoris idololatriam incurramus, eximio hodiernum Evangelium nos munit antidoto, dum manifestis verbis nobis præcipit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, hoc enim præceptum, si observavimus, avertemus amorem nostrum ab omni re aliâ, illumque attribuemus Deo soli. Ut ad hoc faciendum exstimulemur, ostendam in præsenti sermone inæstimabiles divitias animæ amantis Deum, simulque docebo excellens exercitium perfectè amandi Deum. Consult. 25. Art. 3. & 4.

Dominicâ 18. post Pentecosten.

THEMA.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9.

Synopsis Concionis.

STupenda omninò est Dei erga peccatores benignitas, dum eos non dedignatur appellare filios, qui filiorum se nomine fecerunt indignos. Ita legimus in diversis Scripturæ locis ipsos filios nuncupari ab ipso: ita Isaiæ. 30. v. 1. *Væ filii desertores*, dicit Dominus; & paulò inferius: *populus ad iracundiam provocans est, & filii mendaces, filii nolentes audire legem.* Jeremiæ 3. v. 14. alloquitur illos: *Convertimini filii revertentes*, id est, ut Cornelius hîc exponit, *recedentes â me; Septuaginta vertunt: filii apostatæ; Vatablus, filii rebelles; Chaldæus, filii, qui vos obfirmatis, ne convertamini: Theodotion; filii, qui recessistis:* & subdit; *etiam recedentes nominat filios propter ienffabilem suam bonitatem.* Hanc ineffabilem Dei Patris sui benignitatem insinuare nobis voluit Salvator noster in colloquio illo habito Patris Abrahami (sub cujus Schemate, & imagine intelligebat divinum Patrem suum) cum divite epulone, quem licet â se condemnatum Filii insignire volebat nomine Luc. 6. v. 25. *Fili, inquit, recordare, quia recepisti bona in vitâ tuâ.* ubi D. Joan. Chrysost. homil. 2 de Lazaro: *vide inquit, humanitatem: non dixit: inhumane, crudelis, sceleratissime;* sed *fili.* Eandem benevolentiam admiratus D. Petrus Chrysologus. Serm. 123. *omnia*, inquit, *pietas; adhuc vocat filium, quam degenerâsse propriâ crudelitate respicit. O singularis bonitas? adhuc vocat filium, quem videt infernivernaculam, pœnarum sobolem, extremum mancipium jam gehennæ.* Si ergo Deus peccatores in actuali peccatorum statu adhuc existentes, filiorum compellare dignatus est nomine, mirum non est, quod benig-

nissimus Salvator noster in hodierno Evangelio, nomine eodem compellet paralyticum, utpote cui juxta mentem Cornelii per inspirationem jam contrito, & ad remissionem, justificationemque disposito, jam remissa erant peccata: *Confide fili; remittuntur tibi peccata tua*, id est, juxta Hebræam enallagen temporis, jam remissa sunt: nam *verè Filius Dei est*, ait Haymo, *cui dimittuntur peccata. O mira humilitas*; exclamat hîc S. Hieronymus, *despectum, & debilem, totis membrorum compagibus dissolutum filium vocat, quem Sacerdotes non dignabantur attingere.* Non invideamus paralytico hunc honorem, eodem & nos potimur in divinâ gratiâ constituti cum ipso: hoc luculenter nobis asseverat S. Joannes in epist. 1. c. 3. v. 1. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus: Charissimi nunc filii Dei sumus; & nondum apparuit, quid erimus* Ut igitur & nos ad maximam hanc filiorum Dei dignitatem aspiremus, in præsenti sermone declarabo, quâ ratione Dei filii simus, quâmque vehementer desideret Deus, ut simus ipsius Filii. Consult. 1. Art. 5. & 6.

Dominicâ 19. post Pentecosten.

THEMA.

Multi sunt vocati, pauci verò electi. Matth. 22. v. 14.

Synopsis Concionis.

FAteor, terribilis omninò res est, quæ per ultima thematis nostri verba, *pauci verò electi*; proponitur in hodierno Evangelio nobis; paucitas nimirum prædestinatorum; fateor terribilius nihil esse in mundo, quàm prædestinationis decretum, quod ab æterno formavit Deus; siquidem mysterium hoc tam est absconditum omni sapientiæ humanæ, ut, sive decretum hoc fundetur in præscientiâ nostrorum meritorum, uti credunt aliqui Theologi, sive fundetur in beneplacito Dei, uti defendunt alii, verum semper sit, illud impenetrabile esse, ac incomprehensibile, & absque revelatione Patris luminum, cognitionem infallibilem, & judicium certum de illo haberi non posse. Dicite enim quæso mihi, quis Angelorum vel hominum vocatus fuerit ad consilium æternum Dei, quando Providentia ipsius ex æquissimis, occultissimis tamen rationibus, ipsique soli cognitis formavit decretum prædestinationis circa Abelem, & illud reprobationis circa Cainum; decretum prædestinationis circa Davidem, & illud

illud reprobationis circa Saulem; decretum prædestinationis circa Moysen, & illud reprobationis circa Pharaonem, decretum prædestinationis circa Petrum, & illud reprobationis circa Judam. Ecce tibi librum clausum, & signatum Apocalypseos, qui aperiri non potest nisi ab agno Apoc. 5. Verum est, hæreticos nostri temporis, ut se liberarent ab angustiis, & sedarent inquietudines, quibus timor hujus mysterii ipsorum torsit, & vexavit animos, eò temeritatis processisse, ut defenderent, omnes fideles certos esse debere certitudine fidei, quod omnes sint ex numero prædestinatorum, & infallibile quoddam jus habeant ad gloriam. Et hæc est magna & periculosa illusio, quâ Calvinus, Kemnitius, & alii Apostatæ Ecclesiæ deceperunt simplicitatem populorum, & bonam fidem ignorantium, quâque rapuerunt illos in dissolutionem morum, aut animi præsumptionem, blandiendo illis falsâ quâdam; & vanâ spe, quod, cum habeant, uti Calvinus dicit, *pignus hæreditatis*, de quo loquitur Apostolus Ephes. 1. fides & confidentia ipsorum securos, & certos illos faciat de prædestinatione suâ. Sed dicere possum hâc occasione, quod Adversarii nostri similes sint populis illis Numidiæ, de quibus loquitur Tacitus ann. 2. *qui spe victoriæ inducti sunt, ut vincerentur*; idem, inquam, dicere possum de hisce religionis desertoribus: quod ipsimet auctores sint perditionis suæ, ob præsumptuosam spem, & confidentiam, quam habent de prædestinatione suâ. Et hanc ob rationem Patres Concilii Tridentini pronuntiarunt Anathema contra vanam hanc confidentiam, & arrogantem hæreticorum præsumptionem, & consequenter volentes prospicere saluti fidelium, illosque retinere intra terminos modestiæ, & timoris, quo prosequi debent hoc mysterium, dant illis salutare hoc monitum, desumptum ex verbis S. Augustini lib. de corrept. & gratiâ c. 13. *Nemo, quamdiu in hâc mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeò præsumere debet, ut certò statuat, se omninò esse de numero prædestinatorum*: maximè cum horum parvus sit numerus juxta ineffabile effatum Veritatis æternæ in hodierno Evangelio: *multi sunt vocati, pauci verò electi*; quorum sensum verborum ita explicare videtur S. Augustinus lib. 3. cont. Cresc. c. 66 *boni, verique Christiani, qui per seipsos multi sunt, in comparatione malorum pauci sunt: sicut multa grana, quibus horrea magna complentur, pauca dicimus in comparatione palearum.* Quid in re tam ambiguâ, timoris inquam & spei plenâ dicam, fermè nescio; dicam tamen, ut intra limites duorum horum affectuum nos contineamus, neminem ob incertitudinem præ-

prædestinationis inquietum esse debere, eò quod certum sit, nos salvos fore, si velimus, quodque in hâc certitudine nos confirmare possimus, & debeamus exercitio bonorum operum. Consult. 17. per totam.

Dominicâ 20. post Pentecosten.

THEMA.

Vade, filius tuus vivit. Joan. 4. v. 50.

Synopsis Concionis.

ORbari filiis sive per viam sterilitatis, sive per viam mortis, maxima parentum est afflictio. Hinc dira imprecari volens propheta Oseas perverso Israëlis populo, ita supplex Dominum precatur: *Da eis Domine vulvam sinè liberis, & ubera arentia* c. 9. v. 14. acerbissima enim pœna inter Hebræos olim, imo inter cæteros quodque homines censebatur carere liberis, tum alias ob causas, quas brevitatis gratiâ omitto; tum præsertim, quia homines illius temporis, sicut minus de æternitate cogitabant, ita magis suæ memoriæ in terris conservandæ studebant, quod per filios consequi se posse sperabant. Unde si quâ ratione illis orbari contingebat, incredibiliter angebantur: quod facilè patebit Exemplis. Nam inprimis Jobus lethales fortunæ ictus excepit omnes immotus, quasi homo adamantinus, uti Origines ipsum appellavit; ubi tamen filiorum mortem audivit: quasi loco stare non posset præ dolore: *surrexit*, inquit textus, *& scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adoravit.* Job. 1. v. 20. in quem locum D. Basilius citatus in catena Græcâ: *Justus*, inquit, *quasi scopulus consistebat ac vim tempestatis excipiens, fluctuum violentam incursionem redigebat in spumam, nihilque eorum, quæ contingerunt, dignum lacrymis existimabat: postquàm verò nuntius venit, qui diceret, convivantes filios & filias, violento flatu, convivii domicilium irruisse: tunc communi sensu naturæ pate facto, vestem conscidit; ut eâ re propensæ voluntatis suæ erga liberos significationem daret.* Immensum præmiorum pondus olim Deus promisit Abrahamo, cum dixit: Gen. 15. v. 1. *Ego protector tuus, & merces magna nimis*; & tamen Abraham queribundus respondit: *Domine Deus quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis?* ibid. v. 2. quasi diceret, ut interpretatur Lipomanus: *multa quidem & magna promittis: maximum autem bonorum in hoc sæculo, sinè quo alio non sunt jucunda, mihi non das: filium scilicet de meo semine, mearum rerum hæredem*: Ex quo satis superque patet, quantùm doluerit Abraham, deesse sibi hæredem, qui suum nomen, & gloriam ad posteros transfunderet. Cum ergo

ergo tantus, tamque vehemens parentum in filios sit amor, tantamque pariat illis afflictionem orbari liberis, mirum omninò non est, quod memoratus in hodierno Evangelio Regulus tantâ sollicitudine nostrum accesserit Salvatorem, deprecaturus eundem pro filii lethaliter ægrotantis sanitate, ac salute, cum maximum propinquæ mortis jam immineret periculum, dicente Sacro textu: *incipiebat enim jam mori*: cujus & supplex libellus tantæ erat efficaciæ, ut meruerit audire â Salvatore: *Vade, filius tuus vivit.* O terque, quaterque felicem Regulum? O terque quaterque felices & nos, si audire contingat nobis; vade, anima tua vivit: vivit non vitâ corporali, transitoriâ, naturali; sed vivit vitâ spirituali, vitâ gratiæ, vitâ Dei. Ut hâc vitâ spirituali, vitâ Dei vivere studeamus, in præsenti sermone declarabo, quod anima vivens vitâ Dei incipiat jam esse beata in vitâ præsenti, quodque facillimè locupletare se possit bonis vitæ æternæ. Consult. 29. Art. 4.

Dominicâ 21. post Pentecosten.

THEMA.

Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Matth. 18. v. 29.

Synopsis Concionis.

QUod per hodiernum Evangelicum Regem, qui rationem ponere voluit cum servis suis, intelligatur Deus, qui Rex Regum est, & Dominus dominantium, & per servum debitorem repræsentetur peccator, communis Patrum, & Interpretum est opinio. Felix debitor, felix peccator, qui nactus est creditorem tam benignum, ut â Sacrâ Scripturâ per Antonomasiam appelletur *Deus patientiæ.* Rom. 15. quâ etiam exstimulatus supplicem illi libellum perrexit, hujus tenoris: *patientiam habe in me, & omnia reddam tibi:* cujus & felicem obtinuit successum, cum non tantùm patientiam habuerit, quoad omnia illi redderet, sed, ut sacer textus ait, omne debitum dimiserit illi. Verùm detestanda peccatorum est malitia, qui ex divinâ hâc bonitate; & patientiâ audaciam sibi sumunt ad peccandum; quod cum capere non possit S. Apostolus Paulus, ita Rom. 2. v. 4. peccatorem alloquitur. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis: ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit;* id est, juxta explicationem Cornelii, adducere cupit, & conatur: quasi diceret: Cum Deum credas exorabilem; fingis ipsum contemptibilem? quid iniquius? quia ipse te patienter sustinet; tu illum irreverenter provocas? quid injustius? quia meritas in te pœnas ille suspendit; tu indignas in eum injurias ef-

fundis? quid dementius? neque enim divina patientia stimulus ad peccandum esse debet, sed frœnum ad non peccandum. Verùm attende, quisquis es talis, quisquis ita Dei abuteris patientiâ; seriò revolvas animo, quod immediatè sequitur in præfato S. Apostoli Pauli effato: *Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram:* quæ verba ita exponit S. Bernardus Serm. de triplici misericord. *Thesaurizas tibi thesauros iræ, pro prorogatis thesauris misericordiæ, quos contemnis, & evacuas in te misericordiam Dei*; Et hâc ratione fit, ut verificetur in te tritum illud adagium: *patientia læsa fit furor.* Hoc egregiâ similitudine explicat S. Hieronymus apud Cornel. in Epistola 2. Rom. v. 5. *sicut, qui paulatim arcum intendit, tempus dat alteri, ut fugiat; qui si fugere nolit, tantò fortius sagittâ emissâ configitur, quantò majori tempore arcûs intensio fuit facta: sic Deus, qui laneos habet pedes, sed ferreas manus, tarditatem supplicii gravitate compensat.* Ne igitur & ineffabili hâc Dei patientiâ abutamur, ad majus nostrum supplicium, in præsenti sermone declarabo, continuum esse prodigium, quod patientia Dei ita supportet peccata hominum; magisque id esse effectum justitiæ, quàm misericordiæ Dei Consult. 21. Art. 3.

Dominicâ 22. post Pentecosten.

THEMA.

Cognitâ autem Jesus nequitiâ eorum. Matth. 22. v. 17.

Synopsis Concionis.

OStendit luculenter Salvator noster in hodierno Evangelio, verè se esse Deum, eoquod id egerit, quod uni ac soli proprium est Deo: quid egit? cognovit occulta hostium suorum consilia, quæ in corde suo revolvebant, & exterius blando Verborum obtegebant lenocinio: vide externa verborum blandimenta: *magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces; non enim respicis personam:* sed ecce arcana ipsorum consilia, quæ machinantur in corde: *Consilium inierunt, ut caperent eum in sermone*: Hæc cognovit Jesus; id affirmante sacro textu: *cognitâ autem Jesus nequitiâ eorum;* & per hoc, ut dixi, ostendit, se verum esse Deum, cum arcana cordium nulli nisi soli Deo competat cognoscere; juxta infallibile effatum sacri codicis 2. Paral. 6. v. 30. *Tu enim solus nosti corda filiorum hominum*; quæ nôsse omninò non potest, nisi per suam omniscientiam. Et hoc insinuare voluit P. Gambertus per Symbolum complurium florum, quos videre est, quod inter nocturnas umbras clausi nonnisi sole effulgente explicentur, addito calicibus

licibus ipsorum clausis hoc lemmate ex Virgilio. 1. Æneid. *Ad solem sese pandent*; vel, ut alius adjunxit: *lux orta recludet*, de hâc occultorum scientiâ, quâ Deus penetrat cordis nostri intima, ita loquitur S. Hilarius in Matth. c. 10. *abstrusam voluntatis nostræ conscientiam prodet, & quæ nunc occulta existimantur, luce cognitionis publicæ deteget.* Ex hâc autem occultorum scientiâ attollo hodie animum ad altitudinem illam, de quâ Sanctus Apostolus Paulus Rom. 11. v. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm investigabiles viæ ejus?* quam ut magis admiremur, veneremur, adoremus, paulisper in præsenti pro modulo nostro indagare libet, quàm admirabilis, & prodigiosa hæc Dei sit scientia. Consultat. 18. Artic. 3. & 4.

Dominicâ 23. post Pentecosten.

THEMA.

Et deridebant eum. Matth. 9. v. 24.

Synopsis Concionis.

PAradoxum mihi videtur effatum illud Senecæ libro de moribus ante medium, quo felices pronuntiat illos, qui irridentur ab omnibus: *nondum es felix*, inquit, *si te turba non deriserit.* Contrarium sensisse videtur Job, qui ab ipso Deo in suis laboribus quodammodo irrideri, tam graviter ferebat, ut ipsam mortem præoptârit. Job. 9. v. 23. ubi inquit: *si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentûm irrideat:* quasi mallet occidi, quàm irrideri. Quærit Abulensis: cur Philistæi captum Samsonem nequaquam occiderint, sed oculis priùs effossis ad molam asinariam relegârint, cum tamen ejus vitam maximè execrarentur? & respondet. q. 39. in lib. Judic. *quia non reputabant completam vindictam, si eum occiderent: ideò conati sunt accipere eum vivum ad illudendum ei:* quasi multò acerbior illi videretur post tot calamitates irrisio quàm occisio: nec alia fuit Saulis de hâc re opinio. Hic enim, ne in extremâ suâ calamitate illuderetur ab hoste, voluit interfici ab armigero suo. *Evagina*, inquit, *gladium tuum, & percute me; ne veniant incircumcisi isti, & interficiant me, illudentes mihi.* 1. Reg. 31. v. 4. cur quæso interfici maluit, quàm illudi? nisi quod interprete Abulensi ibid. quæst. 8. pati ludibria gravius erat Sauli, quàm mortem tolerare? nec immeritò: nam per mortem præteritorum laborum finem inveniret; per ludibria verò recrudescentibus plagis, quas acceperat, graviùs pungeretur. Jam in hodierno Evangelio irrisioni quoque exponitur

ipsa Sapientia Patris æterni, benignissimus Salvator noster ex eo, quod dormire, & non mortuam assereret Reguli filiam, quamvis revera mortuam sciret ipsam. Haud dubium, quin irrisionem hanc utpote sibi admodum injuriosam tulerit ægerrimè: Verùm longè, & abs comparatione fert ægrius, quod adhuc temporibus nostris irrideatur â Christianis. ast quinam sunt, qui tam insolens moliuntur facinus? declarabo id vobis in præsenti discursu, & dicam esse illos, qui peccant confisi de Dei misericordiâ; sed hos vicissim â Deo fore irridendos: Consult. 20. Art. 4.

Dominicâ 24. post Pentecosten.

THEMA.

Virtutes cœlorum commovebuntur. Matth. 24. v. 29.

Synopsis Concionis.

DUos esse Adventus Filii Dei in hunc mundum, nemo est, qui dubitet; primum quidem, qui jam factus est, quando Filius DEI assumptâ carne humanâ voluit mundum piissimâ suâ consecrare Nativitate in spelæo Bethleemitico: secundum autem, qui futurus est, quando idem Filius Dei in fine mundi judicaturus veniet cum gloriâ & majestate vivos, ac mortuos in valle Josaphat. Jam in utroque adventu commovendos esse cœlos, sacra commemorat Scriptura: quantum ad primum, luculenter hoc asserit Vates Aggæus, cap. 2. v. 7. & 8. *hæc dicit Dominus exercituum; & ego commovebo cœlum; & veniet desideratus cunctis gentibus:* quantum ad secundum, non minus clarè id affirmat Propheta Joel cap. 3. v. 16. *Dominus de Sion rugiet, & movebuntur cœli.* Commoti sunt cœli in primo adventu, quia nascente Christo miserunt totum exercitum Angelorum cum jubilo canentium, *Gloria in altissimis Deo, & in terrâ pax hominibus.* Luc. 2. v. 14. quia dederunt insoliti stellam splendoris, quæ apparuit magis, eosque deduxit ad Christum justitiæ solem; quia aurei coloris globus, circa id tempus, Romanis visus est è cœlo ad terram descendere, ibique major effectus, iterum ascendere in cœlum: uti refert Orosius lib. 6. histor. c. 18. Ut plures alias taceam rationes. In secundo adventu movebuntur cœli non tantùm juxta Prophetiam Joelis, sed ipsius divinæ Veritatis in hodierno Evangelio: *Et virtutes cœlorum commovebuntur*: quâ ratione commovendi sint, diversæ sunt sententiæ: movebuntur cœli, *quia sinu suo excipient beatos, eisque quasi applaudent, inquit Lyranus. movebuntur cœli, id est, cœlites, puta beati, ad exultandum, & jubi-*

jubilandum, cum â Christo Judice audient: *Venite benedicti Patris mei;* inquit Cornelius, movebuntur cœli, & virtutes cœlorum, nempe Angeli, qui magnâ vi cœlos gyrant, & movent: hi commovebuntur, quia ipsi quasi ministri divinæ justitiæ, & vindictæ in impios, mutabunt ordinem, & modum solitum movendi cœlos: quâ de causâ omnia inferiora miscebuntur, ac sursum, deorsum ibunt; inquit Suarez. 3. p. q. 59. Art. 6. disp. 56. Sect. 3. Ut & nostra cum cœlis hodie moveantur corda ad Dei laudem, ejusque amorem, piâ curiositate libeat nobis cœlos aspicere, ac ipsorum admirari prodigia, potissimum etiam præsentem, & ordinarium ipsorum motum; unde & vitæ benè instituendæ hauriemus documenta. Consult. 14. Art. 6. & Consult. 22. Art. 4.

Eâdem Dominicâ.

THEMA.

Tunc, qui legit, intelligat. Matth. 24. v. 15.

Synopsis Concionis.

EST hîc occasio fusissimè agendi de fructu multiplici, quem affert lectio librorum spiritualium. Consult. 30. per totam, ubi introductione uti poteris pro Exordio.

Dominicâ Dedicationis.

THEMA.

Et quærebat videre JEsum, quis esset. Luc. 19. v. 3.

Synopsis Concionis.

HAud mirum est, quod tanto videndi JEsum exæstuet desiderio Zachæus; si enim alio actus non fuisset stimulo, eximia ipsius, quâ refulgebat Salvator, abundè sufficiebat pulchritudo, cum â naturâ nobis insitum sit amare id, quod est pulchrum, juxta effatum S. Augustini, *pulchras formas amant oculi* lib. 10. Confess. c. 34. nec dubitare nobis liceat de eo, quod de Salvatore nostro affirmat S. Chrysostomus hom. 18. in Matth. *sicut insignis in perficiendis miraculis, ita visu gratiosissimus fuit.* Et quid dubitemus de hoc, cum jam olim ab insigni hâc formâ commendaverit ipsum Spiritus Sanctus per Davidis ca-

lamum Psal 44. *Speciosus formâ præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis.* Non tantum autem summa in vultu Salvatoris nostri relucet pulchritudo, sed aliqua etiam divinitatis emicabat scintilla, quâ homines ad sui trahebat sequelam: ita iterum asserit S. Chrysostomus hom. 13. in Marcum: *In vultu Salvatoris aliquid fuit divinum, quod videntes homines sequebātur*; cui adstipulatur S. Hieronymus in Matth. c. 4. *Certè fulgor ipse, & majestas divinitatis occultæ ex primo ad se venientes trahere poterat aspectu*: quod enim pulchritudo divina quædam res sit, agnoverunt & ipsi Ethnici, inter quos Isocrates in laudatione Helenæ inter alia affirmat: *pulchritudinem esse augustiorem, & pretiosiorem, & diviniorem omnibus rebus*; ubi etiam addit: *formosos olim coli solitos tanquam Deos, pluresque propter pulchritudinem, adeptos esse divinitatem, quàm propter omnes alias virtutes.* Ethnici quondam, ut legimus Actor. 14. num. 11. Lystris Paulum, & Barnabam admirantes, vocabant Barnabam Jovem, Paulum, verò Mercurium. Quærat aliquis, si Jupiter Divûm Pater atque hominum Rex ab Ethnici credebatur: cur non potius Paulum qui erat Apostolorum Princeps, quàm Barnabam Jovem appellabant? D. Chrysostomus hom. 30. sensisse videtur, rationem fuisse, quod Barnabas præstantioris, & elegantioris formæ fuerit: Mihi quidē, inquit, *videtur, etiam ab aspectu venerabilis fuisse Barnabas*: quasi gentiles homines censerent formæ præstantiori, qualē Barnabas habebat, divinitatē quoq; præstantiorē, qualem Jupiter habere credebatur, deferendam. Cum igitur homines tanti æstiment pulchritudinem, tantoque illius exæstuent amore, ut tantò vehementius Dei amore succendamur, in præsenti sermone velut imagine vivacioribus, in quantum infirmitas humana permittet, coloribus ipsius Dei delineabo pulchritudinem; quâ imagine hodie præsentem adornabo Ecclesiam, cujus solemnem celebramus Dedicationem. Consult. 24. Art. 3. & 4.

Eâdem Dedicationis Dominicâ.

THEMA.

Venit Filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat. Luc. 19. v. 10.

Synopsis Concionis.

GLoria magna est sequi Dominum, inquit Ecclesiasticus cap. 23. v. 38. non minori autem gloriæ sibi ducit Deus, suas sequi creaturas, & inter has, præcipuè animam humanam, dum fugit ab eo. Sunt omnes creaturæ, consequenter & animæ nostræ respectu DEI nil aliud, nisi umbræ; ipsas sequitur, & summo amore prosequitur Deus, velut corpus

pus sequitur, & prosequitur umbram suam. Consult. 4. Art. 1. cujus etiam introductio servire poterit pro Exordio.

Pro quâlibet Dominicâ totius anni.

THEMA.

In illo tempore.

Synopsis Concionis.

CUm Sancta Mater Ecclesia, utpote directa à Spiritu Sancto, in omnibus Evangeliis per annum tam Dominicalibus, quàm Festivalibus, tam frequentem faciat mentionem temporis, repetendo identidem, & absque intermissione hæc nostri thematis verba: *In illo tempore;* pretiosissimam omninò, & maximi valoris rem esse tempus oportet; Et sanè est juxta effatum mellifui S. Bernardi in declamat. post med. dicentis: *Nihil pretiosius tempore*; huic adstipulatur Seraphicus Doctor S. Bonaventura, ejusque rei ratione addit Expositione 2. Super Ps. 118. c. 8. v. 14. dicens: *Nihil pretiosi⁹ tempore, quia nihil pretiosius pœnitenti, nihil pretiosius proficienti, nihil pretiosius pervenienti.* Sed sciendum est, duplicis generis esse tempus: nempe tempus instabile, fluxum, transitorium; Et tempus immobile, perpetuum, æternum. De prioris instabilitate cecinit verissimè Vates Regius Psal. 101. v. 4. *Defecerunt sicut fumus dies mei, & dies mei sicut umbra declinaverunt;* à quo procul non abludit Hussiticus Princeps cap. 7. v. 6. Congeriem dierum vitæ suæ conferens cum momentaneo forficis, aut texentis dexteræ motu: *Dies mei velocius transierunt, quàm â texente tela succiditur.* De posterioris autem nempe æternitatis stabilitate ita pereleganter scribit S. Augustinus Sermone 17. de verbis Dom. *Dies ille nescit ortum, nescit occasum: Illi diei non succedit crastinus, quia non præcedit eum hesternus.* Quamvis autem præfatus S. Augustinus dicat, æternitatem strictè acceptam non esse tempus, dum tractat. 23. in cap. 5. Joan. asserit: *Vera æternitas est, ubi temporis nihil est;* habeo tamen suffragantem mihi Scripturam, æternitatem dici posse tempus; Sic enim luculenter ait de Deo Baruch. cap. 3. v. 32. *Qui præparavit terram in æterno tempore, & replevit eam.* Et Propheta Regius ipsos annos, qui temporis duntaxat sunt portio, æternitatis nomine condecorat Psal. 76. v. 6. *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Jam autem in ipsâ æternitate maximam iterum invenio differentiam: Est namque æterni-

æternitas Dei, est etiâ æternitas creaturæ: æternitas Dei & caret principio & fine, æternitas autmem creaturæ fine quidem caret, non tamen caret principio, adeoque dimidia tantum, & imperfecta est æternitas. Ego hodie loqui volens de æternitate, dimidiam hanc creaturæ æternitatem dimitto, & amplector æternitatem integram, omni ex parte consummatam, & perfectam, nempe æternitatem DEI. Ut ex hâc proficiamus ad vitam æternam, rudem vobis ejusdem, in præsenti sermone, delineationem, ac idæam pro modulo nostro humano proponam, & salutaria quædam ex eâ, pro vitæ nostræ directione, documenta declarabo. Consultat. XI. Artic. 1. & 2.

F I N I S.

Errata sic corrige.

PAgina.3. Columna.1. Linea.3. diversoris lege diversorii. pag.9.col.2.lin.1. unquam lege nunquam. lin.4. in cognitione veritatis. adde inquiris; ex alterâ autem parte credas cognitionem veritatis. pag.13.col.lin.26 ipsique, leg. ipsiusque. pag.30. col.1.lin.4. oppugnabant. leg. oppugnant. col.2. lin.20. delectabilibus leg. delectabilius. pag.32.col.1.lin.15. amicita leg. amicitia.col.2.lin.23. quâ. leg. quia. pag.39.col.1.lin.11. amaritudinem. leg. amaritudine. pag.46. col.1. lin.16. partem leg. parem. lin.23. moneor. leg. moveor. pag 50. col. 1. lin. 14. oppugnat leg. oppugnat leg. oppugnabat. pag.51. col.2. lin.35. suscipiendi leg. suspiciendi. pag.53. c.1.l.2. talem leg. telam. c.2.l.1. ilni leg. vini. p.56. c.1.l.37. quo leg.quod. p.59. c. 1.l.17. observari leg. observavi. p.60. c.2. l.5. creaturum leg. creaturarum. p.61. c. 1.l.36. oous leg. opus. p.69. c.1.l.30. pronutianda leg. pronuntianda. p.70. c.1.l. 15. amorem leg.amarorem.p.83.c.2.l.25.aliquod instans adde quod.p.92.c.2. l.13. jugales leg.jugules.p.93.c.2.l.39.ipsum leg.ipse.p.95.c 2.l.23. sensibile esse.leg. sensibili impossibile esse. p.97.c.2.l.19.quo leg.quæ. p.99.c.1.l.12. intellexit leg. intelligit.p.100.c.1.l.28. proferat leg. præferat. c.2.l.11. videbis leg. vide sis. p.102. c.2. l.18. profunditur leg. perfunditur. p.109.c.1. l.2. primo leg. animo. p.110. c.1. l.25. divitatem leg. divinitatem. l.40. quo pœternum. leg. quod æternum. p.111. c.1.l.2. reritati leg. veritati. l.8. reritas leg. veritas. p.114. c.2.l.33. similiter leg. similes p.120. c.1.l.4. vitis leg. vitiis. col.2. lin.35. fidelissimam leg. infelicissimam. p.122.c.1.l.38. conspirassa leg. conspirâsse. col.2.l.1. infelissimam leg. infelicissimam. p.123.c.2.l.38. possitdent leg. possident. p.124. col.1.l.8. date leg. dare. p.126.c.2.l.30. veulento leg. luculento. p.128. c.1.l.18. hoc leg.hæc. p.129. col.2.l.8. puritatem adde Dei.p.131.c.1.l.22. qui leg. quem. p.133 c.2.l.10. intuenda leg. intuendo. p.136.c.2.l.11. uti leg.ubi. p.138 c.1 l.16. nationalis leg. notionalis. p.139. c.1.l.18. nota leg. vota. p.144. c.1.l.20. videbis leg. vide sis. sua nobis leg. sua non nobis. lin.33. exultus leg. excultus. p.146. c.2. l.26. ut leg. &. p.149. c.1.l.12. suum leg. suam. p.156. c.1.l.22. cira leg. circa. p.164. c.1. l.33. substantiam leg. substratam. c.2.l.30. inde leg. & inde. p.165. c.2.l.13. est conveniens leg. est non conveniens. p.168. c.2.l.21. & leg. est. p.172. c.2.l.9. consideraret leg. si consideraret. p.173.c.2.l.23. naturale leg. esse naturale.p.174 c. 1.l.33.quam sese leg. quam sæpe sese.l.38.reddet.leg.reddit.p 179.c.2.l.36.indicaret leg. judicaret. p.187. c.2.l.25. maximè sæpe leg. maximi sanè. p.189. c.2. l.24. miseretur leg. miscetur. p.191. c.1.l.17. & leg. est. c.2.l.35. dixerit leg. direxit. p.205. c.1.l.25. inducit leg. induit. p.207. c.2.l.22. consuetudine leg. consultatione. p.208. c.2.l.6. dicere adde & facere.l.14.patientiam leg. potentiam. lin.29. uti leg. ubi.p.210.c.1.l.1. præcedentis leg. præcedentes.p.216. in margine Spiritus Sanctus adde non. p.224. col.2. in margine unices leg. unius. p.229. c.1.l.10. legatum leg. ligatum. p.231. c.1.l.4. cœlum leg. cœlorum. p.232. c.2.l.14.

mercatur

mercatur leg. mereatur. p 236. c.1. l 4. & loquendi adde de Deo, & deguſtandi. p. 237. c. 1. l. 14. explinantum leg. explanandum. lin. 22. præſtantium leg. præſtantiam. c 2. l. 21. nimium leg. nimirum. p. 239. c. 2. l. 29. mentam leg. mentem pag 244. col 2 lin. 19. fecerim leg. fecerint. pag. 246. col. 2. lin. 6. Bernardinum leg. Bernardum. p. 248. c. 2. l. 8. fructus leg. factus. p 250. c. 2. l. 32. anguſtum leg. auguſtum. p. 251. c. 2. l. 26. anguſtum leg. auguſtum. p. 253. c. 1. l. 7. honorum leg. bonorum. p. 258. c. 1. l. 19. ſanciatam leg. ſauciatam. granes leg. graves. p. 259. c. 2. l. 3. occupetur quam cura leg. occupetur cura. lin. 7. pretioſa adde germina. lin. 26. afficiam leg. afficiar. p. 260. c. 1. l. 21. longi leg. loqui. c. 2. l 6. niete leg. quiete. p. 261. c. 1. l. 4 vel limitatione leg. vel modi limitatione. lin. 37. ſe leg. in ſe. c. 2. l. 14 quæ leg. duæ. l. 34. dicas leg. dicat. p. 262. c. 1. l. 1. ex leg & lin. 10. dilentio leg. ſilentio l. 15. ſimili leg. ſimile. lin. 28. hoc leg. hæc. c. 2. l. 3. vicet leg. vice. pag. 262. c. 2 l. 8. requies impedit adde quin ex totis viribus ſuis ſe ſemper adorandis hiſce impendat, l. 11. quidam leg. quidnam. l. 39. ad leg. ac. p. 264 c. 1. l. 13. Deus leg. Deo. p. 266. c. 1. l. 9. multus leg. mundus. p. 269. c. 1. l. 19 dicens leg. dicere. p. 270. c. 2. l. 2. myſteriorum leg. myſteriorum p. 273. c. 1. l. 2. eoquè leg. eoquod. p. 274. c. 1. l. 8. quid leg. qui. p. 276. c. 1. l. 22 prodigium leg. prodigum. c. 2. l. 15. cogitatam leg. cogitabam. p. 277. c. 1. l. 19. nigas leg. gigas. p. 278 c. 1. l. 29. ſequeretur leg. ſequetur. c. 2. l 26. miſeraria. leg. miſeria. p. 279. c. 2. l. 6 perferrem leg. præferrem. p. 280. c. 1. l. 3. veniendo leg. finiendo. p. 282. in margine, ac leg. nec. p. 283. c. 2. l 22. furus leg. futurus. lin. 23. habueritur leg. habuerit. p. 285. c. 2. l. 28. videris leg. videſis. p. 286 c. 2. l. 36. quos leg. nos. p. 287. c. 1. l. 2. omnes leg. ames. l. 30. ex leg. &. col. 2. l. 10. vinetis leg. vivetis. p. 291. c. 1. l. 25. illud eſt, adde quod. p. 292. c. 1. in margine. filium leg. filum non leg. nos. p. 294. c. 2. l. 7. famam leg. famem p. 296. c. 2. l. 9. nullam leg. nulla. p. 301. c. 1. l. 3. lene leg. leve. c. 2. l. 25. invenuêre. leg. invenêre. p. 302. c. 1. l. 15. protrahat leg. protrahit p. 309. c. 2. l. 29. perfunderes leg. perfunderer. pag. 313. c. 1. l. 30. nunumero leg. numero. c. 2. l. 35. charum leg. clarum. pag. 315. c. 1. l. XI. articulus XI. leg. articulus V. p. 320. c. 2. l. 33. modium. leg. modicum. p. 323. c. 1. l. 22. examus leg. exeamus. p. 324. c. 2. l. 10. videbat leg. ridebat. p. 325. c. 1. l. 7. cus leg. rus. p. 326. c. 1. l. 6. omnia leg. omittatur. pag. 327. c. 2. l. 5. ſimul leg. ſumit p 342. c. 1 l. 28. ſeniſſimas leg. ſevetiſſimas. p. 343. c. 2. l. 15. nobis leg. vobis. p. 352. c. 2. l. 9. prodigioſa leg prodigioſæ. p. 355. c. 1. l. 16. munere leg. numero p. 349. c. 1. l. 24. incipiam leg. incipiat. p. 362. c. 2. l. 29. eſt leg. es. p. 366. c. 1. l. 24. largari leg. largiri. c. 2. l. 21. ſimilee leg. ſimiles. p. 367. c. 1. l. 28. officere. leg. affiſere c. 2. l. 5. vertendos leg. veſtiendos. l. 36. tolerandam leg tolerandum. pag. 368. c. 2. l. 19. penetremas leg. penetremus. l. 24. revolavat leg. revolvat. p. 375. c. 1. l. 1 ceſſit leg. ceſſet. lin. 5. nonn leg. nonne. p. 376. c. 2. l 7. veniam leg. veniant. l. 18. ſepellant leg. ſepeliant. p. 378. c. 1. l. 28. deſideranda leg. deſerenda. p. 392. c. 2. l. 22. de leg. ſe. p. 400. c. 1. l. XI. givinum leg. divinum. p. 405. c. 1. l. 15. conſervato leg.

leg. conſervatiò. pag. 409. col. 2. lin. 30. hac leg. hoc. pag. 410. col. 1. lin. 31. ſubtrahendem leg ſubtrahentem. col. 2. l. 14. eadem mediocre leg. eâdem facilitate divinus hic concurſus producat opus magnum, quâ mediocre. lin. 23. ſed leg. ad. p. 411. c. 2. l. x1. annis leg. amoris. p. 412. c. 1. l. 5. quo leg. quod. pag. 413. c. 1. in margine indigens leg. indigent. p. 414. c. 1. l. 13. manibus leg. inanibus. l. 17. codificaverit leg. coædificaverit. p. 423. c. 2. l. 36 permanenter leg. peramanter. pag. 426. c. 1. l. 6. tua leg. ſua. p. 427. c. 1. l. 39. quieta leg. quiete. p. 428. c. 1. l. 6. indices leg. judices. p. 431. c. 2. l. 13. Evangelium leg. Evangelicum. p. 433. c. 1. l. 17. alter leg. alteri. p. 438. c. 1. l. 9 primerium leg. imperium. lin. 40. melus leg. melius. p. 443. c. 1. l. 38. ulimus leg. ultimus. p. 444. c. 1. l. 16. verè leg. vero. p. 445. c. 2. l. 7. & leg. eo. p. 453. c. 1. l. 31. magnum leg. magnam. p. 455. c. 2. l. 16. de te leg. te de. p. 458. c. 2. l. 32. optimas leg. optimis. p. 459. c. 2. l. 13. diæ leg. die. p. 464. c. 1. l. 37. quid leg. quis. p. 468. c. 2. l. 9 quod leg. quo. p. 474. c. 1. l. 35. nec bonum ſe extendit leg. nec bonum nec malum, ſed ſcientia approbationis nonniſi ad bonum ſe extendit. p 475. c 1. l. 19. præbere leg. præberet. c. 2. l. 15. ambas. adde ſucceſſivè ſed nos regem habemus infinito modo Salomone majorem, qui ſimul & ſemel. p. 477. c. 1. l. 33. charitatis leg. claritatis. p 478. c. 2. l. 16. diſtiſſima. leg. diſtinctiſſima. p. 479. c. 1. l. 4. quamquam ſemel omittatur p. 488. c. 1. l. 17. ſupplicio leg. ſupplicia. p. 505. c. 1. l. 14. nocti leg. nacti. p 506. c. 2. l. 26. monitur leg. moritur. p. 507. c. 2. l. 21. irmari leg. rimari. p. 512. c. 1. l. 27. tandem leg. tantam. p. 513. c. 2. l. 28. faciem leg. facilem. p. 518. c. 2. l. 10. hoſpitia leg. hoſpitio. l. 12. amore leg. amare, p. 529 c. 1. l. 7. potentiam leg. potentia. p. 520. c. 1. l. 2. vollet leg. vellet. p. 522. c. 2 l. 12. laceſſero leg. laceſſere. p. 525. c. 2. l. 39. evaſcit leg. evaſit. p. 527. c. 2. l. 37. hanc leg. hunc. p. 528 c. 1 l. 2. ite leg. ita. col. 2. l. 33. proymorum leg. proximorum. p. 541. c. 2. l. x1. conitati leg. bonitati. p. 547. c. 1. l. 35. alicuiſti. leg. aluiſti. p 551. c. 2. l. 14. hortoris leg. horroris. l. 21. propril leg. proprii. bona leg. bone. p. 552. c 1. l. 18 ripore leg. rigore. p. 554. c. 2. l. 18. pluris leg. plures. p. 561. c. 1. l. 4. devoveo æternæ leg. damnationi devoveo æternæ. p 562 c. 2 l. 18. negati leg. negotii. p. 564 c. 1. l. 17. duos leg. tuos. p. 565. c. 2. l. 1. incolore leg. incolere. pag. 572. c. 2. l 21. quem leg. quam. p. 573. c. 1. l. 30. diebis leg. diebus. c. 2. l 9. magia leg magis. l. 17. quare leg. quære. l. 27. operemque leg operamque. l. 31. illes leg. illos. p. 576 c. 2. l. 28. exnoterunt leg exuxerunt. p. 585. c. 2. l. 27. multo leg. nullo. p. 591. c. 2. l 9. adhuc ap. leg. adhuc apparet vultus. l. 31. pluribus adde picturis p. 592. c. 1. in margine nititur leg. utitur. c. 2. l. 9 valuerint imaginet leg voluerint imagines. p. 593. c. 2. l. 38. foriat leg. faciat. p. 594. c 1 l 9. eſt leg. &. p. 598. c. 2. l. 17. probiuntur leg. patiuntur. l. 37. non leg. nos. p. 602. c. 1. l. 9. torrepte leg. torrente. p. 605. c. 2. l. 4. rapi leg. rapidi. p. 607 c. 1. l. 30. copit leg. cogit. p. 608. c. 2. l. 4. require leg. requie. p. 613. c. 2. l. 9. profers leg. proferas. p. 614. c. 1. l. 23. velit leg. velut c. 2. l. 28. quot leg. quos. p 616. c. 2. l. 23. ſole leg. ſola. p. 620. c. 1. in margine. ſomine leg. nemine. p. 621. c. 1. l. 6. inducat leg. induat. p. 625.

c 1.

c. 1. l. 23. voluntas leg. voluptas. p. 626. c. 2. l. 21. dignaſcitur leg. dignabitur. pag. 627. col. 2. l. 10. facto leg. facta. p. 631. c. 2. l. 20. plenumi leg. plenum l. 26. totsm leg. totam, l. 37. manes leg. manet. p. 633. c. 2. l. 2. repleto leg. replebo. p. 634. c. 2. l. 28. tirigere leg. dirigere. p. 643. c. 1. l. 38. vicinum leg. vicium. p. 646. c. 1. l. 3. pulchritudinem leg. pulchritudinum. p. 649. c. 1. l. 1. ſeparvatam leg. ſeparatam. c. 2. in margine. pulchratuinæ leg. pulchritudo. p. 650 c. 2. l. 12. uniperſa leg. univerſa. p. 651. c. 2. l. 37. crearet leg. crearc. p. 661. c. 1. l. 10. quod res leg. quoad res. c. 2. l. 24. ferat leg. feratur. p. 664. c. 2. l. 21. quinque. leg. quique l. 36. quemque leg. quamque. p. 667. c. 1. l. 16. ducas leg. dicas. c. 2. l. 11. idveno leg. idoneo. p. 670. c. 2. l. 36. cogitate leg. cogitatione. p. 671. c. 2. l. 5. quod leg. quid. p. 675. c. 1. in margine. ardore leg. ardere. c. 1. l. 35. initima leg. intima. p. 696. c. 2. l. 3. es leg. eſt. p. 705. c. 1. l. 1. domi leg. donis. p. 711. c. 2. l. 19. ipſorum leg. ipſum. p. 713. c. 1. in margine. quando leg. quomodo. c. 2. l. 32. ſibi leg. ſive. p. 717. c. 1. l. 3. conſiderationem leg. conſummationem. p. 719. c. 1. l. 24. tuæ leg. ſuæ. p. 722. c. 1. l. 2. dominium leg. dominum. p. 725. c. 1. l. 36. eoram leg. æoram. ſcleris leg. ſceleris. p. 727. c. 2. l. 23. bolo leg. volo. p. 728. c. 1. l. 5. exiſtas leg. exiſtat. l. 29. anſum leg. anſam. p. 731. c. 1. l. 12. reddere leg. redderer. c. 2. l. 25. ipſius leg. ipſis. p. 736. c. 2. l. 14. facerit leg. fecerit. mere leg. mera. p. 737. c. 1. l. 4. ameat leg. amet. p. 742. c. 1. l. 34. exponebatis leg. exponebat is. p. 744. c. 2. l. 40. plerisque ſua leg. plerisque perſuaſit. p. 748. c. 2. l. 36. purum leg. parum. p. 759. c. 1. l. 33. ordium leg. odium. p. 761. c. 1. l. 32. pulviſture leg. pulvis terræ. c. 2. l. 23. triſtiam leg. triſtitiam. p. 766. c. 2. l. 7. eniam leg. enim. p. 772. c. 1. l. 28. ipſo leg. ipſi. c. 2. l. 5. natura eſt leg. natura ignis eſt. p. 774. c. 1. l. 6. ipſum leg. ipſorum. p. 775. c. 2. l. 7. magisque leg. magismagisque. p. 776. c. 2. l. 25. ſi leg. ſit l. 27. æſtime leg. æſtimet. p. 787. c. 2. l. 10. ſuane leg. ſua. p. 797. c. 2. l. 18. vite leg. vita. p. 800. c. 1. l. 10 perderet leg. perderent. p. 804. c. 2. l. 39. amplius poſſet leg. amplius non poſſet. p. 805. c. 2 l. 14. Angelo leg. Angeli, l. 22. alterius homminis leg. alterius hominis. pag. 807. c. 2. l. 27. quam leg. qua. p. 808. c. 2. l. 18. effectus divinos leg. affectus divinos. p. 811. c. 2. l. 9. produnt leg. producit. l. 31. hanc leg. hunc. p. 813. c. 1. l. 23. utrimento leg. nutrimento. c. 2. l. 23. deſtuere leg. deſtruere. p. 814. c. 2. l. 19. ſtruis leg. ſtruit. p. 815. c. 1. l. 35. ſperationem leg. ſeparationem. c. 2. l. 18. catena leg. centena. milla leg. millia. l. 27 labet leg. latet. p. 820. c. 1. l. 2. divitii leg. divitiis. p. 823. c. 1. faſtidium pariat leg. faſtidium terræ pariat. p. 831. c. 1. l. 16. ipſi oblectamentis leg. ipſi pleni ſunt, nonniſi vanitate, & inanibus licentioris vitæ oblectamentis. p. 837. c. 2. l. 9. at leg. aut. l. 20. pulchritudinem leg. beatitudinem. p. 842. c. 1. l. 20 affectum. leg. affectuum. noſi leg. niſi. c. 2. l. 21. ſenſibilius. leg. ſenſibilibus. p. 843. c. 1. l. 33. quo leg. quod. c. 2. l. 10. quod Sancti leg. quod Sancta. p. 846. c. 1. l. 4. funda leg. fundo.

Errores alios, qui ſenſum notabiliter non mutant, aut quos prudens Lector corrigere poteſt, non notavi.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
2583
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN